UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate || Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1626

urn:nbn:de:hbz:466:1-45802

Visual Library

Th. 2657.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE CHRISTIANA

PERFECTIONE

ET STATIBVS CONTINENTIÆ ET RELIGIONIS, ET CVSTODIA CONSILIORVM Euangelicorum.

AVCTORE R. P. LVDOVICO DE PONTE, SOCIETATE IESV.

TOMVS III.

R. P. MELCHIOR TREVENNIVS, EIVSDEM Societatis, Latinè reddidit.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCHIVM sub Monocerote.
ANNO M. DC. XXVI.

Permissu Super. & privil. S. Cæs. Maiest.

Sodalis Jesv

TERTII HVIVS TOMI ARGVMENTVM INSEPTEM TRACTATVS DISTRIBVITVR

PRIMVS *continet quasi fundamentum præcipuorum* PERFECTIONIS CONSILIORVM, *omnibus Reipubl. Christianæ statibus communium.*

II. *De statibus* CONTINENTIÆ, VIRGINITATIS, *& virtutibus illarum Comitibus.*

III. *De statu* RELIGIOSO *quoad eius substantialia, & ingentibus præmiis eidem promissis.*

IV. *De specialibus ad Religiosum Statum amplectendum Vocationibus, & stupendis mediis quibus Deus eas dirigit.*

V. *De ingressu in Religionem, Tyronum educatione, eorum tentationibus, ac Probationibus, & modo ac ratione Vota & Professionem emittendi.*

VI. *De perfecta trium Votorum,* PAVPERTATIS, CASTITATIS, & OBEDIENTIÆ, *iuxta Regulas, obseruatione.*

VII. *De suprema Religiosi perfectione in custodia* CONSTITVTIONVM, & REGVLARVM *suæ Religionis.*

ADMO-

ADMODVM.

R. EVERENDO PATRI IN CHRISTO, P. NOSTRO MVTIO VITELLESCO SOCIETATIS IESV.

PRAEPOSITO GENERALI.

DEDICATA Tibi, Pater Admodum R.de, à me superiore anno vita Patris Balthasaris Aluarez, viri è Societate nostra sanctissimi, Exemplum quodammodo explicasse videbatur eorum, quæ continentur in hoc absolutissimo, eius Christianæ Perfectionis, quæ Religiosorum est, Exemplari; quod Tibi nunc liberatissimè venio dedicatum. Debere me quodammodo hoc post illud Tibi potissimùm existimabam: quia vt in re ferè non dissimili, Sancti loqui consueuerunt: cui poma dedissem, nec pomum negandum esse persuadebar. Et verò Tibi ampliùs, qui Perfectionem eam totam, ita conaris facere tuam, vt etsi dignam te, & eo gradu, in quem te Diuina Prouidentia extulit, sis consecutus: tamen non arbitreris te comprehendisse, sed obliuiscens ea quæ retro sunt, ad ea, quæ priora sunt teipsum extendis: quod ipsum vt Societas nostra, Te Duce, velit & possit, efficis; quà pulcherrimis exemplis; quà Sanctissimis monitis; & adhuc industria singulari ac prope Diuina: quam iam didicimus admirari & amare. Iam verò quicquid Religiosarum virtutum est vsquam, quicquid Diuinorum animi ornamentorum laudatur vspiam, quicquid absolutissimæ Perfectionis Christianæ, quæ in istorum acquisitione & Possessione sita est, à quocunque experitur: in hoc Exemplari ita est expressum: vt, si id aliquis velit aspicere, ferè hoc ipsò etiam, quod ei monstratum est, possit facere: & tum in se, tum in alijs exprimere. Non enim pulcherrima hæc decora ita tantùm hic exponuntur, vt venalia cum ad-

cripis titulis pretiorum; sed ita eorundem exhibetur præstantia, vt indicetur etiam sine auro & argento eadem comparandi facilis via. Intendat hic aliquis oculum & animum, vt cætera taceam, in vnam Obedientiam: efficiet facilè, vt ad omnes virtutes breue compendium se inuenisse intelligat; & obediens, victorias loqui possit. Quod si etiam ad opulentissimam Religiosorum Paupertatem aduertat: discet exemplo, ea omnia, quæ mundus iactat, tanquam detrimenta contemnere; vt Christum lucrifaciat; & eam hæreditatem, quæ spiritu pauperibus est destinata, consequatur. Aspices igitur, Pater admodum Reuerende, hoc exemplar ijs oculis, quibus auidissimè soles ea perlustrare à quibus vel tuum ardens Christianæ Perfectionis desiderium expleri posse autumas; vel alienum cessans ac languidum ad alacritatem & feruorem excitari. Deus Opt. Max. Te tuorum desideriorum faciat abundantissimè compotem; & vbi per Te Societatem ad maximam Christianam Perfectionem excreuerit, & diu toti orbi terrarum commodauerit: ad brauium supernæ vocationis Te reducat. Pragæ 20. Februarij 1617.

Adm. R. de P. tuæ

Minimus in Christo seruus

MELCHIOR TREVINIVS.

AVCTOR.

AVCTOR CHRISTIANO ET PIO LECTORI:

QVAMVIS CHRISTIANA RESPVBLICA tam Sæcularis, quam Ecclesiastica, & Religiosa perfectionem, quam Christus Dominus noster in sancto suo Euangelio docuit, profiteatur, eum in modum, quo primo Tomo huius operis dictum est: particulares tamen excellentia complectitur Status aliquos ad eandem sectandam dicatos, per media quædam præclariora (quæ vocamus consilia Euangelica:) in quibus præcipuus emicat Religiosa Respublica, cuius id est studium vt ex Instituto peculiaribus votis sese obstringat, ad amplectenda & seruanda tria insigniora consilia; PAVPERTATIS, CASTITATIS, & OBEDIENTIÆ, aliáque multa in eius Constitutionibus ac Regulis contenta: quibus eadem exornat magis, & corroborat, ex quo prodeunt varia felicis huius Status Instituta. Sed quoniam etiam in Republica Sæculari, & Ecclesiastica seruantur aliqua horum Consiliorum: Instituemus hic particulares Tractatus, qui omnibus vsui esse possint: præmisso Introductionis loco, breui TRACTATV GENERALIS DOCTRINÆ horum consiliorum, & speciatim eorum, quæ Supremus noster Magister in solenni illo sermone docuit, quem ad suos discipulos in Monte habuit; cum omnibus excellentijs: & commodis, quæ illa adferunt. Supra quod fundamentum sex alios Tractatus construemus. Ideoque SECVNDVS erit de Statibus VIRGINITATIS, & CONTINENTIÆ: quæ ad omnes tres Respublicas sese extendunt. In quo Tractatu varios explicabimus gradus ac præeminentias; fortia certamina, tentationes; & modum ac viam eas vincendi ac superandi. Virtutes etiam insigniores; quæ varios illos gradus comitantur: quales sunt Humilitas, Fiducia in Deum, Prudentia, & Fortitudo, studiosa Verecundia, & Modestia, Temperantia, & abstinentia. TERTIVS TRACTATVS erit de Statu RELIGIOSO cum rebus omnibus substantialibus, quas ille complectitur; qualis est eius Institutio, celsitudo, varij fines in diuersis Institutis, eius vota Regulæ, & præclara præmia, quæ Dominus noster eis promisit: & quodammodo connexuit, pro hac & futura vita: vt ita pluris fiat; ac proinde plus diligatur. Quoniam autem Status hic adeò est excellens, arduus, ac difficilis, vt vires nostras naturales excedat; addemus statim TRACAATVS QVARTVM de specialibus Dei VOCATIONIBVS, ad eum amplectendum; de variis ac stupendis medijs; quibus eas dirigit: variis vijs manifestans miserias, ac pericula huius mundi; excellentias verò & vtilitates vitæ Religiosæ. Et quoniam varia itinera in ea confiçiuntur, succedet QVINTVS TRACTATVS, in quo de omnibus illis rebus agetur, quæ

tum à prima vocatione vsque ad ipsum Religionis ingressum, (quasi ad PROBATIONEM, sicut solent ingredi Tyrones) euenire solent: tum de ijs, quæ in ipso Tyrocinio practicantur, vsque ad VOTORVM OBLATIONEM siue PROFESSIONEM; quibus plenè efficiuntur Relgiosi, manentque in Statu PERFECTIONIS. In quo etiam proponemus varias Meditationes, adhibendas, ad dignoscendam veritatem & stabilitatem vocationis; Tentationes Dæmonis peculiares, quibus eam impugnat; modum quo & rationem eas vincendi; exercitia Perfectionis, quibus, dum in Tyrocinio versantur, occupari debent vsque ad ipsam oblationem, spiritum etiam & feruorem, quo eam sunt edituri, SEXTVS TRACTATVS erit de perfecta trium votorum PAVPERTATIS, CASTITATIS, & OBEDIENTIÆ obseruatione, iuxta proprias cuiusque Religionis Regulas: & in particulari exponemus, quod excellentissimum & perfectissimum est singulari trium votorum: in quo Religiosi omnes meritò deberent eminere. VLTIMO denique TRACTATVS explicabit SVMMAM PERFECTIONEM, ad quam omnes in perfecta Regularum suarum obseruantia adspirare debent: explicatis excellioribus, magisque heroicis Regulis, in quibus glorioſi huius Status præstantia magis resplendet. Hæc omnia sunt tam virorum, quàm mulierum Religionibus communia. Quamuis virorum, prout nunc res est in praxi, soleant etiam exercere ministeria ad Hierarchiam, & Rempublicam Ecclesiasticam spectantia: qualia sunt Sacerdotum, Confessariorum, literarum studijs attendentium, Magistrorum, Doctorum, Concionatorum, ac Prælatorum, & præterea officium Diuinum priuatim dicendi, aut canendi: quod etiam est commune Monialibus; & assistendi eidem Officio, & Sanctissimo Missæ sacrificio, quod etiam est commune omnibus Sæcularibus. QVARTVS erit, & vltimus: ne tertius hic prolixior sit, quàm par esset: quod reuera euenisset, si hæc omnia ei accessissent: quemadmodum in primo totius operis prologo futurum insinuauimus.

INDEX

INDEX CAPITVM TRACTATVS PRIMI, TOMI TERTII.

De fundamento præcipuorum Perfectionis consiliorum, omnibus Reipubl. Christianæ statibus communium. 1

CAPVT I. Varietas & excellentia Euangelicorum consiliorum, & generales rationes ad eorum obseruationem inducentes ibid.

§. 1. 3

CAP. II. Euangelicorum consiliorum custodiam magnas ad nostram perfectionem spiritualem vtilitates adferre 9

CAP. III. Consilia perfectionis, quæ ad modum præcepta seruandi spectant meliorem semper præferendo 14

CAP. IV. Consilia circa occasiones transgrediendi præcepta remouendas, etiamsi aliàs licitæ sint, & iniuriæ aliquæ ferendæ 19

§. 1. 20

CAP. V. Consilia perfectionis, quoad modum diligendi proximos sicut nos ipsos, & sicut Christus eos dilexit 23

§. 1. *Qua ratione dilectio sui ipsius regula sit dilectionis proximi* 24

§. 2. *Ratio diligendi proximos sicut Christus eos dilexit* 27

CAP. VI. Consilia perfectionis circa modum inimicos diligendi 30

CAP. VII. Consilia circa puritatem intentionis in actionibus nostris, & nominatim in Eleemosynis, ieiuniis, & Orationibus sublatis inanis gloriæ occasionibus 34

CAP. VIII. Consilium non iurandi in communi hominum conuersatione; & reuerentia sanctissimo Dei nomini exhibenda 38

CAP. IX. Consilium de vouendo Deo D. N. & ratio id cum perfectione faciendi 41

INDEX CAPITVM TRACTATVS SECVNDI.

De statibus continentiæ & Virginitatis, & virtutibus illarũ comitibus 46

CAP. I. Referuntur status Continentiam profitentes; eorum gradus, vocationes & pugnæ 46

CAP. II. Qua ratione luxuria, Castitatem omnibus Christianis communem oppugner, hæc verò illam vincat 53

§. 1. *Pugna luxuriæ* 54. §. 2. *Vocatio ad fugam luxuriæ* 57. §. 3. *Castitatis pulchritudo* 60

CAP. III. Status perpetuæ Continentiæ cœlibibus, Virginibus, & viduis communis, eiusque superat matrimonii statum excecellentia 62

§. 1. 63 §. 2. 66

CAP. IV. Speciales status virginitatis excellentiæ 68

§. 1. *Similitudo eius cum Angelis cum Deo, & cum Christo* 70

§. 2. *Nuptiæ cum Christo* 73

CAP. V. Votum perpetuæ castitatis, eiusque excellentiæ, & commoda 77

§. 1. 79. §. 2. 82

CAP. VI. Ad bene eligendum statum Continentiæ, eamque seruandam, necessariam esse Dei vocationem eumq; sufficientia auxilia & media omnibus præstare 84

§. 1.

§. 1. 86. §. 2. 87

CAP. VII. Humilitas confert ad custodiam Castitatis: quæ ob occultam superbiam facilè perit. Adferuntur aliqua documēta ad vtramq; virtutē coniungendā 41

§. 1. 91 §. 2. 94

CAP. VIII. Fiducia obtinendi donum Castitatis: in cuius conseruatione in medijs tentationibus Omnipotentia diuina mirificè splendet; sicut & in ingenti pace ac tranquillitate post eas deuictas 98

§. 1. *Diuinæ Omnipotentiæ prodigia in fauorem Castitatis* 100

§. 2. *Facile esse Deo, luxuriosos ac tentatos in castos & tranquillos ac pacificos commutare* 103

CAP. IX. Prudentia in dignoscendis vitijs latentibusq; occultis tentationibus, & contra Castitatem; & cautela in agendo cum viris & fœminis: & in moderandis affectibus 107

§. 1. 108 §. 2. 120 §. 3. 4

CAP. X. Prudentia & fortitudo in tentationibus & occasionibus repentè & seorsim occurrentibus, siue in vigilia, siue in somnis, & præparatio ad eas vincendas adhibenda 118

§. 1. *Tres inuisibiles socij ad custodiam Castitatis* 119. §. 2. *Contra noctis lunæ illusiones* 122

CAP. XI. Statum Castitatis suscipientes, nec eam seruantes, in horrendas incidere miserias; & grauissimis affici pœnis ad aliorum cautelam 125

§. 1. 126 §. 2. 130

CAP. XII. Laudabilis verecundiæ affectus, eius præstantia, & proprietates; & quàm illa iuuentuti sit necessaria, & speciatim ad Castitatem tuendam 314

§. 1. 135 §. 2. 138

§. 3. *Moderatio eiusdem affectus* 140

CAP. XIII. Virtutem Modestiæ ornamentum esse ac protectionem Castitatis: & multiplicem esse eius præstantiam & vtilitatem; damna quoque immodestiæ 142

§. 1. 143 §. 2. 145

§. 3. *Immodestiæ detrimenta* 148

CAP. XIV. Temperantiam & abstinentiam conferre ad custodiam Castitatis, & victoriam de luxuria reportandam 151

§. 1. *Interna Abstinentiæ perfectio* 153. §. 2. *Abstinentia exterior, & virtutes quæ illā iuuant* 156

CAP. XV. Omnes gradus ac modi particulares Temperantiæ & Abstinentiæ perfectæ; & qua ratione ijdem conferant ad custodiam Castitatis 158

§. 1. *Escarum qualitas* 158 §. 2. *Abstinentia à vino* 161

§. 3. *Tempus & modus cibum sumendi* 163. §. 4. *Ratio & gratiarum actio* 166

INDEX CAPITVM TRACTATVS TERTII.

De statu Religioso, quoad eius substantialia; & ingentibus præmijs eidem promissis. 577

CAP. I. Quid sit status Religiosus, & Christum D. N. eum in lege noua constituisse; eiusque aliqui id in antiqua præcessisse 271

§. 1 *Author status Religiosi* 169 §. 2. *Religiones in Antiqua lege* 177

CAP. II. Præcelsus Religionis finis est, vt Religiosi non sibi, sed soli Deo viuant 17

CAP. II. Fundatio particularium Religionum iuxta diuersos earum fines, qui ad septem reducuntur 176
§. 1. 177
CAP. IV. Excellentiæ septem horum Ordinum Religiosorum, & eorum firmitas in persequutionibus 181
§. 184
CAP. V. Tribus votis, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, in quibus Religionis Essentia consistit, holocaustum Deo offerri 188
§. 1. 189
CAP. VI. Varia sacrificia, & vota offerri Deo in Religionibus 194
CAP. VII. Constitutiones & leges Religionum, earum præstantia & vtilitas 197
§. 1. 197. §. 2. 198
CAP. VIII. Proprietates Constitutionum ac Regularum Religiosarum in quibus suam ostendunt præstantiam & perfectionem 230
CAP. IX. Mirabilis & stupendus modus, quo Deus D. N. erigit Religiones tribuēs Fundatoribus eminēter spiritum & perfectionē illam, quam in suis Regulis deſcripserunt; & hac ratione alios inuitans ad eosdem sequendos 207
§. 1. 208. §. 2. 211
CAP. X. Admirandum centupli præmium Religioso statui, ad eius conseruationē, & augmentum annexum: & quanta bona illud complectatur 213
§. 1. *Centuplum illud complectitur omnium bonorum plenitudinem* 21
§. 2. *Promissum cētuplū esse Regnū Dei cū iustitia, pace, & gaudio in Spiritu sancto* 217
CAP. XI. Iucundos factus ex vnione Religiosorum, & participationem bonorum operum eorum, partem esse prædicti illius centupli 221
§. 1. 222 §. 2. 226
CAP. XII. Plenariam præteritorū peccatorū remissionē, & auxilia statui Religioso annexa, & pignus cautionemue æternæ vitæ partē esse promissi cētupli 229
Prædictorum Conclusio 233

INDEX CAPITVM TRACTATVS QVARTI.

De specialibus ad Religiosum statum amplectendum vocationibus, & stupendis mediis quibus Deus eas dirigit 234
CAP. I. Ad Deum propriè spectare, vocare aliquem ad statum Religionis; eiusque vocationem necessariam esse ad eum tuto adeundam 234
§. 1. 237
CAP. II. Ad statum Religiosum vocari Iustos, & peccatores; & personas omnium ætatum, & statuum qui sunt in Ecclesia 238
§. 1. 239 §. 2. 242
CAP. III. Deum Dominum nostrum sensim per conciones, & exhortationes Religiosorum, & præclara exempla, feruentesq; eorum Orationes, vocare multos ad statum Religiosum 246
§. 1. 248 §. 2. 250 §. 3. 253
CAP. IV. Dominum Deum nostrum ad Religiosum statum vocare, manifestando vo-

catis diuina sua luce duplex diluuium, culparum & pœnarum, quibus mundi huius diluuia submergit, & naufragium facit 253

§. 1. 255 §. 2. 256

CAP. V. Qui miseranda mundi huius diluuia experti non sunt, efficaciori vocatione opus habent, vt illum deserant. Et quam excelsum sit beneficium efficax hæc vocatio, & qua ratione gratiæ sunt pro ea agendæ 262

§. 1. 263 §. 2. 265

CAP. VI. Vocationem aliquando ex tentationibus, lapsibus, & miserijs temporalibus iris & qua Ratione illa felicem interdum habeat exitum 268

§. 1. 269 §. 2. 271

CAP. VII. Timorem mortis & vltimam vocationem ad exitum ex hac mortali vita esse medium valde efficax ad mundum hunc sine mora deserendum 274

Consideratio eorum quæ in vltima mortis vocatione geruntur 277

CAP. VIII. Deum vocare ad Religionem manifestando eius ingentia bona, præcipuè regnum Dei: quæ admirandis parabolis explicat 282

§. 1. 283 §. 2. 286

CAP. IX. Vocatio diuina solet sanctitatis, pacis, & gaudij inundationes, quæ in Religione sunt, manifestare: vt homines ad eã ingrediendam permoueãtur 289

§. 1. 290 §. 2. 292

CAP. X. Spirituale Religionis gaudium, quod solet Deus deliberandum præbere ijs, quos ad eam vocat 295

CAP. XI. Quam sit certum impulsus ac desideria Religionis ex motiuis prædictis, esse Dei vocationes: & quænam consultatio sit adhibenda ad eadem executioni mandanda 300

§. 1. 256 §. 2. 393

§. 1. *Vocatio ad religionem in genere* 302

§. 2. *Vocatio ad particulares Religiones* 304

INDEX CAPITVM TRACTATVS QVINTI.

De ingressu in Religionem, tyronum educatione eorum tentationibus ac proprietatibus; & modo ac ratione vota, & professionem emittendi 307

CAP. I. Duplex ingressus in Religionem, alter ad Probationem, alter per tria vota: & quænam vterque complectatur 307

CAP. II. Tentationes quibus dæmon & mundus oppugnant nolentes ingredi Religionem, & ratio eas superandi. Ponitur quædam omnium earũ summa 313

§. 1. *Qua ratione suffocetur vocatio Dei eiusq; opinio imminuatur* 314

§. 2. *Quod possit perfectio in ipso sæculo obtineri* 316

§. 3. *Procul à sæculo recedatur* 318

§. 4. *Aetatis aut virium defectus* 324

§. 5. *Cautionẽ aliquam in sæculo relinquendam, quæ intrantes Religionem retrocedere faciat* 327

§. 6. *Apertarum tentationum agmen* 322

CAP. III. Qua ratione tentationes vincendæ sint, quibus parentes, fratres, & cognati diuinam ad Religionem amplectendam vocationem oppugnant 324

1 316 § 2. 331
CAP. III. Qua ratione prælati ac tyronũ Magistri probare possint petentes habitũ Religionis, curæq; suæ cõmissos: & quinã harum probationũ sint fructus 333
§. 1. *Variæ probationes quæ sunt in vsu in Religionibus* 335
§. 2. *Varij fines & commoda harum Probationum* 338
CAP. IV. Ratio qua Deus Dominus noster ad excelsos valdeque vtiles fines iustos viros tentat, ac probat; simul docens Prælatos eandem rationem suos subditos exercendi 341
CAP. VI. Modus & ratio tentandi & probandi seipsum, vt ex tentationibus & probationibus, quibus exercetur ab alijs felicem habeat exitum 347
CAP. VII. Causæ cur aliqui tyrones vocationi suæ desint, & ad sæculum redeant, earumque remedia 351
§. 1. *Tres radices & causa non perseuerandi in Religione* 352
§. *Aliæ radices occultiores* 355
CAP. VIII. Inconstantiam redeuntium ad sæculum esse debilium tentationem; & qua ratione sit vincenda, quidque Prælatis in his casibus sit agendum 360
§. 1. 162. §. 2. 164
CAP. IX. Plurimum referre quod tyrones magno feruore Religiosam vitã auspicẽtur; ac difficultates & asperitudines perfectionis magno animo egrediãtur 369
§. 1. 376 §. 2. 327
CAP. X. Præcipuæ virtutes, in quibus feruor perfectioq; tyronũ consistit & quibus illi dotibus ornati esse debeant, vt ad professionem & vota admittãtur 367
§. 1. 379 §. 2. 382
CAP. XI. Ratio tyrones iuuandi ante votorum emissionem; seque ad eadem edenda præparandi 335
§. 1. *Castitas & Humilitas* 386
§. 2. *Solida virtutes, & opera vitæ actiuæ & contemplatiuæ* 388
§. 3. *Virtutes quæ sensus cohibent* 390
CAP. XII. Perfecta ratio Vota, & professionem ipsam emittendi 292
§. 1. 393 §. 2. 395
CAP. XIII. Res aliquæ insigniores præcedunt, & comitantur votorum oblationẽ, vt illa maiori cum perfectione fiat 398
§. 1. *Recollecta per dies aliquot Oratio* 398
§ 2. *Confessio & sacra Communio* 400
§. 3. *Desideria patiendi multa* 402
CAP. XIV. In quem finem, quibus nominibus, & quo gratitudinis spiritu, votorũ oblatio facienda sit, & implenda 204
§. 1. 405 §. 2. 407
CAP. XV. Ponuntur summatim rationes, propter quas Religiosi meritò contenti esse & in suo statu perseuerare debeant, vsque ad mortem 410
CAP. XVI. Cuique perseuerandum in sua Religione, nec leuiter ad aliam transeundum, nec tamen vlla contemnenda 417
§. 1. 420

INDEX CAPITVM TRACTATVS SEXTI.

De perfecta trium votorum, Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ, iuxta Regulas obseruatione 423

CAP. I. Obligatio Religiosorum ad perfectionem sectandam, quam in emissione trium votorum sunt professi 423

§. 1. 426

CAP. II. Insignis mortificatio, cui perfectio Religiosa, & votorum custodia innititur; quas res illa complectatur, & quæ rationes ad eam procurandam meritò permoueant 430

§. 1. *Quinque gradus mortificationis in votis* 432

§. 2. *Variæ rationes ad sitim ac desideria mortificationis excitanda* 435

CAP. III. Votum Paupertatis & peculiaris eius excellentia, & vtilitas ad Religiosam perfectionem obtinendam 439

§. 1. *Quid egerit Christus Dominus noster in fauorem Paupertatis* 444

§. 2. *Commoda Paupertatis spiritus* 442

CAP. IV. Alia præmia & fauores Paupertatis spiritus 447

CAP. V. Varij gradus Paupertatis Religiosæ in communi, & in particulari; interius & exterius: & cuiusque eorum perfectio 452

CAP. VI. Paupertas in vsu rerum absque vitio proprietatis 457

CAP. VII. Perfecta Paupertas omnia superflua reijciens, & necessarijs contenta, quorũ defectus etiam tolerat 461

§. 1. 463 §. 2. 466

CAP. VIII. Alij Paupertatis spiritus, & cordis humilitatis gradus magis insignes & heroici, excludentes omne genus proprietatis ac superbiæ contra perfectionem Religiosam 486

§. 1. *Qua ratione spiritus Paupertas hasce vincat superbias* 471

§. 2. *Ratio heroicam adeò humilitatem, & spiritus Paupertatem obtinendi* 474

CAP. IX. Castitas Religiosa & præclara Religionis ad eius custodiam media 478

§. 1. 479 §. 2. 482

CAP. X. Clausura Religiosa ad Castitatis custodiam; & cautela in agendo cum fœminis & iunioribus 485

CAP. XI. Votum Obedientiæ, & excellentiæ ac vtilitates eius in genere, in omnibus quæ Deus præcipit 489

§. 1. 292

CAP. XII. Aliæ excellentiæ & commoda Obedientiæ Religiosæ; & inboediẽtiæ detrimenta 496

§. 1. 497 §. 2. 500

CAP. XIII. Quomodo sit obediendum Deo, & omnibus Superioribus, bonis & malis, qui eius nomine gubernant 503

CAP. XIV. Res in quibus est obediendum; & defectus contra hunc Obedientiæ gradum 508

§. 1. *Obedientia Regularum, & ordinationum Prælatorum* 509

§. 2. *Varij inobedientia modi contra gradus Obedientiæ predictos* 512

CAP.

CAP. XV. Perfectio Obedientiæ in abnegatione proprij iudicij, & voluntatis promptitudine 515
§. 1. 518
CAP. XVI. Occultæ inobedientiæ proprij iudicij, & ratio qua eas contegit 522
CAP. XVII Perfectio Obedientiæ ex abnegatione & mortificatione propriæ voluntatis 527
CAP. XVIII. Indifferentia & resignatio propriæ voluntatis voluntati Dei & Prælatorum; & ratio facultatem ab eis petendi, seque ad id quod illi volūt, sed non iubent offerendi 531
CAP. XIX. Quam pura intentione; reuerentia, hilaritate, & promptitudine Obedientia sit exhibendā 518
CAP. XX. Obedientiæ integritas & perseuerantia 523
CAP. XXI. Quantum referat Religiosis contentos manere in quocunque loco ab Obedientia designato, nullo alio ex propria voluntate quæsito 527
§. 1. 527 §. 2. 531
CAP. XXII. Discrimen inter Religiosos subiectos Dei voluntati, & eidem rebelles, in mutatione locorum & officiorum? & in reliquis ad Obedientiam spectātibus 533
CAP. XXIII. Qui cupiunt rectitudinem seruare in Obedientia, debent suis Superioribus & Magistris omnia sua interiora & occulta conscientiæ manifestare; qui illos iuuare possunt ad rectam eorum gubernationem, & directionē 538
§. 1. *Tria ad Prælatos pertinent, vt recta sit eorum gubernatio* 539
§. 2. *Commoda & vtilitates ex redditione rationis conscientiæ* 540
§. 3. *Quæ bona proueniāt ex cōiunctione manifestationis cōscientiæ cū Obediētia* 543
§. 4. *Quo spiritu reddenda sit ratio conscientiæ* 546

INDEX CAPITVM TRACTATVS SEPTIMI.

De Suprema Religiosi perfectione in custodia Constitutionum & regularum suæ Religionis 549
CAP. I. Religiosi maiorem suam perfectionem & perfectæ Dei voluntatis cognitionem in suis Constitutionibus & Regulis quærere debent 549
CAP. II. Spiritus ac feruor quo Regulæ amplectendæ sunt, & obseruandæ, & ratio eas cum vtilitate legendi 552
§. 1. 554 §. 2. 557
CAP. III. Præcipuus Votorum & regularum scopus, est assequi perfectionē Charitatis in supremo gradu, qui cœlestem vitam imitatur, & mortificat terrenam 560
§. 1. 561 §. 2. 563
CAP. IV. Religiosa perfectio etiam consistit in continuo progressu & incremento mortificationis, & exercitationis reliquarum virtutum, quas ipsa Charitas vrget, & impellit 566
CAP. V. Finis & scopus Religiosi in obseruatione Votorū, est viuere modo quodā, mūdo ipsi aduerso; simili vero modo quo Christus vixit: & varij mortifica-

tionis gradus, quos Regulæ ad id commendant 676
§. 1. 674 §. 2. 677 §. 3. 679
CAP. VI. Perfectio ex mortificatione inordinati amoris ad parentes & cognatos 681
§. 1. 683
CAP. VII. Res particulares in quibus exerceri debet mortificatio amoris erga cognatos; & quis modus eos amandi 687
CAP. VIII. Perfectio Religiosorum ex mortificatione excessuum in agendo cum sæcularibus 693
CAP. IX. Perfectio Amoris, vnionis & pacis mutuæ inter Religiosos & excellentia qua quisque alios vt seipsum, & vt Christus eos dilexit amare debet 696
CAP. X. Vnitio Religiosa ad similitudinem Diuinæ quos gradus, & quas rex complectatur, & ad quid inclinet vt in omnibus sit conformitas 703
§. 1. *Quinque gradus vnitionis* *ibid.*
§. 2. *Alia etiam complectitur vnitio Religiosa* 706
CAP. XI. Perfecta charitas opponit se dissensionibus, & inordinatis amicitijs, quas falsa & imperfecta fouet 709
§. 1. 711 §. 2. 2[illegible]
CAP. XII. Quænam sint dissensionis ac discordiæ inter Religiosos radices; & qua ratione mortificandæ 717
CAP. XIII. Perfectio Religiosorum in suis officijs, & nominatim circa res temporales & alacritas in eis obeundis 722
§. 1. 723 §. 2. 725
CAP. XIV. Ratio & modus téporalia munia cum spiritu & perfectione obeúdi 227
CAP. XV. Perfectio Religiosorum in Oratione mentali, & studium recollectionis cordis in omnibus exercitijs spiritualibus 732
§. 1. 734
§. 2. *Alia deuotionis exercitia* 738
CAP. XVI. Perfectio Religiosorum in corrigendis aliorum defectibus, & acceptanda suorum correptione 247
§. 1. *Qui corripere debeant* 742
§. 2. *Quæ sint corrigenda* 743
§. 3 *Quando occultè & quando publicè correctio sit adhibenda* 745
CAP. XVII. Ob quas rationes teneatur quis cum charitate corrigere aliorum defectus & ipsam correctionem cum humilitate acceptare 247
§. 1. *Excessus in ipsa correctione* 744
§. 2. *Ob quas rationes correctio sit æquo animo toleranda* 751

FINIS.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRAE
QVAE HOC TERTIO TOMO FVSIVS EXPLICANTVR.

Filij Dei videntes filias hominum quod essent pulchra. &c. 126
17. Ambula coram me & esto perfectus 416
28. Vidit in somnis scalam & angelos, &c. 284
Exod. 5. Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum, &c. 309
8. Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac &c. 316
3. Reg. 10. Fecit Rex Salomon thronum ex ebore, &c. 49
19. Reperit Elias Elizeum, & quod meum erat feci tibi 236
Iob. 33. Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos 373
44. Adducetur regi virg. post eam, proxim. 74
Psal. 65. Introibo in domum tuam, reddam tibi vota &c. 191. 392
115. Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax 398
117. Aperite mihi portas iustitiæ & ingressus, &c. 308
132. Ecce quam bonum & quam, &c. 224
147. Lauda Ierusalem Dominum, &c. 202
Prouerb. 3. Misit ancillas suas vt vocaret, &c. 247
6. Sapientia ædificauit sibi domum, &c. 160
23. Quando sederit vt comedas cum principe 164

CANTICORVM.

1. Nigra sum sed formosa, 60
Filij matris meæ pugnauerunt contra me 15
2. Sicut lilium inter spinas sic amica mea, &c. 48
3. Lectulum Salomonis sexaginta ambiunt, &c. 480
4. Veni de Libano, coronaberis de capite Amana 483
6. Dilectus meus descendit in hortum ad areolam aromatum 75
7. Caput tuum sicut Carmelus 431
8. Vinea fuit pacifica, in ea quæ habet pop. 221
Soror nostra parvula est, & vbera non habet, &c. 386

SAPIENTIÆ.

8. Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det 91. 475
Eccl 5. Ne temerè quid loquaris, displicet enim, &c. 43

ESAIAE.

30. Dabit Dominus panem arctum 201
40. Qui sperant in Domino, volabunt: current: ambulabunt 428

45. Hæc

43 Hæc dicit Dominus noli timere quia redemi te 99
51. Attendite ad petram vnde excisi estis 435
52. Recedite, recedite, exite, pollutum eius nolite tangere 258
58. Ne dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum 66
60. Inundatio camelorum operiet te 29
Ierem. 13. Posside tibi lumbare lineum, & pone illud super lumbos tuos 126
24. Ponam oculos meos super eos ad placandum 534
Thren. 3. Noui diluculo magna est fides tua 376
Sedebit solitarius & tacebit 382
Ezech. 2. Vidi & ecce manus missa ad me, &c. 208
17. Aquila grandis magnarum alarum, &c. 469
Osee 2. Propter hoc ecce ego lactabo eam, &c. 299

EX NOVO TESTAMENTO

MATTHÆI.

Cap. 5. b. Si oculus tuus dexter scandalizat te 19
a Beati pauperes spiritu 444. 468
Audistis quia dictum est & non periurabis &c. 38
Oculum pro oculo &c. 20
6. Cum facis eleemosynam, nesciat &c. 36
13. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro 286
17. Reges terræ à quibus accipiunt tributum 169
19. Si vis perfectus esse vade &c. 326
Ecce nos reliquimus omnia ibid. & 450
Luc. 12. Inimici hominis domestici eius 326
Ioan. 6. Colligite quæ superauerunt fragmenta 463
Quæritis me quia manducastis & operamini cibum &c. 274
1. Cor. 7. De virginibus præceptum Domini non habeo 62
10. Qui gloriatur, in Domino glorietur 713
11. Oportet hæreses esse &c. 96
Apocal. 5. Septem agni oculi, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram 184
10. Audiui vocem de cœlo & vade, & accipe librum 209
Vidi angelum amictum nube, & iris 211
17 Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam 56

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

LVDOVICI DE PONTE, SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

DE PERFECTIONE CHRISTIANA IN STATIBUS Continentiæ & Religionis, & Consiliorum Euangelicorum Custodia.

TRACTATVS PRIMVS,

ET QVASI FVNDAMENTVM PRÆCIPVORVM PERFECTIONIS CONSILIORVM OMNIBVS REIPUB. Christianæ Statibus communium.

CAPVT PRIMVM.

VARIETAS ET EXCELLENTIA EVANGELICORVM Consiliorum, & generales rationes ad eorum obseruationem inducentes.

PERFECTIONIS Consilia, quæ vocamus Euangelica, sunt opera quædam virtutis excellentioris, quæ Christus D. N. in sacro suo Euangelio docuit, vt nomen impleret, quod prædixit Isaias, cùm dixit: a *& vocabitur nomen eius Consiliarius, & magni consilii Angelus*: nullus enim vnquam Magister fuit, aut erit, qui excelsioris perfectionis consilia doceat, atq; ipse docuit. Quæ (Sancto Thoma teste) sunt duplicia: quædam valde heroica, quę ab ipsa radice euellunt maxima charitatis & Christianæ perfectionis impedimenta, b *concupiscentiam* scilicet *carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ*; hoc est, cupiditatem sensualium voluptatum, diuitiarum, ac libertatis & honoris sæculi: hæc enim impedimēta iugulātur ac extinguūtur, castitate perpetuâ, paupertate, ac rerum omnium renunciatione, & integrâ obedi-

Definitio consiliorum Euangelicorum. Matth. 5. a *Isaiæ 9. 6. iuxta LXX.*

1. 2. q. 108. 4.

Diuisio consil. horum.

b *1. Ioan. 2. 16.*

obedientiã, & subiectione, quæ Prælatis præstatur: & hæc consilia magnum ex votis specialibus, variisque perfectionis legibus, quæ in religiosis Institutis præscribuntur, robur accipiunt. Alia sunt consilia etiam Euangelica, quæ omnibus Christianis cuiuscunq; sint status, possunt esse cõmunia, eò quod partem aliquam trium prædictorum accipiant, qualis est castitas ad certum tempus; renuntiatio aliquarum rerum, vt Eleemosynæ fieri possint, & obedientia, quæ confessarijs, & spiritus Patribus præstatur in ijs, quæ spectant ad animam. Eiusdem etiam generis sunt consilia semper ambulandi in præsentia Dei, eundem laudandi, gratiasq; continuè in omni loco & tempore agendi; crescendi siue proficiendi semper in virtute. Multa item opera pœnitentiæ, mortificationis, liberalitatis, & misericordiæ, orationis vocalis, aut mentalis, frequentiæ Sacramentorum, & alia innumera in materia omnium virtutum, de quibus in duobus tomis præcedentibus, & alijs etiam nostris libris est actum. Inter quæ præcipuè eminent consilia, quæ Saluator noster in præclaro illo sermone, quem habuit in monte, proposuit. In quo aperiens Sanctissimum os suum ad legis præcepta declaranda & specialibus Euangelij sui consilijs stabilienda, octo beatitudines, quas fundamentum iecit, complectentes octo consilia excellentissimæ perfectionis, ex quibus reliqua oriuntur: quorum breuem hic summam colligemus, præcipua tantum adnotantes veluti fundamenta, ac præludia eorũ statuum, qui peculiari obligatione eadem profitentur. Ne autem excellenti adeò perfectione, quã illa continent, quispiam deterreatur, attendat: propterea consilia appellari, quod noluerit Seruator noster ad eorũ obseruationẽ nos obstringere, vt ad cælũ perueniamus; nec supplicij minas in ea non amplectentes adhibuisse, sed nostræ libertati ea reliquisse, ad eorum exercitationẽ nos exhortans ob sanctitatem, quam in se cõtinent, & ob alios præstantes fines, paulò inferius indicandos: quemadmodum ipsemet Seruator expressè dixit c *principi* cuidã adolescenti, *interroganti, quid boni faciens, vitam æternam possideret*: respondit enim: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et cum adolescens diceret: omnia hæc custodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest?* adiecit ipse Dominus; *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo, Et veni & sequere me.* Quibus verbis apertè satis significat, cõsilium hoc, ac proinde reliqua huic similia, non esse ad vitam æternã consequendã necessaria; sed apriora tantũ, vt eis seruatis perfectus quis euadat, & ampliorẽ in cælo thesaurũ obtineat, ipsumq; exactius sequatur. Ex quo S. Aug deducit discrimen inter præceptum & consilium, de hoc enim idem Dominus dixit: d *qui potest capere, capiat*; de illo autem: e *omnis arbor, quæ non facit fructum bonũ, excidetur & in ignem mittetur.* Quare qui consilium amplectetur, maiorem quidem gloriam obtinebit; qui autem præceptum fuerit transgressus, nisi

Alia consilia omnibus Christianis communia.

Sunt consilia non præcepta.

c *Mat.* 19. 16 *Luce.* 18. 18.

Deserere omnia fundamentum est perfectionis.

Serm. 61. *de Temp.*

d *Mat.* 19. 12.

e *Matt.* 3. 10

facti

facti pœniteat, grauissimam incurret pœnam. Quod S. Ambrosius amplius explicat dicens: præceptum subditis imponi; consilium amicis dari. Vbi est præceptum; esse legem; vbi autem consilium esse gratiam. Et legē deterrere a culpa ob timorem pœnæ; gratiam verò impellere virtutis amore, & promissione præmij. Et concludit, duplex ergo est forma mandati, vna præceptiua, altera voluntatia. Prima obligat & obstringit, secunda tantum exhortatur. Vocatur autem etiam hæc forma mandatum, eò quòd consilium Euāgelicum indicium sit voluntatis ac desiderij ipsius Domini consulentis, vt quod ipse consulit, fiat: & qui illud amplectitur, dicitur etiam obedire, eò quòd perfectus obediens non solùm exequitur, quod expressè, ac præcipiente voluntate Superior iubet; sed etiam quod insinuat aliquo iudicio, id sibi placiturum, si fiat, quamuis nolit ad id præstandum obligare: ideoq; quod nostræ libertati id relinquat facit, vt maiori cum iucunditate id faciamus. Et, vt idem S. Augustinus dixit: eò intelligantur esse gratiora, quò magis ostenduntur indebita, & minus obstringunt: quod enim quisque facit sponte sua, & non coactè; eò faciendo magis delectatur; cumque non ex necessitate, sed ex amicitia & charitate id oriatur, facilius est ac iucundius, eo quod amor delectationem in labore augeat.

Lib. de Viduis. Discrepat præceptum & consilium.

" "

S. Tho. 2. 2. q. 184. a. 5. ad 4.

Lib. 1 de adulter. coniugij. c. 4.

§ I.

SED vt ad hæc consilia amplectenda afficiamur, subijciemus hic summam rationum omnium & causarum, quæ possint nos ad id permouere ac prouocare: eas autem reducemus ad tres ordines siue capita, quæ scilicet desumuntur ex parte Dei D. N. & ex parte Christi nostri Seruatoris, ac denique ex nostra spirituali, temporali, & æterna vtilitate.

PRIMVM, quòd Deus sit talis, qualis est, inuitat nos, vt omnes vires nostras in eius obsequium intendamus, ita vt in eius gratiam quidquid nobis erit possibile faciamus: siquidem quidquid illud est, modicum & quasi nihil est reputandum, si cum eo conferatur, quod infinita eius bonitas promeretur, iuxta illud Ecclesiastic: f *glor ficate Dominum quantumcunque potueritis supernalebit enim adhuc*: quia multò plura illi debentur. Et in præcepto diligendi Deum dicitur: g *diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis*, eò quòd omnes illæ exigua sunt ad eum diligendum, qui est amore infinito dignus. Aequum igitur est, non existimare satis tibi esse, vt tantum præcepta obserues: siquidem vires tuæ plura præstare possunt & amplecti etiam consilia, quæ ipse inspirat, & ad ea explenda gratiæ suæ auxilium non negabit: & sic amorem tuum erga eum ostende. dicens cum sponsa: h *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*: poma vetera fructusq; antiqui cēlentur illa opera ad quæ lex naturalis sui præceptis, quæ in lege antiqua scripta fuit,

I.

Magnitudo bonitatis Dei

f *Eccl. 43. 32.*

g *Lu. 10. 27.*

h *Can. 7. 13. Ita Philo apud Mr. Del Rio.*

sunt, inclinat: noua autem poma sunt opera, ad quæ lex Euangelica recentibus suis præceptis & consilijs impellit. Qui autem Deum perfectè diligit, instar est horti multarum arborum, facultatum scilicet, ac virtutum animæ, quæ alia & alia opera proferunt: præfert tamen noua, quæ apud illum maioris sunt æstimationis ac pretij. Et quoniam exiguum reputat amorem, antiqua tantùm poma, vtpote minus pretiosa, offerre: vult omnia tradere vt in omnibus ipse Deus glorificetur, cuius omnia illa potius sunt, quàm nostra.

Anima diligens Deum est velut hortus.

2. HINC secunda oritur ratio, eò quòd magnus hic Dominus Deus ad imaginem & similitudinem suam nos condiderit: imaginem quidem tribuens cum ipsa natura; extollens verò nos ad præcellentem suam similitudinem ob adoptionem filiorum per suam gratiam. Idque totum cum in finem fecit, vt ipsi cum omnibus, quæ nobis dedit, obsequium præstaremus: non spiritu seruorum, qui quasi coacti agunt; sed spiritu filiorum patri suo valde similium, ingenuè omnia agentium, quæ ad ipsius obsequium spectant. Nam mancipiorum est proprium ea tantùm facere, quæ Domini imperant; eò quòd timeant eorum iram & supplicia, nisi iussa exequantur: filij autem vlteriùs progrediuntur, & omnia ea faciunt, quæ parenti placent, etiam non imperanti, grata esse intelligunt. Qui præcepta tantùm & mandata seruant, possunt, ac debent fateri, quod Saluator ipse suos discipulos monuit, dicens: i *cum fecerits omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* At Virgo (ait S. Ambrosius) & qui omnibus, quæ possidet, renunciat propter Christum, plus præstat, quàm iubeatur: & hoc nomine iam non erit seruus inutilis; quamuis alio nomine omnes inutiles cẽseantur, eò quòd suis operibus nullum DEO nostro emolumentum adferant, quibus ille non ditescit. Qui autem plura præstant, quàm iubeantur, nõ sunt inutiles serui, sed filij dilectissimi dicendi, qui quidquid possunt in sui parentis obsequium faciunt: & hac ratione imaginem & similitudinem à Deo acceptam perficiunt, vt præcellentem illam ingenuitatem assequantur, ad quam vnigenitus filius nos est exhortatus, postquam multa perfectionis consilia proposuisset, dicens: k *estote perfecti, sicut Pater vester cæleſtis perfectus est.* Quasi dixerit, intuemini cælestis vestri Patris perfectionem, tamquam vestræ perfectionis exemplar, qui etsi non teneatur alijs benefacere, vult tamen benefacere omnibus.

Animo filiali non seruili Deo seruiendũ est.

i *Luc.17.10*

Qui sequitur consilia Dei est eius filius.

k *Mat.5.48*

3. EX HAC ratione oritur tertia, eaque valdè efficax: quoniam Pater hic cæleſtis semper fuit, & nunc est adeo liberalis erga nos, vt non solùm ea bona nobis dederit, quæ ad vitæ nostræ conseruationem erant necessaria, sed innumera alia superaddiderit ad nostram recreationem, & indulgentiam, quo ad alimenta, vestes, aliasque sensuum delicias: hac ratione nos impellens, vt lege gratitudinis, contenti non simus, eorum executione, quæ necessaria

Multitudo Dei beneficiorum.

sunt,

sint, vt in cœlum perueniamus; sed multa alia opera obsequij eius causa addamus, eo solo nomine, vt magis ipsi placeamus, dicentes cum Dauide: l *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius*, quasi dixerit, non solùm quæ mihi præcepit exequar, sed nouas oblationes & vota ei offeram, dans ei, quod à me ex obligatione non exigit, in signum gratitudinis ob ea, quæ ipse nullo titulo obligatus, aut obstrictus mihi largitur. Et quemadmodum ipse Dominus hanc suam liberalitatem quotidie erga nos exhibet: ita æquum est, quotidie nos ea liberalitate respondere, quâ prolixa adeò & munifica beneficia sunt digna: præcipuè cùm, quidquid ei offeramus, verè sit eius, & m *quæ de manu eius accipimus* (vt dixit Dauid) *ei demus*, maiusque ipse nobis confert beneficium cùm acceptat, quod offerimus, quàm nostrum sit obsequium, cùm aliquid ei damus. Et hoc ipsum existimulare nos meritò debet, vt in eius obsequium simus effusiores. Hanc rationem cum prima coniunxit S. Basilius, dicens: meditationem amplitudinis Dei, eiusque beneficiorum memoriã, excitare in nobis ingens quoddam, vehemens, constans, & insatiabile desiderium ei placendi. Quod si est insatiabile, non erit contentum, si tantùm præcepta obseruet; sed, ipsis expletis, adhuc esuriet ipsa, sitietque consilia.

l *Psal.* 115. 8. *Grati esse debemus Deo.*

m 1. *Paral.* 29. 14.

Qvid verò dicemus de præcelso illo Incarnationis beneficio, in quo omnes suæ potentiæ vires videtur intendisse, cùm optimum, & aptissimum nostræ redemptionis medium, quod adhiberi poterat, elegit? n *Sic*, inquit, *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, non enim illum dedit ex debito, sed ex gratia & amore, suam in magnitudine huius doni charitatem ostendens. Et ipsemet filius homo factus, nõ satis sibi existimauit, quod ad nostram reparationem erat necessarium, ad eã siquidem vel vnica pretiosissimi eius sanguinis gutta sufficisset; sed voluit, (vt dixit Dauid) valde o *copiosam apud se nostram esse redemptionem*: fecit enim ac perpessus est innumera alia, quibus amorem suum magis manifestans, obstringeret nos ad præstandum in eius obsequium plus, quàm ad nostram salutem tantùm consequendam sufficeret.

4. n *Ioan.* 3. 16 *Maxima dilectio Dei ex incarnatione apparet.*

o *Psal.* 129. 7.

Et hinc est, quòd quoniam Magistri excellentia, & exemplum valde impellit ad exequendum & præstandum, quod ipse dicit ac facit; voluerit ipsemet esse Magister huiusmodi consiliorum, &, qui prius aperuit ora Prophetarum, vt res minores doceret; nunc p *suum aperire*, vt præstantiora ac sublimiora doceret, q *seruans vinum optimum* charitatis & perfectionis Euangelicæ ad vltimum locum. Quam propterea (ait S. Augustinus) prædicauit super excelsum quendam montem: vt ex loci altitudine, Magistri, ipsius que doctrinæ excellentiam indicaret. Et quoniam exemplum vehementius, quam verba, mouet: voluit ipsemet cum summa perfectione ea

5. *Exemplum impellit.*

p *Matt.* 5. 2 q *Ioan.* 2. 10 *Lib.* 1. *de Serm. Dom in Mont.*

consilia seruare, quæ suis proponebat discipulis, seipsum constituens exemplar, quod illi imitarentur, quemadmodum in nocte vltimæ cœnæ, post insigne illud opus, quo discipulorum pedes lauit, expresse ostendit, dicens: r *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*, lauantes inuicem pedes cum humilitate, & charitate, ceteraque consilia mea amplectantes: hæc enim verba non referuntur ad hoc tantùm opus; sed reliqua omnia complectuntur, quæ Dominus hic à die suæ in tugurio Bethlemico natiuitatis, ad vsque expirationem in cruce, eis præbuit: cuius vita fuit vere continuata quædam ac perfectissima præceptorum, omniumque Euangelicorum consiliorum obseruatio. & cum homines ad se sequendum vocabat, cupiebat vt ipsum in omnium eorum obseruatione imitarentur. Et hunc spiritum Apostolis ac discipulis suis imperiuit: & nunc impertit continuè omnibus perfecti esse cupientibus.

r Ioan. 13. 15

Imitari debemus Christum.

6.

Hoc ipsum s *Duplex* ille feruentis *Eliæ Spiritus* refert; quem, cùm ipse in Cœlum raperetur, concessit Eliseo, relicto ei pallio, quo se cooperiebat. Spiritus duplex est amor Dei & proximi; opera præcepti & consilii, quæ ab vtroq; proueniunt: in quibus Elias præluxit; & per eum discipulus eius Eliseus: vterq; enim consilio Castitatis, Paupertatis, Pœnitentiæ zelióq; animarum custodiuit. Multo tamen amplius duplex hic spiritus in ipso Christo D N. toto vitæ eius decursu enituit. & cum ad cœlos ascendisset, eundem suis discipulis est largitus, cum spiritu Sancto eos repleuit: cuius plenitudo vtrumque horum operum genus complectitur cum perfecta Dei & proximi dilectione. In cuius pignus pallium suum, protectionem scilicet suam & auxilium nobis hic reliquit, quo illũ imitaremur, induens nos propria sua veste, imitatione scilicet præclarę vitę suæ in vtrisq; hisce operibus. Ac propterea de muliere forti, quæ Ecclesiam significat dicitur: t *non timebit domui suæ a frigoribus niuis, omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus*. Nec mirũ si frigus & glacies valde premat eos, qui veste simplici induuntur: hæc enim, etsi decenter quidem corpus operiat, foueatq; nonnihil, non tamen ita frigus repellit, atq; duplex: & qui intra ipsam Ecclesiam satis sibi esse existimaret, quòd præcepta custodiret: seruaret is quidem calorem charitatis; sed pateretur interim sæpè frigora, ac tepiditatem. Satis siquidem magna tepiditas est, quòd simplici tantum illa veste velit esse contentus, cùm posset illam consiliorũ custodiâ duplicare, quæ charitatis ipsius feruorẽ foueret, ab illa tepiditatis malacia tueretur. & à capite ad pedes ipsomet Christo perfectaque eius perfectione cooperiret, iuxta illud Apostolicum u *induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.*

s *Duplex Eliæ spiritus.*

t Prou. 31. 21

Præcepta & consilia iuncti quasi vestis duplex.

u Ephes. 4. 24.

7.

SED multò excelsior præstantiorque redditur gloriosa hæc, in vtique

rtisque operibus imitatio, ex stupendis præmijs, quæ CHRISTVS ipse D. N. ea exercentibus promisit, quemadmodum præclarè ostendit in Parabola illa x *Samaritani, qui faciens iter, venit secus* miserum illum hominem, *qui inciderat in latrones, qui illum despoliauerant, & plagis impositis abierant semiuuo relicto, ipse vero Samaritanus videns eum, misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum, & curam eius egit, & altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: curam illius habe: & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.* Satis hic apparet, pium hunc Samaritanum pro vulnerato illo multo plura præstitisse, quàm facere tenebatur; suoque exemplo stabularium inuitasse, suaque promissione exstimulasse, vt & ille multo plus faceret, quàm ipse præcepisset. Quamobrem iure optimo Sancti Patres, Samaritanum hunc (quod nomen Custodem significat) indicare ac referre aiunt CHRISTVM Dominum Nostrum, omnium hominum custodem: qui eos videns in hoc mundo despoliatos, & semiuiuos, misericordia motus, è cælo descendens appropinquauit nobis per sanctissimam suam Incarnationem vniens naturam nostram humanam diuinæ suæ personæ: & quamdiu mortalem hanc vitam duxit, aliud non fecit, quàm salutari doctrina sua peccatoribus mederi; nunc suauis beneuoleque doctrinæ oleo; nunc vino reprehensionis & correctionis asperioris, alligando & reprimendo fluxum vitiorum; imponens humeris sanctissimæ suæ humanitatis onus omnium peccatorum, vt pœnam, quam suis ipsi peccatis erant promeriti, ipse lueret ac persoluerer; Et pro omnibus (vt ait S. Ioannes) moriens, y *vt filios DEI, qui erant dispersi, congregaret in vnum*: in Ecclesiam scilicet Catholicam, quæ domus & hospitium est Dei, ad homines excipiendos & continendos. Et cum res hæc toto vitæ suæ tempore fuisset illi curæ vsque ad ipsam mortem, altero die, hoc est post suam resurrectionem, protulit duos denarios, duo scilicet, (vt S. Augustinus ait) præcepta charitatis, duasque promissiones præsentis ac futuræ vitæ: quos denarios ijs tradidit, quos loco sui in mundo relinquebat eos obligans & obstringens ad custodiam horum præceptorum erga DEVM & proximos: simul tamen monuit: si aliquid sponte adijcerent, exercentes opera, quæ tantum essent consilij, qualia multa ipse fecerat, se illis, cum ad iudicandum veniret, redditurum; præmiumque adeo fore copiosum, vt omnem suam operam laboremque impensum benè collocatum existimarent. Qui enim adeò fuit in ipsum ægrotantem liberalis? quomodo non erit talis erga ipsum infirmatum, qui præterea, quæ sibi essent iniuncta, nouas curas ac labores ob ipsius iniungentis amorem ad-

præmia manent imitatores Christi.

x Luc. 10.

Christus verus Samaritanus est.

y Ioa. 11. 52.

Lib. 2. qq. Euangelicarum cap. 9.

hibuis-

habuisset: *date* (inquit) *& dabitur vobis: mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Si mensura vestra erit parua, eò quod contenti sitis custodiâ præceptorum, eadem ratione vobis remetietur: si autem vestra mensura adeò erit plena, vt superefluat, eò quòd etiam consilia sequamini, dabitur vobis copiosissima, & superefluens gloriæ mensura. Laxa itaq; tuorum operum mensuram: & laxabit Deus mensuram suorum præmiorum a *Non* sit (ait Ecclesiasticus) *porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta:* si enim tu manum comprimas, ne Deo tradas, quod ipse consulit, cõtrahet ille suam, in reddendo præmio, quod tibi offerebat: quod si manum tuam extenderis, vt, vltra ea, quæ tibi præcipit, ei offeras; aperiet & ille suam, vt æternâ suâ valdeq; copioſ. benedictione te repleat.

Multa præmia manent multa facientibus.

a *Eccl.4.36.*

8.

In vita dat Deus quoq; præmia.

NE autem existimes, mensuram hanc mercedis & præmij totam differri in vitam futuram, etiam venit dulcissimus hic Samaritanus ad visitandos eos, qui duos denarios ab ipso acceperant, quos si videat ad sequenda ipsius consilia excitatos, etiam hic, paratâ, vt dicitur, pecuniâ, copiosa largitur præmia, reddens eis centuplum. Id quod expresse ac prolixè se facturum protestatur, ac promittit, vt ea ipsa quæ dicenda sunt, apparebit, cùm agemus de consilijs Castitatis, Paupertatis, ac Religionis. Vt enim S. Hieronymus ait, maioris est mercedis, quod non cogitur & offertur: maior, inquam, merces debetur offerenti quod non iubetur offerre; eò quòd in ipsa oblatione maiorem ostendat erga eum, cui illud offert, amorem ac dilectionem. Quamobrem cùm CHRISTVS D. N actus illos octo, gradusque perfectionis prædicauit, in quibus multa continentur ex solo consilio præclarissima eis coniunxit præmia; compellans primùm beatos eos, qui ea consilia amplecterentur; & specialia singulis assignans præmia: quæ (vt *S.* Ambrosius ait) plenè reddentur in gloria; & (vt ait S. Augustinus) etiam dantur in hac vita, vt homines ad perseuerandum animentur, & ad progrediendum in exercendis operibus, per quæ illa obtinentur. Gratias tibi ago, liberalissime redemptor, ob admiranda, & præclarissima consilia nobis data: vt occasionem & opportunitatem habeam plurima lucrandi, & nihil amittendi: cùm liceat illa absque punitione omittere; quæ tamen si præstem, ingentia obtineam præmia.

Matth.5.

Lib.5.in Luc,c.6. Lib.1.de Serm. Dom. in Monte. S.Tho. 1.2. q.6.a.2.

CAPVT

CAPVT II.

EVANGELICORVM CONSILIORVM CVSTODIAM

Magnas ad noſtram perfectionem ſpirituales vtilitates adferre.

ALIÆ etiam rationes prædictis non minus efficaces nos ad Euangelicorum conſiliorum cuſtodiam inuitant, ex eo capite, quod propriam noſtram perfectionem concernit, ad quam ipſa natura benè conſtituta & ordinata, ipſeque hominis Chriſtiani ſtatus valde inclinat.

Nemo enim eſt, qui non ſibi honori ducat, quod ſit in ſuo ſtatu, & officio perfectus. Et (vt Caſſianus ait) miſerum eſt, cuiuslibet artis ac ſtudij diſciplinam quempiam profiteri, & ad perfectionem eius minimè peruenire. Ac proinde miſerum quoque eſſet, quòd homines magnifaciant, quòd ſint perfecti in officijs Reipublicę, quæ ipſis incumbunt: & Iudex, & Aduocatus, Aurifaber, & Pictor honorem ſibi tribuant, quòd in ſuo officio & arte excellant: ſolus verò Chriſtianus non tribuat ſibi honori, quòd ſit Chriſtianus perfectus. Speciatim autem tenetur, vt talis ſit ſtudere, & contendere, vt ſuo loco diximus; quitamen, niſi aliqua Euangelica conſilia cuſtodiat, talis non poterit euadere. Pro cuius explicatione eſt aduertendum: ſubſtantialem vitæ Chriſtianæ perfectionem (vt Angelicus Doctor docet) conſiſtere in charitate ac duobus eius præceptis, dilectionis Dei & proximi: reliqua autem præcepta & conſilia eſſe quaſi inſtrumẽta & media, ad conſeruandam & augendam ipſam charitatem, quam Sanctus Apoſtolus dicit eſſe a *finem præcepti*, omnium ſcilicet præceptorum: ideoq; omnes ad hanc perfectionem tẽdunt quamuis diuerſis modis ac rationibus. Reliqua enim præcepta ſunt veluti media ad remouenda impedimenta charitati cõtraria, cum quibus illa non poſſit conſeruari. Quare omnia in vniuerſum peccata rectà rendũt contra aliquod præceptum. Et cũ materia eſt grauis, peccatum eſt lethale, quod prorſus deſtruit charitatem; quando autem materia leuis eſt, aut qui peccat parum attendit, quid faciat, culpa eſt venialis: quæ charitatem non extinguit quidem, ſed maculat, ac defædat, donec remittatur. Conſilia autem ſunt media ad remouenda impedimenta feruoris ipſius charitatis; & præſtantium eius exercitiorum, etiamſi ipſi charitati aliàs non aduerſentur. Nam caſtitas perpetua obicem remouet, quem adfert matrimonium, ne quis plenè diuino ſeruitio ſe mãcipet; quamuis enim ipſa matrimonij actio nõ ſit culpa quæ fædetur charitas eſt tamen imperfectio impediens maiorem eius puritatẽ & feruorem. Quam ob rem etiam ipſis coniugatis eſt conſilium perfectionis, b *abſtinere ad tempus, vt vacent orationi*; aut conatum aliquem maiorem adhibere in ſeruitio diuino. Ex quo prouenit, vt quamuis Deus D. N. vtpote valde liberalis, omnia Iuſtorum opera remuneret, ſiue præcepta, ſiue tantùm ex conſilio; ac proinde omnia ſint illis vtilia, ſi quidem per omnia illa

I. *collat. 19. cap. 5.*

Tom. 1 Tract. 2 cap. 5. & 6. 2. 2 q. 184. a. 3.

a 1. *Ti. 1. 5. Finis præcepti eſt charitas.*

Peccatum veniale fædat charitatem.

Caſtitas obicem matrimonij remouet.

b 1. *Cor. 7. 5*

vitam æternam promerentur: nihilominus tamen hoc dicimus, opera quæ sunt ex consilio maioris esse vtilitatis & meriti, quatenus etiam includũt ea quæ sunt ex præcepto; & aliquam illis excellentiam addunt. Qui enim facit quod Deus suadet, præstabit sine dubio melius, quod idem iubet, propterea enim, quod ille suadet, hic præstat: vt benè faciat quod iubet.

2. *Antemurale præceptorum est consiliorum custodia*

c *Isaiæ* 26. 1. d *Cant.* 8. 9.

HINC igitur alia oritur ratio, quæ valde exstimulat ad Euangelicorum consiliorum custodiam, eò quod valde sint efficacia media ad ipsa præcepta melius custodienda, & securiorem reddendam nostram saluationem. In eum enim finẽ Christus D. N. ea proposuit, ac docuit; ita muniens & fortificans ciuitatem Ecclesiæ suæ, apponẽs illi (vt ait Isaias) c *murum* præceptorum, *& antemurale* consiliorum, ac propterea in canticis de ea dixit sponsus: d *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea*: quasi super ipsa præcepta erigatur celsitudo consiliorum Euangelicorum; quæ simul & propugnent ciuitatem, & venustiorem ac pulchriorem reddant. Ecclesiæ murus est præceptum: v.g. non iurandi per nomen Dei in vanum: sed ad maiorem eius custodiæ securitatem additur antemurale, siue propugnaculum argenteum consilij e *non iurandi omnino, sed vt sermo noster sit: est, est; non, non.* Qui enim assuescit & afficitur ad non iurandum, remotior erit à periurio; & securiorem reddet suum in cælum ingressum, eo quod procul recedat à culpa illum impediente. Et, vt paulo post videbimus, ipsamet præcepta quasdam secum circumstantias adferunt: quæ, nisi aliquid de consilio addatur, seruari non possunt: quo tamen addito, facilius custodiuntur.

e *Matt.* 5. 34. 37. *Non iurans est remotus a periurio*

3. *Cant.* 7. 13

HIS accedit, quod ipsæmet virtutes suspirant, valdeque optant hæc ipsa consiliorum opera, ad proprium ornatum & perfectionem; & ne ociosæ maneant, *sed* f *nouos & antiquos* fructus proferant. Quamuis enim verum sit; præcepta, quæ negatiua vocantur, obligare semper & vbique: ac propterea necesse sit, virtutes semper vigilare, ne quid, quod illis aduersetur, aut culpam vllam admittant: affirmatiua tamen non semper, sed certis temporibus, & raris quibusdam casibus obligant: ideoque virtutes reliquo tempore, alijsque occasionibus, quibus ipsa præcepta non obligant, essent quodammodo ötiosæ; nisi ea, quæ sunt consilij, præstarent. Si enim præceptum Eleemosynæ faciendæ solùm obligat in extremis aut grauibus eorum, quibus facienda est necessitatibus: cum hæ rarò admodum eueniant, diu esset misericordiæ virtus otiosa: nisi consilium sequeretur, Eleemosynam dandi, etiam cùm necessitates sunt leuiores. Et si præceptum Confessionis, & Communionis semel tantum in anno obliget: quam esset Religionis virtus otiosa, quæ in diuturno adeo tempore vel vnico solo actu esset contenta? cum igitur virtutes tantam possint operum & actionum varietatem efficere; rectum est, huic earum propensioni annuere, vt copiosiores

Solo præcepto obligante sunt otiosæ virtutes.

fructus

fructus proferant; siutque tanquam g *arbores paradisi* recentes semper *fructus* bonorum operum *afferentes*, quamuis præceptum ad ea semper non obliget; non decet itaque Christianum virtutes habere in eo sterilitatis gradu, quo erant, cùm dixit Isaias: h *apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: aufer opprobrium nostrum.* quod S. Hieronymus explicat, quasi gratiæ & virtutes ante Messiæ aduentum essent ferè infames & contemptæ, & viduarum instar non gignentium filios operum feruentium; ideoque optantium Saluatoris ipsius aduentum, qui faceret eas votorum suorum compotes; & notam illam, opprobriumque sterilitatis remoueret. Ideoque cum ipsæ verè omnes simul se in eo coniunxerunt, vt idem Isaias dixit: i in quo fuerunt omnes venerandæ, & fœcundæ, producentes clarissima opera, viamque sternentes, vt in omnibus eius discipulis eundem honorem ac fœcunditatem haberent: quod optabat Apostolus Colossensibus, cùm illis dixit: k *vt ambuletis digne Deo per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei.* O Domine Deus virtutum, gratias tibi, quod ita illas honoraueris, ac fœcundaueris in dilecti filij Dei humanitate! Cum igitur ille sit vitis, & nos palmites, adiuua nos, vt fructus tali vite dignos, & ijs, quos ipse protulit, valde similes proferamus: amputa, quæ in nobis superflua sunt, & l *omnem, qui fert fructum* in obseruatione præceptorum, *purga, vt fructuum plus afferat*, etiam in obseruatione consiliorum.

g *Apocal.* 22.2.

h *Isai.* 4.1.

ibidem.

i *Isaia* 11.2.

k *Colos.* 1. 10. *Christus vitis vera.*

l *Ioan.* 15.2.

4.

Hic fuit semper Spiritus Sanctorum, qui diuinæ huius vitis palmites fuerunt, in omnibus ætatibus & sæculis præteritis, & ipsis Dei præceptis alia semper multa sponte sua addiderunt, ex ingenti eidem seruiendi studio, ac desiderio. Neque in suis officijs contenti erant, quod id tantum facerent, ad quod ex Iustitia tenebantur; sed multa ex gratia & sponte sua præstabant, vt exactius ac perfectius facerent, quod officij ratio postulabat. Imò propterea Deus noster noluit eos ad omnia illa præcepto suo obligare, vt liceret ipsis amorem & affectum ad virtutem prodere: exercentes tales actiones, ipsius tantùm Dei intuitu & gratia. Nam (vt S. Augustinus ait) ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cùm liceret nobis etiam non impendere, tamen caussâ dilectionis impendimus. Hæc laus est & gloria, de qua Sanctus Apostolus gloriabatur, cùm parùm sibi esse existimabat, quod Euangelium prædicaret, sicut alij Apostoli, qui sustentationem accipiebant ab ijs, quibus prædicabant: sed ipse proprijs manibus laborans, quæ sibi & alijs suis socijs necessaria erant comparabat: vt cum maiori libertate Euangelium prædicaret. m *Ego, inquit, nullo horum vsus sum. bonum est enim mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet*, ex eo proueniens quod gratis ego & sponte ac liberè laborem. *Nam etsi Euangeliza-*

Lib. 1. de adulterinis coniugijs.

m 1. Corin. 9.15.

uero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non Euangelizauero. Quod si prædicarem sicut cæteri, non promererer specialem hanc gloriam & præmium, quod mihi nunc comparo; quia, quòd prædicem est mihi præceptum; & væ mihi, nisi faciam: sed non accepta sustentatione idem purius & præstantius facio, ac propterea maiorem gloriam & mercedem habebo.

5. Consilio. rum obseruatio auget Dei gloriam.

Hæc dicens S. Apostolus: præclaram aliam rationem insinuat, quæ nos meritò ad hæc consilij opera exercenda permouere debeat; quia scilicet maioris sunt ædificationis toti Ecclesiæ, & populo Christiano; ac proinde maior ex eis Dei gloria accrescit. Quamuis enim magnæ sit ædificationis, quod omnes in suis statibus & officijs id faciant, ad quod tenentur, multò tamen amplius ædificant, cùm aliquid vltra id, ad quod tenentur, præstant; quod absq; culpa & nota aliqua omittere possent: sed faciunt tamen illa ex feruore & zelo, quem habent, quemadmodum aqua, dum feruet, vltra id, quod eius natura requirit, eleuatur. Valde hoc ipsum cõfirmat insigne illud opus

n *Mat. 26. 7* Magdalenæ, quod non ex præcepto, sed ex feruore spiritus, n *accepit alabastrũ vnguenti precios, quod effudit super caput* ipsius Saluatoris; qui egregium illud opus approbans, dixit: *vbicunq; prædicatũ fuerit Euangeliũ in toto mundo,*

o *Ioan. 12. 3* tanquam insigne opus fore laudandum. Et quemadmodum o *domus tota impleta est tunc ex odore illius vnguenti:* ita Ecclesia totâ repletur odore suauissimo operum, quæ fiunt ex consilio, & procedunt ex adeò feruenti amore.

6.

Denique, quoniam omnis nostra fœlicitas in eo consistit, vt voluntatem ipsius Dei cum perfecta obedientia exequamur: in nulla re alia adeò illam manifestamus, atq; in consiliorum eius obseruatione: iuxta illud, quod

p *Ad Philem. vers. 21* Apostolus scripsit Philemoni: p *confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam & super id, quod dico, facies.* Hunc obedientiæ modum voluit Christus D. N. nobis esse commendatum, cùm præcepta & consilia hæc proponens, toties verbum illud repetebat: q *ego autem dico vobis,* quibus insinuabat causas & motiua; ipsi in omnibus, quæ dicebat, obediendi. Et quoniam

q *Matt. 5. 23. & alijs.* ipse simul erat Deus & homo; conditor, & Redemptor hominum vtrumq; complectitur verbum illud Ego, quasi diceret: Ego Deus vester, & conditor vester, hoc dico vobis creaturis meis: Ego vester Dominus, & Pater vester dico vobis, qui mei estis serui; & quos filios habere cupio; Ego redemptor vester vobis quos mei sanguinis precio redemi; Ego Magister & protector vester, qui horum exemplum vobis dedi; sumque omnipotens, ad vos iuuandos in eorum exsecutione; Ego vester benefactor infinitus, vester remunerator, & ipsum æternum præmium, qui vos innumeris beneficijs deuinctos & obstrictos habeo, & immensa vobis præmia offero: Ego, ego hæc vobis mando & consulo; non mei, sed vestri commodi causa; ob

bona Dei nobis præstita.

quietem

quietem vestram, & perfectionem; & vt vestram fœlicitatem in hac & futura vita consequamini: quamobrem, agite, amplectimini, quæ vobis dico, & ipsa experientia discetis, verum esse, quod offero.

AVDI igitur, mi frater, quæ tibi hic dicit Saluator: &, vt opere exequaris, stude, magnoq; conatu contende, eas virtutes exercere, in quibus magis eminent opera consiliorum supra præcepta: quas cùm Propheta possumus ad septem præcipuas reuocare. *Prima* est *Charitas*: quæ omnium est Regina, & quà talis est, iubet eas omnes suas vires intendere in proprijs suis actionibus. Nam amor, & dilectio Dei non scit continere se; & terminos ac limites sibi constituere in agendis & perferendis, quæ potest dilecti sui causa; & æquè exequi optat, quod ei maximè placet: etiamsi id ille nō iubeat, atq; si expressè iuberet. Et cùm fecit, quidquid potuit, modicum id, & quasi nihilum reputat; & si plura potuisset, plura etiam præstitisset. Charitatem sequitur virtus *Religionis* ac pietatis, cuius est debitum Deo honorem & cultum promptissime reddere; nec satiatur vnquam eum honorando, quocumque modo potest, varijs orationibus, hymnis, psalmis; assistendo sacro Missę, ac diuinis officijs; aut mysteria diuina meditando, affectibus Reuerentiæ, & profundæ humilitatis valdè feruentibus. *Tertia* virtus est *Gratitudo*, cuius munus est, Deo & hominibus, ob accepta ab eis beneficia, gratias agere. Nec vt S. Thomas perpendit, satis habet, quod tantundem reddat, quantum accepit; id enim est quasi ex Iustitia debitum; sed studet, si possit, multo plura reddere ob gratitudinem de accepto beneficio. Quare, cùm id, quod à Deo accipit, sit infinitum; nunquam defatigatur, neque desistit facere quidquid potest vltrà id, quod præcipitur; vt gratitudinis legibus plenius satisfaciat. *Quartum* locum tenet *misericordia*, quæ omnium hominum miserijs compatitur. Et, quando illa perfecta est, nullum aliud exspectat præceptum, quam proximi necessitatem, & propriam facultatem, nam statim atq; proximi occurrit necessitas siue corporis, siue animæ, renerescit, & ad illam reparandā pro viribus suis se accingit. Sed vlterius aliquanto progreditur *liberalitas* & magnificentia, quæ valde delectatur benefaciēdo omnibus, etiam qui aliqua necessitate non premuntur: & *beatius* existimans *dare, quam accipere*: ideoque cùm aliquid habet, statim, atque opportunitatē videt, gratificatur suis proximis; donaque offert Deo ac seruis eius. *Sexta* virtus est, *pœnitentia*, cuius perfectio nō se cōtinet inter opera obligatoria, quibus pro suis peccatis plenè satisfaciat; sed, licet sciret, omnia sibi esse dimissa, & pro eis se reddidisse, quod debebat; addit tamen alias multas, vt in se vlciscatur iniurias Deo illatas; & sic domet carnem suam, & spiritui subijciat, & hac ratione à recidiua se se præseruet; & ita vigilijs, abstinentiis, disciplinis, alijsque varijs mortificationibus studet, se quotidie magis locupletare. *Vltima* virtus est *obedientia*,

Septem virtutes præcipuæ.

1. *Charitas regina Virtutum.*

2. *Pietas tribuit honorem Deo.*

3. *Gratitudo. 2.2.q.106. a. 6.*

4. *Misericordia miserijs compatitur.*

5. *Liberalitas. 1 Act. 20.35.*

6 *Satisfactio pro peccatis*

7. *Obedientia.*

quæ cæteras virtutes menti inserit, eam impellens ad obediendum in quacumque materia, non solùm quando expressum adest Domini præceptum; sed etiam cùm eiusdem voluntatis aliquod habet indicium: talia autem indicia sunt consilia, quæ ipse proposuit, & occultæ Spiritus Sancti inspirationes, quibus electos suos permouet, & excitat, vt quotidie crescant de virtute in virtutem, donec in omnibus perfecti euadant. Quod si talis esse desideras, magno honori tibi tribues, quod adeò sis Deo tuo obediens, vt illam eius voluntatem semper facias, quam Sanctus Apostolus vocat, non solum *s bonam*, sed etiam *bene placentem & perfectam*, quæ id quod melius ac perfectius est, respicit: adeoque appetes huius Deo tuo exhibendæ Obedientiæ cibum, vt multo plura semper facias, quàm ille iubeat; & cum consilij opera tibi inspirauerit, eam inspirationem amplecteris, eò quòd indicium sit diuinæ eius voluntatis, quæ quodammodo rogat & precatur, quod potuisset iubere; vt tuæ obedientiæ perfectionem, id præstãdo, magis manifestes; maiorque tibi sequatur gloria ex eo, quod ita feceris. Attende autem, licèt verum sit, quod Ecclesiasticus dixit: t *nihil dulcius esse, quam respicere in mandatis Domini*, & ea exequi, tamen etiam verissimum, quod Salomon dixit: u *Sicut vnguento & varijs odoribus delectatur cor, ita bonis amicitijs anima dulcoratur*. Cùm autem nullus sit melior amicus, quàm Deus; nec vllus plura amicitiæ indicia & opera nobis exhibeat, quàm Christus: ideò nulla consilia animã nostram magis afficiunt ac dulcorant, quàm ipsius; quæ si custodieris, delibabis huiusmodi dulcedinẽ, quæ nõ erit exigua obedientiæ tuæ merces.

s Rom. 12. 2.

Inspirationes diuinæ sunt signa voluntatis eius.

t Eccl. 23. 17

u Pro. 27. 9.

CAPVT III.

CONSILIA PERFECTIONIS, QVÆ AD MODVM *Præcepta seruandi spectant meliorem semper præferendo.*

Præcepti substantia pœnam habet.

ANHELANTE & aspirante iam corde ad Euangelica consilia amplectenda, ab ijs incipiamus, quæ annexa omnino sunt custodiæ ipsorum præceptorum. Hæc enim duo semper complectuntur: alterum, quod est ipsius præcepti substantia, & ad integram eius custodiam obligat: quam qui transgreditur, culpâ maculatur, ac debitæ pœnæ subijcitur, quam lex ipsa minatur; alterum pertinet ad modũ & rationem eius custodiæ: in qua varij gradus esse possunt, alij alijs præstantiores; quamuis autem nullus teneatur ad optimum eligendum; cupidus tamen perfectionis illum merito deligere deberet: ita vt simul & quod præcipitur, & quod consulitur facias, a *æmulando* semper (vt ait Apostolus) *charismata meliora*, & excellentiorẽ tenendo viam, & studendo (vt ait Ecclesiasticus) b *in omnibus operibus tuis præcellens esse*. Hoc autem obtinebis, si subiectas regulas & consilia seruaueris.

a 1. Co. 12. 31

b Ec. 33. 5.

Et quidem primum tanquam reliquorum fundamentum esto, vt studeas, quoad poteris, præcepta in eo gradu ac dispositione custodire, vt finem

ob-

obtinere possis, ad quem illa diriguntur; tam vltimum, qui est salus & vita æterna; quàm huius vitæ, qui est Sanctitas, & charitas, & vnio cum Deo. Si enim lethali peccato sis obnoxius: licebit quidem, (vt ait S. Thomas) præcepta imp ere audiendi Sacrum, ieiunandi, honorandi parentes, & alia similia: sed propter huiusmodi custodiam præceptorum non promereris vitã æternam; nec talia opera sufficientes dispositiones sunt ad obtinendã charitatẽ. Optimum ergo consilium, ad eadem præcepta perfectè implenda, erit, detestari lethale peccatum, in quo hæres; illudque aliquo perfectæ contritionis dolore abolere: dirigendo ipsam præcepti obseruantiam ad ipsiusmet charitatis finẽ, iuxta illud Apostoli: c *omnia vestra in charitate fiant*: In statu sc. charitatis, & in finẽ eiusdem: & (quod adhuc excellentius est) etiam actuali charitate, ita vt ipsa præcepta comiteris actibus dilectionis Dei. Et ob eã causam, ait idem Sanctus Thomas, duo illa dilectionis Dei, & proximi præcepta, non esse in decem Decalogi præceptis numerata: vt intelligantur, ita in reliquis contineri, vt eorum sint quasi principium & finis. Meritò enim omnia à radice amoris nasci & eundẽ conseruare, & augere, & tanquam finem suum respicere debent, imò & cum amore seruanda & implenda sunt: & tunc bene custodientur iuxta S. Augustini sententiam dicentis: breue tibi datur amoris præceptum: *dilige & fac quod vis*: modò omnia cùm amore facias.

Homo in peccato mortali nihil meretur. 1. 2. q. 100. art. 10.

c 1. Cor. 16. 14.

22. q. 44. ar. 1. ad 3. & 1. 2. q. 100. art. 3. ad 1. *Tract. 7. in Epist. Ioan.*

2. *Charitatis perfecta ratio.*

Ex hoc consilio oritur *secundum*, hoc est præcepta cum ea diligentia esse implenda, vt, quoad fieri possit, similis & conformis sis exemplari ac regulæ in eis positæ, quæ exprimitur verbo illo: *Sicut*, quæ in Sacro Euangelio frequens est valdè. Quare si cupias perfectè explere præceptum diligendi proximos: in duo eiusdem exemplaria oculos conijcere debes. Alterum est legis naturalis, iubentis proximos diligere sicut te ipsum; alterum Euangelicæ, præcipientis eosdem diligere, sicut Christus eos dilexit; ita vt duplicem hanc dilectionem tanquam regulam & amussim tuæ dilectionis adhibeas cum ea perfectione, quam inferiùs Cap 5. ponemus. Quod si coniugati velint suas obligationes excellenter explere: debent exemplar sequi ab Apostolo propositum, dicente: d *viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam; & mulieres subiecta sint viris suis in omnibus, sicut Ecclesia subiecta est Christo*: eum in modum, quem tomo secundo proposuimus. Feruentes autẽ altissimæ perfectionis cupidi ad tria eius exemplaria respicere debent, quæ Sanctum Euangelium indicat, vt studeant e *perfecti*, & f *misericordes esse, quemadmodum est Pater noster cœlestis*; g *voluntatem Dei in terra facere, sicut fit in cœlo*; & coniunctionem h *vnionemq;* mutuam cum alijs habere, *sicut Pater æternus & filius* eius vniti sunt inter se. Quamuis autem ad tantam perfectionem cum æqualitate peruenire sit impossibile, vult tamen ipse D. N. electos suos aspirare ad maximã similitudinẽ, quæ illis erit possibilis, absq;

d Ephes. 5. 24. *Tract. 5. c. 4.*

e Mat. 5. 48

f Luc. 6. 36.

g Matt. 16. 10.

h Ioan. 17. 21.

2,1.q.184. a.3.

vllo limite, aut mensura; quæ (teste Sancto Thoma) nunquam in ipso fine, sed in medijs adhiberi debet. Et quemadmodum medicus intendere debet perfectissimam, quam poterit infirmo sanitatem: licet terminũ & mensuram ponat in pharmacis & antidotis iuxta proportionem sanitatis, quam intendit: ita nullum limitem præscribere tibi debes perfectionis, quàm intendis; siquidem nullum talem voluit, vt tibi proponas, qui te, ad imitandũ exemplar infinitè perfectum, exstimulat: licet medijs ad eam perueniendi moderatio hæc & mensura adhiberi possit, iuxta cuiusque capacitatem & talenta. Ex quo fit, vt modus excellentissimus implendi præcepta complectatur affectum, ac desiderium interius incomparabiliter superans ipsum opus: nam faciens illud cum omni, quâ possis perfectione, desiderare debes multo perfectius illud facere, quàm re ipsa possis. quasi diceres: ò si possem opus hoc hic in terra perficere, sicut Angeli illud in cœlo fecerunt. Et hoc est, quod Christus Dominus dixit, i *esurire & sitire iustitiam*: ita vt quemadmodum Ecclesiasticus dixit, k *edens, adhuc esurias; & bibens, adhuc sitias*: sitque eiusmodi sitis, vt Sanctus Basilius dixit, affectus quidam ac desiderium insatiabile, quod quemadmodum l *ignis nunquam dicit: sufficit.*

Perfectio absque limite esse debet.

i Matt.5.6.

k Eccl.24. 29.

l Prou.30. 16.

3. *Omnia ad gloriam Dei facienda.*

SED quoniam hoc consilium valde est generale, applicemus nunc illud ad alia particularia, quæ ab eo oriuntur, sit igitur *exemplum*: vt præceptum impleas cum actuali intentione gloriæ & honoris ipsius Dei, in eo quod facis: ita vt non facias, quod iuberis, aliquo fine malo: hoc enim esset præcepto vni parere, cum alterius trãsgressione. Nam, si sacrum audias, aut ieiunes, vt laudes humanas quæras; licet præceptum Ecclesiæ impleas: humilitatis tamen, rectæque intentionis in actione tua habendæ præceptum transgrederis: nec esse debes contentus qualicunque intentionis bonitate; sed optima & excellentissima, qualem Sanctus Apostolus expressit, cum dixit: m *siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis: omnia in gloriam Dei facite*; & vt illi maximè placeatis & pareatis: nam etiam intentio ipsiusmet obedientiæ est altissima, cùm scilicet aliquid fit, vt voluntati diuinæ obediatur. Nam (vt ait S. Thomas) reliquarum virtutum opera, etiam ipsum Martyrium, eo plus apud Deum promerentur, quo magis fiunt ad implendam diuinam voluntatem, quæ suprema est regula omnium voluntatum & operum liberorum. Sed cum hæc Dei voluntas præcepta & consilia complectatur, non erit suprema intẽtio, præceptis, quâ talia sunt, obtemperare; sed maius erit amoris indicium, ea cum spiritus libertate implere, atque si tantum fuissent consilia hoc est, cum hac cordis dispositione, quòd licèt non præcepta, sed consilia tantum fuissent, ea voluisses implere, hoc solo nomine, vt ipsi Deo placeres, & idem glorificaretur; dicens ex toto corde tuo: quamuis non adesset præceptum Castitatis & patientiæ, ego hæc magnâ animi mei võluprate

m 1.Cor.10 31.

2.2.q.103. art.3.

Præcepta quasi libere explenda sunt.

seruarem,

seruarem, vt Deus glorificaretur,& illi placerem, sciens hoc ipsi gratum & acceptum esse. Et hic sensus est illius Apostoli sententiæ,n. *Lex Iusto non est posita*: eò quod Iusto ipsa Dei gloria, & quod intelligit eius esse voluntatis, sit tanquam lex: nam etiam non iussus, id faciset: Et quamuis proprium sit præcepti & legis minis & pœnis vrgere exequutionem,Iustus non indiget huiusmodi legibus, eò quòd sponte & promptè faciet, quod illæ præteribunt. Et quamuis hæc videatur excellens perfectio: est tamen multis Iustis valde frequens, ieiunant enim, & Sacris interfunt diebus, quibus ex præcepto tenentur,cum ea dispositione, quod etiam si præceptum non fuisset, æquè eadem ipsi præstitissent.Et hanc ob causam (vt postea dicetur) licet illis, iuramentis & votis se obstringere,ad præcepta Dei custodienda,cum eo animi decreto, quod licèt non fuissent præcepta, obstrinxissent se ad ea explenda: eò quod recta adeò essent,ac iusta.

n 2.*Timot.* 1.9. *S. Thomas* 2.2.q.96 *art.5.*

Tract. 2. *cap.5.*

Quartum consilium est, vt quando præcepti materia aliquam habet latitudinem, eligas semper partem meliorem, nunquam verò deteriorem, quemadmodum o *Abel oblaturus* Deo Sacrificium,elegit *ex grege*,quod optimum erat; cum contrà, *Cain* Frater eius *obtulerit* deteriores *fructus terræ*: & hunc imitabantur illi, de quibus Deus conquerebatur, quod habentes in gregibus suis sanas & scabiosas oues,offerebant ei scabiosas,& sanas sibi retinebant;& p *habentes in grege suo masculum,& votum Deo facientes,immolabāt debile* Imitare igitur Iustum Abel,& cùm Deo sunt decimæ offerendæ,optimum offeras,quod habes;si Eleemosynam facere velis,ne dederis,quod deterius est;&,si multum dare poteris,noli manum contrahens parum dare.Si ieiunandum est,possisq; præceptum implere piscibus tantum vescens: noli priuilegio vti vt ouis vescaris;nam illud est exactius,& perfectius, ieiunium, in quo à carnibus & lacticinijs abstinetur.Et qui pro te ipso libentius accipis,quod melius & vtilius est tuo honori;aut vt principi tuo illud offeras; æquius omnino est,vt optimum semper eligas,quò eius præcepto & voluntati satisfacias, Iure optimo Scriptura Sacra laudat populi Hebræi pietatē, qui petenti Moysi,vt offerrent,quidquid necessarium esset ad tabernaculum, & cultum Deo exhibendū,q *obtulit mente promptissima,atq; deuota, quidquid ad faciendum opus tabernaculi,& ad cultum,ac vestes Sanctas necessarium erat,aurū, argentum,lapides & gemmas pretiosas,Hyacinthum,purpuram,byssum*,& alias magni valoris telas;& in omnibus obtulit pretiosissima, quæ habebat. Et magnus certè fuisset pudor,quodidem populus,qui promptè attulerat r *inaures aureas*,quas Aaron petiuerat ad *fabricandum vitulum conflatilem*;non adferret postea ad Moysen pretiosissima quæ haberet,in obsequium veri Dei.Rectū enim erat,vt qui in obsequium mundi,ac Dæmonis tradiderat,quod pretiosum erat;traderet,quod optimum,in obsequium ipsius Dei.

4.

o Gen.4.4.

Optima Deo danda sunt

p *Mal.*1.14.

q *Exod.* 35. 21.

Prompte omnia offerenda fuut.

r *Exo.*32.22

Intima præcepti obseruanda sunt.

Ad idem consilium spectat alterum à Cassiano indicatum; vt non satis reputes parere præcepto in eo tantum, quod in cortice, & secundum literam vt dicitur præcipit; sed addas præterea, quod illud continet in spiritu, & aliquam cum eo similitudinem habet. Et hac ratione rectè impletur præceptum honorandi parentes, si non solum honor carnalibus exhibeatur; sed etiam spiritualibus, senioribus, prælatis & principibus, & omnibus proximis, quatenus eos, ex humilitate superiores tibi reputas.

5.

QVINTVM consilium est, vt quando præceptum latitudinem habet in tempore, eligas tibi optimum, & quod maximè expedit ad illud implendũ; studendo potius præuenire horam, quam permittere, vt illa elabatur. Iusti enim est (vt ait Scriptura) t *fructum suum dare in tempore suo* t *& in omnibus suis operibus esse velocem*; vt non ex pigritia differat de hora in horam, quod posset opportuno tempore facere: cuius contrarium facit piger, reijciens auditionem Missæ vsque ad meridiem, & Primæ, & Sextæ horarum recitationem vsque ad noctem. Ad idem cõsilium spectat sufficiens tempus tribuere implendo præcepto: ne nimium festinetur, &, vt alteri alicui rei attendatur, præceptum opus proculcetur. Sunt enim, qui, quasi tempus malè collocetur, quod Missæ audiendæ, & officio recitando tribuitur: ideoque vellent, sacrum breuiter expediri; & officium properandè dici, cùm tamen meritò existimare deberent, nusquam tempus meliùs collocari, quàm in diuinis præceptis explendis: quare licèt quadrans horæ sufficeret, vt præcepto, secundum eius rigorem, satisfieret: æquum tamen est, salubre hoc consilium amplecti, vt etiam semihoram, si opus est, expendas, vt actio tua sit rectior.

Psal.1.3.
t *Eccl.31.27.*
Tempore suo & sufficiente præceptum est implendũ.

6.

AD hoc ipsum confert aliud consilium, exercendi scilicet virtutem imperatam eo modo, qui in dilectionis Dei præcepto exprimitur, in quo iubetur v *diligi Deus ex toto corde, anima, mente, virtute & fortitudine*; qui modus seruandus etiam est in cæteris virtutibus iuxta cuiusque exigentiam: ita vt animum ad ijcias ad eas cum quatuor his conditionibus exercendas: cũ omni scilicet cordis tui affectu; cum omni intentione, continuatione, firmitate ac perseuerantia: quæ ad earum perfectionem requiritur, ita vt nihil admittas, quo ab exacta tali præcepti exequutione retarderis. Quod licèt (teste Sancto Thoma) non obliget ad bonum opus præstandum cum proprio ipsius virtutis modo, cum firmitate scilicet, promptitudine, hilaritate, & facilitate: (quo modo illi operantur, qui habitum iam acquisiuerunt, & consuetudinem operandi) est tamen rationi consentaneum, eum procurare: nec difficile id obtinebitur, modò dilectio Dei maneat in corde. Nam (vt Sanctus Augustinus ait) amor facilem ac iucundum reddit laborem, qui in implenda voluntate Dei, quem diligit, collocatur; datque firmitatem & constantiam in eo: est enim x *fortis vt mors dilectio; & dura sicut infernus*, siue se-

u *Deut.6.5. Matt.22.30 Luc.10.27.*

2.2.q.100. art.9. Bona ex omnibus viribus facienda.

Cant.8.6.

pul-

pulchrum, *emulatio*. Horum omnium multa præclara adducemus exempla in decursu horum Tractatuum.

CAPVT IV.

CONSILIA CIRCA OCCASIONES TRANSGREDIENDI PRÆcepta remouendas, etiamsi alias licitæ sint, & iniuriæ aliquæ ferendæ.

VT QVÆ hactens dicta sunt in effectum deducantur, vlteriùs adhuc est progrediendum, aliaq; consilia seruanda, ad remouendas occasiones impingendi ac deficiendi in explendis præceptis. Eò enim tendunt quatuor insignia documẽta, quæ Christus D.N. in sermone habito in monte tradidit. Præcipuè solemnissimum illud, cùm dixit: a *si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum; & si dextera manus tua scandalizet te, abscinde eam, & proice abs te. expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum: quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Quamuis autẽ hoc dixerit contra occasiones & pericula amittendæ castitatis, vtpotè frequentiores, magisque horrẽdas; (vt suo loco videbimus) posteà tamen vniuersim loquutus est, & ad rem quamlibet idem documentum extendit; quæ peccandi adfert occasionem. Aduertit autem Sanctus Petrus Apostolus (vt refert S. Clemens) non dixisse Saluatorem nostrum: si oculus aut manus tua scandalizauit te; sed, si scandalizat, & prouocat ad peccandum: quia non vult, te exspectare donec ceciderit, & transgressus fueris præceptum; sed, vt tempestiuè, & quando periculum imminet, aut apparet tẽtatio, eam remoueas: ne desis in eo, ad quod teneris. Nec meminit oculi, aut manus sinistræ, sed expressit dexteram, quæ magis est necessaria, & pluris æstimatur; vt intelligas, quamcumq; personã, aut rem aliam, etiamsi valde necessaria videatur, aut valde sit preciosa, esse reijciendam, si occasionem adferat, præceptum aliquod transgrediendi. Simul etiam monere voluit, duplex esse occasionum, nos scandalizantium genus: quasdam per oculum & sinistram manum significatas, eo quod apertè sint prauæ, & obliquæ, quæ nos rectà & manifestè ad peccatum impellunt: quarum non fuit opus meminisse: cum idem ipsum præceptum, prohibens peccatum, iubeat remoueri manifestũ eius periculũ, præsensque ac proximũ ad illud perpetrandum impellens discrimen: & hoc nomine falsus amicus, consiliarius, siue magister, qui prauam aliquam doctrinam consiliumùe ob sensuales aliquos terrenos, & inanes fines tradit, sinister oculus appellatur: quia prauis huiusmodi rebus sinister prauæ intentionis oculus alitur & foue-tur. De quo Saluator dixit: b *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*: quem nisi planè eruas, omnino peribis. Manus sinistra, censetur peccati complexi; aut ad illud perpetrãdũ auxiliũ præbens, aut inducẽs,

I.

a *Mat. 5. 29 & c. 18. 8. Tract. 2, c. 9*

Lib. 7. recognitio. prope finem.

Apertæ occasiones scandali.

b *Mat. 6. 23*

aut proximam præbens occasionem, eò quòd vehementer tibi adhæreat: quam nisi abscindas, & à te repellas, peribis cum illa, iuxta illud Prophetæ: e *Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium pariter potantium, consumentur, quasi stipula ariditate plena.*

Alia Scandali occasiones.

Aliæ sunt occasiones per oculum manumque dexteram indicatæ, quatenus speciem quandam præferunt veræ necessitatis, vtilitatis, pietatis, sanæve intentionis, & quasi expediat eas non prætermittere: quæ tamen reuera sunt periculosæ: quia sub tali prætextu & boni colore damnum non leue latet. & licèt interdum bonæ sint; eiusmodi tamen circumstantijs irretiuntur, quæ iustis quasi muscipula sint, & scandalum adferant: De quibus dixit Apostolus: d *Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt*: e *Omnia mihi licent: sed non omnia ædificant.* Quicquid enim nõ est lege prohibitum, hoc quidem nomine est licitum; sed non propterea statim ad animæ bonum, & pacem expedit, aut ad proximorũ ædificationem, ideoq; potius quod huiusmodi est, expedit eruere & eijcere, etiãsi oculus sit aut manus dextera: ne in ea damna incidamus, quæ sequi possunt, si ea seruare velimus. Huic doctrinæ innituntur tria Euangelica Religionis consilia: Nam licitum quidem est matrimonium, diuitiarum possessio, suique ipsius, ac rerum suarum gubernatio; sed multis hæc non conueniunt: nam magna potius ex eis percipiunt incõmoda. quã ob rem ex Dei inspiratione, omnibus huiusmodi rebus licitis sponte renunciantes, quæ meliora & tutiora sunt amplectentur, in statu Castitatis, Paupertatis, & obedientiæ, vt postea apparebit. Eidem doctrinæ innitantur necesse est desideria & electiones reliquorum statuũ & officiorũ, & vitæ generũ. Vt enim Ecclesiasticus dixit: f *non omnia*, etiam si bona alias sint, *omnibus expediunt: nec omni animæ omne genus placet.* Quare meritò officio & occupationi renunciant, quæ adiũctas habent peccandi occasiones; eligunt verò eam quæ tutior est, & à lapsibus expeditior, iuxta ea quæ superius sunt tacta.

Euangelica consilia fundantur in dicto S. Pauli.

Tomo 2. Tract. 1. c. 5.

§ I.

Eidem doctrinæ innituntur etiam tria præclara illa consilia, quæ Christus D. N. in eodem monte proposuit, ad ferendas iniurias; & iustitiam, charitatem, & pacem cum proximis conseruandam. Primum fuit; a *audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Pro cuius declaratione est aduertendum: quamuis non liceat iniuriam etiam valde ignominiosam, aut valde grauem dolorem inferentem propria authoritate vlcisci; licitum tamen esse potest, vindictam eius à legitimo iudice, publicam ad id authoritatem habente, petere: modò id fiat absque ira, & odio in eum, qui intulit iniuriam; sed eo tantùm fine, vt illarum damnum reparetur. In eum siquidem finem, (vt S. Thomas ait) est

I.

a *Matt. 5. 38.*

Iniuriam per iudicem vlcisci licet.

2. 2. q. 108. art. 1. & 2.

vlctus

virtus quædam moralis, cuius est munus ordinem in vindictis sumendis constituere, vt illæ iustè fiant: sæpè tamen neque hoc est, quod maximè expedit, eò quòd graues ex ea occasiones sequi possint, ad excitandas inimicitias, iras, querelas, ac dissensiones inter ipsos litigantes; & pericula, grauia peccata admittendi. Quamobrem Christus D. N. suadet, in huiusmodi occasionibus multò melius esse, non resistere malo, quod adfert iniuria; idque non solùm, non sumpta vindicta, authoritate propria; sed neque à Iudice petita, & omnino eâ condonatâ, nullo iniuriantiillato incommodo. Et quod adhuc est præclarum magis & heroicum, vt, qui iniuria est affectus, paratũ se potius ostendat, si ita opus esset, ad alias adhuc iniurias sustinendas: hoc enim significat, *alteram maxillam præbere ei, qui dextram percussit*. Quod *si oculus tuus dexter manusue dextera te tunc scandalizet*, cognati scilicet tui, & amici accedentes, & suadentes, vt vindictã sumas, tuumq; defendas honorem: reijce malum tale consilium, etiamsi pietatis, nonnenque bonum conseruandi pallio tegatur: *melius* enim *tibi est ad cælum ire* cum tali dolore, & iniuria; quàm ad infernum descendere sine illa, eò quòd vltus eam fueris, & peccata admiseueris, vindictam iure petendo. Est enim maioris prudentiæ, ex duobus malis minus eligere, hoc est manere cum ignominia; quàm, vt eam remoueas, in maiora alia incidere, qualia sunt culpa, & æterna pœna. Maximè quod Christiano homini non ignominia censenda sit, sed honor, (vt Sãctus Petrus dixit) quòd iniurias illatas non vlciscatur, sed imitetur Christũ, eiusque b *passionibus communicans gaudeat*, vt placeat Deo, gratiamq; in eius oculis inueniat. Imò, (vt S. Augustinus perpendit) etiam inter gentes benè moratas tribuitur ingenuitati, & magnanimitati, iniurias non vlcisci. Et Cicero laudat Iulium Cæsarem, quod nullius rei obliuiscceretur, nisi acceptarum iniuriarum: quod si non iudicasset honorificum, nec ipse Cæsar id feciisset, neque Cicero eum propterea laudasset. Et Aristoteles dixit, viri magnanimi esse, iniuriarum obliuisci. Quod si interdum necessarium esset, huiusmodi vindictam petere ob commune Reipublicæ, aut ipsius familiæ bonum: id fieri debet quasi coactè, conseruando in corde propensionem ac promptitudinem ad condonandum, si id ad maiorem Dei gloriam expediret, vt dictum est.

Non resistendum malum inferenti.

Minus malum eligendum est.

b 1. *Petri* 4. 14. *Epist.* 5. *ad Marcellum.*

4. *Ethic.* c. 3

Secundum consilium est, c *Ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte & ei pallium*. Certumetiam hic est, posse licitas esse lites, seruatis illis conditionibus in secundo tomo positis; imò interdum etiã esse necessarias ad fortunas tuendas, quæ sunt ad vitam ducendam & familiam alendam necessarias: sed aliquando non expedit illas excitare: eò quòd graues discordias excitent: & alia peccata secum adferant: vt ibidem est dictum, & tunc consulit Christus Dominus, vt non solum iuri nostro cedamus,

4. c *Matt* 5. 40. *Luc.* 6. 29. *Tract.* 3. *ca.* 14.

mus, permittentes, auferri nobis, quod reuera noſtrum eſt; ſed etiam animi promptitudinem oſtendamus, ad reliqua tradenda, quæ nobis remanent; & rebus omnibus renunciandum, & omnibus temporalibus nos exſpoliãdos, vt ſpiritualia conſeruemus. Et ad hoc propoſitum vſus eſt Apoſtolus apud Corinthios ſententiâ, quã ſuperius retulimus, d *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*: eo quod valde implicarentur litibus, & contentionibus cum parua ædificatione, & pace mutua, & idem confirmat ipſe Saluator, addito tertio conſilio, e *quicunq; te angariauerit mille paſſus: vade cum illo & alia duo*, quaſi dixerit: ſi quis tuam libertatem iniuſtè opprimens, te coegerit, vt alicuius ſui negotij cauſa aliquò te conferas, non te vlciſcaris, neque contra eum iraſcaris; ſed fac ex neceſſitate virtutem, vim & violentiam illam adeò generoſo corde ferens, vt plus etiam faciãs, quàm ipſe requirit; offerens te, ſi opus erit, ad progrediendum vlterius, aut certè in corde tuo, ad id præſtandum, eſto paratus. Hæc omnia conſilia amplectenda præcipuè ſunt eo nomine, quòd ad ſpirituale noſtrum bonum conferant, eadem tamen operâ, eadem amplectamur ad impediendum proximi detrimẽtum ſpirituale, quod ex noſtra reſiſtentia augeretur. Et quamuis certo tibi conſtaret, poſſe te abſque vllo peccato reſiſtere iniurianti in tribus prædictis rebus: conſilium eſſet altiſſimæ perfectionis, eidem non reſiſtere ſi hoc eſſet medium, quo maius proximi damnum vitaretur.

d 1. Cor. 6. 12.

e Matt. 5. 41.

Ex neceſſitate virtus facienda.

A D hoc ipſum direxit Chriſtus D. N. quod fecit, ac dixit Sancto Petro, cùm tributum ab ipſo exigere vellent: dixit enim, f *quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filiis ſuis, vel ab alienis? & ille dixit: ab alienis. Dixit illi Ieſus: ergo liberi ſunt filii. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eũ piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum da eis*: voluit enim hoc dicere: quãuis ex rigore iuſtitiæ tributum ego hoc non debeã, cùm Dei ſim filius, & vniuerſæ creaturæ Dominus, ac ex regio Dauidis genere: volo tamen huic meo iuri cedere, & tributum ſoluere; ne cum illud exigentibus contendam; & occaſionem præbeam ſcandali & turbationis contra nos. Et ſic nos docuit: multa, quæ ex ſe eſſent licita, eſſe omittenda, ne turbentur & offendantur debiles; rectiusque conſilium eſſe, omittere interdum honoris ac nobilitatis puncta, & fortunarum commoda aliqua, & lucra, quàm contendere eadem conſeruare, cum notabili proximorum turbatione. & ad idem propoſitum Apoſtolus dixit Corinthijs: quamuis licitum ſit g *omne, quod in macello venit, & quicquid apud infideles proponitur, manducare*: cauendũ tamen, h *ne hac licentia offendiculum fiat infirmis. Si enim aliquis, tta liberè veſcentem moneret, hoc immolatum eſſe idolis: ait: nolite manducare, propter illum, qui indicauit, & propter conſcientiam: non tuam ſed alterius. quapropter ſi eſca ſcandalizat fra-*

f Matt. 17. 24.

Scandalum vitandum.

g 1. Cor. 10. 25.

h c. 8. 9. 13.

trem,

trem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem: non enim quisque debet quærere, quod sibi soli est vtile; sed attẽdere etiam debet ad aliorum vtilitatem, vt quod lapsus causa, & scandali siue temporalis, siue spiritualis esse possit, remoueat; modò non sit ipsi necessarium, & ex obligatione incumbat. Sed hoc teste S. Thoma, aliquando cadet sub præceptum, aliquando tantùm erit ex consilio. Exempli causa, qui in quadragesima carnibus vesceretur propter necessitatem, cum alioquin species & color faciei necessitatem talem non prodat: si is iter faceret, velletque in hospitio carnibus vesci: tenetur ex obligatione manifestare alijs suam necessitatem, & facultatem, quam ad id habet: ne videntes vescentem scandalizet. Si autem sibi persuaderet: aliquos non adhibituros fidem, quamuis id ipse dicat; ac proptereà scandalum passuros, quod passiuum appellant, ex propria illorum malitia, quamuis, inquam, tunc, postquam de sua necessitate & facultate monuisset, liceret ei carnibus vesci: esse tamen tunc salubrius consilium, eo die abstinere: ne talem occasionem, etiam absque propria culpa, illis præberet. ita, enim S. Apostolus non accipiebat à fidelibus, in quorum gratiam laborabat, alimenta, quæ alij Apostoli accipiebant; i *ne offendiculum*, inquit, *demus Euangelio Christi*: ne scilicet aliquis in id impingerent, & occasionem acciperent suspicandi: Euangelij prædicationem ex concupiscentia potiùs, quàm ex zelo & charitate proficisci. i 1. Cor. 9. 12

CAPVT V.

CONSILIA PERFECTIONIS, QVO AD MODVM Diligendi proximos sicut nos ipsos; & sicut Christus eos dilexit.

EX DICTIS Capite proximo satis liquet; quàm cupiat Christus D. N. eminere in suis discipulis mutuam dilectionem & amicitiam; siquidem talia præbuit consilia ad eius offendicula remouenda; sed nunc magis in particulari ostendemus admiranda perfectionis consilia, quę in ijs modis continentur, quos ipse expressit ad præceptum dilectionis proximorum implendum. Proposuit enim nobis ob oculos præclarissima duo exemplaria, quæ supra indicauimus, ex quibus excellentiam deducamus dilectionis, quam illis debemus. Cap. 3.

§I.

Qua ratione dilectio sui ipsius regula sit dilectionis proximi.

PRIMVM Exemplar, & modus proximos diligendi, exprimitur in præcepto legis naturalis: quæ habet: a *diliges proximum tuum sicut teipsum* quod & renouatum; & approbatum, ac explicatum est in Euangelica lege: cuius sensus est: In dilectione proximi pro exemplari & amussi dilectionis eius, eam accipe, quam erga te ipsum habes; vt idem proximo velis, quod vis tibi ipsi; & vt Christus dixit: b *omnia quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et quemadmodum tibi ipsi non tantum vis ea, quæ sunt ad tuam conseruationem necessaria; sed multa alia ad solatium, commoditatem, ac delicias tuas; nec velles, alios nihil aliud præstare, quàm quod ex præcepto & obligatione tenentur; sed cuperes aliqua alia ab eis addi; quæ tantùm sunt ex consilio in tuum commodum: ita meritò velle ac facere idipsum debes erga tuum proximum: tunc enim eum, sicut te ipsum diliges. Sed quoniam in hac regula aliqua potest contingere deceptio: vt ea euitetur, supponendum est quod S. Augustinus circa eam monet, dicens, prius vide, si iam nosti diligere te ipsum; & tunc committe tibi proximum, quem diligas, sicut te ipsum. Si autem nondum nosti diligere te: timeo ne decipias proximum sicut te. Nam (vt S. Thomas, Aristotelis doctrinam sequens, ait) amor sui ipsius est duplex, Alter inordinatus & malus, qui proprius est peccatorum, diligentium in se ipsis, quod ipsi pluris faciunt; exteriorem scilicet hominem & carnem suam, quam habent cum bestijs communem; & quam interiori homini, & animæ, quâ Angelis assimilantur, præferunt. Et hic (ait S. Augustinus) non verus, sed falsus est amor, verum autem odium, iuxta illud Dauidis, c *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Nam odisse, est velle malè ei, quem odit: qui autem diligit iniquitatem, vult animæ suæ maximum malum, & miseriam; inimicitiam scilicet cum Deo, & pœnam ipsam æternam. Ac proinde huiusmodi amor non potest esse exemplar eius, quo proximus est diligendus: sic enim eum diligere, esset, verè odisse. Alius est amor sui ipsius ordinatus, & studiosus; proprius bonorum & piorum, amantium in seipsis, quod ipsi plurimi faciunt, excellentiam scilicet interioris hominis, vitam suam iuxta rationis dictamen ducentes: in qua re homines superant bestias; suntque beatitudinis, ad quam fuerunt conditi, capaces. Et huiusmodi amor debet esse regula amoris erga proximum; nec ab eo est distinctus, quem ille erga se ipsum habere debet. Omnes enim probi, qua tales sunt, eodem modo sancto quodam amore seipsos diligunt.

a *Leuit.* 19. 18. *Mat.* 22. 39. *Luc.* 10. 27. *Rom.* 13. 9. *Gal.* 5. 14.

b *Matt.* 7. 12.

Diligendus proximus sicut nos ipsi

Serm. 43. *de verbis Domi.*

c 2. q. 25. *Art.* 7. & 1. 2. q. 19 *a.* 4. 9. *Ethi. c.* 4

Diuiditur amor.

Vbi suprà

c *Psal.* 10. 6

Amor bonus ordinatus.

Quare

Quare idem erit, proximum diligere, sicut me ipsum diligo; & ipsum diligere, sicut se ipse diligit: hoc est, sicut ipse meritò debet se ipsum amare; & vt decet, æquumque est, vt ego me ipsum diligam. Hæc omnia confirmat explicatque Angelicus Doctor adductis quinque circumstantijs, quas Philosophus veræ amicitiæ tribuit, quarum multæ sunt ex solo consilio, vt perfectio dilectionis excelsior sit, ac præstantior.

Circumstantia boni amoris.

PRIMA circumstantia est, quod velit sibi, suisque amicis ipsum esse & vitam: collocando spiritualem animæ vitam in primo loco; corporis verò in secundo, quatenus hæc conducit etiam ad vitam spiritus. Cùm enim anima sit immortalis, corpus verò mortale, ratio ipsa docet, animæ bonum corporis bono esse præferendum. Ex quo fit, vt verus amor, sibi ipsi suisque proximis, ea bona velit, quæ ad vitæ conseruationem & perfectionem conferunt. Præcipuè autem vult ipsas virtutes, quæ sunt vera animæ bona, quibus æternæ vita comparatur; & etiam temporalia in eo gradu, quo expedit, absque detrimento virtutum. Sed quoniam verus amor non sistit in bonis affectibus ac desiderijs: sed peruenit etiam ad ipsa opera: ideò & sibi, & suis amicis hæc bona procurat per media, ad ea obtinenda proportionata. Et quemadmodum amor, quem quis habet ad se ipsum, solicitum illum reddit vt proprium bonum acquirat; impediat verò, & reparet quoduis malum: ita amor proximi eundem impellit, ad procurandum proximi commodum, & auertendum eius damnum; &, cùm adest, opportunè reparandum. Ac propterea S. Augustinus dixit: eum, qui alterum diligit, & corpori & animæ eius benè facere. Corpori enim applicat medicinam, animæ verò disciplinam: quasi clarius diceret: corporis eius necessitates reparat, exhibitis corporalibus misericordiæ operibus; animæ verò, exhibitis operibus spiritualibus: tribuens illi modò hæc, modò illa bona: eò quòd huiusmodi beneficijs amicitia conseruetur, & perficiatur. Operibus ipsis quarta circumstantia & indicium additur iucunda & grata conseruatio, quam dilectio efficit erga proximum dilectum. Iustus (ait S. Thomas) seipsum, vt oportet diligens, libenter secum ipse versatur, intra cor suum ingressus, vbi bonas cogitationes inuenit bonorum præsentium, memoriam præteritorum, & spem futurorum: in quibus cum magna animi voluptate persistit. Et eodem modo delectatur, certis temporibus, agere cũ suis amicis; de huiusmodi rebus agens, quę animarum precipuè bonum promoueant; & in ijs, quę ad corpus spectant, subleuentur. Denique verus amor magnam adfert secum & cum suis proximis concordiam. Sanctus enim sui ipsius amor nullam intra se ipsum discordiam admittit, vt aliqua velit inuicem contraria, aut repugnantia: sed totam suam animam ad solam rem vnam deducit, hoc est, quam ratio dictat, & ipse Deus præcipit: & eodem modo amor proximorum con-

I.

Velle animæ vitam.

2.

Amoris signum est opera bona præstare.

3.

Lib. de Moribus Eccl. cap. 27

Circumstantia amoris iucunda conuersatio.

4.

Indicium amoris concordia.

5.

cordiam efficit cum illis in rebus licitis & honestis; ita vt eorum affectibus ac desiderijs sese accõmodet, d *flens cum flentibus, & gaudens cum gaudentibus.*

d Rom. 12, 15. 2. 2. q. 29. a. 1. & 3. *Perfecta pacis duplex vnio.*

QVARE Angelicus Doctor ait: perfectam pacem duas complecti vniones, alteram inter ipsius hominis appetitus, ita vt qui sunt carnis, in quibus passiones eius existunt cum superiore spiritus voluntate componantur: nõ quòd nõ supersit aliqua inter eos dissensio; sed quod ipsius inferioris appetitus affectus cum superiore concordet, & hic cum Deõ. Et hæc vnio effectus est veri amoris sui ipsius. Nam qui serio se ipsum amat, diligẽter studet, vt caro spiritui, passiones verò rationi; & omnis simul Deo subijciantur. Et hinc secunda oritur vnio, quam generali nomine concordiam appellamus, quando scilicet vniuscuiusque voluntas cum aliorum voluntatibus in rebus licitis concordat, suntque quasi vnus in hoc, vt eadem bona omnibus velint. Et tam diu secunda hæc vnio perdurat, quam diu prima. Ordinariè enim nemo vnionem cum suo proximo abscindit, nisi prius eandem secum ipse, & cum Deo abscideri: quare si hæc integra & indiuisa permanserit, altera non abscindetur. Ac propterea Christus D. N. bis Apostolis suis dixit: e *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* & iterum post resurrectionem bis eosdem salutans dixit: *pax vobis*, sic ostendens, quàm cuperet eos habere duplicem hanc vnionem, in qua pax integra amorque perfectus consistit. Hęc omnia complectitur regula & lex proximum diligendi, sicut te ipsum: quam summo studio obseruare debes, ita vt in duabus illis rebus, quas hoc præceptum complectitur, excellere studeas. *Primum*, vt te ipsum vero illo amore diligas, quo Deus vult; & ad quem ipsa charitas te impellit, procurando pacem & vnionem cum te ipso: & passiones mortificando, quæ eam lacerant; & bellum indicendo vitioso tui ipsius amori, quem proprium appellamus; ex quo dissensiones oriuntur interiores, quæ postea exteriores efficiunt.

e Ioan. 14. 27. & 6. 20. 9.

Homo seipsum primo bene amet.

DEINDE studere debes, vt excellas, in reliquis, sicut teipsum, diligendis, ita vt summam cum eis vnionem pacem, & concordiam colas; sublatis omnibus discordiæ occasionibus, etiam cum aliquâ tui iuris iactura, vt suprà est dictum: & fouens, quod in te erit, amicitiam & vnionem cum eis, verbis & rationibus iucundis; beneficijs, donisq; gratuitis; & operibus misericordiæ corporalibus & spiritualibus; & orationibus ac suffragijs Deo pro eisdem oblatis. Quatuor enim hæc sunt ligata, quibus amoris iguis fouetur; & oleum, quo lampadum eius flammæ aluntur, & bitumen, corda ligans & astringens: & eisdem ad perfectiõnis culmen peruenies: nam (vt Apostolus dixit) omnia præcepta, imò & consilia, legisque documenta, quæ ad proximorum bonum diriguntur, in hoc verbo instaurantur: f *Diliges proximum tuum sicut te ipsum, plenitudo ergo legis est dilectio.*

Tract. 6. c. 10. finis hæc tradentur. Cap. 4. quibus charitas proximi innotescat.

f Rom. 13. 9.

§. 2. Ratio diligendi proximos sicut Christus eos dilexit.

QVæ hactenus diximus multò melius intelligentur, si exemplar secundum multo præstantius inspiciamus, eius dilectionis, quâ Christus D. N. in Euangelica sua lege proposuit: dicens suis discipulis: a *mandatũ nouum do vobis: vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: quasi dixerit, respicite diligẽter amorem meũ erga vos, eumq; tanquã exemplar & amussim eius accipite, quo vestros proximos diligere debeatis. Cõsistit aũt hoc præcipuè in alijs quinq; circumstantijs, quas iure optimo sancti Patres cõmendant. *Primũ* quemadmodũ Christus discipulos suos, nõ ob eorũ merita, sed ex sola bonitate sua prius eos dilexit, quã id ipsi essent promeriti: ita (ait S. Chrysost.) proximos tuos diligere debes, nõ inuitendo præcipuè eorũ meritis; sed eos amore tuo præueniendo, quamuis talem amorem nõ promereantur: amandi siquidem sunt, eò quòd sint opus Dei, filijque eius precioso sanguine redempti; cui valde placèt, vt ita illos diligas, & ipse hoc promeretur, vt etiam eos diligamus, qui per se ipsos eo amore digni non sunt. Deinde quemadmodum Saluator noster discipulos suos dilexit, cupiens eis præcipuè cœlorum regnum; suaque gratiæ bona, & perfectionem Euangelicam: quæ posita est in perfectissimæ eius vitæ imitatione: ita ait S. Augustinus debes eos diligere, cupiens omnibus præcipuè bona gratiæ & gloriæ. Quod si sis religiosus aut ad maiorem perfectionem contendas: optare debes fratribus tuis eorundem bonorum excellentiam: vt similiores euadant cœlesti suo Magistro, qui suum amorem etiam in eo ostendit quod ob suorum discipulorum vtilitatem & commodum, obtulerit se ad iacturam faciendam bonorum fortunæ, honoris, solatij, ac vitæ ipsius: ad cuius imitationem, ait S. Cyrillus, offerenda esse bona fortunæ, honorum ac delitiarum; imò & ipsa vita, si opus erit, propter spirituale proximorum bonum: quos pluris quisque facere debet, quam propria temporalia commoda. Et hæc est suprema dilectionis perfectio, ad quam viri religiosi ac perfecti aspirare & contendere debent. Nam (vt S. Chrysostomus perpendit,) agens Christus D. N. cum sæculari quodam homine de perfectione, ei dixit: b *si vis perfectus esse; vende omnia quæ habes, & da pauperibus*: agens autem de eadem perfectione cum Apostolis, qui iam erant in ipso perfectionis statu, dixit: c *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Atq; si dixisset: in hoc supremũ: maiorem ostendetis, quem inuicem habere possitis, si nõ solũ fortunas, sed ipsam quoq; vitã pro vestris fratribus obtuleritis, sicut ego meã pro eisdẽ offero.

a Ioan. 15. 34 & cap. 15. 12.

Vide Toletũ in c. 13. S. Io.

1. *Hom. 71. in Ioan. Christus Apostolos dilexit ex sola sua bonitate.*

2. *Omnia optima proximo petamus. Tract. 83. in Ioan.*

3. *Christus omnium in se curam fecit pro Apostolis. Lib. 9. in Io. cap. 13. Hom. 32. in 1. ad Cor.*

b Mat. 19. 21.

c Ioan. 15. 12.

4.

HINC quarta circumstantia, aut similitudo oritur, quod quemadmodũ Christus D. N. discipulorũ suorum miserias, ac debita peccatorũ in se ipsum susceperit, vt eos exoneraret, & ab omnibus debitis liberaret, iuxta illud Scri-

d *Isa.* 53. 4. et 1. *Pet.* 2. 24.

pturæ S. d *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: e *& peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*: ita & nos proximorum nostrorum onera tollamus, vt eos subleuemus; & sic amorem nostrum erga eos ostendamus, secuti regulam, & documentum Apostoli dicentis: f *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, iubentis, vt vos inuicem diligatis; sicut ipse dilexit vos, & onera vestrorum proximorum tollatis, sicut ipse vestra tulit.

f Gal. 6. 2

Onera proximorum ferenda subleuando vel emendo.

ET quoniam hæc onera valde sunt varia, & quædam spectant ad corpus, alia ad animam; quædam ad ingenium & mores proximi, alia ad statum & officium eius; perfectus amor impellit, vt quisque aliorum onera portet eo modo, quo potest, vt illi subleuentur: visitando, & ministrando ægrotis; consolando, & adiuuando eos, qui sunt in aliqua tribulatione, ac debiles; & sustinendo patienter iracundos, & immorigeros; corrigendo benevolè peccantes, porrigendo manum lapsis, vt è peccatis resurgant: quamuis ad hæc præstanda necesse sit, multas pœnas & labores subire, vt illi subleuentur, & exonerentur. Aduertit tamen S. Basilius vocabulum illud græcum *Bastazin*, quo S. Apostolus in ea sententia vsus est, interdum significare, portare alterius onera, imponendo illa sibi; interdum verò exonerare & auferre illa, vt qui premebatur, exoneretur; onera igitur peccatorum secundo hoc modo sunt portanda, agendo scil. per correptionem, admonitionem, consilium bonum, & exhortationem: vt ea deponant, & vitam suam emendent. nunquam tamen alienas culpas in nos suscipere debemus, nisi summum, vt pro eis satisfaciemus ieiunijs, & alijs operibus, quæ pœnam nobis aliquam adferant. Et quo maior est facultas se inuicem diligentium: eò charitas impellit magis, vt alter alterius onera portet, vt idem Apostolus dixit: g *debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus nō sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperantium tibi ceciderunt super me.* Supponit autem Apostolus in hac sententia, esse in Ecclesia alios alijs fortiores, tam in corporalibus, quā in spiritualibus; & euenire posse, vt, qui hodie sanus est, cras infirmetur; &, qui hodie spiritu est fortis, alio die deprehendat se imbecillem; & qui nunc est quietus & pacatus, postea turbetur ac tententur. Exigit ergo lex charitatis, vt qui sani & robusti sunt, compatiantur infirmis & debilibus; iuuentque onera portare, quibus premuntur, ne omnino succumbant: cogitantes, se cras fortè in aliqua necessitate futuros, & opus habituros ab alijs adiuuari. Vt autem ingentis adeò boni impedimentum ex ipsa radice euellatur, ait Apostolus, *ne nobis placeamus*: quasi semper quærentes, quæ nos delectent ac recreent; sed assuescamus etiam aliquid ferre, quod nostro appetitui displiceat, ac repugnet; & studeamus fra-

g *ad Rom.* 15. 1.

Proximo in bono placere bonum est.

tribus

tribus nostris placere, duplici seruata conditione: altera, vt placeamus *in bonum*, ita vt materia sit bona, decens, eiusque status cõditioni conformis, non proculcata lege Dei, aut æquitatis regula, quò illis placeamus: hoc enim non charitatis, sed carnalitatis opus esset. Altera, vt sit *in ædificationem*, eius scilicet ac nostræ; ita vt iuuentur in ijs rebus, quæ illis adferent vtilitatem; & eo modo, vt & illi, & omnes ex nostra charitate ædificentur, nosque ex bono opere proficiamus, ob sanctum finem, quem in eo præstando respicimus. Id enim discimus ex amore ipsius Christi D. N. *qui non sibi placuit*, nec quòd palato suo arridebat quæsuit; sed quod suis fratribus bonum erat, & expediens; imponens humeris suis illorũ mala, à quibus eos liberaret, iuxta illud Dauidis: h *opprobria exprobrantium tibi ceciderũt super me.* vtitur autẽ verbo *opprobrii*, eò quòd non censeatur aliquid magni esse, quod aliorum onera quis portet, cùm ex eo aliquem honorẽ acquirit; sed illud præclarius, quod etiam cum proprio contemptu & opprobrio illa portet: ostendens in hoc propriam humilitatem, & patientiam, quæ sunt humeri charitatis, ad huiusmodi onera portanda. Ad quod exhortatur idem Apostolus, dicens: i *cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportate inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.*

Operari in ædificationẽ proximi bonum est.

h *Psal. 68. 10.*

i *Eph. 4. 2.*

Nec tamen existimare debemus, charitatem impellere nos ad onera proximorum portanda, vt & ipsi nostra portent: hoc enim esset non sinceri, sed quæ sua sunt quærentis: quod nõ benè conuenit cum perfectione charitatis, nec cum amore Christi D. N. qui omnium onera portauit, nullo ipsum ad sua propria portanda adiuuante, nam ipse dixit: k *torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecũ, circumspexi & non erat auxiliator, quæsiui, & nõ fuit, qui adiuuaret.* l *sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni*, vt ita intelligatur, perfectum amatorem paratum esse ad aliorum onera portanda, etiam illis non adiuuantibus in portandis proprijs; quare, quod in se est, Christi quidem legem ipse implet, quamuis alij non impleãt.

Remunerationes non quærenda in bono opere.

k *Isa. 63. 3.*

l *Psal 68. 22.*

Obsignemvs tandem amoris Christi erga nos excellentiam cum eo, quod S. Iohannes dixit: quòd suos dilexerit m *in finem*, vitæ scilicet suæ, cum summa instantia ac perseuerantia, maiora semper amoris sui præbens indicia: & in cœnaculo, vbi vltimus fuit eorum conuentus, maximè illum ostendit, cum quatuor illis circumstantijs paulò ante indicatis: operibus scilicet, donis, rationibus, & orationibus, quæ omnia amoris & vnionis erant plena. Ibi enim valde familiariter & blandè eorum pedes lauit; dedit maximum, quod potuit, donum, seipsum scilicet sub specie cibi, ad insinuandum intimam, quam cum eis habere cupiebat vnionem, loquutus est tenerrimè; graues que adduxit rationes, ad eos consolandos, animandos, & persuadendam mutuam inter se vnionem; & pro eisdem orauit instantissimè, eandem pro

m *Ioan. 13. 1.*

Christi beneficia Apostolis in cœna præstita.

eis petentis vnionem, vt postea videbimus. Et omnia hæc complectitur insignis illa eius sententia: *n exemplum dedi vobis, vt q;emadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis:* quasi illis dixerit: à me discite amorem, quo vos inuicem diligatis; quem ostendatis in operibus exhibendis, in largiendis donis, in bonis verbis proferendis, & in orationibus instanter fundendis; & amplectendis reliquis consilijs, quæ vobis proposui. Hæc celsissima est perfectio, ad quam Catholicæ Ecclesiæ filij meritò debent aspirare. illa enim est amoris schola, domusque vnionis, quemadmodum fuit sacrum illud cœnaculũ, in quo Christus D. N. cum suis Apostolis erat. Verum quidem est, etiam Iudam proditorem ibi fuisse, qui tamen non erat alijs vnitus, redemptore id ipsum permittente, vt sic magis amoris sui summa præstantia manifestaretur, cùm proprium hostem adeò dilexit, & familiariter ac blandè tractauit: nobisque daret exemplum eius, quod erga nostros agere debeamus: quemadmodum in proximo capite fusius explicabitur.

CAPVT VI.

CONSILIA PERFECTIONIS *circa modum inimicos diligendi.*

Homo assimilatur seraphinis per dilectionem inimici.

CVM Saluator noster vocari voluit *magni consilii Angelus*, visus est aspexisse ad consilium, quod dedit, diligendi inimicos; quod per excellentiam meretur *magni consilii* nomen; in eo enim splendet præ alijs feruor charitatis. Reliqua consilia homines faciunt Angelos, hoc autem facit Seraphinos, hoc est ardentes; adeò enim amoris igne ardent, vt supra naturam suam volent a *sex alis*, sicut *Seraphini*, quos vidit Isaias: scilicet feruentibus charitatis actibus, quos noster Saluator nobis commendat, non solum erga amicos; sed etiam erga inimicos: quod expressiùs adhuc apud Sanctum Lucam declarauit, dicens: b *vobis dico, qui auditis, diligite inimicos vestros*, non solum hoc dico Apostolis ac discipulis meis, sed omnibus etiam, qui audire & recipere volunt doctrinam meam, c *diligite inimicos vestros*. Et paulo post eandem sententiam repetit, desiderans, amorem hunc profundius in anima radicari: vt intelligatur, non debere esse amorem d *verbo aut lingua* tantùm, aut solum interiorem; sed etiam exteriorem, qui ostendatur *in opere*, & *veritate* absque fictione vlla; & nominatim in hisce sex operibus, quæ sunt tanquam sex consilia excellentissimæ perfectionis. *Primum est* pro eis ORARE: vt Dominus noster det illis bonum illud, quod eis expedit, e *orate*, inquit, *pro persequentibus & calumniantibus vos*. Nec dixit solùm, pro ijs, qui vos sunt persequuti, sed pro ijs, qui nunc persequuntur, &

a *Isai. 6. 2.*

b *Luc. 6. 27*

c *Mat. 5 44*

d *1. Io. 3. 18.*

2. *S. Tho. 2. 2. q. 25. a 8. & 9. & q. 83. a. 8.*

e *Mat. 5. 44*

calum-

calumniantur, ita vt preces vestras cum illorum persequutionibus coniungatis: vt eo magis sint heroicæ, & gratæ ipsi Domino, sicut ipsemet f *orauit* pro ijs, qui ipsum *crucifigebant* & S. g *Stephanus* pro ijs, qui ipsum *lapidabant*.

Pro inimicis orare actus amoris est.

f Luc. 23. 34

g Act. 7. 60.

Secundus actus est BENE de eisdem LOQVI: *benedicite* (inquit) *maledicentibus vobis*. Et quando illi maledicta in vos congerent, vos contrà congerite benedicta; & quando mali quippiam de vobis rebusque vestris effutiuerint cum iniurijs & murmurationibus: vos loquimini bene de eis, rebusque eorũ; laudantes, quod fuerit in eis laude dignum; eosq; defendentes, si quis cõtra eos loquatur. Multũ quidem est in tali occasione tacere, nec vlcisci, quod fecit Dauid, cum ei i *malediceret Semei*: & aliàs dixit: k *posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me*: sed multò amplius est, os aperire, ad replendum benedictione maledicentem nobis, quod faciebat Apostolus dicẽs: l *maledicimur, & benedicimus*. Neq; difficile hoc est ijs, qui in imprecationibus & iniurijs, quibus à suis hostibus afficiuntur, agnoscunt supremam Dei prouidentiam, eas permittentis in bonum ipsorum; & interdum etiam in vtilitatem aliorum (quemadmodum fecerunt Patriarcha Ioseph, & Rex Dauid) ideoque laudant, & benedicunt ipsi Domino, quòd ea via tantum ipsis bonum largiatur. Nec volunt (vt S. Iacobus Apostolus monet) eadem lingua m *Deum benedicere maledicere, verò hominem*, sed vtrumque benedicere: aspicientes maledicentem inimicum, tanquam instrumentum, quo Deus vtitur in ipsorum vtilitatem. Et hac ratione faciunt quod S. Petrus monuit, dicens: n *ne reddideritis malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed cõtrario benedicite: quia in hoc vocati estis, vt benedictionẽ hæreditate possideatis*: hæc autem est ad eam consequendam via certior & expeditior.

h Lu. 6. 28. *Bene loqui de inimicis actus 2. amoris est.*

i 2. Re. 16. 7.

k Psal. 38. 2

l 1. Co. 4. 12.

Gen 45. 5. 1. Reg. 10. 1 ©

m Iaco. 3. 9.

n 1. Pet. 3. 9.

Tertius actus est eosdem cum nobis occurrunt, SALVTARE, etiamsi nos ipsi non salutent: vt & Salutatione, & oris alijs amoris & amicitiæ indicijs eos præueniamus, offerentes eis ex toto corde, quod in nobis est, pacem. Ideo enim Saluator noster iussit, suos discipulos ea salutatione vti: *pax vobis*, & o *pax huic domui*: vt hoc signo ostenderent cum nullo se habere pugnam, aut inimicitiã.

3. *Salutandi sũt inimici.*

o Mat. 10. 5.

QVARTVS actus est in omnibus rebus quibus poterimus BENE eis FACERE, tam in anima, quàm in corpore: vt duplici beneficiorum spiritualium & corporalium genere eos demulceamus, ac deuinciamus. p *Nã si bene feceritis his, qui vobis bene faciunt* (dixit idẽ Saluator) *quæ vobis est gratia? siquidẽ & peccatores hoc faciunt*; & quasi ex iustitia debitũ est, benè vobis facientibus beneficium rependere: si autẽ gratiam apud Deum quæritis, & familiaritatem eius obtinere: benefacite ei, qui duriter vobiscum agit, vestrisq; beneficijs eũ vincite. q *Noli vinci à malo*, (ait Apostolus) *sed vince in bono malum*. Si enim malè facias & vlciscaris: quamuis hac ratione videaris illum vincere, reuera tamen potius te ille vincit: vt qui te post se trahat, vt æque sis prauus,

4. *Benefaciendũ inimicis*

p Luc. 6. 33.

q Ad Rom. 12. 21.

atque

atque ipse; ideoque à peccato victus eique subiectus maneas. Vincas igitur eum, benè ei faciendo; sic enim efficies, vt diligat te, cesseque malè tibi facere; aut saltem, viceris te ipsum & peccatum: quæ victoria est multò glorioſior.

5. QVINTVS actus est, MVTVVM DARE petentibus. r *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes. Nam si mutuum dederitis iis, a quibus speratis recipere: quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fenerantur, vt recipiant æqualia*, non dico nomine lucri præter ipsum mutuum; hoc enim esset graue vsuræ peccatum; sed neque nomine gratitudinis, quam à solo Deo sperare debetis, & sic præmium erit multo maius.

r Luc. 6.35.

S. Bas. in id Psal. 14. Qui pecuniã suam non dedit ad vsuram.

6. Inimicis gratis dare bona fortuna.

SED quoniam mutuum petens, eo ipso quod petat, sese humiliat ac subijcit, SEXTVS actus erit GRATIS etiam illis, & Eleemosynæ nomine id eis DARE, quo indigent, vt eorum miseria subleuetur, etiamsi id non petant. Sic enim, inquit, *eritis filij altissimi: quia ipse benignus est super ingratos & malos*; & ex sola misericordia nostris miserijs prospicit; & etiam non petentibus remedium sponte offert & *solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super iustos & iniustos*. Et quoniam suprema misericordia est, acceptas iniurias condonare; animasque à peccato & inferni periculo eripere: in hoc perfecti excellunt, adeò ex corde omnia condonando, vt iniuriarum omnium obliuiscantur, exercentes prædictos sex actus, vt eorum inimici conuertantur, Deusque eorum misereatur. & quamuis Iusti omnes per gratiam sint filij Dei: quando tamen ad eam perfectionem perueniunt, vt prædicto modo inimicis suis benefaciant, dicuntur & ipsi Filij altissimi, eò quòd altissima illum perfectione imitentur, ac diuinæ ipsius bonitatis participes fiant: & ita concludit: t *estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est*: u *& estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est*: imitantes eum in hac misericordia, & dilectione inimicorum: quæ (teste Sancto Augustino) propria est perfectorum filiorum Dei: & eam exercentes perueniunt ad culmen perfectionis, vincentes innumeras difficultates & impedimenta, quæ in hac via occurrunt.

condonare iniurias magnũ est.

t Luc. 6.36.
u Mat. 5.48
In Enchiri. c. 73. tom. 3
S. Tho. 2. 2. q. 27. ar. 7.

ADHÆC omnia plurimum conferet bene perpendere vim illorum verborum, quæ Christus D. N. hoc loco repetit, cùm dicit: x EGO *autem dico vobis diligite inimicos vestros*. EGO, qui, qua Deus sum, statim atque primi parentes peccauerunt, dilexi meos inimicos; & obtuli rem preciosissimam, quam habebam, hoc est, quòd, vt illos repararem, homo fieri vellem: EGO, qui factus iam homo, hanc meam charitatem ostendere volui, y *ponens animam*, hoc est, vitam *meam*, non *pro amicis* tantùm, sed etiam pro ipsismet inimicis, & z *peccatoribus*. EGO, qui *vos*, cùm inimici mei essetis,

x Mat 5. 43

y Ioan. 15. 13
z Rom. 5 8.

dilexi,

dilexi, vocaui, & ad meum seruitium deduxi, magna vobis conferens beneficia, vt meos faceret amicos Ego inquam sum, qui vobis dico, exemploque meo prouoco, vt inimicos vestros diligatis. Quod si dixeritis: non apparere in eis causam & motiua, cur sint diligendi: attendite, quę mihi fuerint motiua, vt eos diligerem, & propter eadem vos eosdem diligite. Ego illos dilexi, eò quòd essent meæ creaturæ, ad imaginem & similitudinem meam conditæ, sanguine meo redemptæ, & quod bonitas & benignitas mea ad eos diligendos, beneque eis faciendum inclinat: eisdem igitur nominibus, & easdē ob causas vos illos diligite: mea siquidem bonitas satis vobis esse debet, vt opus manuum mearum diligatis; & sufficere, quod ego iubeā, aut velim: vt propterea ita fiat. Nam hac ratione diligentes inimicos vestros me ipsum diligitis, qui vester sum amicus, & in me recipio amorem, quem illis ostenditis, eumq; copiosa mercede remunerabo. Hic igitur, Christiane, quam excusationē adferre potes, ne tale sequaris exemplum, præceptū obserues, & quod in eo est consilij amplectaris? si dicas diligere odientem te, esse contra naturæ propensionē: attende, quod gratia Dei illam superat, iuuatq; exequi, quod illi repugnat. Dices: non promeretur inimicus meus, vt illi ego parcā; nec ille ignosci sibi petere vult: at Christus id bene est promeritus; & ipse id petit: imò, vt ignoscas, præcipit. Irridebunt me, si id fecero, irrideant priùs ipsum Christū, qui & fecit ipse, & idem ab alijs fieri consuluit, ac iussit. Quòd si nemo audebit Christum ipsum irridere: nihili tu facias, quod te irrideant, Quod si replices nihil ille proficiet, etiamsi ei remittā, sed adhuc amplius cōtra me insolescet: at vt minimum tibi ipsi commodabis; & forte tua ista humanitate illum permutabis; Deumque ipsum obstringes, vt tuam tueatur causam. At grauem mihi intulit iniuriam, & hucusque eius signa, & reliquiæ durant: sed & Christus omne genus iniuriarum sustinuit, & in hodiernum diem signa retinet infamium vulnerum, quæ sustinuit: quod si honori tibi ducis in hoc opere Christū imitari: ipse te in æterna vita magnis afficiet honoribus. Quod si denique dixeris: præceptum & consilium hoc solum dirigi ad viros perfectos: valde deceperis, quia reuera loquitur cum omnibus Christianis, quos lex Euangelica, vt perfecti euadant, exstimulat. Quamobrem stude, sex prædictas Seraphinorum alas induere; eisque super totum mundum, eiusque errantia dictamina te eleuare; intentionis tuæ oculos conijciens in creatorem ac redemptorem tuum, qui finis esse debet, motiuum, & causa talis dilectionis. Quare quemadmodum aa *Seraphini duabus alis velabant facie Dei, & aliis duabus velabat pedes eius, & duas* alias extentas habebant, & *volabant*, ita debes tu duabus alis beneficiorū corporaliū & spiritualium, inimici tui caput velare: vt in tuum amorem eum accendas; id enim est, quod Sapiens suggessit: bb *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum;*

Dei bonitas sufficere debet ad dilectionem inimicorum.

Christus petit Condonari omnes iniurias licet sequantur incommoda.

Lex Euangelica requirit condonationem iniuriarum.

aa *Isai. 6. 2.*

bb *Pr. 25. 21 Rom. 12. 20*

lum: si sitierit, da ei aquã bibere, prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi, remunerans corporalem Eleemosynam, quam ei largiris; cum qua simul etiam spiritualem aliam valde magnam ei præbes, frigiditatem inimicitiæ, & odij remouens, quam aduersum te habebat: ac proinde duplicabitur tibi merces & præmium. Sed præterea debes caput eius velare, eum protegens ac in eius periculis defendens, vitamq; cõseruans: etiãsi, nõ desint, qui auferre illam moliantur: quemadmodum Dauid liberauit Semei, & Saulẽ: cùm milites, qui cũ ipso erant, optarent, vt se de eis vlcisceretur: quare orationibus tuis debes eos protegere: ne ira Dei veniat super caput eorũ.

1. Reg 14 7. 2. Reg. 16. 1.

Compati oportet inimico in aduersitate.

RELIQVE duæ alæ charitatis, sunt, gaudere de prosperitate inimici, quem diligis; & eiusdem aduersitati compati: quibus duabus cooperies eius pedes, accõmodando te eius affectibus, & gressibus quos tenet: vt Sancti Apostoli regulam & documentum sequaris, qua dixit: cc *flendum esse cum flentibus, & gaudendum cum gaudentibus*: quando scilicet inimicus tuus, ob aduersos casus flet: tu etiam cum eo fleas, cupiens ipsum à miseria liberare; quod si moriatur, id etiam grauiter ferre, eiusque mortem deflere debes, sicut Dauid Saulis & Absalonis, à quibus graues persequutiones sustinuerat, mortes defleuit. Quando autem ille ex prosperis suis rebus gaudet, debes ei congaudere & gratulari; & iuuare, vt eius prosperitas sumat incrementa. Debes quoque eius pedes velare, hoc est, defectus tegere, non manifestans inimicitias eius, prauosq; gressus cõtra te; sed eos dissimulare, & optimo quo poteris modo excusare, quemadmodum ipse Christus eos excusauit, à quibus fuerat cruci affixus, dicens, eos dd *non scire, quid facerent*: charitatis enim proprium est, (vt scriptura ait) ee *vniuersa delicta*, vel (vt S. Petrus dixit) ff *multitudinem peccatorum operire.*

cc Ro. 12. 15

2. Reg. 1. 17. & ca. 18. 33.

dd Luc. 23. 34. ee Pr. 10. 12. ff 1 Pet. 4. 8

Quisque prõptus esse debet ad cõdonandum.

DENIQVE duas alias alas charitas habet semper expansas, quasi parata, apertis vlnis excipere suos inimicos, eisque ex corde condonare; magnaque promptitudine illos quærere, vt benè illis faciat: non se parcum ostendens, nec brachia sua, aut alas complicans, cùm inimicus sponte ad ipsum accedit, quemadmodum fecit Dauid cum *Semei*, cùm ille culpam suam deprecaretur, & peccatum simul agnosceret ob iniurias ipsi Dauidi illatas. Nam cum Dauidis ipsius Duces impedire vellent, nõ ei ignosceret; opposuit se illis Dauid, & liberaliter iniurias illi omnes condonauit. Sed multò melius rem hanc Seruator noster exposuit S. Petro interroganti: gg *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* respondit enim IESVS: *non dico tibi vsque septies; sed vsque septuagies septies.* Existimabat enim Apostolus, satis fortè esse, si alas suas expansas, & apertas vlnas haberet ad eum septies recipiendum, à quo fuisset offensus; quod si vlterius offendendo pergeret, expedire, vlnas suas complicare, & veniam offensori negare. Sed

gg Matt. 18 21.

mundi Saluator non approbat terminos, & limites in remittenda culpa offensoris, sicut neque ipse Deus *D. N.* terminum aliquem ponit, vt qui millies hostem suum in gratiam recipiat, si millies ille ad veniam & gratiam suscipiendam se disponat: propterea enim varijs inspirationibus eum vrget, ac monet, vt conuertatur: quia ipse cupit ei ignoscere: milleque beneficia in eum confert, vt odio, & inimicitia depositis, fideliter ei seruire velit, qui tot in ipsum bona confert: & cum à suis inimicis cruci esset affixus, voluit manus suas extensas esse, lignoque affixas, sic ostendens, quod in se esset, nunquam se prætermissurum excipere & complecti, culpam suam deprecantem.

Sine termino cõdenãda sunt iniuria.

CAPVT VII.

CONSILIA CIRCA PVRITATEM INTENTIONIS *in actionibus nostris, & nominatim in Eleemosynis, Ieiunijs; & Orationibus: sublatis inanis gloriæ occasionibus.*

ADMIRANDVS est noster magni consilij Angelus, quòd velit consilijs suis propositis efficere seruos suos tanquam Angelos in modo faciendi opera sua, atque si non degerent inter homines, nec ab illis aspicerẽtur. Vult enim, remoueri occasiones, quæ hinc oriri possunt amittendi præmium, quod propter talia opera promerentur. Et quoniam magis ordinaria & honorifica opera inter Christianos sunt Eleemosynæ, & misericordiæ erga egenos; orationis & cultus ipsius Dei; pœnitentiæ, & mortificationis externæ. quæ nos ipsos in officio aliàs continent: in his, inquã tribus actionum generibus, consilia dare voluit magnæ perfectionis, vt intentionis puritas in eis seruaretur: quæ intentio, quòd in huiusmodi operibus non lædatur ordinariè, ex eo quòd voluptates, aut diuitiæ; sed inanes honores quærantur: suadet ipse, secretum in eis faciendis seruandum, & à communi, & publico conspectu recedendũ, vt inanis gloria vitetur: obiter tamen multa alia præbet consilia ac documenta circa trium harũ virtutum perfectionem. De quibus, quòd in præcedentibus tomis fusius est actum, ea nunc solũ adferemus, quæ ipse Christus D. N. hic nos docet: a *attendite, inquit, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cum ergo facis Eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut Hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominib. Te autẽ faciẽte Eleemosynã, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: vt sit Eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Et cum oratis non eritis sicut Hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab homini-*

Intentio recta in omni opere bono requiritur.

a Mat. 6 1.

bus. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito. Hæc omnia sunt verba nostri Saluatoris, in quibus aliqua sunt præcepta, & aliqua consilia. Præceptum est, ne opus faciamus, & præcepta Dei seruemus, vt vanè inde ab hominibus laudemur, & honoremur. Hoc enim est laborare inaniter, & absque vllo commodo, aut alio præmio, quàm ipsius humanæ laudis. Consilium verò est, vt huius inanis gloriæ occasionem fugiamus, quando aliquod eius periculum imminet. Nam alioquin huiusmodi bona opera, publicè & coram hominibus facere non est ex se malum: potiùs personæ publicæ & perfectæ possunt, ac meritò debent, ea opera publicè facere: nō vt ab hominibus honorentur; sed vt b *videntes* (quēadmodum Christus dixit) *opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*; eoque exemplo ac similia facienda animentur. In qua re (ait Sanctus Augustinus) non debent huiusmodi viri esse pusillanimes ac timidi: nam si times spectatores, non habebis imitatores. debes ergo videri: sed ad ad hoc debes facere, vt videaris. Et tunc opus quidem tuum erit publicum; sed intentio manebit secreta. Tyrones autem, & qui adhuc debilem habent virtutem, & sentiunt vanitatis tentationes; seque periculo exponi locum ei dandi: hi, inquam, sequi debent Saluatoris consilium, vt sonat litera; & studere, quantum in ipsis erit, vt ad opera, quæ ex se non exigunt locum publicum, eligant secretum: non quod non liceat in publico facere; sed quòd, attenta facientis debilitate, ei non expediat, in quam rem magno vsui sunt tria insignia documenta, quæ hic Saluator insinuauit.

Vanam gloriam quærens laborat inaniter.

b *Mat. 5. 16*

Tract. 8 in Epi. Ioan. tomo. 9.

1. *Dei præsentia semper ante oculos habenda.*

PRIMVM est, vt omnes, siue perfecti sint, siue imperfecti, animæ oculos & ipsam intētionem in Dei viui præsentiam, in omni loco publico & secreto existentis, rectà conijciant, optantes, ita opus facere, vt soli illi placeat, quasi solus esset in toto mundo. Perfecti autem, quamuis in medio foro & multis hominibus circumdati versentur, non tamen propterea præpediuntur, quo minùs rectà Deum suum respiciāt. quòd si inanis gloriæ cogitationes occurrant, facile eas repellunt: ideoque securi sunt, etiam cum publicè bona opera faciunt. At imperfecti, & Tyrones, cùm attendunt se ab hominibus aspici, facilè præsentiæ Dei obliti, illos sequuntur Quare & faciliùs & tutiùs in abscondito Deum inueniunt, quàm in publico. ideoque illis expedit, occasiones fugere puritatem suæ intentionis maculandi.

2.

AD EVNDEM dirigitur *secundum* documentum: ne indicia, aut singularia externa signa dent bonorum operum, quæ faciunt. Quamuis enim id alijs liceat: ipsis tamen non expedit quia occasio est, & periculum labendi

in Hy-

in Hypocrysim. Illa enim singularitas, instar tubæ alicuius est, vocantis alios vt ipsos aspiciant, & laudent; aut vt vanitatis tentatio oriatur. quamobrem Christus D. N. dixit: *cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* significat enim, vt aduertit S. Petrus Chrysologus) eleemosynam, in qua huiusmodi instrumentum inflatur, non esse pacis, sed belli; non pietatis, sed turbationis: prouocat enim contra se hostes, qui ipsum expugnent, & eleemosynæ eius fructum deprædentur. Et, si exacte res examinetur, deprehendetur, non facere verè misericordiam; sed eam vendere pro precio laudum oblatarum. Et eandem ob causam dicit idem Dominus, *quando ieiunas, aut alia facis opera pœnitentiæ ex speciali tua deuotione, ne singularia aliqua eius indicia præbeas in facie, aut in corpore; nec talis tua sit pœnitentia in publico, vt reliquis aspicientibus adferat admirationem*: quia id totum est vanitatis tuba. Potius igitur in alterum extremum inclinare stude, signa edens hilaritatis, vngens & lauans faciem tuam, & affabilem illam præbens. Vt autem exterior hæc species (ait S. Basilius) non sit ficta, sed reuera ex interiori affectu & intentione nascatur: vnge spiritum tuum oleo deuotionis; tuamque conscientiam à culpis ablue, vt vera sit cordis lætitia. Et quamuis caro naturaliter sentiat ieiunium, ac disciplina tristetur: dissimulanda tamen tristitia illa est, & spiritus lætitiâ vincenda: aut certè (vt S. Chrysostomus ait) si ieiunium aliquibus signis se ipsum prodit: ne ipsius ieiunij signa edas, nec tamen propterea tristitiæ signa prohibentur, quæ approbat Ecclesia in ieiunijs à se institutis. Hæc enim, quod omnibus sint communia, non ita vanitatis occasionem adferunt, sed potius humiliationem nutriunt.

Cauenda signa singularia boni operis.

Homil. 1. de Ieiunio.

Homil 15. imperf. in Matth.

Sed vlterius progreditur Saluatoris nostri documentum, cùm ait: *cùm facis eleemosynam,* (& idem est de quocunque alio bono opere) *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*; quasi dixerit: non sit tibi satis, quod publicum fugias locũ, & tua opera hominibus occultes: sed etiam cum es in occulto, & ab eis remotus, stude te ipsum etiam fugere, ac tui operis obliuisci. ne tibi ipsi complaceas, & ex ipso opere euanescas: sed vigila, (vt ait S. Augustinus) ne rectæ Deo placendi intentioni minus rectus alius finis admisceatur inanis complacentiæ. Quare necesse est, vt manus tua dextra superior scilicet spiritus portio nouerit opera, quæ agis, eaque dirigas ad vltimum suum finem, qui est Deus. Ne tamen huius rei certiorem facias portionem tuam inferiorem, hoc est, carnem ad malum propensam; nec cum ea conferas, quid tibi sit agendum: certo enim malè tibi consulet, milleque repugnantijs & contradictionibus te replebit; aut rationes cõmiscebit terrenas: vt te ipsum potiùs quæras, quàm Deum. Ita igitur opus tuum perfice, quasi illa omnino non esset conscia; sed solum attendas ad id, quod Deus vult. Adhæc: studere ne manus tua sinistra sciat, quid faciat dextera, hoc significat: ne multum la-

3. *Fugienda complacentia sui in opere bono.*

Lib. 2. de ser. Dom. in Mon. cap. 5.

c Philip. 3. 13

bores in aspiciendis bonis operibus tuis cum periculo alicuius propriæ erga eis complacentiæ; sed potius exemplo Apostoli. c *quæ retro sunt*, hoc est, quæ hactenus fecisti, *obliuiscens ad ea quæ sunt priora*, & recentiora, *te ipsum extendas*: Satis enim est, *Deum* nosse, quæ tu facis, vt eius dextra manus te adiuuet ac remuneret. Quotidie igitur cum Dauide dicendum tibi est; d *nunc cœpi*

d Psal. 76. 11

Deo seruire: nec præterisorum rationem habeo, nec eorum recordor: *sed hæc* est *mutatio dexteræ excelsi*, hæc inquam cordis mei mutatio, & recens ad perfectionem assequendam anhelatio, non mea est; sed dexteræ Dei, quæ ad eam concipiendam, & procurandam me impellit, & confortat.

CAPVT VII.

CONSILIVM NON IVRANDI IN COMMVNI *hominum conuersatione; & reuerentia sanctissimi Dei nomini exhibenda.*

ALIVD MAGNI momenti documentum dedit suis discipulis Supremus noster Magister, ne Scribarum & Pharisæorum deceptionem sequerentur, qui gloriabantur, quod passim iuramentum vterentur, existimantes, hac ratione se magis Dei nomen honorare, si frequentissimè illud ore suo proferrent. *Audistis*, (inquit) *quia dictum*

1 Mat. 5 34 Iacobi 5. 12

est antiquis: non periurabis. Reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum: quia thronus Dei est; neque per terram: quia scabellum est pedum eius; neque per Ierosolyma: quia ciuitas est magni Regis; neque per caput tuum iurabis: quia non potes vnum capillum, album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est. In his Christi Domini verbis aliquid proponitur ex præcepto, aliquid ex consilio seruandum. Nam iuramentum interdum est illicitum, interdum autem potest esse licitum: sed non expedit illud adhibere; interdum autem & licitum est, & expedit illo vti: est autem non modicæ prudentiæ, & scientiæ, nosse medium tenere in re adeò varia & perplexa.

I.

PRIMVM negari non potest, aliquando licitum esse, ac sanctum iuramentum adhibere: cùm ipsemet Deus b *per semetipsum iurauerit*, & c *Angeli*, antiquid *Patriarchæ*, sancti e *Apostoli*, etiam iurarunt, & in lege veteri in aliquibus casibus permittebatur iuramentum; & Catholica Ecclesia idem approbat, imò etiam in aliquibus iubet, præcipuè cum hæreticos pœnitentes recipit ac reconciliat. Sed vt iuramentum sit licitum & conueniens, adesse debent tres illi socij, quos Ieremias f *Veritatem, Iustitiam, & Iudicium* appellat. VERITAS tunc adesse censetur, cùm iurans, verum esse existimat id, quod iurat: IVSTITIA, cùm non promittitur aliquid mali, nec causa, cur iuratur, est iniusta: IVDICIVM, quod est virtus prudentiæ, tria alia complectitur, *Necessitatem, Reuerentiam, & Considerationem*. NECESSITAS tunc adesse cen-

b Gen. 22. 16 Psa. 131. 11.
c Apo. 10. 6. d Ge. 14. 22
e Rom 1. 9. De Hæreticis c. Excommunicamus in Synod. Ephesin.
f Ierem 4. 2 S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 3.

setur,cùm id,quod iuratur,non potest alio modo sufficienter probari : cum tamen ad proprium iurantis, aut ad proximi bonum, multum referat, vt probetur: quare iurandi causa aut charitas esse debet, aut Iustitia, aut misericordia:erit autem sec⁹rius, si etiam obedientia accedat : vt scilicet, qui potest iuridicè imperare,aut petere iuramentum,id faciet. Reverentia in eo est posita,vt sanctum Dei nomen cum ea decentia,quâ tantus Dominus dignus est, nominetur. Nam iuramentum(ait S Thomas)est actus virtutis Religionis,quo Deus honoratur;& confitemur,ipsum esse veritatem infallibilem,testemque supremum: quem ad nostra dicta,& promissa cõfirmanda,& vera esse ostendenda,adducere possumus,cùm igitur vilis vermiculus, tanti Dei authoritatem adhibet,non debet nomen illud ore suo,nisi summa cum Reuerentia proferre:esset que rationi omnino consentaneum, vt, cùm illud profert,caput suum aperiat;aut etiam genu flectat.vt & animâ purâ,& ore mundo tantum nomen proferat[f]. Ac propterea (ait S. Hieronymus) prohibuit Deus Israelitis g *iurare;viuit Dominus:* quod linguas suas haberent fædatas vsu,& consuetudine iurandi per idola. exiguæ enim reuerentiæ esset,nomen adeò purum & sanctum linguis adeò sordidis proferri. Consideratio in eo adhibenda est, vt iuramentum non præcipitanter ex alicuius passionis impetu, aut cœcè,aut inaduertenter proferatur; sed tranquillè, & animo pacato;& præmisso examine,an omnia prædicta adsint;vt iuramẽtum rectè fiat. nam,quauis illorũ circũstantia deficiente, erit illicitũ, & malè iurabitur. peccatũ aũt eò erit grauius, quò cõditio, aut circũstantia, quæ deest, maioris erit momenti. Et quoniã adeò est difficile, omnia seruare, vt oportet dixit Saluator: *nolite iurare omnino.* In quo duo præscribit, in omni genere iuramenti seruanda, siue per ipsius Dei nomẽ, siue per creaturas fiat Et primũ quidè cõstituit, sub præcepto prohibens (vt S. August. explicat, quem sequitur S Thomas) facilè,& frequenter iurare : eò quòd ex se id sit malum cõtra reuerentiã nomini diuino debitã;& periculosum,præbẽs occasionem periuriorũ,& iniustitiarũ,& grauiũ aliorũ peccatorũ. Vtrãq causam cõiunxit Ecclesiasticus, dicẽs:h *iurationi nõ assuescat os tuum, multi enim casus in illa. nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo,& nominibus Sanctorum,* rerumque sacrarum, *non admiscearis:quoniã non eris immunis ab eis. Sicut n.seruus interrogatus* & verberibus *assiduè* exceptus *a huore nõ minuitur:sic omnis iurãs & nominans, in toto à peccato non purgabitur. Vir multũ iurãs implebitur iniquitate, & nõ discedet a domo eius plaga.* Damnat itaq; Ecclesiasticus exiguam reuerentiã, in Dei nomine cum iuramento, aut sine illo vsurpando frequenter ac temere. Et alibi aliam addit rationem scandali & horroris, quam adfert dicens: i *loquela multum iurans horripilationem capiti faciet:& irreuerentia ipsius obdurationem auium.* verè enim capilli capitis viri iusti erigũtur ipseque tremit, cum

Non sine necessitate iurandum est.

Reuerenter est iurandum.

g *Ose.* 4.15.

Consideratione præmissa iurandum est.

1.

2.

Lib. de Mẽdacio c.15 & de ser. Dom. in mon. c.10 Tom.4.2.2 q.89.a.2. ad 1. & 4.5

h Eccl.23.9

Eccl 27.15

huius-

huiusmodi iuramenta audit; ideoque aures etiam suas obturat, ne audiat.

Serm. 65. in Cant.

ALTERVM, quod Saluator noster commendat, est per modum consilij: (vt S. Bernardus aduertit) vt scilicet discipuli eius, qui meritò debent perfectionem profiteri, quod in ipsis est, nullo modo iurent, nec ad id propendeant, nisi vrgente aliqua necessitate, cui sint obstricti, cogantur. Tum

Supra art. 5.

quòd iuramentum (teste S. Thoma) debet esse instar medicinæ, quæ non sumitur, nisi ad morbum depellendum, & cùm aliter fieri non possit: tum quòd meritò debeant vitam suam excellenti adeò sanctitate instituere, vt vel simplici eorum verbo fides meritò adhibeatur. Quare nusquam legitur, quod ipse Saluator iurauerit: nam verbum illud, Amen, Amen, quo interdum vtebatur, non erat iuramentum, sed (vt ait S. Hieronymus) idem significat, quod verè, verè dico vobis. Ideoque dixit: k *sit sermo vester est, est, non, non: & quod abundantius est, a malo est.* quasi dixerit: (vt explicat Sanctus Augustinus) nihil vos addere debetis, si autem addendum aliquid fuerit, id proueniet ex miseria, aut malitia proximi, ad id vos vrgentis: eò quòd non velit aliàs dictis vestris fidē adhibere. Ratio huius est, eò quòd Christus D. N. adeò perfectos velit nos esse, vt firmo decreto apud nos constituerimus nunquam mentiri, aut alios decipere, alicuius commodi etiam totius mundi intuitu; nec timeamus, aut suspicemur, reliquos Euangelij ipsius sectatores velle mentiri, aut nos decipere. Et hac ingenua dispositione, & opinione habita, non est opus iuramento: quare, qui in communi conuersatione & familiaritate iuramentum ab alio exigit, ostendit, se de eo tam bonam opinionem non habere; nec certum esse, quod alter non velit ipsum decipere, nisi adhibito iuramento. Quando autem ex hoc nullum aliud damnum sequuturum timeretur, quam, quod ipsius dictis fides non adhiberetur; aut ipsum damnum esset eius proprium, à quo exigitur iuramentum: est multo melius, vt vir grauis & spiritualis iuramentum non adhibeat; sed Saluatoris consilium, vt litera sonat, sequatur: nam, si omnes, quibuscum ille agit, sciant, & aduertant, ipsum in communi sua conuersatione & colloquijs nunquā iurare: facilius fidem ei adhibebunt, nec iuramentū exigēt. Ex quo cum S. Augustino concludo: Iuratio falsa, perniciosa; vera periculosa: nulla, secura; modo iam explicato. Ac propterea S. Iacobus adeò rem exaggerauit, vt dixerit, l *ante omnia, fratres mei, nolite iurare, quodcunque iuramentum, vt non sub iudicio decidatis.* ne scilicet ab vno iuramento in aliud labentes, ad perniciosum aliquod peruenjatis, & in Dei iudicio damnemini. Quam autem sit iudicium illud tremendum, & horrendus casus ille; ostendit Deus Zachariæ Prophetæ, in m *quodam volumine volante,* instar membranæ, in quo scripta erant peccata peierantium, & eorum supplicia, *quod venit ad domum iurantis, & nomine Dei mēdaciter, & consumpsit eam, & ligna eius, & lapides eius.* Vt fusius

Non sine graui damno iuret vir spiritualis.

Apud S. Thom. in Iacob. 5.

l *Iacob 5. 12*

S. Aug. epist 154. ad Publ.

m *Zach. 5.*

diximus

diximus tomo secundo tractatu quarto, capite vndecimo.

Nec sine mysterio, cum Christus D. N. iuramentum prohibuit, non fecit mentionem iuramenti, quod fit expressè per nomen Dei; sed expressit, quod fit per creaturas, & quidē nominatim per quatuor, per quas Iudæi iurare consueuerant. Sed huius rei causa fuit: quia, qui verbum iurandi exprimit, in eo includit nomē Dei: idem est enim Ivro quod Deum in testem adduco. Sed expressit Christus iuramenta quæ fiunt per creaturas, ne iurantes, parui illa facerent: declarauit enim etiam in illis includi authoritatem & maiestatem Dei, per quem præcipuè iuratur. Nam iurare per cœlum, aut per terram, est iurare per creatorem, qui in cœlo est, tanquam in throno suo; & in terra, tanquam in strato vel scabello; & iurare per templū, aut ciuitatem sanctam, est, iurare per Regem æternum, eidem assistentem; & iurare per caput tuum, est, iurare per supremum eius gubernatorem, à quo illud suum recipit esse; & capilli eius, quod sint albi, aut nigri: quod si malè iures, descēdet super caput tuum malū, quod facis. Obiter autem docuit nos etiam, non esse iurandum per creaturas, quâ tales sunt: id enim esset genus quoddam idolatriæ, quasi poneretur in eis aliquid diuinitatis. siquidē (vt Apostol[s] dixit) n *homines per maiorem sui iurant*: vt eius testimonio confirment, quod ipsi proprio suo non possunt. Quare Deus D. N. iurat per seipsum: eò quòd se maiorem non habeat, per quem iuret. dum autem per creaturas iuramus vt legitime id fiat, respicere debemus ad aliquid nobis maius, quod in eis elucet. Ideoq; grauissimum peccatū est iurare per dæmonem, Antichristum, aut Mahometem eò quòd tunc videamur protestari, esse in eis altius quiddam, & quasi diuinitatem. Ac propterea Deus prohibuit Hebræis o *per nomen externorum Deorum iurare, vt neque audiretur ex ore eorum.*

3.

S Tho. 2.2. q. 89. a. 6. *Iurare est Deum in testem adducere.*

Non est iurandum per creaturas.
n *Heb. 6. 16.*

Iurare per dæmonem grauissimum est peccatum.
o *Exo. 23. 13*

CAPVT IX.

Consilivm De Vovendo Deo D. N. *& ratio id cum perfectione faciendi.*

Alivd Consilivm Euangelicum excelsæ perfectionis promissionum & votorum, quæ D. N. offeruntur: quæ etiam sunt actus virtutis Religionis, sicut ipsum iuramentum: quamuis interfit, quod Religio non inclinat ad iurandum, nisi in casu grauis necessitatis, vt iuranti fides adhibeatur, vt hactenus diximus: ad Votum autem inclinat propter ipsummet. Nam (vt ait S. Thomas) ex se ipso est actus sanctus valdeque laudabilis promittere Deo aliquid, quo reuerentia & honor illi exhibetur; quilibet enim honor, adoratio, & cultus illi in primis debetur ob infinitam eius excellentiam. Ex quo duplex Voti excellēs proprietas oritur. *Altera* est, quod opus alioqui bonum eleuet ad maiorem

Votum actus est virtutis.

2.2. q. 88. a. 5 & 6.

Votum bonum magis bonum facit.

bonitatem & meritum, quam sine voto ex se ipso habuisset. Idque ob præstantiam finis, quem virtus religionis addit: quæ, cæteris moralibus virtutibus excellentior est. Quare quodcunque opus bonum ex voto factum, vt idem sanctus ait, est magis meritorium: quàm si fieret absque voto. *Altera*

2.

2.2.q. 81.a. 6. & q. 88. art. 6. *Votum roborat virtutem.*

proprietas est, quod virtuti, ac reliquis Euangelicis consilijs firmitatem addat. Etsi enim votũ sit materia consilij, illudq; edere aut nõ edere liberũ sit: vbi iam est editũ, quod alias erat sub consilio, transit in præceptũ, magnamque addit obligationem, vt obseruetur. Quare votum simul continet in se bonum consiliorum & præceptorum. A consilijs habet liberalitatem & generositatem animi; qua offert se, cùm posset se non offerre; & ipsum se obstringit, ad id præstandum, ad quod Deus ipsum non obstringebat. A præceptis habet stabilitatem & firmitatem: ne retrocedatur, aut, quod promissum est, negligatur: nisi enim votum fuisset additum: facilè fuisset omissum. Quare non rarò vota etiam iuramentis confirmantur, ad maiorem ipsorum firmitatem. Si enim iuramento firmantur, quæ hominibus promittuntur; vt certi sint, nos impleturos, quod promittimus; cur non liceat eandem firmitatem ijs addere, quæ Deo promittimus; vt in eis exequendis firmiores simus, & constantiores? idque se duplici nomine: tum ob fidelitatem, quam Deo D. N. debemus, cuius amplitudo & maiestas promeretur; vt, quod ei promisimus, impleamus: tum ob reuerentiam sanctissimo eius nomini debitã, quòd in testem adduximus, quod promissum nõstrum essemus impleturi.

S Tho. 2. 2. q. 89. art. 8.

3.

Spiritus sancto inspirante vota fiunt.

HINC *tertia* oritur votorum excellentia, quod ab Spiritus sancti inspiratione dicentur, qui quòd suadeat, & ad melius impellat, inspirare solet vt huiusmodi promissa sibi fiant, offerenti gratiam & auxilium suum ad ea implenda. Et Scriptura sacra iæpè nos ad id exhortatur, dicens: a *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Et in antiqua lege fuerunt vota in magno vsu: erantque singularia monita ac documenta de eis: in Euangelica autem, quæ lex est perfectionis, sunt adhuc frequentiora iuxtã Isaiæ prophetiam, dicentis: b *in die illa colent Dominum in hostijs & muneribus: & vota vouebunt Domino, & soluent.* Vt autem honor hic præstantior sit: non solùm vota fient de rebus facilioribus & ordinarijs, qualia multi sæculares edunt; sed etiam de rebus amplissimis & altissimæ perfectionis, quales sunt castitas, & paupertas voluntaria, & aliæ similes: ad quas idem Euangelium exhortatur, vt ostenderur in sequentibus Tractatibus, in quibus fusiùs explicabuntur excellentiæ oblationis huiusmodi votorum.

a *Psa.* 75. 12.

b *Isa.* 19 21.

Tract 2. c. 5 Tract. 3. c. 5 Tract. 5. c. 11 & 12.

NVNC in genere tantùm conditiones insinuabimus, quibus fieri debent: ne tantæ perfectionis consilium in nostram vertatur perniciem, non rectè & vt oportet exequutioni mandatum.

HÆ conditiones ad eas reduci possunt, quas posuimus de iuramentis: ad

veritatem

veritatem scilicet intentionis standi promissis; ad iustitiam rei, quæ promittitur, causam & motivum promittendi; & iudicium prudentemque considerationem eius, quod promittitur. Quod totum complexus est Ecclesiastes grauissimis his verbis: c *ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo: Deus enim in cœlo, & tu super terram. idcirco sint pauci sermones tui. si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcunq; voueris redde: multoq; melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. Ne dederis os tuum, vt peccare faciat carnem tuam, neq; dicas coram Angelo: non est prouidentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Hoc totum quod Ecclesiastes dixit, potest (vt ait S. Hieronymus) applicari ad verba, quibus aliquid Deo promittitur: quæ ait, quinq; has circūstantias habere debere: ne temerè proferantur, ne præcipitata sint, ne nimia, ne infidelia, neque stulta. Stulta appellantur, quæ sunt de rebus malis, aut inutilibus, aut impossibilibus; aut quæ maius aliud bonum, quod est de cōsilio, magisq; Deo acceptum, impediant. Et eadē sunt infidelia, quia nō possunt, nec debent impleri: eò quòd Spiritui S. cui offerūtur, aduersentur. Is enim semper inspirat, quod bonum est, quod vtile, & quod fieri potest. Et qāāuis non semper omnibus inspiret, quod melius est: vult tamen non poni obicem suæ bonitati, si forte id inspirare voluerit. Ideoq; non impellit quemquam ad ea vota edēda, quæ maioris nostri profectūs viam obstruunt: qualia essent, ineundi matrimonium; non amplecti statum religiosum, non facere eleemosynam: & similia.

c *Eccles. 5.*

In eundem locum. Stulta sunt vota rerum malarum & impossibilium.

Etiam censetur stulta promissio, quæ fit confusè, cùm in particulari non scitur, quid erit bonū, aut quid erit malū: eū in modū, quo Herodes d *cū iuramento pollicitus est filiæ Herodiadis dare ei quodcunq; postulasset ab eo*: quæ tamen petijt *caput Ioannis Baptistæ*. Et Iephte, e *qui votum vouit Domino holocaustum offerre, quod primum reuertenti occurreret ex domo sua: occurrit autem ei prima vnigenita eius filia*. Huiusmodi autē promissa meritò appellantur infidelia eò quod impleri non debeant: quare vterq; prædictorū peccauit implens, quod promisit: quāuis magis adhuc propriè infidelia dicētur, quæ sunt de rebus bonis absq; animo ea implendi; aut re ipsa suo tempore non implētur; aut ita fiunt, vt in ipsa expletione sit defectus. Aliquādo quidē, eò quòd promissio fiat propere, & tumultuarie, absq; debita cōsideratione: ita vt vouens impetu quodā nō à Deo, sed à proprio spiritu, aut aliqua passione, sese præcipitet ad vouendum. Aliquando autē temerè ex nimia arrogantia & occulta superbia offerendo sese ad plura, quam iuxta vires suas possit implere. Aliquando denique eò quòd tam multis votis sese quis oneret; vt prudenter agendo, non possit omnibus satisfacere. Hæc omnia cōplexus est Salomō dicēs: f *ruina est homini deuorare vel deuotare sanctos, & post vota retractare*: quasi

d *Mat. 14. 7 Votum in confuso editum stultum est.*

e *Iud. 11. 30.*

f *Pro. 20. 25*

Vota facta festinanter nil prosunt homini.

dixerit, sicut qui deuorat, aut deglutit cibum festinanter, ei non prodest, & sæpè etiam euomit: ita qui propere facit, aut deglutit multa vota sanctis (quod faciunt aliqui scrupulosi, aut indiscreti, siue imprudentes) ei non prosunt, sed potius occasioni sunt ruinæ maioris: statim enim eos pœnitet, & vota retractant, nec implent. Hoc amplius adhuc explicat trãslatio Septuaginta Interpretum, dicens: *Muscipula est viro, celeriter aliquid sanctorum consecrare: nam post votum continget pœnitere,* & ex zelo maioris perfectionis, in laqueum incidit sacrilegij, quem dæmon suppositit ad maiorem talis vouentis ruinam. nam, postquam votum edidit, tenebatur illud implere. Ac propterea superius dixit Ecclesiastes: g *ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam* hoc enim dicere voluit: si agnoscis carnis tuæ imbecillitatem, te præcipitanter os tuum aperias; vt quod implere non possis, promittas. Quare si cernis, te non posse castitatem seruare, ieiunium aut pœnitentiam; ne cæca & absque consideratione proijcias te ad ea promittenda. Considera primùm: te degere in terra, magnis periculis ac tentationibus subiecta, Deumque cui voues, in cœlo esse tanquam testem & iudicem voti tui: neque existimes ei non esse prouidentiam omnium, quæ tu dicis aç facis: Deus enim noster non est sicut Dij gentium, de quibus ait Propheta Baruch: h *si quis illis votum vouerit, & non reddiderit: id non requirunt.* aut propterea puniunt. Deus autẽ noster seueriſſime illud exigit, vt protestatus est Moyses dicens populo: i *cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus. Etsi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Cùm igitur Deum decipere non possis, noli quærere excusationes, aut prætextus votum tuũ non implendi, aut moras trahendi, aut sine causa sufficiente dispensationem petendi: omnium enim horum rationem exiget ipse Deus. Grauia vincula (ait S. Ambrosius) esse, promittere Deo aliquid, nec implere: strictiorem enim esse contractum fidelitatis, contractu pecuniario. Redde igitur quod promisisti, antequam veniat exactor, teque in carcerem conijciat ob non solutum. Si autem vota tua cum prædictis conditionibus ediderís ac reddideris: ipsa te extollent ad altissimam perfectionem in terra; & obtinebis splendidissimam in cœlo coronam.

g *Eccles. 5.5*

h *Baru. 6.34*

i *Deut. 23.21 Vota Deo facta implenda sunt.*

Lib. 4. in Luc. circa caput eius 10.

Serm. 3. de Natiu. qui est septimus de tempore

CONCLVDAMVS hunc tractatum consilio illo S. Augustini: nos dulciter & confidenter voueamus; ille dabit possibilitatem, vt reddere possimus: nam quidquid illi promittimus, de illo speremus. & fortasse interrogatis me, quid debeatis hodie vouere, & reddere? sunt enim multi, qui vouent, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius vt vinum non bibat per aliquot annos: alius vt ieiunia certo tempore faciat, alius vt carnes non comedat: non est illud votum optimum, nec perfectum. Adhuc melius volo, hoc est; animam tuam, quam Christus hodie redemit. Et si interroges me,

quomo-

quomodo animam meam, quam ipse habet in potestate, ei offeram? Ego respondebo tibi, quomodo: moribus Sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis. Auertendo à malo, & conuertendo ad bonum; damnando vitiũ, amando Deum, diligendo proximum, impendendo misericordiam miseris, quia & nosipsi miseri fuimus antequam redimeremur; dimittendo illis, qui in nobis peccant, quia & nos omnes sub peccato fuimus; Superbiã calcando, quia per superbiam primus homo deiectus est; abijciendo inuidiam, quia per inuidiam decepit Diabolus genus humanum. Quæ cum ita sint, erigite animos vestros, & nullus sit siue liber, siue seruus, siue ingenuus, qui non hodie Deo votum offerat, simul & reddat: quia nimis miserum est, vt Deo aliquid non offeramus de nostro, qui animam suam pro nobis posuit. Nunc itaque quicunque iram contra alterum tenet, tantum propter amorẽ Dei dimittat: & bonum obtulit votum. si quis consueuit iam longa diuturnitate in luxuria volutari, resipiscat aliquando, & excutiat sordes suas per compunctionem, & clamet in corde suo in oratione secretius ad Dominũ: pijssime Domine, misericordissime Deus, sufficiat mihi, quòd huc vsque peccaui, quod contempsi, quod fœtoribus carnis meæ satisfeci, iam nunc te inspirante voueo, meã nequitia mea conuersusum; si quis fortè detrahere semper consueuit, & aliorũ actiones obloqui, nec suas respicere: voueat hodiè Deo in corde suo, & dicat: hucusque de alijs dixi, me non inspexi: ego eram miserior, & alios miseros existimabam, & ideo nunc sufficit: quod peccauit lingua mea, amodò emẽdare delibero. Si quis crudelem se sentit, misericordiam animi voueat Deo; si quis superbum, voueat humilitatem; si quis vino nimio est deditus, sobrietatem voueat. Et cùm omnia hæc feceritis, charissimi, offertis votum Deo placitum. Et post hæc veniet vobis benedictio; & vota vestra offerentur ante tribunal Christi. Putamus, quàm dulce est, quando vota nostra talia qualia diximus, Angeli, qui custodes vitæ nostræ sunt, ante conspectum diuinæ maiestatis obtulerint. Si aliquid offerimus homini terreno, & morituro: & tamen speramus, nos ab illo multum recepturos, & adiuuandos: si Deo autem aliquid de nostris moribus offeramus, quantum recipiemus! Hæc omnia S. Augustinus. Et quamuis in aliquibus loquatur de oblationibus, quæ non sunt promissa, aut vota, sed proposita, & firma animi decreta: erit nihilominus salubre consiliũ, voto se ad certũ aliquod tempus ostringere ad aliqua ex his operibus exercenda, vt sic reformentur mores, mortificentur vitia, & affectiones prauæ, quæ sunt in nobis infixæ valde & radicatæ: consulendo præcipuè rem, cum prudenti aliquo Confessario, eiusq; consilium sequendo; & reliqua documenta amplectendo quæ in sequentibus tractatibus proponentur, in quibus in particulari agetur, de reliquis consilijs Euangelicis.

Magna pro votis nostris recipiemus.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE STATIBVS CONTINENTIÆ ET VIRGINITATIS, & virtutibus illarum comitibus.

CAPVT I.

REFERVNTVR STATVS CONTINENTIAM PROFITENTES; *eorum gradus, vocationes, & pugnæ.*

PRÆCELLENS illa virtus, quæ communi nomine Continentia siue Castitas appellatur, varios complectitur status, quos sub eius vexillo in tribus Christianis Rebus-publicis Ecclesiastica, Religiosa, & sæculari militantes, ad sex præcipuos licet reuocasse.

S. Tho. 155. art 1. Ex Apostol. Gal. 5 n. 23.

1. *Status castitatis primus est religiosorum.*

PRIMVS status est RELIGIOSORVM, qui ad eam perpetuo seruandam voto se obstringunt: ita vt non solùm maneant inhabiles ad matrimonium sine peccato contrahendum; sed, si de facto contrahere attentent, matrimonium nihil valeat. *Secundum* locum tenet status ECCLESIASTICORVM ordine Sacro initiatorum: quibus eadem est obligatio coniuncta. Et quoniam Castitas hæc, vtriusque huius status est pars quædam; vocatio ad eam per eadem media dirigitur, per quæ ipsa vocatio ad statum religiosum, vel ad Sacerdotium: de quibus proprij instituentur inferiùs Tractatus. In hoc autem ea adferremus, quæ omnibus sunt communia: Nam etiam respublica sæcularis (teste Sancto Cypriano) complectitur tria genera personarum, eandem virtutem profitentium: quarum præcipuæ sunt VIRGINES, quæ ab ineunte ætate ad perpetuam castitatem seruandam sese obtulerunt, renunciantes licitis alioquin matrimonij voluptatibus, antequam eas experirétur: quarum multæ eam mentem speciali voto confirmant, vt in eo proposito seruando solidiores ac securiores fiant. Et quamuis flos hic iucundissimus Virginitatis nascatur & crescere incipiat in Re-publica sæculari: eadem tamen ratione ad Ecclesiasticam, & religiosam transfertur, vt re ipsa in *concluso* religionis *horto* securior seruetur. Et quamuis eadem in antiqua lege esset rarissima: nunc tamen in Ecclesiæ viridario est frequentissima. Cùm enim ipse eius sator Virgo fuerit, & ex matre Virgine natus: voluit innumeras

Li. de Disci. & de dono Pudicitiæ.

3. *Status sæcularium virginum.*

Cant. 4. 12.

in eo

in eo Virgines ſerere. *Quartum* locum obtinet ſtatus Vidvarvm. quæ primarum nuptiarum voluptates expertæ, ita ſecundis renunciant, vt ſtatuant reliquo vitæ ſuæ tempore continentiam ſeruare. Quæ miro quodam modo, dum aliquam iacturam faciunt, multum lucrantur. Nam matrimonij ſtatum per coniugis mortem amittentes, ſtatum continentium acquirunt, qui multo eſt præſtantior. in quem etſi non ſponte ſua ingrediantur, vt circa finem tomi præcedentis eſt dictum: pergunt in eo tamen conſeruando cum magna animi ſui voluptate, vt Deo ſuo magis placeant. Qui ſtatus in omni lege magni fiebat, vt apparet ex laudibus illis & benedictionibus, quibus Iſraelitæ ſanctam illam Iudith ſunt proſequuti, dicentes: a *tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri: eo quòd caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris: ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.* *Quintum* locum obtinent perſonæ Liberæ, quæ cogitant quidem inire matrimonium, ſed ſimul ſtatuunt continentiam, donec illud ineant, ſeruare; & hic infimus eſt caſtitatis gradus: ad quem ſeruandum ex ipſa Dei lege omnes tenentur, & ad omne genus fornicationis euitandũ. Vltimum locum demus Conivgatis non ſolum propter obligationem qua tenentur Caſtitatem coniugalem ſeruare, (de qua etiam in ſecundo tomo egimus:) ſed etiam, quòd vocatio diuina illorum ſtatum ad maiorem perfectionem duabus vijs extollit. *Altera* eſt, quòd poſtquam filium aliquẽ, aut filios genuerunt, vt matrimonij ſui finem conſequerentur, & familiæ ſuæ ſucceſſionem ſeruarent: ſolet Deus perpetuam poſtea continentiam illis inſpirare, quam communi conſenſu vterq; complectitur, vt Domini Dei ſui obſequijs amplius ſe dedant. quod (vt perpendit Euſebius Cæſarienſis) eluxit in multis antiquis Patribus. Nam b *Noe* (inquit) *genuit tres filios: & poſtea inuenit gratiam coram Domino.* cum quibus & eorum vxoribus ingreſſus in arcam, non legitur plures filios poſtea genuiſſe. c *Iſaac*, poſtquam ei *Rebecca* duos filios, vno partu edita eſt: non amplius ad eam acceſſit. Caſtus d *Ioſeph*, cum in Ægypto *duos filios* genuiſſet, antiquam ſibique familiarem caſtitatem coluit. e *Moyſes* & Aaron, quamuis duxiſſent vxores, filiosque genuiſſent, antequam Deus illis appareret; poſtquam tamen familiarius cum Deo agere cœperunt, non inuenitur, eos plures filios genuiſſe. Hæc & alia exempla adfert prædictus Doctor. Quidquid tamen de ijs exemplis fuerit: glorioſa valde eſt Caſtitas in coniugibus, poſtquam ſui matrimonij finem conſequuti ad excelſiorem ſtatum cupiunt aſcendere. Sed præſtantior ac glorioſior eſt *altera* via, qua Devs eundem ſtatum euehit ad maiorem perfectionem. Flos enim Virginitatis adeo eſt precioſus, & fragrans, vt voluerit Devs eum in omnes ſtatus transferre; eodemque ipſum matrimonium honorare, iuxta Iſaiæ prophetiam, dicentis de tempore Meſſiæ: f *habitabit vitulus cum*

4 *Status viduarum caſtitatis eſt.*

a *Iud.15,10.*

5. *Perſonarum liberarum ſtatus.*

6

a *Lib. 1. de monſt.*
a *Eua.c.9.*
a b *Ge.6.8.*
a
a c *ca.25.25*
a d *c.41.50.*
a e *Exod.2.*
a *22.*
a
a

Glorioſa caſtitas eſt in coniugatis.

f *Iſai. 62,5.*

cum Virgine, custodiente vtroque Virginitatem; in cuius rei exemplum adfert Glossa Ioſephum & Mariam, atque Crisanthum & Dariam. Voluit enim Christus Seruator noster, matrimonium & virginitatem honorare nascens ex matre coniugata & Virgine, vt coniuges intelligerent, se non excludi quin possint preciosissimum Virginitatis florem conseruare: quamuis res hæc sit rarissima; & quæ absque vocatione, valdeque singulari gratia, non possit obtineri.

Christus ex virgine & matre coniugata natus.

HI sunt sex continentiæ status in Catholica Ecclesia florentes, quorum causa de sua sponsa dixit sponsus; g *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* vocat autem spinas, multitudinem coniugum, quæ verè pungunt, & affliguntur oneribus matrimonij, educatione scilicet filiorum, & reliquis curis, quas status ille adfert. Eas vero, quæ continentiam profitentur appellat lilia, ob earum candorem, & castitatis pulchritudinem, & suauissimi odoris fragrantiam, quam in totam Ecclesiam emittunt. vt sic status hic tantum excellat alterum, *quantum lilium excellit* spinas. Nec vacat mysterio (vt in alio loco perpendimus:) quòd lilium sex habeat candidissima, & mollissima folia, totidemque virgulas aureas, & instar ignis inflammatas, quæ intra ipsa folia continentur, ad significandum sex genera castarum personarum prædicta: ex quibus ipsa Ecclesia constituitur ex ea parte, qua est congregatio purarum animarum, immaculati agni sponsarum; sex item gradus, actusve perfectæ castitatis, in operibus scilicet & actibus; in verbis tam proferendis, quam audiendis; in aspectu & reliquis sensibus; in cogitationibus, ac desiderijs internis; in euitandis omnibus occasionibus; ac denique in intentione, qua hæc omnia fiunt; non coactè aut ex necessitate, aut ob inanem aliquem & terrenum finem; sed amore ipsiusmet Castitatis, ac voluntate placendi ipsi Deo. Quare hi sex actus communes esse debent omnibus sex generibus personarum; adhibito studio, ne puritas corporis & animæ vlla re parua aut magna *ex iis*, quas insinuauimus inficiatur, sed consilio Sapientis fiat satis, qui ait h *omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Corpus (ait Sanctus Gregorius) cum omnibus eius partibus est animæ vestis: quod mundum & candidum seruatur, cùm ab omni genere turpitudinis & maculæ recedit: opus tamen est, vt superior spiritus pars, quæ est caput, oleo deuotionis & charitatis vngatur: vt ipsam castitatem comitetur. Id autem significant sex illæ virgulæ, quæ intra sex lilij folia continentur: vnusquisque enim Castitatis gradus habere debet proprium amoris & Zeli affectum, à quo dirigatur, exornetur, exstimuletur, magnumque feruorem accipiat, vt anima casta, i *Sancta sit*, (vt dixit Apostolus) *corpore & spiritu*, interiùs scilicet, & exteriùs; sicque k *cincta auro obrizo*, non solum ad *renes*, sicut Angelus ille,

g *Cant.2.2.*

Bonauent. in Dect. Sal. tit. 4.c. 4. Medic. 20. Part.1. Lilium sex folia habet & sex virgulas instar ignis.

h *Eccl.9.8. Lib.9. Mor. c.19.*

i *1.Cor.7.34*

k *Dan.10.5*

quem

quem vidit Daniel, sed etiam ad l *mamillas*, sicut alter ille Angelus, quem vidit Sanctus Ioannes: ad significandum, (vt ait idem Sanctus Gregorius) castitatem Euangelicam non solum cingere & constringere opera; sed affectus etiam ac desideria: mortificando carnis propensiones, sensualitatis passiones, phantasiæ imagines; & omnia inordinata cordis desideria. Sicut autem sex sunt Castitatis gradus: ita sunt sex actus mortificationis, illis respondentes. Mortificatur enim sensus tactus, ne tangat illicita; lingua, ne turpia loquatur; aspectus, ne inordinatè aspiciat, quod non licet desiderare; potentiæ interiores, ne prauas cogitationes & affectus producant: quod si aliqui oriantur, statim suffocentur, nullo adhibito eis consensu. Denique absque mortificatione hæc omnia strictè præcingente, non potest castitas esse stabilis: quæ, vt conseruetur, eo firmo animi decreto opus habet, vt potius velit sanguinem fundere, quàm puritatem maculare. Ac propterea Scriptura diuina dicit: m *ferculum Salomonis ex libani lignis* fabricatum, habuisse *ascensum purpureum*, qui color est sanguinis. Quæ autem sedes siue ferculum hoc est, nisi casta & pura anima, cuius castitas significatur per ligna, & cedros montis libani, quæ alba erant, fortia & quasi incorruptibilia. Gradus autem, quibus ad eam ascendebatur, cooperti erant purpura: non enim ad eam puritatem anima perueniet, in qua verus Salomon Christus D. N. sedeat, ac requiescat, nisi exercitia adsint mortificationis, quæ actus castitatis comitentur.

l *Apoc.* 1. 13 *Lib.* 21. *mor. c.* 2. *Castitas Euangelica constringit passiones Carnis. Sex actus mortificationis.*

m *Cant.* 3. 9

MAGNA præterea animi fortitudo pectusque inuictum necessarium est, ad pugnandum cum hostibus eam impugnantibus: agmini enim passionum in carne nostra existentium, duo alia accedunt: alterum ex ipso inferno, plurimas habens Dæmonum suggestiones, ipsas passiones stimulantes; alterum ex mundo, plurima offerens exempla praua, & occasiones carnalium, ipsas passiones nostras irritantium. Accessit quoque hæreticorum agmen, qui eius virtutis splendore, quasi excæcati, cùm non audeant eam aggredi, vt assequantur, & colant: eandem persequuntur & contemnunt: quare, nisi adsit magna animi fortitudo, non obtinebimus victoriam. Non tamen deerit prouidentia diuina in prospiciendo Castitati de tali comite, vt victrix expugnauadat: quemadmodum est præclarè delineatum ac depictum in decantato illo & solenni n *Salomonis throno, ex ebore confecto, & auro fuluo nimis vestito, cuius sedile tenebant duæ manus hinc atque inde, & duo leones stabãt iuxta singulas manus. Et ad sex gradus* quibus ad thronum ascendebatur *erant duodecim leunculi*, bini ad singulos, alter ad vnum latus, alter ad alterum. Ille, inquam, thronus (teste Sancto Bonauentura) figura fuit castitatis, vel animæ castæ, cuius symbolum est ebur, os scilicet Elephantis candidum, politum, solidum, & incorruptibile: & ipse Elephas est animal castum. Ac

Suggestiones dæmonis & mundus agmine castitatis inimica.

n 3. *Reg.* 10. 18. 2. *Par.* 9. 17.

Vbi suprà.

Vide Gl. ibi.

o Cant. 5. 14.

propterea in libro Canticorum dicitur: o *venter sponsi eburneus, distinctus Saphyris*, qui sunt lapides precioſi, coloris cœleſtis, virtutem habentes ad fouendam caſtitatem; ideoque ſignificant caſtitatem & puritatem ſanctiſſimæ eius humanitatis, varijs virtutibus, & affectibus cœleſtibus exornatæ, quæ illam ob eius pulchritudinem ac perfectionem comitantur. Ex hoc ebore conficitur ſponſi diuini thronus, anima ſcilicet caſta, munda & incorrupta; veſtita & exornata auro puriſſimo Charitatis; ſine qua caſtitas non habet pulchritudinẽ ſuam completam. Ad eundem thronum aſcẽditur per ſex gradus eburneos ſex ſcilicet gradus ac genera continentiæ prædicta. Sed quoniam magni ſunt hoſtes aſcenſum prohibentes proſpexit Deus duos leunculos, qui ſingulos gradus cuſtodiant, virtutem ſcilicet fortitudinis, cum duobus ſuis egregijs actibus, quos S. Thomas appellat *aggredi* & *ſuſtinere*: Aggrediẽdo ſcilic. magno animo hoſtes, cũ opus eſt os illis oſtẽdere; ſuſtinendo autem labores ac difficultates: ita vt eorum cauſa, virtus nõ flectatur, aut cedat. Alter etiam leonum ſtat ad latus dextrum, alter ad ſiniſtrum: quia fortitudo oſtendenda eſt, reſiſtendo rebus delectabilibus, quæ luxuriam prouocant; amplectendo verò aſperas, quæ ad caſtitatem conſeruandam conferunt. Quæ cùm ad maximam ſuam perfectionem peruenerit, eſt ſicut ſedile eburneum, in quo Rex Salomon ſedebat, quod duæ hominum manus, duoque magni leones ſuſtentabant. Suprema enim caſtitas ſecum habet manentem, & quaſi aſſidentem ipſum Deum ſponſum ſuum: qui ſua præſentia honorem ei, ſolatium, magnasque diuitias præbet. Sed ad ſuam conſeruationem duabus indiget manibus, noſtris ſcilicet operibus, & induſtrijs; & nominatim (vt Gloſſa ibi habet) operibus duplicis vitæ, Actiuæ & Contemplatiuæ: quibus conſeruatur, & alitur. Quæ manus non leonis ſed hominis erant, ad ſignificandum iudicium, quietem, diſcretionem & prudentiam, quæ neceſſaria ſunt ad Sathanæ aſtutias deprehendendas, & arte potius ac dexteritate, quàm violentia expugnandas. Quamuis propeipſas manus ſunt duo magni leones, hoc eſt, duæ inſignes virtutes, quas vocamus cordis *Magnanimitatem* ad egregia cœpta; & *Fiduciam* de omnipotentia diuina, vt eadem obtineamus; & in magnis ac periculoſis pugnis victores euadamus, ſcriptum eſt enim: p *Iuſtus quaſi Leo confidens abſque terrore erit*, neminem timens. Benè conſcius, quòd qui ipſum vocat ad continentiam, potens ſit ad præſtandum auxilium, vt illam ſeruet in eo gradu, quo ille iubet, aut inſpirat: non enim omnes ad eundem vocat, ſed altiſſima potius prouidentia vocationes diſtribuit fidelibus Eccleſiæ membris, alios vocans & inuitans ad hunc ſtatum & continentiæ gradum, alios ad alium: ingulis offerens neceſſarium auxilium & fauorem ad gradum ſibi inſpiratũ ſeruandum; quem magna animi promptitudine, cordisque lætitia amplectide-

Vide Martinum Delrio ibi.

Fortitudo neceſſaria in caſtitate. 2. 2. q. 123. a. 6.

Caſtitas in ſumma perfectione eſt velut ſedile eburneum.

Magnanimitas & fiducia duo leones ſunt. p *Pro. 28. 1.*

Vocationũ in caſtitate diuerſitas.

cti deberet, ipsum Dominum glorificans; qui vocare dignatur. Quemadmodum suadet Ecclesiasticus, exhortans ad huius celsissimæ virtutis exercitia, suauissimis hisce verbis: q *florete flores, quasi lilium; & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis.* Quasi distinctius dixerit: qui serio Deo vestro placere cupitis: cogitate, de eo scriptum esse; r *quòd pascatur inter lilia:* eo quòd familiaris eius consuetudo sit cum animabus castis. quare producite sicut lilium folia candida, & flores seu virgulas aureas: amplectentes excellenter omnia opera & affectus castitatis; suauemque boni vestri exempli odorem diffundentes; ad gloriam eiusdem Domini: quem meritò laudare ac magnificare debetis, eò quòd vos iuuet gloriosa adeò castitate florere, ne timeatis per eius gradus ad supremum vsque ascendere', si talem ascensum ipse Dominus inspirauerit: nam in vestram defensionem duodecim constituit leones; & duos alios multo adhuc maiores & fortiores: qui hostes vestros terrebunt. In auxiliũ vestrum venient Apostoli, qui Castitatem prædicarunt; Angeli, qui à natura sua illam possident, suntque ad eius custodiam destinati: quorum opera instar leonum erunt ad eam in vobis tuendam: & leo de tribu Iuda eandem quoque habet sub protectione sua, qui ad *lectuli* sui *custodiam sexaginta fortes ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimos* constituit, qui dæmones omnes terrebunt. Cõstitui te tanquam vestræ Castitatis exemplar eum Dominum, qui se ipsum t *lilium conuallium* appellauit; eò quòd de cœlo descenderit, vt castitatis & humilitatis esset Magister, ad solatium & consolationem humilium: in quorum cordibus flos hic adeò preciosus inuenitur, quare florete sicut lilium hoc, purissimam eius castitatem imitantes. O castitas suprema! si mortalibus innotesceres: quàm ab illis diligeris! quis laudes tuas nouerit recensere? aut quis tuas excellentias explicare? tu es flos legis Euangelicæ, corona Religiosorum. gloria Sacerdotum, honor Virginum, viduarum protectio, liberorum consolatio, & vnio quæ ligatos & coniugatos perficit. Tu es *lilium inter spinas*, & quidem tantæ pulchritudinis: vt nec Salomon cum omni gloria sua, tecum possit conferri. Te induit Agnus Dei, ex te natus est in terra, in te pascitur, & te vult habere comitem. Folia tua ipsæ stellæ mirantur; flores tui cœlos ipsos lætificant; & odor suauissimus Iustos omnes confortat. Tu es diuini sponsi lectulus, ac thronus: in quo suam ostendit maiestatem & amplitudinem; tu es ferculum, in quo ille cũ totius mundi stupore portatur; charitas te exornat; fortitudo comitatur; & preciosæ virtutũ gemmæ iucundè tibi associantur; & tanquam zona aurea magnam omnibus tribuis elegãtiam. Te prædicant Apostoli, Angeli custodiunt, & Iusti omnes venerantur: Sacri tui: u *Nazarei sunt niue candidiores, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo,*

q *Eccl. 39. 19 Deus animabus castis familiaris est.*

r *Can. 2. 16. S. Greg. ibi. S. Hier. Epi. ad Demetr.*

s *Cant. 3. 7.*

t *Cant. 2. 1.*

Castitatem omnes virtutes comitantur.

u *Thr. 4. 7.*

antiquo, Saphyro pulchriores. Chorus tuarum Virginum instar est ninis de cœlo cum summo candore descendentis: nam ab ipsa nativitate integritatem retinet virginalem, in qua per totam vitam cum magna excellentia perseuerant; viduarum chorus est tanquam lac, quod primùm fuit sanguis, pectoris autem calore albescit: primùm enim sequntæ sunt opera carnis in matrimonio, quas tamen postea diuinus Christi amor, eiusquè pectoris dulcedo puritate tua dealbauit. Chorus Sacerdotum est tanquam ebur antiquum quod ex antiquitate fit ex albo rubrum. nam veneranda sacri eorum Sacerdotij canities charitate eos & fortitudine induit, vt puritatem tuam pulchriorem reddat, ac defendat. At chorus Religiosorum est sicut x *Saphyrus*, & *quasi cœlum cum serenum est*: eo quod à mundi tempestatibus & tumultibus fugientes, ad stellatum Religionis cœlum confugiunt, vt cum maiori quiete, ac securitate tota sua vita illud possideant. ō Sacra y *Sulamitis*, pacifica, veri Salomonis sponsa, quid in te videbimus, *nisi choros Castrorum*, innumerabilium scilicet militum virorum ac mulierum, z *sequentium agnum quocunque ierit*, cum instrumentis musicis in manibus suis cantantium, pulsantium, pugnantium ac sine intermissione vincentium? Pugnant contra hostem tuam luxuriam, vincunt carnem suam, referunt de Dæmone triumphum, orant absque impedimento, concinunt diuinas laudes, & ex tuis victorijs gloriam Deo ipsi tribunt: Beati, qui sub tuo vexillo perseuerantes militant vsque ad mortem. Per te siquidem æternæ gloriæ coronam obtinebunt. Hæc in genere summa est rerum omnium, quæ spectant ad Professores continentiæ in varijs statibus, de quibus fusius, magisque in particulari agetur in capitibus sequentibus. Aduertant autem omnes: cùm conferemus excellentiam horum statuum, vnum alteri præferentes: id præcipuè esse intelligendum de vnius status cum altero collatione; non descendentes ad particulares personas, qui in eis statibus versantur. Nam, vt certum est, Continentium statum præcellere statum Coniugatorum; & Religiosorum excellere sæcularium: ita certum est, aliquem in statu coniugali excellere posse in Sanctitate aliquem continentem; & sæcularem aliquem, etiam religiosum. Ecellentia tamen ipsius status plurimum iuuat eius professorem ad Sanctitatem eius cum maiori suauitate, facilitate, ac perfectione consequendam, vt ex dicendis in singulis statibus apparebit.

x Ex. 24. 10

y Cant. 7. 1

z Ap. 14. 4.

Casti vsque ad finem vitæ, beati sunt.

CAPVT II.

Qua ratione Luxvria Castitatem *omnibus Christianis communem oppugnet, hæc vero illam vincat.*

PERPETVÆ CONTINENTIÆ status præsupponit tanquam fundamentum gradum illum castitatis, qui ita est omnibus Christianis communis, vt sine eo non liceat ad regnum cœlorum peruenire: cuius munus est, omnes cogitationes, desideria, verba, & opera coërcere, quæ in sexto & nono diuinæ legis præceptis sunt prohibita; ita vt omnibus vitijs ac peccatis sub luxuriæ vexillo militantibus (quæ est inordinata sensuum voluptatum appetitio) exactè resistatur. Ad hanc castitatem vocat Christus D.N. & inuitat omnes Christianos, offerens eis sufficientia auxilia ad eam, si velint, obseruandam: nam neq; liberum eis deest arbitrium, vt velint; nec possibilitas, & facultas deerit, vt eam reipsa obtineant. Nam quauis naturales vires ad id non sufficeant: ipse tamen Dominus noster semper est paratus, ad ferendũ auxilium, & gratiâ suâ diuinâ supplendum, quod liberi nostri arbitrij imbecillitati deest: ac proinde frequenter mittit cœlestes suas inspirationes, & illustrationes: aperiens seruis suis cœlesti lumine vilitatem & fœditatem luxuriæ, vt eam detestentur; & præstantiam ac pulchritudinem castitatis, vt eam ament, & complectantur: muniens eos potẽtibus armis, vt eius hosti resistere possint, quæ satis etiã munita, & ad pugnam præparata ipsos aggreditur. Nam (vt ait S. Augustinus) inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia Castitatis: vbi quoditiana est pugna, & rara victoria: grauem enim Castitas sortita est inimicum: qui quotidie vincitur, & timetur: nam etsi semel vincatur, non tamen omnino extinguitur; imo eadem, & interdum maiori vehementia, & impetu, quàm prius redire solet: hic hostis est quem S. Ioannes a *carnis concupiscentiam* appellat: (cuius feritatem ostendimus tractatu secundo tomi secundi) quæ vsus est satanæ ad impugnandum omne genus personarum, siue Ecclesiasticæ illæ sint, siue sæculares, religiosæ, coniugatæ, virgines, aut viduæ: varias eis suggerens tentationes: quasdam apertas, alias occultas, & quasi laruatas, iuxta cuiusque tentati dispositionem. Aliquando enim vehementius impugnantur, qui huiusmodi voluptates non sunt experti: quia fingitur illis multò maior iucunditas quàm reipsa sit: aliquando etiam tentantur grauiter, qui eas aliquando degustarunt ab earundem memoria; vt ad easdem reuertantur. Licet interdum ijdem non ita vehementem sentiant tentationem: eò quòd ipsa experientia opinionem illam minuat; & con-

Christus cælis auxilia confert sufficientia.

Serm. 250. de tempor.
" "
" "

1. Ioan. 2. 16

duriſſima ſunt prælia caſtitatis.

ptum quendam ipsarum voluptatum adferat. Sed omissis nunc pugnis & prælijs occultis, de manifestis dicamus, quæ omnibus sunt communia; ac de modo, quo potest castitas de eisdem triumphare.

§ 1. *Pugnæ Luxuriæ.*

Omnes inordinati appetitus sub luxurianti litant.

QVONIAM Luxuria vnum est septem vitiorum, quæ Capitalia vocantur, innumeros sub suo vexillo milites habet sibi adhærentes: omnes scilicet inordinatos rerum delectabilium huius vitæ appetitus. Quæ tela globos & sagittas suas ad quinque sensus iaculantur, ad excitandum fœdas in phantasia imagines; & alliciendum, ad easdem concupiscendas, vt turpibus voluptatibus potiantur. Duæ sunt horum militum classes; quidam enim sunt filij & progenies improbæ huius matris, & maledictę huius arboris fructus; alij sunt varia vitia, quæ accedunt, vt illam iuuent in suis votis explendis. Ex quo licet eius fœditatem ac feritatem deprehendere. Adeò enim illa est turpis, tantumque adfert horrorem: vt oculi casti nec videre illam possint, nisi laruatam; & honestis aliquibus tectam formis, quæ absq; tali horrore & offensione illam prodant. Siquidem, vt Apostolus dixit: a *quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.* ibi enim idolum ex sua faciunt voluptate: ponentes illud in templo Dei, hoc est, in suis corporibus, quæ magnum cum ignominia prophanant, & se ipsos dedecore afficiunt: eò quòd sese in bestias transforment, dū verè bestiales suos appetitus sequuntur. Cùm igitur arbor ex suis fructibus agnoscatur, qualis illa erit, cuius fructus (vt aiūt S. Gregorius & S. Isidorus) sunt cæcitas mētis, præcipitatio consilij, incōstantia in iudicio, exsolutio linguæ, & sensuum effrenatio, desiderium rerum præsentium, diffidentia de futuris obtinendis, tædium rerum spiritualium; inordinatus sui ipsius, suarumque propensionum amor; odium verò Dei, ea ipsis prohibentis. Decem hi fructus adeò pernicioſi sufficere possent ad arborem, quæ illos profert, detestandam: quibus illa vtitur, vt suorum desideriorum compos euadat. Sed audiamus alios decem, qui militum instar illis seruiunt ad castitatem impugnandam, quos præclarè sanctus Bernardus delineauit, declarans in sensu mystico currus illos, in quibus Pharao persequutus est populum Israel: quorū, vnus, inquit, est currus luxuriæ, qui quadriga voluitur vitiorum, ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollicie vestium, & otij soporisque resolutione. Trahitur autem currus iste equis duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantia: & qui his præsident, & aurigæ, qui eos gubernant, etiam sunt duo: gnauiæ torpor; & infida, ac cæca securitas. Hi calcaria minimè habent; neque flagella, vel aliquid huiusmodi; sed pro his vtuntur paruulo papilione siue conopeo ad faciēdam vmbram, & flabello ad citandum ventum: hoc est, dissimulatione, & obliuione curarum importunarum; ac delectatione inanis adulationis. Hic est præcipuus

a *Ephe 5. 12*

Voluptatis sectator in bestiam transformatur. Lib 31. Mor. c. 31. Lib. 2. de Sum. bon. c. 39. S. Tho. 1. 2. q. 152. a. 4. Serm. 39. in Cantica.

Vitia contra castitatem pugnantia.

Pharao-

Pharaonis currus in figura dæmonis, quo is grauiter homines oppugnat,& horrendam edidit in mundo stragem per hæc decem vitia, quæ S. Bernardus hic ihsinuat,ad eos Tyrannidi suæ subijciendos. Nam si rem altiùs repetamus:in hunc currum tempore Noe sunt ingressi omnes homines eius sæculi, non solùm,qui erant de genere Cain, & retinebant improbi parentis factorem; sed etiam qui originem à Seth trahebant, quos scriptura b *filios Dei* appellat,sed à sua nobilitate degenerarunt,vt fierent luxuriæ mancipia. Tantaque fuit morum corruptio, vt ad huius vitij incendium extinguendum,diluuium venerit,quod mundum submerserit,c *& consumpta est omnis caro,vniuersi homines*, &c. *cuncta, in quibus spiraculum vitæ erat in terra, mortua sunt.* In eodem curru vectæ sunt adhuc magis effrenatè Sodoma & eius sociæ,cõiungentes improbitatem hanc suam, (vt dixit Ezechiel),d *cum superbia,saturitate panis,& abundantia, & otio, nec manum egeno & pauperi porrigentes.*& hac ratione castitatem à suis finibus repulerunt. Et in hodiernum diem horrendus hic currus trahitur per virides,latosque mundi huius campos,per plateas & ampla sæculi huius fora, recipiens in se eos omnes, qui latam perditionis viam tenent,qui sunt innumeri. Maximam vero stragem edit in potentibus ac diuitibus:quorum vitæ facillimè vertuntur super quatuor eius rotis ducentes vitam more Epulonis illius auari,in comessationibus,& conuiuijs lautissimis,in vestibus mollibus & preciosis;sunt otij studiosi,& laboris hostes;delectantur diutius in mollibus lectulis dormitare, turpes suas quærentes voluptates, abutentes ad id omni temporalium bonorum prosperitate,& abundantiâ, qua effrenes post suas voluptates ferũtur, non indigentes calcari,ad eas persequẽdas impellenti Nam,vt dixit Ieremias,e *Equi amatores & emissarii facti sunt, vnus quisq; ad vxorem proximi sui hinniebat*:ex quo prouenit eis summus torpor,& ignauia ad res omnes salutis,ac simul falsa eius securitas:persuadentes sibi,diu se victuros,multumque temporis superesse,ad animæ negotia tractanda,ac propterea semper secum gestant conopeum aliquod,vt ab æstu,& rebus omnibus, quæ molestiam aliquã adferre possunt sese tueãtur:quærentes rationes & prætextus quibus vitia sua colore aliquo honesto tegant: vt cum minori conscientiæ remorsu peccent.Flabello quoq; vtuntur,socijs scilicet adulatorijs,qui illos recreẽt; & quæ malè faciunt, approbent, atque adeò propterea ipsos beatificent. hi sunt infelices illi apud Sapientẽ dicẽtes:f *Venite,& fruamur bonis,quæ sunt,& vtamur creatura tanquã in iuuentute celeriter,vino pretioso & vnguentis nos impleamus:& non prætereat nos flos temporis:coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; vbiq; relinquamus signa lætitiæ quoniam hæc est pars nostra,& sors nostra.*

Quod si distinctiùs adhuc nosse desideres feritatem & crudelia curru huius

b Gen. 6.2. *Impudicitia causa diluuij.*

c Gen. 7.21. *Impudicitia deleuit sodomam.*

d Ezech. 16 49.

Impuditia maximam stragem edit inter potentes.

e Iere. 5.8. *Impudicitia causat ignauiam in rebus salutis.*

f Sapie. 2.6.

Meretrix apocalyptica est Luxuria.

huius machinamenta; impudentiamque eorum, qui in eo vehuntur: audi quid S. Ioannes referat, in visione, quam habuit de quadam magna meretrice, quæ in sensu morali est ipsa luxuria: de qua primùm dicit, quod g *sedebat super aquas multas.* & postea addit: & *vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & cocco, & inaurato auro, & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis eius: & in fronte eius nomen scriptum: mysterium: Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ.* Quæ pictura magis propria esse potuit luxuriæ, quàm hæc sit mulier? & quod nomen aptius illi accommodari potest: quàm *mater fornicationum?* non ait fornicationis, sed fornicationum; quia duo sunt genera earum: quædam enim sunt carnales, quæ carne exercentur; aliæ spirituales, quæ fiunt spiritu: cùm inordinatè adhæretur creaturis, bonisque terrenis, cum iniuria creatoris: vt cum proprio gustu, quasi in pellicatu maneat. Atque nomen in ipsa fronte scriptum gerit: luxuria enim, cùm crescit, induit h *frontem meretricis*: nec solùm nó erubescit de sua peccata; sed potius i *quasi Sodoma illa prædicat.* Vestis quoq; ostendit eius carnalitatem: circumdat enim se purpurâ, auro, & lapide pretioso; vt hominum corda deprædetur. In manu quoque dextra, quasi prosperitatem & abundantiam promittens, poculum habet aureum, in quo vinum propinat abominandum fornicationum suarum, inuitans eos, vt vsque ad satietatem ex eo hauriant: quia poculum est magnum, &, quamuis multum bibãt: multum adhuc supererit hauriendum. Et quoniam carnalium hominum sitis nunquam satiatur: postquam, hausto hoc vino inebriantur: k *quando euigilabimus,* inquiunt, *& rursus vina reperiemus.* Tot verò sunt, qui ad hauriendũ ex eo poculo accedunt, vt numerari non possint: ac propterea S. Ioannes dixit: mulierem sedere *super aquas multas*: quæ significant l *populos multos* Meritò autem, aquæ appellantur populi, qui luxuriæ subijciuntur: eò quòd instar aquarum fluant, ac pereant; ipsamque, m *iniquitatem bibant tanquam aquam.* Luxuria enim est vinum: quatenus sensum lætificat, & inebriat; iudiciumque peruertit; & aqua: qua facit spiritum frigere, & charitatis feruorem destruit. Est tamen etiam ignis, quasi bituminis Babylonici, quod etiam in aqua ardet; & vix est, qui possit extinguere: quia nunquam dæmon cessat flare, vt non extinguatur. Ac propterea S. Ioannes dixit: mulierem illam *sedisse super bestiam coccineam*: hoc est, dæmonem, qui est illi instar currus & nauis, quâ vehitur per regiones hominum carnalium; & per aquas multas sensualium: quos instigat ad hauriendum vinum, ab execranda muliere in suo poculo oblatum. Septem capita significant multitudinem tentationum, quibus impellit ad septem luxuriæ species; quas S. Thomas appellat *fornica-*

Fornicatio alia carnalis alia spiritualis.

h *Ierem. 3.3*
i *Isai. 3.9.*

k *Pro. 23.35. Infinitus numerus impudicorum est.*

l *Apoc. 17.15*
m *Iob. 15.16 Luxuria est vinum.*

Bestia qua fert mulierẽ dæmon est.

n *2.2.q.154. art. 1.*

tionem

tionem simplicem. Adulterium, Incestum, Stuprum, Sacrilegium, Molliciem, Sodomiam, siue *bestialitatem.* Decem cornua sunt decem vitia prædicta: quæ tanquam instrumenta sunt, quibus animos hominum impugnat, vt illos ad sua vota pertrahat. Et quod huius meretricis impietatem, & nequitiam explet, illud est, quòd cum tanta securitate bestiæ illi insideat; & cum tanta rerum aliarum incuria, vt dicat in corde suo: m *Sedeo regina: & vidua non sum: & luctum non videbo.* Quasi dixerit nunquam mihi deerunt subditi, quibus imperem; nunquam videbo viduitatem meam, vt turpibus meis voluptatibus priuer; nec planctum experiar, aut tristitiam & amaritudinem.

Septem luxuriæ species.

Decem bestiæ cornua decem vitia significant.

m *Apo.* 18. 7

§. 2. *Vocatio ad fugam Luxuriæ.*

HINC INCIPIT vocatio diuina, opusque suum aggreditur cœlesti illa voce, quam idem S. Ioannes audiuit: a *exite à Societate improba illius mulieris populemeus, vt ne participes sitis delictorum eius & de plagis eius non accipiatis. quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatem, quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum accipiet tormentum, & luctum: ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames;* idque repentè cum illa in flore suæ prosperitatis existens, id minimè cogitabit: scriptum est enim: b *prosperitas stultorum perdet illos,* & c *cum dixerint, pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus* corporis & animæ. Et d *Angelus Domini mittet* meretricem illam *in mare* tanto impetu, quanto *magnus lapis molaris* exaltissimo loco ruit ad profundum; & pomposus eius currus e *descendet in profundum quasi lapis,* sicut currus Pharaonis; & exercitus eius. f *Tenent* (ait Iob) *tympanum & cytharã* in manibus suis, *& gaudent ad sonitũ organi. Ducunt in bonis dies suos, & in punctο ad inferna descendunt;* eo quod non aduertentes miseriam suam, sensim cadunt, donec se in ea immersos inueniant. & quoniam quasi repentè ab vno extremo ad alterum transeunt, hoc est, à magnis delitijs adgrauissimos cruciatus: multò grauiùs ferẽt repentinã adeò mutationem. Rotæ lasciuientis currùs ibi mutabuntur in rotas dolorum æternorum, rotantes ab his ad illos absq; vlla requie. Voracitati succedet esuries perpetua, & rabidæ sitis: ita vt neque g *aquæ gutta* eius detur, quà *linguam suam refrigerent.* Pro veste splendida, & molli lecto h *sternetur eis* (vt ait Isaias) *tinea; & operimentum eorum erũt vermes;* ardor turpium voluptatũ conuertetur in sempiternas flamarum ardores; otio & somnolentiæ, vigiliæ respondebunt sempiternæ & grauissimæ. Non inuenietur ibi conopeum vmbram faciens contra æstus intentissimos; nec flabellum frigidum excitans ventum: purè enim ac merè patientur, absque vllo vllius leuaminis temperamento. Quod si ita est, cur non refugis talem currum conscendere: cuius terminus & finis est cruciatus æternus? quòd si, quę tua est miseria & infelicitas, iam illum conscendisti: cur non exilire contendis, confractis

a *Apoc.* 18. 4

I.

b *Prou.* 1. 33
c 1. *Thess.* 5. 3.
d *Apo.* 18. 21

e *Exod.* 15. 5
f *Iob.* 21. 12.

Impij in punctο damnabuntur.

Omnia tormenta delicijs quibus peccauerunt habebunt contraxia.

g *Luc.* 16. 24
h *Isai* 14. 11.

etiam eius rotis, vt tot miserias euadas? quod si non valeas, omnes quatuor vno ictu confringere: incipe saltem ab vna: nam rotæ currus cum pares & integræ sunt, aliæ alias iuuant; sed vel vna confracta, reliquæ non ita bene vertuntur. Ita igitur si coniungantur gula & mollities, sensualitas & otiositas, currus luxuriæ volat: at si mortificationis malleo gulæ impetum confringas; aut nimias delitias, aut otiositatem occupatione ac diligentia excutias, currus ipse dissoluetur. Quid igitur dicam de *matre* ipsa *fornicationum*, quæ bestiæ illi insidet? Si enim bestia illa est ipse dæmon: quo tandem illam nisi ad inferni cauernas deducet; & si bestia est crudelis, & cruenta: quas crudelitates non exercebit in eam, quam tota vita aluit, vt in morte cruciaret. i *In vno die* (ait S. Ioannes) *venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam*, nec erit qui eius potentiæ possit resistere. Poculum, quod illa voluptatum vino plenum habebat, Deus implebit vino iræ suæ: cogetque vt totum illud exhauriat vsque ad feces, quæ vermibus scatent. De quo dixit ipse Saluator: k *in gehenna nec vermem eorum*, qui ibi sunt, *mori, neq; ignem extingui*: sed potius semper ardere, & semper cruciare; nec satiari vnquam; sed, cùm semper pugnant: nunquã tamen interficere; suis quæ morsibus tales inferre dolores; tales q; clamores, & gemitus excitare: vt duriores ac peiores illi sint ipsâ morte, quæ iucundissima ijs accideret, quos crudelissimus ille vermis mordet, vt tales cruciatus possent euitare. Quod si quæras quisnam iste sit vermis? respondeo esse cõtinuam miseriæ suę memoriam: quâ recordantur, & quasi vident, ob breuissimas & exiguas valdè voluptates se comparasse æterna & immensa tormẽta; & voluptates ipsas iam esse transactas, sed ipsa tormenta permanere. Neque est possibile contractum illum dissoluere eò quòd facta sit ipsa rerum traditio, & commutatio, & tempus pœnitentiæ sit omninò finitum. ac propterea Iob dixit, impudicorum l *dulcedinem esse vermes*, eò quòd omnes eorum voluptates conuertantur in vermes crudelissimos. *Decem cornua bestiæ odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam; & carnes eius manducabunt: & ipsam igni cõcremabunt*. ipsamet enim vitia, & res, quę fuerunt instrumenta libidinum eius, carnifices erunt hominum impurorum. Vir detestabitur fœminam, quam antea deperijt; & fœmina similiter virum: & vterque furiosa quadam rabie proprias carnes mordebunt: & quidquid in hac vita illis attulit solatium, erit tunc fomentum cruciatuum.

a.

i *Apoc.* 18. 8.

k *Mar.* 9. 45 *Ignis gehennæ æternus.*

Continua miseriæ memoria vermis est.

l *Iob.* 24. 20

m *Apoc.* 17. 16.

3. *Carnalium dulcedo vermis est. Lib.* 26. *Moral.* c. 29.

Qvod si oculos conuertas ad ea, quæ in hoc mundo geruntur: deprehẽdes etiam, vertissimum esse, quod carnalium dulcedo sit vermis. Nam & ipsi, & quod amant vt suis desiderijs satisfaciant, conuertentur in vermes, quemadmodum S. Gregorius præclarè his verbis expendit, Luxurioſi cuiuslibet, atque carnis voluptatibus dediti quanta sit cæcitas demonstratur,

cum

cum dicitur: *dulcedo illius vermis*. quid namque caro, nisi putredo ac vermis est? & quisquis carnalibus desiderijs anhelat, quid aliud, quam vermem amat? quæ enim sit carnis substantia, testantur sepulchra quis parentũ, quis amicorum fidelium sui quantumlibet dilecti carnem scaturientem vermibus tangere poterit? caro itaque cùm concupiscitur, pensetur, quid sit exanimis: & intelligetur, quid amatur. Nihil quippe sic ad edomandum carnaliũ desideriorum appetitum valet, quàm vt vnusquisque hoc quod viuum diligit, quale sit mortuum penset. Considerata etenim corruptione carnali, citiùs, agnoscitur, quia cum illicitè caro, concupiscitur, tabes desideratur. Hæc S. Gregorius. Est enim summi momenti, ad resistendum tentationibus sensualibus, ex aspectu, & memoria personarum & rerum delectabilium exurgentibus, conijcere statim oculos in vermes, in quos conuertentur. Vt scribitur in Vitis Patrum de quodam monacho, cùm grauiter tentaretur ex memoria pulchræ cuiusdam fœminæ, quam viderat in ciuitate; & postea audiuisset, illam obijsse: accessit ad eius sepulchrum, ex quo partẽ terræ vermibus plenæ in quodam linteo accepit, quod, cùm tentatio ipsum vexaret, naribus applicabat: & putredinis corporalis fœtore repellebat à se spiritualem luxuriæ fœtorem, & simul tentantem dæmonem vincebat.

„ *Carnalibus desiderijs inhærens amat vermes.*

„ *Quid quod concupiscitur pensandũ post mortem quale futurum.*

SED neque opus est, ipsam mortem expectare, vt verè cognoscatur, carnalium dulcedinẽ esse vermes. Nam etiam in hac vita sensualis voluptas cõuerti, solet in vermem rodentem, mordentem, cruciantẽ, ac dilaniantem; & ipsas fortunas instar tineæ inaduertenter consumentem: rodit enim ille famam & honorem tanquam caries quædam; consumit sanitatem & vires tãquam eruca; affligit miseram animam multis turbationibus & anxietatibus; pungit eam timoribus ac tremoribus, & conscientiæ remorsibus; aciudicij seueri, quod expectat terroribus: ita vt verè eius dulcedines in amaritudines conuertantur: vt propterea benè illis competat, quod vulgò dicitur: bonum bolum magnus sequitur clamor: nam etsi, cùm sumitur, delectat, & placet multo amplius torquet, postquam est sumptus. n Panis est luxuria, *qui in vtero* sumentis *vertitur in felis spidum*: o *vinum* est, quod dum bibitur, *ingreditur blãde: sed in nouissimo mordet vt coluber, & sicut regulus venena diffundit*. p *fauus distillãs* (ait Salomõ) *labia meretricis: nouissima autẽ illius amara quasi absynthiũ, & acuta quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt in mortẽ, & ad inferos* q *gressus eius penetrant*. Et alibi ait: q *inuenio amariorem morte mulierẽ*, cuius aspectus *est laqueus venatorũ, & sagena cor eius, vincula sũt manꝰ eius. qui placet Deo, effugiet illã: qui aũt peccator est, capietur ab illa*. Nã propter escã voluptatis in laqueũ incidit culpæ, & in rete angustiarũ, & in catenas, & carceres suarum passionũ furentiũ: ideoq; finis eius erũt cõpedes & custodiæ æternæ. Si aũt Deo placere cupias, animamq; tuam salũ facere: audi vocationem diuinam

4. *Sensualis voluptas vermis est in vita.*

n *Iob.* 20. 14
o *Pro.* 23. 31.
p *cap.* 5. 3.
q *Eccl.* 7. 27

inſpirantem, teque exhortantem, ad hoc deteſtandum vitium fugiendum ob innumera mala & miſerias, quas in ſe continet.

§. 3. *Caſtimatis pulchritudo.*

5. HINC ASCENDERE licet ad contemplandam pulchritudinem & amplitudinem Caſtitatis, triumphantis de hoſte adeò potenti: quam tamen non debemus ex ijs, quæ exterius apparent iudicare, ſed ad ea, quæ intus habet, reſpiciendum: clamat enim & apud omnes proteſtatur: a *nigra ſum ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis, nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol.* Voluit enim filiabus Hieruſalem dicere: quæ cupitis eſſe caſtæ, meamque felicem poſſeſſionem pacifice obtinere: attendite, me quidem exterius, & in ijs quę ab hominibus videntur, eſſe nigram; interius autem, & in ijs quæ Deus eiuſque Angeli vident, pulchram eſſe & formoſam, nigra ſum in initijs, cum valdè oppugnor; formoſa tamen in fine, cùm victrix euado. Nigra ſum ob triſtitias & afflictiones, quas in congreſſibus ſuſtineo; ſed formoſa ob delitias & ſolatia, quibus fruor in victorijs: ſum nigra ſicut tabernacula aſpera Cedar, ſiue Arabum: qui deſerta incolunt: eò quòd meam carnē caſtigem ieiunijs, ciliciis & corporis aſperitatibus: ſed ſum tamen formoſa ſicut pelles, & candidiſſimæ cortinæ lecti Salomonis, ob cādorem, & mollitiem. quam hac via in ſpiritu meo conſequor. Caro mea eſt tanquam tabernaculum Arabum, in quo non alij habitant, quam tortores, qui me perſequuntur. Spiritus autē meus eſt tanquam Regis Salomonis lectus, in quo ſponſus Ieſus Chriſtus requieſcit. Nolite in eo hærere, quòd in exterioribus ſum nigra: id enim prouenit ex ardoribus tentationum, ac tribulationum accendentium in corpore meo fomitem, & incentiuum peccati, in quo fui concepta; id permittente Sole Iuſtitiæ, vt nitidior, & candidior euadam. Hæc ait Caſtitas, vt homines vocet ac inuitet ad ipſam ſequendam & amplectendam, & tanquam ſolicita & ſtrenua bellatrix ſuum etiam currum munit cōtra currum Luxuriæ ad eam oppugnandam ac deijciendam. Apponit autem in eo quatuor ſuas rotas abſtinentiam ſcilicet, ab aliquibus eſcis, & vino; aſperitatem in veſtibus; odiū rerum, quæ ſenſus delectant; & amorem labor's, & continuæ occupationis, ne vnquam ſit otioſa Equi currum trahentes, ſunt Amor Dei, & ipſiuſmet virtutis; & ſpes præmiorum huius & alterius vitę. Aurigę ſunt Prudentia & Prouidentia in attendendo, & proſpiciendo, quæ neceſſaria ſunt ad fugiendas occaſiones; & meditatio veritatum, quæ in diuinis ſcripturis continentur. Et quoniam caro ſæpè rebellat, adhibent calcaria & flagella, quibus opportunè vtuntur: timorem ſcilicet iudicij diuini, & inferni; & zelum ſuæ ſalutis, & honoris cum timore infamiæ. Non adhibet cono-

peum

a *Cant. 1.5.*

Caſtitas nigra eſt exterius interius vero formoſa.

Currum contra luxuriam caſtitas inſtruit.

peum, nec flabellum: nam intrepidum potius ostendit os suum Soli, & tentationum ac tribulationum ardoribus. Ac propterea ait: se denigratam esse & laboribus benè assuetam; & in eisdem sustinendis valdè fortem ac constantem. Non exornat sese, sicut fornicaria illa Apocalypsis, vestibus sericeis, & preciosis gemmis: quia non quærit hominibus placere, sed ipsi Deo: huiusmodi ornamenta non arrident. Quod si quando ea admittat ob status decentiam: solet sub eis asperum induere cilicium exemplo gloriosæ illius Virginis ac Martyris Ceciliæ, quæ etsi vestibus, auro intextis vteretur exterius; tenerum tamen corpus cilicio domabat. Hic est preciosus Castitatis currus, qui Carni timorem incutit, ob rerum, quas continet, asperitatē. Ac propterea sponsa dicebat: b *anima mea conturbauit me propter quadrigas* & currus *Aminadab*: qui sunt virtutes Euangelicæ: & vocantur Aminadab, quod significat spontaneum populi mei, siue dilectum, aut qui magna voluntate populum meum diligit, qui est Christus D. N. cuius hæ sunt virtutes, & cuius amore, Spiritus cum magna oblectatione Castitatem amplectitur, etiam carne tremente. Cum tanto igitur apparatu Castitas bellum gerit contra luxuriam, eius currum confringit, equos eneruat, iugulat aurigas, & de omnibus suis hostibus triumphat. Vt autem maiorem resumat animum ad progressum in victoria, dat illi statim eius sponsus stupenda præmia. Loquens enim cum quodam Episcopo, qui in sua Ecclesia tolerabat quoldam impudicos, sequentes doctrinam Balaam, qui dicebat Balac mittere scandalum, mulieres scilicet Moabitas, coram filijs Israel, quæ illos ad fornicandum allicerent: Episcopum, inquam, ipsum exhortatur ad pugnandum contra eos, & vt zelator esset Castitatis, additque: c *Vincenti* in hac pugna *dabo manna absconditū, & dabo illi calculum candidū, & in calculo nomē nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, quasi illi dixerit: pugna viriliter aduersus carnalitatem omnesque eius fautores: si enim victoriam retuleris, remunerabo te manna quodam summæ dulcedinis recondito intra spiritum tuum, etiamsi caro eo non delectetur: sed in se erit adeò sapidum, vt nullus id possit agnoscere, nisi qui post ipsam victoriam illud delibat: magnus enim Deus noster nostræ imbecillitatis benè conscius, nouit (vt Sanctus Gregorius perpendit) neminem posse vitam suam absque delectatione, aut terrena, aut cœlesti transigere: cum igitur eius causa & amore tu renuncies carnis voluptatibus: prospicere tibi vult, remunerare voluptatibus cœlestibus, quæ multò sunt carnalibus præstantiores. Nam (vt sponsa dixit) d *meliora sunt eius vbera vino*, hoc est, suauius multo est lac diuinarum consolationum, quàm sit vinum carnalium delitiarum. Et quantum cœlum distat à terra, & spiritus à carne, & numers centenarius superat vnitatem; tantùm delitiæ Dei eas excellunt, quas adferunt creaturæ. Ac

Castitas carnem affligit.

b *Cant.6.11 S. Greg.lib. & S. Hiero. li.1. ad vers. Ionintan.*

c *Apo.2.17. Præmia sequūtur pugnam contra Luxuriam.*

Li.18. Mor. c.8. in id. Iob.27. Aut poterit in Omnipotenti delectari.

d *Cant.1.*

Collatio 12. c.12. & 13. Delectationes castitatis maximæ sunt.

propterea Cassianus dixit: delectationes perfectæ Castitatis adeò esse ingentes, vt qui eas non gustauerit, non possit agnoscere: qui autem delibauerit, non habebit verba, quibus illas explicet. Tanta enim est eius excellentia, vt e *neque oculus viderit, nec auris audiuerit, nec in cor hominis ascenderit, quæ præparauit Deus* ijs qui cum puritate *diligunt illum.* Aptè autem dicit, *non ascendere in cor hominis*: nam plus quàm hõmo sit necesse est, qui eas sit gustaturus excedet enim se ipsum in eo, quod suam carnem omnino sibi subijcat. Ad hæc in præmium tantæ victoriæ dat ei Deus calculum candidum cum illis excellentijs, quas à primi tomi tractatu quarto posuimus. Sed quis calculus magis precioſus, aut candidus, quam ipsamet castitas & puritas à Dei protectione confirmata, & sponsæ nomine exornata? cuius amplitudo adeò est excelsa, vt nullus eam nouerit, nisi sponsa ipsa, quæ illam recipit. de quibus in subiectis capitibus disseremus.

CAPVT III.

STATVS PERPETVÆ CONTINENTIÆ *cœlibibus, Virginibus, & viduis communis, eiusq; supra matrimonii statum excellentia.*

Duo genera hominum sub signo perpetuæ continentiæ sunt.

STATVS perpetuæ Continentiæ duo genera personarum complectitur: primum est eorum, quæ eam ita ab infantia sunt professæ, vt statuerint per totam vitam illam seruare, nec experiri vllam carnis voluptatem illicitam, aut licitam: qualis est in matrimonio: & hæ sunt, quas Virgines appellamus: secundum est earum, quæ post amissam Virginitatis integritatem: (siue id ex culpa euenerit, siue absque ea) statuerunt, perpetuò in posterum eam seruare: & vtrunque genus continetur sub generali nomine continentiæ, quam Latini cœlibatum appellant: quem horum temporum sectarij summè horrent, ac detestantur: contra quos Sacrum Tridentinum consilium tale decretum edidit: si quis dixerit, *Sess. 24. Can. 10.*

» » tum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus; &
» » non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm iungi matrimonio, anathema sit. Hæc veritas, quæ huius matariæ est fundamentum, confirmabitur in hoc capite rationibus ab Apostolo adductis, dum tres status inter se confert, & matrimonium in vltimo semper loco ponit. *a 1. Cor. 7. v. 38.* De *Virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino, vt sim fidelis: existimo ergo, bonum esse homini sic esse*, hoc est, non ducere vxorem. *Qui matrimonio iungit Virginem suam*

bene

benè facit, sed qui non iungit, melius facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit, quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod & ego spiritum Dei habeam. In quibus verbis duo Sanctus Apostolus inserit, quæ illa reddunt iucundiora & amabiliora. Alterum est, quod (vt Sanctus Hieronymus aduertit) cùm annuit, vt nubere possit: non addit, se Spiritum Dei habere; sed id hominis prudentiæ relinquit: quando autem ad continentiam exhortatur: ait consilium illud non ab humano spiritu, sed à diuino procedere: vt tanquam cœleste accipiatur & æstimetur. vt autem intelligeremus, eum non solùm verbis continentiam laudare & extollere; sed se quoque exemplo præcedere, accipientem sibi ipsi consilium, quod dabat alijs: manifestat, se, propterea quod illud fuisset amplexus, magnam à Deo *consequutum misericordiam.* Sed maiori adhuc spiritus feruore doctrinam aggreditur Virginitatis dicens: b *volo, omnes* homines *esse sicut me ipsum*, perpetuò scilicet castos: & vtinam omnes meam imitarentur continentiam: vt ego ipsius Christi continentiam imitor. Sed ô Apostole Sancte: si omnes homines casti essent, sicut tu es castus: quomodo mundus conseruaretur? Nam absque matrimonio non conseruaretur licitè: sed spiritus inebriatus Christianæ perfectionis amore, non tam respicit inferioris mundi huius conseruationem, quàm superioris augmentum: & pluris facit centum personas perfectas, quàm mille millium imperfectarum successionem & amplificationem.

Consilium diuinum est seruare continentiam.

b 1. Cor. 7. 7

Præcipve quod propagatio humani generis non cessabit propterea quòd laudetur, adeoque serio conseruetur virginitas. Nam (vt aptissimè Sanctus Hieronymus Iouiniano hæretico respondit) difficilis res est virginitas; & ideò rara, quia difficilis: quare pauci sunt, qui animum habeant ad illam amplectendam. Est enim c *lilium inter spinas*: à quibus ne pungantur, ipsum lilium relinquunt. Lilium est super epistyllia siue d *capitella columnarum templi*: & pauci sunt, qui animum habeant ad conscendendum, vt eius pulchritudine fruantur. Spectat quoque ad prouidentiam diuinam, hominum propensiones & vocationes ad omnes Ecclesiæ status distribuere; & ad hunc nominatim: nam sine eius speciali vocatione nemo poterit illum amplecti, vt postea videbimus.

Virginitas rara quia difficilis est.

c Can. 2. 1.

d 3. Re. 7. 16

§. I.

Status Virginitatis & continentiæ melior matrimonio.

1. Cor. 7. 32. S. Tho. ibi. Lect. 7: &

Hoc Iacto fundamento, astruit Apostolus Virginitatis & Continentiæ supra Matrimonium præstantiam & excellentiam: idque tribus efficacibus & pulcherrimis rationibus, quas S. Thomas deducit, & quarum hæc est summa. Quod ille status sit excellentior, qui magis est expeditus, iunctique ad plus amandum, & maiori cum feruore seruiendum

2.2.q.152. a.4.

I. *In virginitate melius seruitur Deo.*

dum Creatori nostro; qui finis est, in quem omnes conditi fuimus: finis autem debet esse mediorum regula: quemadmodum illud medicamentum censetur melius, quod ad sanitatem obtinendam, ad quam dirigitur, magis confert. Hinc igitur *prima* ratio oritur: nam quies & tranquillitas in puro DEI amore, & in rebus omnibus ad obsequium ipsius pertinentibus, meritò præferri debet anxietati & solicitudini circa res huius mundi. Cùm igitur continentium status sit ex se quietus & tranquillus, diuinoque seruitio totus dedicatus: præferri meritò debet statui coniugatorum, qui ex se inquietus & tumultuarius, ac in varias curas & solicitudines diuisus est, a *Vide*, inquit, *vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Huic soli rei attendit, suasque intentiones ac desideria in eã dirigit: nec habet impedimenta coniugũ: qui soliciti sunt, quæ sunt mundi, quo modo sibi inuicem placeant. Et quoniam tam viris quàm vxoribus difficilè satis fit: hæc cogitatio & solicitudo valde grauis est & anxia: cum tamen studium & solicitudo placendi Deo, quieta sit, & iucunda, b *omnes* enim alias cogitationes, curas & *solicitudines proiicit in* ipsum *Deum*, quarum *curam* in se recipit: est enim eius prouidentia valde attenta in bonum, & vtilitatem eius, qui de ipsius seruitio est solicitus. Felix, ait Sanctus Thomas, cuius votum est: vxorem fugere; cuius solicitudo est, Domino seruire; cuius intentio est, Deo placere. Nam in hac ipsa vita incipiet quæ te frui, quam in altera æternum est habiturus. Cumque sit gloriosum, diuitijs renunciare, vt soli DEO vacetur: gloriosius multo erit matrimonij voluptatibus renunciare, vt quis totũ se tradat ac mancipet æternis bonis conquirendis. Hinc *secunda* deducitur Apostoli ratio: ille enim status excellentior est censendus, qui ad altiores sanctitatis gradus hominem extollit: hoc autem facit continentia. *Nam mulier*, inquit, *innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Nam huiusmodi status quietus, & ab huius mundi occupationibus expeditus, eam impellit, vt meditationibus & rerũ cœlestiũ cogitationibus sese dedat; & cogitet, quomodo placeat Domino, quẽ in sponsũ accepit. Cõuertit enim omnem illã, quã habuisset, terrenæ sponso placendi solicitudinẽ, in eã, qua studet placere cœlesti, vt ita sit *sancta corpore & spiritu*: in operibus scilicet corporalibus, actiuæ vitæ; & in spiritualibus, cõtẽplatiuæ: sancta in illis virtutibus, quæ corpus contra vitia carnalia & quæ spiritũ contra spiritualia armant & ornant: sancta in Virginitate, & incorruptibilitate carnis; & multò ampliùs spiritus, tanquam c *Virgo prudens habens lampadem suam*, non solum integram & mundam exteriùs; sed intus etiam *oleo* charitatis *plenam*, quo ardet, accenso igne diuini amoris; & splendet lumine vitæ exemplaris: Deniq; vt sit sancta Deoque consecrata in omnibus, quæ habet, siue in corpore, siue in anima, tanquam vera sponsa: non

a 1.Co.7.32

b 1.Pet.5.7.

Ib. & 2.2.q. 125.art. 2. Fœlix est fugiens vxorem.

2. *Continentia facit hominem sanctiorem.*

c Mat.25.4.

Ser. in illud: cũ consummasset Iesus hos serm.

ian

iam sua, sed tota diuini sui sponsi. Mulier nupta (ait Sanctus Gregorius Nazianzenus) est Christi ex parte: at virgo tota Christi fit. Illa non se totam alligat mundo: hæc autem nullo modo se ei accommodat. Quod est pars quædam in nupta: est totum in Virgine. Quæ igitur Angelorum vitam elegisti, & in eorum choris connumeraris: ita puritatem serua, vt nunquam descendas ad vitam carnis. Non existimes (ait Sanctus Hieronymus) paruam esse Virginis amplitudinem & excellentiam, quod dicatur de illa, quod *cogitet quæ Dei sunt: vt sit sancta corpore & spiritu*: nam etsi nullam aliam mercedem haberet, sufficeret ei hæc sola prælatio, *cogitare quæ Domini sunt*: huius fructus est sanctitas carnis & spiritus. Nam Virginitas illa est hostia valde grata Christo: cùm neque cogitatio spiritum, nec luxuria carnem inficit, aut maculat.

Virgo tota Christi est, mulier ex parte.

Li. 1. aduers. Iouinianū.

Sed ne hoc videatur onus intolerabile, addit idem Apostolus *tertiam* rationem, dicens: *porrò hoc ad vtilitatem vestram dico: non, vt laqueum vobis iniiciam; sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* quasi distinctiùs illis dixerit, quod vos ad virginitatem & cõtinentiã exhorter, non id facio, vt vos illaqueare aut affligere velim: sed quòd id sit animæ vestræ magis vtile; & à laqueis, & lapsibus magis expeditũ; magis honestũ; & sanctũ, ac ab occupationibus liberũ: vt sic possitis ampliùs orare & familiatiùs cum Deo agere. Nam (vt ait Sanctus Augustinus) extinctus hostis, non tibi poterit nocere, & caro mortificata, non turbat animam; & quamuis matrimonium honestum sit, & sanctum: adeò tamen Virginitas illud excellit, vt Apostolus per excellentiam, *honestam* appellet & *sanctam*. Ac propterea Ecclesiasticus dixit: d *omnis ponderatio non est digna continentis animæ*: quia plura promeretur, quàm pro dignitate de illa dici possint. e *O quàm pulchra est*, ait Sapiens, *casta generatio cum claritate* virtutis: *immortalis enim est memoria illius: quoniam & apud Deum nota est & apud homines. f felix est incoinquinata, quæ nescuit thorum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* quando scilicet Deus illas visitauerit: & *spado* siue continens, *qui non cogitauit aduersus Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo* Dei *acceptissima.*

3.

Anima vtilis est castitas.

Refert S. Th. ibid.

d Ec. 26, 20.

e Sap. 4, 1.

f Sap. 3, 13.

Inter alia tamen dona, quæ Deus illi daturus est: illud est excellens valdè, ac glorioſum, quòd Apostolus vocat: g *facultatem sine impedimento Dominum obsecrandi.* Quid autem excellentius ac splendidius esse potest, quàm aditum habere ad cœlestem Regem absque vllo impedimento? quod si Oratio mater est omnium bonorum, & omnium gratiarum fons; & quæ reipsa omnes imperat virtutes: quanta erit illa virtus, cui facultas illa promittitur, *sine impedimento Dominum obsecrandi?* ô felix continentia perfecta, quæ orationis impedimenta mortificat, ac repellit! ô beata Virginitas,

g 1. Co. 7. 35

Aditus ad Regem cœlestem datur castis.

h Ro.8. 26.

quæ aditum patefacit ad agendum familiariter cum Deo! Sed quid mirum, quod hoc præstet continentia, quæ animam ipsam (vt paulò infrà videbimus) ad sponsæ Dei eleuat dignitatem? cui propterea nulla est occlusa porta, quandocunque velit cum suo sponso conuersari; & cum h *Spiritus* sanctus existat in omnibus iustis, qui sunt eius templum, excitans illos adorandum clamoribus *& gemitibus menstrabilibus*; potiori iure erit in Virginibus & continentibus, quæ sese in viuum eius templum consecrarunt: talisque orationis donum inspirabit, qua castitatis suæ ornamentum impetrent, & protectionem: cùm enim eaadeò grauiter oppugnetur: non potest absque orationis armis protegi, ac defendi.

§. 2.

PRÆDICTAS continentiæ excellentias vltrà modum extulit Isaias Propheta ad consolationem continentium, quos vocat *Eunuchos*, ob eos defectus, quos pati videntur: eò quòd nuptijs renunciauerint. Qui defectus, vt plurimum sunt tres: *Solitudo* scilicet: eò quòd societate viri aut vxoris careant, qui subsidio & auxilio ipsis sint in aduersis; *sterilitas*, eò quòd prolibus careant, quæ ipsos exhilarent, & in quibus ipsorum memoria permaneat: ex qua sequitur *tertius*, quòd scilicet familiæ successio finiatur; & nomen, quod in terra habere poterant, pereat. Sed quid Deus dicit per Prophetam. a *ne dicat Eunuchus: ecce ego lignum aridum. quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meū: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Hoc enim dicere voluit: noli tristari anima, quæ perpetuam colis castitatem, quasi frustra in mundo maneas tanquam arbor arida, & absque vllo fructu. Si enim tua Castitati custodiam addideris legis meæ, & reliquas virtutes: ego te faciam arborem viridem, ad aquarum fluenta plantatam; feresque fructus dulciores, magisque glorioſos, quàm si filiorum multitudinem haberes nam collocabo te intra domum meam: vbi nunquam tibi iucunda mea societas desit; & intra muros Ecclesiæ meæ militantes ac triumphantis locum dabo eminentiorem, quàm coniugatis, qui fructum proferunt multorum filiorum; & *nomen*, famamque valde glorioſam, quæ non finietur tempore, sicut illa finitur, quæ per matrimonium & proles obtinetur: erit enim nomen æternum, quo in cœlo meo semper frueris.

a Isai. 56. 3.

Deus promittit Castis eminentiorem locum in cœlis quam coniugatis.

S. Greg. 3. p. Past. admonit. 29.

Hoc genus Continentium (ait Sanctus Hieronymus) videtur sterile, sed re ipsa non sterile, sed valdè fœcundum est: expugnat enim regnum cœlorum illudque violenter rapit: hoc festa semper custodit, nunquam attendens ad carnalium nuptiarum opera. Idem eligit quod Deus vult; plus præstans, quàm iubeatur. Nam etiam consilia amplectitur. idem custodi;

in Isa. 56. & Epist. ad Philemon. Casti cœlum violenter rapiunt.

pactum sempiternum; quia non solùm ad tempus abstinet, vt orationi se dedat; sed semper abstinet: quia eidem orationi semper se addicit. Et ita eminentem valde locum in templo, hoc est, in eius Ecclesia, occupat. Hoc intra muros domus Dei stationem habebit valde celebrem: erit enim quasi turris fortissima, & gradu Sacerdotali dignum, ad plurimos spirituales filios, loco carnalium generandos. Hæc (ait Sanctus Augustinus) excellentia illa est, quam Isaias Nomen appellat: nam quemadmodum homines, & agnoscuntur, & distinguuntur suis nominibus: ita continentes distinguuntur quodam nomine ab alijs, non temporali, sed æterno: quod nunquam peribit, nec est alijs commune, sed ipsorum proprium, cum singulari aliqua eminentia. & quondam hoc erit nomen, nisi (vt ait Sanctus Basilius) nomen quoddam Angelicum, quod pro humano recipiet? vocabuntur Angeli in terra, & filij Dei per excellentiam. sponsæ diuini verbi, electa spiritus sancti templa, parentes spirituales multorum filiorum, quos diuino suo sponso generabunt. Hæc sunt b *noua nomina*, non inania, sed plena sanctitate; quam significant: quæ (vt ait Isaias) ipsiusmet *Domini os nominauit*, & c *scripta* sunt (vt ait S. Ioannes) *in calculo candido* castitatis: vt sic eam remuneret, & honore afficiat ob præclaram eius victoriam.

Li. de S. Virgin. c. 25.

L. de vera virginitate. Spiritus sancti templa casti sūt.
b *Isai. 62. 2.*
c *Apoc. 2. 17*

Non itaque existimet continens: se *frustum esse aridum* & inutile: non enim est tale, sed arbor viridis, valdeque frugifera. cuius fructus multum superant eos, quos alijs proferunt status. Coniugati (ait Sanctus Hieronymus) d *dant fructum trigesimum*, viduæ *sexagesimum*: duplicatum scilicet, propter suam continentiā; at virgines dant *fructum centesimum*, qui perfectionis valde excellentis est fructus. Quod si dixerimus cum alijs sanctis Patribus: fructū sexagesimum virginibus attribui; centesimū autem martyribus, vtpote eminentioribus: respondebit diuinus Ambrosius, laudans Virginitatem non eo solo nomine, quod in Martyribus inueniatur; sed quòd ipsa, inquit, Martyres faciat. Et Sanctus Hieronymus: Castitatem bene custoditam, ait, suum proprium habere martyrium ex pœnitentijs & afflictionibus voluntarijs, quæ carnem cruciant: vt sit spiritui subiecta. Eadem facit etiam Martyres martyrio sanguinis: quia multæ Virgines sese offerunt ad sanguinem fundendum, vt puritatem & integritatem suam conseruent. &, quod amplius est, multi illustrissimi Sancti sanguinem proprium fuderunt, vt alienam defenderent castitatem. Neque exiguum est indicium, quanti Deus illam faciat: quòd voluerit, Apostolum & Euangelistam Sanctum Matthæum crudele sustinuisse Martyrium ob defensionem virginitatis Sanctæ Iphigeniæ. ō Virginitas glorioſa, quæ tribus summæ gloriæ laureolis coronatur: vna, propria obi eius integritatem; & duabus alijs propter excellentias, quæ illam solent comitari: Docet enim tanquam Magistri,

Continentes fructus adferunt præstantissimos.
Li cont. Ioui. d Mat. 13. 8 S. Aug. lib. 1. de qq. Euan. c. 9. & S. Hieron. in Apolog. pro li cōtr Ioui. S. Tho. 2 2. q. 152. ar. 5. ad 2. Amb. li. de Virginibus.

veritatem filios, quos generat: quam ne amittat, sanguinem suum, tanquam Martyr profundit. Sed quoniam perpetua puritas per se ipsam est summa amplitudinis & gloriæ: par erit fusiùs explicare speciales, quibus illa exornatur, excellentias.

CAPVT IV.

SPECIALES STATVS VIRGINITATIS *excellentiæ.*

NOT SVNT, adeoque admirandæ Angelici Virginitatis status excellentiæ, vt insigniores Ecclesiæ tam Latinæ, quàm Græcæ Sancti atque Doctores, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Basilius, Chrysostomus, & alij similes attentius inuigilauerint in cõscribendis de ea libris, quamuis, vt ipse S. Ambrosius dixit, omnes fuerint valde parci in eius laudibus referendis, eò quòd multò sint excelsiores, quàm humana ratio assequatur. Honori sibi tribuant, dum viuerent, eandem apud vniuersum populum prædicare: ostendentes exẽplo suo quod illi commendabant; vt fideles audientes, & videntes: ad eandem alacerentur, & in sponsam accipere delectarẽtur: & parum sibi esse existimantes, quòd essent diuinæ huius vocationis instrumenta ad eos vocandos, qui tunc viuebant, & aderant; scripserunt etiam libros, quibus idem officium apud absentes præstarent, etiã in sæculis futuris vsque ad finem mundi. Ex his igitur fontibus breuem quandam summam deducemus singulariumq; premæ huius virtutis amplitudinum: vt, qui eam possident, ex corde gaudeant; & ad eandem conseruandam magis animentur. Ita tamen eius priuilegia referemus, vt non excludamus alia valde similia, quæ Castitatis perpetuæ professionem comitantur, licèt non habeant sibi coniunctam Virginitatis integritatem.

Li. 1. de Virgin. in initio

Virginitatis status antiquissimus. I.

PRIMVM: si felicis virginitatis status antiquitatem aspiciamus, dicet nobis S. Ambrosius, nullum esse hoc statu antiquiorem, & omniũ esse primũ. Nam prius, inquit, est, quod nati sumus, quàm quòd effecti, electione scilicet nostræ voluntatis: natiuitas enim facit Virgines; electio coniugatos. Nõ contemno (inquit S. Hieronymus) nuptias tanquam malas; sed tanquam minus bonas: & eas potiùs laudo; sed eo nomine, quòd mihi Virgines generẽt: ideoque ex spinis colligo rosas; ex terra aurum; ex conchilia gemmam; & ita ex matrimonio virginitatem.

Epi. 31. ad Siricium.

Epi. 22. ad Eustochium de Cust. Vir.

2.

IN statu innocentiæ instituit Deus matrimonium: sed priùs florebat virginitas, eaque durauit toto tempore felicis illius status. Adam enim & Eua, teste hoc sancto Doctore, ante peccatum, & quam diu fuerunt in

Li. 1. ad aduers. Iouin.

Paradiso, Virgines erant: post peccatum autem, & extra Paradisum vsus cœpit matrimonij: nuptiæ enim terram, virginitas cœlum condit. Necessarium quidem fuit matrimonium ad humani generis propagationem: & hoc nomine antiqui Patres illud elegerunt, quamuis non defuerint aliqui raræ perfectionis, qui Virginitatem amplecterentur.

Adam & Eua virgines fuerunt in paradiso.

In Lege enim naturæ vixit Melchisedech Sacerdos Dei altissimi, quem Abraham fuit veneratus, & S. Ignatius Martyr eum recenset inter professores Virginitatis. Prætereo hic opinionem, & æstimationem, quam gentes, ipso lumine naturali ductæ de virginibus habuerunt, tanquam de ijs, qui propriam suam naturam vincerent: quibus ipsemet Deus ita fauebat, vt stupenda quædam per eas ederet, & prophetiæ donum illis largiretur, vt apparet in Sibyllis.

3. *Epist. ad Philadel. In lege natura floruit virginitas. Vide S. Hieronym. contra Iouinia.*

Eadem Opinio & æstimatio Virginitatis fuit in lege scripta, in qua non defuerunt viri illustrissimi, qui eam amplecterentur. Inter quos idem S. Ignatius, & alij Patres numerant Iosue, Eliam, Elisæum, Danielem, & eius tres socios; & quos Scriptura filios Prophetarum appellat, quibus etiam Deus singulariter fauebat, vt ostenderet, placere sibi eorum castitatem. Quis (ait S. Ioannes Damascenus) in antiqua lege cœlos clausit & aperuit? quis mortuos suscitauit, quis Iordanem diuisit? quis raptus est in paradisum? *nonne Virgo Elias?* & successor eius Elisæus, eò quòd ipsum in castitate imitabatur, a *duplicem eius spiritum accepit.* an non tres illi pueri, Castitatis cultores in ardentem fornacem missi, flammas illas per eam vicerunt? & ipse Daniel, an non Virginitate confortatus, leonum dentibus restitit? an non cum Deus voluit sese Israelitis ostendere fuit illos sese continere? & cum Sacerdotes in templum se conferrent ad offerenda sacrificia: an non Deus iubebat castos accedere? magni igitur Deus semper fecit castitatem.

4. *In lege scripta floruit virginitas.*

Lib. 4. Fide Ortho. c. 25 a 4. Re 2, 15 Danie. 3. 50 & cap. 6. 22 Exod. 19. 15

Quid autem dicemus de lege gratia? si Moyses, (ait S. Hieronymus) qui legem antiquam significat, vxorem habuit: eius successor Iosue nullam habuit: vt significaretur: post antiquam legem, virginitatem in lege noua pulchros flores edituram. Ex Zacharia & Elisabetha sanctis coniugibus ortus est Baptista, qui fuit semper virgo: nam ex coniugio oritur virginitas, & ex lege Euangelium: vt vnus Propheta & præcursor virgo baptizaret in Iordane Christum Virginem: qui præcipuus fuit excelsi huius status Institutor in Ecclesiæ suæ paradiso, magnos fauores exhibens eum suscipientibus, cum priuilegijs valdè singularibus. Voluit enim nasci ex matre semper Virgine: vt esset illa Virgo virginum, & omnium earum Dux ac Regina. Eiusdem sponsum voluit esse Virginem; suum præcursorem virginem; ac discipulum dilectissimum etiam virginem cui ob eius virginitatis priuilegium, potestatem fecit, in vltima cœna recumbendi in sinu suo: cui etiam in cruce, pen-

Li. bi. cõtra. Iouini.

In lege gratia plurima fuerunt Virgines. Christus ex matre virgine natus est. S Hieronymus ibidem & cap 56. Isai.

dens matrem suam commendauit: neque enim matrem Virginem alteri, quam discipulo Virgini commendare decebat.

Apostoli multi virgines fuerunt.

EANDEM castitatem professi sunt Sancti, Andreas, Iacobus maior, & minor, Lucas, & alij scholæ eius discipuli: quamuis etiam elegerit S. Petrum coniugem, vt sic ostenderet se non damnare matrimonium. Et ob eandem causam in monte Thabor adduxit Moysen & Eliam suæ Transfigurationis testes, in Moyse matrimonium, & in Elia virginitatem honorans: et tribus tamen discipulis, quos secum in montem tunc ascendere voluit, vnus fuit coniugatus, duo autem virgines. Nam ad excelsum perfectionis montem celerius ascenditur per viam virginitatis, quàm coniugij, Et huius transfigurationis adeò glorioſæ cupidi, statim puritatem amplectuntur. Et quemadmodum (ait sanctus Basilius) qui perfectè sunt casti, sæpè ad tertium vsque cœlum rapiuntur, vt euenit S. Paulo, qui etiam fuit virgo; & antequam Christum agnosceret, honori sibi ducebat ipsam castitatem. Et Elias (ait S. Ambrosius) fuit etiam in curru igneo ad cœlum translatus: patria enim virginitatem colentium non terra est, sed paradisus. Hic habet corpus, ibi verò spiritu habitat: inde enim venit Adamus cœlestis, qui hoc virgultum in terra plantauit, vt aliqua in ea esset ipsius cœli participatio.

Lib. de Virginit.

Lib. 1. de Virgin. Patria virginum cælum est.

§. 1 *Similitudo eius cum Angelis, cum Deo, & cum Christo.*

Virginitas efficit similes Angelis.

EX HIS licet aliam virginitatis, & perpetuæ Castitatis excellentiam deducere: nam manentes adhuc in terra efficit nos Angelis cœli similes, habentes puritatem ex gratia, quam illi habent per naturam; & incipientis ex hac mortali vita excellentiam participare glorioſæ resurrectionis: in qua (vt ipsemet Saluator dixit) non erunt nuptiæ, sed omnes iusti a *erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Aspice igitur distantiam cœli à terra; & Angelorum à mortalibus: & inde agnosces, quantum castitas præstet matrimonio. Nam (vt ait sanctus Ioannes Damascenus) quanto Angelus hominibus superior, tanto virginitas nuptijs honorabilior. Per eam (ait sanctus Cyprianus) virgines incipiunt esse statim, quod nos futuri sumus postea: habent in hoc sæculo gloriam resurrectionis; transeunt per hunc mundum absque eiusdem mundi contagio: & quamdiu virgines perseuerant, sunt Angelis similes. His addit sanctus Basilius: non esse quoscumque Angelos, sed illustriores: qui mortalium vitam honorant, ac tuentur: quasi dixerit eos esse humani generis honorem, & hominum custodiam ac tutelam. Nam propter ipsos, & in eorum gratiam Deus homines custodit, multaque beneficia eis confert, Sanctus Isidorus plus adhuc

a *Mat.* 22. 30

Lib. 4. Fide c. 15.

Tract. de Disciplin. & Habitu Virginum.

Lib de vera Virgin.

Lib. 2. de summo bono c. 40.

addit

addit: quòd virginitas non solum facit homines Angelis similes; sed etiam æquales. Id quod est conforme sententiæ ipsius Saluatoris, dicentis apud S. Lucam: in cœlo, vbi nuptiæ non sunt, fore homines b *æquales Angelis, & filios Dei, cum sint filij resurrectionis*, translatiue in aliud esse glorioſum, Et quamuis omnes Iusti sint hic filij Dei: at casti singulariter excellunt: eò quòd filio eius vnigenito Iesu Christo D. N. magis assimilentur.

Sed amplius adhuc hoc exaggerat sanctus Chrysostomus, dicens: virginitatem facere homines, ipsis Angelis quodammodo superiores. Hi enim (ait) quòd nō nubant, id fit, quòd neque carnem habeant, neque sanguinem; nec habitent in terra tot miserijs referta; nec sint cupiditatibus & sensuum voluptatibus subiecti; nec opus eis sit comedere, & bibere; nec eos possit dulcis sonus, & suauis musica, aut speciosa aliqua pulchritudo emollire: At homo castus, his omnibus subiectus, & Angelis in viribus & fortitudine inferior: studet violentiam sibi inferre, & ipsos Angelos in puritate imitari.

In quo existimas fuisse discrimē Angelorū ab Elia, Elisæo, & magno Baptista habitantibus in desertis absq; vlla cum hominibus communicatione & familiaritate? minores quidem illi erant ipsis Angelis: eò quòd mortale corpus gestarēt: sed in eo maiores erāt, quod in corpore adeò mortali ac patibili vitam ducebant; quasi impatibilem ob suæ Virginitatis puritatem. Idē confirmat sanctus Bernardus, dicens: castitatem & perfectionem hominum magis esse admirandam, quàm Angelorum: quatenus in fragili carnis vase, tot pugnis ac periculis subiectæ prælucet. Sicut mirum non erat, quod c *Angelus* in fornace Babylonica cum tribus pueris manens, non combureretur horrendo illo incendio: quia non habebat corpus verum, sed tantum apparens: quod autem tres pueri, veram habentes carnem, non combureretur illis flammis, magnum erat Deo omnipotentis prodigium, vt postea videbimus. Denique communis est Sanctorum Patrum vox, quà perfectam castitatem virtutem vocant Angelicam: eâ enim homo excedit se ipsum; & ita in carne viuit, quasi purus esset spiritus, iuxta Apostoli regulam dicentis: d *in carne ambulantes, non secundum carnem militamus*: nullum enim à carne, in qua viuimus, stipendium habemus; nec vitam nostram legibus & placitis carnis, sed spiritus instituimus & gubernamus.

Ex his infert S. Basilius (vt à pluribus rationibus adducendis abstineamus, & omnia simul & breuiter dicamus:) virginitatem facere hominem simillimum incorruptibili Deo: eò quòd puritas corporis & animæ, quasi duæ alæ illum eleuent, vt diuinam similitudinem in se recipiat, ad instar limpidissimi cuiusdam speculi diuinitatis radijs illustrati. Quamobrem dicit Sapiens: e *incorruptio facit esse proximum Deo*. cùm enim homo Deo coniungitur, efficitur vnus spiritus cum ipso diuino.

Virgines æquales Angelis sunt.
b *Luc. 20. 36*

Lib. de virgin. c. 11. 12. 78. & 79.
„ *Superiores*
„ *Angelis*
„ *reddit*
„ *virginitas*
„ *homines.*
„
„
„
„
„

Serm. super id: Hæc est generatio quærentium Dominum.
c *Dan. 3. 49*
Perfecta castitas virtus Angel. est. S. Martial. epist. ad Tolosanos. S. Hieron. epist. 12. de virgin. & lib. de virg. S. Aug. lib. de Sanct. virg. c. 13. d 2. Cor. 10. 3
Virginitas facit hominem Deo simillimum.
e *Sap. 6. 20.*

Sed

Virgines prope sunt Christo.

SED quoniam similitudo cum diuinitate valde ostenditur ex ea, quæ habetur cum purissima eius humanitate; & is est propriè Deo, qui & ipsi Christo: audiamus, quæ S. Ioannes refert ad hoc propositum de ijs, qui colunt virginitatem: *& vidi*, inquit, *& ecce agnus stabat supra montem Syon, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audiui sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit.* O felices & beatos qui in adeò perfecto & selecto numero cõputantur, profitentes virginitatem, cui Agnus Dei sex illos fauores exhibet qui hic recensentur. Et quamuis S. Ioannes viros tantum nominet: sub eodem tamen numero (vt S. Cyprianus aduertit) computantur etiam fœminæ, quas virginitas reddit Viragines. Felices sunt, eò quòd cum ipso agni conscendant præcelsum montem Sion: quia sese erigunt ad heroicas eius virtutes imitandas; amplectentes cum magno feruore perfectionem, quam ipse docuit: & eidem sese coniungentes per cõtemplationem & amorem. Sunt etiam felices, eò quòd in frontibus suis scriptum gestent nomen eiusdem agni IESV, patrisque eius cœlestis: protestantes, se iam non suos esse sed ipsius Dei, & Christi Domini in ipsis habitantis; honori sibi ducentes quòd operibus suæ Castitatis fidem sui Redemptoris profiteantur; & gloriantes, quòd nomen habeant filiorum Dei, & fratrum Iesu Christi. Sunt item felices, ob suarum vocum sonum, quo tanquam tonitru dæmones, cum quibus pugnant, terrent; Angelos verò cum quibus conuersantur suarum virtutũ melodia recreãt. Et quoniã ipsorum corpora tanquam citharæ sunt multarum chordarum siccarum extensarum, & consonantium, eò quòd cõtinuis suis mortificationibus suauissimam edãt harmoniã. Sunt felices, eò quòd soli dicere possint *canticum* illud *nouum*, & participes esse specialium gaudiorum, quæ virginitatem seruantibus promittuntur. Reliqui Iusti (ait S. Gregorius) canticum illud audire quidem possunt, sed non proferre: charitas enim facit eos gaudere de amplitudine Custorum: ad quam tamẽ peruenire nõ possunt. Sunt etiã felices, eò quòd precioso agni sanguine sint redempti: quẽ ita illis applicat, vt singulari puritate, & pulchritudine eas abluat; & ex communi hominũ gradu seligat ad tantæ amplitudinis participationẽ. Sũt deniq; felices ex eò quòd *sequantur agnum quocunq; ille ierit*: nam, cùm sint virgines, nulla virtus supereſt, in qua non possunt illum imitari. Pergite (inquit sanctus Augustinus) ô Virgines constanter vsque ad itineris

Vide Viegas.

Lib. de Discip. & habitu Virgin.

Nomen agni in frontibus portant virgines.

Tertia pars Pastoralis. Admonitio. 29

Virgines sequuntur agnum quocunque ierit.

Lib. de Sancta Virgin.

vestri

vestri terminum, vos enim ad nuptias, agni canticum adfertis nouum, quod citharis vestris, hoc est, vestris cordibus, diuinis laudibus dedicatis, cantabitis. Non erit g *canticum nouum*, quale dixit Dauid, vt *cantet omnis terra*, sed tale, quod soli vos cantare possitis. Pergite sequentes agnum, sed quò peruenturum eum speratis, vt sistat? vbi sunt ingentia gaudia, non sicut huius mundi inania, aut gaudia communia reliquorum Sanctorum in cœlo; sed magis singularia & propria Virginum, quæ sunt de ipso Christo, in Christo, & cum Christo, post Christum, & pro Christo, & ipsimet Christo. Reliqui Iusti habent sua gaudia de Christo; sed non qualia hæc sunt. Sequantur Agnum, non quocumque ierit; sed quò ipsi possunt peruenire: possunt quidem in loco omni eum sequi; non tamen, quando ille cum Virginitatis pulchritudine progreditur. Hæc S. Augustinus: quibus speciale præmium explicat, quod *laureolam virginitatis* appellamus. Sed audiamus, quæ S. Athanasius ad eandem confirmanda addit. Si quæ in hoc mundo nubunt, ait, relinquunt patrem, & matrem, suam, & adhærent viro suo: quanto felicior est Virgo quæ terrena omnia deserit, & adhæret, & coniungitur Deo suo, semperque sequitur eius agnum? O Vtrginitas! corona quæ nunquam marcescit, templum Dei, Sacrarium Spiritus sancti, gemma pretiosissima, vulgo hominum abscondita, à paucis inuenta, à multis odio habita, à solis dignis optata. O continentia, mortem destruens, possidens verò immortalitatem. Tu es gauoium Prophetarum, gloria Apostolorum, vita Angelorum, & corona Sanctorum. Beatus qui te obtinet, & constanter retinet, modicum enim pro te laborabit, & plurimùm in te ipsa gaudebit.

Lib. de Sancta Virgin. c. 27 & sequent.

g *Psal. 95. 1.*

„ Singulæ
„ ria sunt
„ gaudia
„ virginum
„
„
„

Lib. de Virgin. siue de Meditat.

„ Virgo soli
„ Deo nup-
„ ta viro
„ suo ad-
„ haret.
„
„
„
„

§. II.

Nuptiæ cum Christo.

EX HAC SANCTI Athanasij similitudine aliam possumus deducere Virginitatis excellentiam, desponsationem scilicet perfectissimam, quam celebrat cum Deo suo: de qua Apostolus: a *desponsi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Quasi dicat ego fui internuncius, & mediator, vt vestram virginem castam tradatis vni viro, qui est Christus. Quæ virgo propter hanc desponsationem *sequitur agnum quocunque ierit.* Quemadmodum enim vxor tenetur speciali quadam ratione virum suũ sequi, quocunque ille iuerit; & ad vitam suam simul cum eo ducendam, ita vt non sit inter ipsos loci disiunctio, nec habitationis, etiam intimi recessus, ad quem non pateat illi aditus: ita casta & Sancta anima, eò quòd Christo sit desponsata, eum sequitur, quocumque ierit, tanquam eius comes indiuiduus, exercens se Sanctis meditationibus; & in eius præsentia semper ambulans, in feruenti oratione: quam sponsus in b *suo introducit cellaria*, & in ipsam c *cel-*

Virgo Christo desponsatur.

a 2. Cor. 11. 2

b Cant. 1. 4

c Cant. 2. 4

d Ps. 30. 21. Tract. 1. c. 16

lam vinariam precioſorum vinorum, & d *abſcondit in abſcondito faciei ſuæ*, quò non accedit ſtrepitus hominum. Quod ſi dicas: dignitatem ſponſarum communem eſſe omnibus animabus in gratia Dei exiſtentibus, vt primo tomo dictum eſt. Reſpondebo: in domo diuini Salomonis varios eſſe mulierum ordines, nam e *Sexaginta* (inquit) *ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & Adoleſcentularū non eſt numerus. Vna tamen eſt columba mea, perfecta mea.* Nam in ſpiritualibus hiſce nuptijs varij ſunt ſponſarum gradus. Locum vnum illæ tenent, quæ, cum in ipſam caſtitatem aliquando deliquerint, poſtea per pœnitentiam ſurrexerunt; has ſequuntur Coniugatæ, & poſtea viduæ: at virgines ſunt tanquam Reginæ, excelſiores magisque dilectæ: eò quòd cum tanta dexteritate ſe gerere ac gubernare nouerint, vt puritatem in omni perfectione ſeruauerint: ſequentes Virginum Reginam, Virginem ſcilicet ſacratiſſimam, quæ per excellentiam eſt *vnica columba*, & omnino *perfecta*. Pulcherrime hoc totum proponitur in pſalmo 44. in quo agitur de nuptijs filij Dei cum Eccleſia, cuius titulus eſt: *Pro iis, qui commutabuntur filius Core Canticum pro dilecto*: quem tamen titulum Sanctus Hieronymus, ſequutus hebraicam lectionem, vertit: *victori pro filiis liliorum &c.* qui, vt ſuprà eſt dictum, ſunt illi, qui virginitatem profitentur, & colunt, ſignificatam per lilia, in quibus Chriſtus vincit, & ex hominibus Angelos facit. Et in ipſius pſalmi progreſſu, cum dixiſſet: f *aſtitit Regina a dextris tuis*, eamque præclarè laudaſſet, addit: *adducentur Regi Virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.* Quod ita S. Ilarius filius explicat: adducentur ad conſpectum cœleſtis Regis virgines, quæ ipſam Reginam ſequuntur; & quæ proximè, per maiorem ſcilicet imitationem ad illam accedunt, coram te comparebunt. Omnes cum lætitia & exultatione venient, & in Regis æterni templum ingredientur; eo quod non ex neceſſitate, aut coactè, ſed ſponte, & magna cum animi voluptate virginitatem ſunt complexæ. Ac propterea nunquam diſcedunt, à præcipua ipſa Regina, & Chriſti ſponſa, ipſa ſcilicet Eccleſia, ſed in ea ſequuntur Reginam Virginum, quæ eſt ſanctiſſima eius mater, & perueniunt vsque ad ſanctum ſanctorum: quò non ingrediuntur pedes culpa aliqua maculati. Hæ ſunt virgines prudētes, quę habentes accenſas lampades, & rebus neceſſarijs ad eas conſeruandas, benè præparatæ, g *exeunt obuiam ſponſo, & ſponſæ, & intrant cum eis ad nuptias*, non quaſi domeſticæ famulæ; ſed tanquam præcipuæ partes myſtici corporis Eccleſiæ, quæ eſt ſponſa agni, ac propterea & ipſæ tanquam ſponſæ cum eo celebrant ſpirituales ſuas nuptias cum ingenti lætitia in præmium, quòd carnales reſpuerint. Præclarè hoc declarauit ipſamet ſponſa in libro Canticorum, dicens: h *dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus*

e Cant. 6. 7

Virgines in domo Dei reginæ ſunt. Pſal. 44. *ibi.*

f Pſal. 44. 10. 15. *Homil. in eundem Pſalmum.*

g Matt. 25. 10. *Virgines procedunt obuiam Chriſto.*

h Cant. 6. 1.

dilectus mihi, qui pascitur inter lilia, & sensus est: descendit maiestas Dei ad visitandum conclusum Ecclesiæ suæ hortum, in quo variæ sunt areolæ florum fragrantium, diuersi scilicet status & gradus Iustorum; vt odore, & sapore sanctatum eorum vitarum sese recreet: Sed præcipuè afficitur pulchritudine & odore liliorum, hoc est virginum, quas sibi ipsi colligit: eum in medium, quo quis decerpit pulchrum aliquem florem ex viridario, vt secum gestet, eiusque odore recreetur. Neque his contentus, more & ingenio cerui (de quo dicitur quòd pascatur lilijs, eoque pastu plus quàm alio delectetur, & in viscera sua immittit) pascitur & ipse huiusmodi lilijs, quæ intimi amoris vnione sibi tanquam suas sponsas coniungit: ex quo prouenit: vt tenerrimè sibi dicant: *dilectus meus mihi, & ego illi*. hoc est totus ille meus est, & ego tota illius: ille mecum vnitus est, & ego cum eo: eò quòd vterque simus vnus spiritus: & ille vult quod ego volo, quia ego non volo, nisi quod ipse vult: omnes meæ res sunt ipsius; sicut etiam res eius sunt meæ. Mea est eius omnipotentia, ad defensionem meæ puritatis; mea est Sapientia, ad astutias Sathanæ deprehendendas; mea est prudentia, ad meam lampadem ornandã; & meæ sunt eius virtutes, quibus ego diter, & glorioſis obtineam victorias. ô virtus glorioſiſſima, quis tuos aperiet thesauros, quos in te contines! Continentia (ait S. Cyprianus) est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia solicita non est, cui placeat, nisi sibi; pudicitia semper verecunda, dum innocentiæ mater est: pudicitia semper ornatur solo pudore, benè sibi conscia de pulchritudine, si improbis displicet: pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est.

Hæc nos commendat Domino, connectit Christo, hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit: beata ipsa, & beatos efficiens, apud quoscunque habitare dignatur, & infrà: Virginitas æquat se Angelis, si verò exquiramus, etiã excedit, dũ in carne luctoriam, & contra naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas casta, quid aliud est, quã futurę vitæ glorioſa meditatio? Virginitas neutri sexus est: virginitas est perseuerans infantia: virginitas est voluptatum triumphus: virginitas filios non habet, sed quod plus est, filiorum contemptum habet; non habet fœcunditatem, sed non habet orbitatem: fœlix, quòd est extra partus dolorem; felicior autem quod est extra funerum filiorum calamitatem. Et infrà Nihil animum fidelem sic delectat, quàm integra, immaculata pudoris conscientia: Voluptatem vicisse, voluptas est maxima; nec vlla maior est victoria, quam ea quæ à cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit fortior fuit altero: qui libidinem repressit, se ipso fortior fuit: qui inimicum postrauit, externum hostem percussit: qui cupiditatem

In Ecclesia variij sunt status iustorum. Vide Mart. del. Rio. ibi.

Christus amore intimo sibi iungit virgines.

Omnia Dei bona virginibus communia sunt. Lib. de disciplı. & Bono pudicit.

,, *Virginitas infantia perseuerans.*

Mala facilius vincuntur quam voluptas.

ditatem deprẽssit, hostem domesticum superauit. Malum omne facilius vincitur, quàm voluptas: quia illud quicquid est, horridum est; hoc blandũ est. Hæc Sãctus Cyprianus, quã ob rẽ anima castitati affecta, iure optato cãtare poterit canticũ illud Ecclesiæ primæuæ: i *gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: & indumento lætitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratũ corona, & quasi sponsam ornatã monilibus suis.* Nõ satis sibi esse existimauit, quòd se Dei suæ sponsam appellare: sed nouo etiã alio nomine *sponsum* nũcupauit vt nouã aliam desponsationis spiritualem cũ ipsamet castitate insinuaret, firmum cum ea pactum ineũdi: quod eam diligere vellet ac tueri; eiq; fidelis esse omnibus diebus vitæ suæ. Eum in modũ quo dixit Salomon, se constituisse, k *assumere sapientiam sibi sponsam amator factus formæ illius* Et in Vitis aliquorũ Sanctorum legitur: apparuisse ipsis Sapientiam & Castitatẽ in habitu virginum pulcherrimarum: seseq; in sponsas offerentium; & ad semper illis conuiuendum & cohabitandum. Vocat autẽ se sponsum *decoratum corona*: eò quòd ad hanc adeò firmã & iucundam desponsationem non peruenitur, nisi post strenuam cum castitatis hostibus pugnam; & obtentam coronam, quam promeretur eius victoria. Et quemadmodũ sponsus debet sponsam suam splendidis vestibus: preciosissimis monilibus ornare: ita debet castitatem ipsam, quam accipit in sponsam ornamentis reliquarum virtutum, & gẽmmis præclarorum operum exornare. Quamuis enim ipsa per se adeò sit pulchra & elegans, vt diximus: si tamen nuda sit, nec his ornamentis induatur, non placebit sponso cælesti, qui regnum cælorum simile dixit esse decem Virginibus, quarum l *quinque fuerunt fatuæ*, eò quòd lampades suas oleo non exornassent. Et meritò (ait Chrysostomus) eas appellat *fatuas*, quæ cùm graviores conflictus superassent: in leuioribus succubuerunt; & custodientes corporis integritatem, per lampadem significatam: eam non exornarunt, oleo charitatis & misericordiæ, quæ tempore rationis reddendæ suam agnoscent stultitiam, cùm se in tenebris esse videbunt, lampadibus extinctis; & illudentur, sicut is m *qui cœpit turrem* perfectionis *ædificare, quam non consummauit*; & iactis cum magnis expensis adeò præclaris fundamentis, non erexit super ea muros ædificij. Virgines autem prudentes, suas lampades exornant, & replent oleo Sanctorum operum deuotionis ac misericordiæ, quibus ignis charitatis fouetur & alitur: quo Virginitatis lampas mirũ in modum resplendet. Nec sunt cõtentæ, quod corpora sint n *præcincta*, sed gestant quoq; *lucernas ardentes in manibus*, sic ornantes cingulum Castitatis splendore Sanctorum operum, vt ad cælestes nuptias admittãtur. Sed quoniam spiritualis hæc desponsatio multò excellentior obtinetur in statu religioso: cùm de eo agemus, proponemus ea, quæ ad eius amplitudinem pertinent.

Castitas post prælia cum eius hostibus sequitur.

i *Isaiæ.* 61. 10

k *Sapi.* 8. 2.

l *Mat.* 25. 1 *Homil* 79. *in Matt.*

m *Luc.* 14. 30.

n *Luc.* 12. 35

CAPVT

CAPVT V.

VOTVM PERPETVÆ CASTITATIS, EIVS EXcellentia, & commoda.

QVAMVIS Virginitatis, & Continentiæ tot sint excellentiæ ac prærogatiuæ, vt hactenus dictum est: eædem tamen multò amplius extolluntur, si voto confirmentur, quo quis se obstringit Deo D. N. ad perpetuò illam conseruandam, quisque in suo gradu. Nam (vt S. Augustinus aduertit) votum potest addi & comitari sex Castitatis gradus in primo capite indicatos. Splendet autem vehementer in Euangelica lege, postquam verbum diuinum exiens ex sinu Patris, a *descendit sicut pluuia in vellus*, viscera penetrans Sanctissimæ matris suæ in conceptione & natiuitate, absque vlla integritatis ac puritatis Virginalis læsione, eum in modum, quo b *ros* è cælo delcēdens receptus est *in solo vellere* Gedeonis *quo expresso absque* vlla eius læsione, *concha fuit rore impleta*. Sed magnum est mysterium, quòd illud vellus non dicatur fuisse ouis aut agni carni coniunctum, sed ab ea extractum: tale enim erat illud Gedeonis, ad significandam supremam Virginitatis excellentiam. Castitas enim absque voto, est sicut vellus carni adhærens, à qua pati potest mutationes & varietates; suique iacturam etiam absque peccato, seruiendo operibus carnis in matrimonio: at Virginitas & castitas cum voto perpetuo, est tanquam vellus à carne separatum absque vlla spe iterum se eidem coniungendi. Votum enim inhabilem illam facit, ne carnis operibus amplius seruiat: quasi esset Angelus sine carne viuens: Huic simile vellus fuit Virgo Sacratissima Domina nostra: quæ non fuit contenta proposito perpetuæ Virginitatis conseruandæ, sed votum adiecit expressum eam perpetuò seruandi: quia Dominus noster gloriosa adeo promissione illam præparabat ac disponebat, vt digna esset eius mater. Nec diu distulit, eam promissionem facere, nam statim atque diuinum hoc vellus separari cœpit à carne, & sanguine, deserens paternam domum, & cognatorum Societatem, cùm ætatis esset trium annorum, & in Dei templo præsentata: statim constituit hanc secessionem suam non fore sicut aliarum virginum, quæ ad aliquot tantùm dies ibi manentes; posteà nubebant: sed ipsa, spiritu sancto illustrata, votum edidit, nunquam virum cognoscendi, suamque perpetuam virginitatem eidem consecrauit, accipiens eum in vnicum & perpetuum suum sponsum. Et quamuis Dominus noster iustissimis ex causis iusserit, eam nubere S. Iosepho: erat tamen (vt S. Aug. & S. Greg. Nissenus dicūt) certa, ex eiusdem Dei reuelatione, quòd ille sponsus adiuturus illam esset votum suum seruare; in quo permansit semper cum summa firmitate,

In Psa. 75.

a *Psa. 71. 6. & Ecclesiast: sicut pluuia in vellus descendisti.*
b *Iudicum 6. 37.*

Votum facit inhabilem ad opera carnis.

I.

Vide Suarez. tom. 2. Disput. 6. in 3. P. S. Tho. 3. P. q. 28. a. 4.

Lib. de S. virgin. c. 4. Homil. de Natiuit.

mitate, vt omnes Patres deducunt ex ipsius virginis sanctissimæ responso, quod dedit Gabrieli Archangelo dicenti sibi, quod esset conceptura filium Dei. Dixit enim: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* quia scilicet obstricta sum, eum non cognoscere; nec mihi licet vel agere, vt ea via mater fiam. Et (vt S. Augustinus perpendit) disposuit Dominus noster, vt virgo sanctissima virginitatem suam prius Deo consecraret, quàm sciret, qui esset conceptura. Nam nasciturus de matre Virgine, voluit potiùs sanctam Virginitatem oblatam approbare, quàm eam imperare. Vt sponte potius ac libere semper assumeretur, quàm ex aliqua necessitate. Et etiam, vt hinc appareret (quod S. Bernardus ait) insignis opinio amorque Virginis sanctissimæ ad ipsam Virginitatem: quæ, etiam promissione adeo excellenti sibi proposita, quod esset mater Dei futura, indicium dedit excusationis, propter promissionem, quâ se obstrinxerat, non cognoscendi virum.

c *Luc. 1. 34. vide Bellar. tom. 1. lib. de Mon. c. 21. Suo. ref. supra Lib. de San. Virgin. Serm. 4. super Missus est, & in illud. signum magnum.*

2. Ad Hæc ipsemet Christus, omnis perfectionis Magister, non solum Castitatem consuluit; sed eius etiam seruandæ votum: quod Sancti Patres deducunt ex illa parabola, in qua dixit: quemadmodum d *aliqui sunt Eunuchi*, hoc est impotentes ad matrimonium, & filiorum generationem, vt *quòd de matris vtero sic nati sunt*; vel quòd in eandem iniuriâ vel operâ *hominum* inciderint: ita esse alios, *qui se ipsos castrauerunt*, & impotentes reddiderunt *propter regnum cœlorum.* Non enim impotens appellatur, qui sponte & libere non vult matrimonium inire; sed qui voto se obstrinxit, quo se impotentem reddidit, ad illud ineundum sine peccato. Ex quo licet colligere quemadmodum Christus D. N. in rebus omnibus exemplo suo præcesserit, ita cum Virginitatem consuluit, & custodiuit esse versimile, & credendum, ipsum etiam se voto obstrinxisse, siquidem illud consuluit. nam in omnibus virtutibus elegit optimum, & excellentissimo modo, quo exerceri illæ possent. Cum igitur Virginitas voto consecrata, sit excellentissima: cur suam non consecraret? Quamuis enim ipse, vtpote Dei filius, & beatus non opus haberet, se ipsum votis ligare, vt in suis virtutibus firmus esset & constans: nobis tamen opus erat eius exemplo, quod imitaremur, ad nosipsos obstrigendos, vt postea videbimus.

d *Matt. 19. 12. vide Bellar. c. 24*

Impotens est qui voto se obstrinxit.

Christus in omnibus virtibus elegit optimum.

3. *Maximum* autem est certum: Apostolos (in quibus lex Euangelica erat in omni perfectione expressa) voto se hoc obstrinxisse; reliquosque fideles idem docuisse, & consuluisse: cùm constet. Apostolum reprehendisse qualdam e *viduas volentes nubere*: quas dicebat *habere damnationem, quia primam fidem*, quam Christo D. N. dederant, voto quo se ad continentiam seruandam obstrinxerant, *irritam facerent*, ita enim multa concilia, & Sancti patres locum illum interpretantur. Ex historijs etiam Ecclesiasticis constat S. Mathæum Apostolum persuasisse S. Iphigeniæ, vt se hoc voto virginitatis

Voto castitatis fuerint obstricti Apostoli. c. 1. Tim. 5. vers. Carthagin 4 c. 104. Vide Bellar.

obstrin-

obstringeret; & S. Paulum, Teclæ; S. Martialē, S. Valeriæ; S. Clementem Flauiæ Domitillæ: & S. Dyonisius Ariopagitta ait, professores vitæ monasticæ consueuisse promittere renunciationem vitæ diuisæ, qualis est coniugum. Et eodem Spiritu sancti Ecclesiæ Doctores Basilius, Ambrosius & Augustinus, hoc votum in tanto cum fructu prædicabant ac persuadebant: vt innumeræ personæ in id se obstringerent: quemadmodum etiam in hoc sæculo sunt innumeræ, quæ trita antiquorum vestigia tenent, & sequuntur.

c. 24 & 27. De Eccles. Hier c 6.

§. I.

SED quis non plurimùm delectetur hac oblatione cum voto facienda, si perpendat quanti referat esse cum Deo liberalem, qui dona sua & fauores eâ mensurâ metiri solet, quâ nos metimur nostra seruitia, ita vt se valde liberalem erga liberales ostendat: non item erga parcos. quis autem dubitet, eum esse liberaliorem erga Deum, qui aliquod ei obsequium ex voto præstat, quam qui idem facit absque voto? nam cum voto (ait S. Anselmus) non solum arboris fructum Deo offers; sed ipsammet arborem, ex qua fructus ille prouenit: tradis enim Deo libertatem tuam, quæ res est omnium, quas possides, pretiosissima: & eius amore renuncias iuri, quod habebas ad contrahendum matrimonium, & faciendum absque vlla culpa, quod alias Deus tibi non prohibuerat. Ecclesia antiqua Deo Domino nostro dicebat: a *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*: At recens Ecclesia non solùm poma, sed ipsas quoque pomos, antiquas & nouas, earumque fructus offert: promittit enim multa legis naturalis propria; & alia propria legis gratiæ: quædam quæ sunt de præcepto, quædam de solo consilio: & in ijs, quæ sunt de præcepto addit etiam votum adeò generoso & liberali animo: vt, quamuis illud præceptum non fuisset, voto nihilominus idē obtulisset vt magis ipsi Domino placeret: quale esset, si quis voto se obstringeret, sacrū Missæ in diebus festis audiendi; aut non furandi, non adulterādi, etiāsi de huiusmōdi, præceptum nullū esset: sic enim fieri debet præcellens Castitatis votum: in quo Deo D.N offertur continētia præcepti naturalis, vt abstineatur ab illicitis voluptatibus; & continētia Euangelici cōsilij, vt etiam licitis renuncietur: quia tunc datur Deo etiam arbor liberi arbitrij, ex qua fructus huiusmodi prouenīt. Et hac ratione ostēdit creatura summū liberalitatis gradū, quē erga suum creatorem ostendere potest: dū scilicet in re adeò graui ac difficili multò plus præstat, quàm ille iubeat. Rustici & tributarij (ait S. Dorotheus) reddunt suis Dominis tributa & vectigalia, quæ illis ex Iustitia debent: quæ nisi reddant, conjciuntur in custodiam, ac iure puniuntur: ingenui tamen ac nobiles principibus suis dona & munera magni precij offerunt nomine tantùm gratitudinis, & vt fidelitatem & amorem suum erga illos hac ratione profiteantur. Hunc in mū-

4. *Deus erga liberales liberalis est.*

Lib 1. de Similitud. c. 84.

a *Rant 7. 13*

Tract. 1. c. 3.

Maximus gradus liberalitatis hominis est Deo in consilijs votum reddere. Sermo. 2.

dum

Non seruãs præcepta punietur grauissime.

dum vulgares ac tepidi Christiani satis sibi esse putant, si Deo reddant Praeceptorum tributa: nisi enim ea seruent, seuerissimè punientur: feruentes autem, & qui animos gerunt nobiliores, vota offerunt & promissa in multis rebus heroicis, ad quas præcepto non tenebantur; sed liberales se ostendit Creatori suo in gratiarum actionem ob accepta ab eius manu beneficia; & in recognitionem fidelitatis, & amoris erga ipsum. Et hoc spiritu dicebat

b *Ps.75.12.* Dauid: b *vouete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera*: quasi dixerit: donis & muneribus, quæ sponte Deo offertis, adiungite etiam vota, vt pluris ab eo fiant; eò quod simul cum munere cor vestrum offeretis, & libertatem, quam simul traditis. Cum enim Deus sit liberalissimus in remunerando, quod sibi offertur: copiosiùs oblationem illam remunerabit, cui votum adiungitur. Quemadmodum remunerauit votum ipsius Dauidis, quo

c *Ps.131.2.* c *iurauit Domino, & votum vouit Deo Iacob*: se non sumpturũ *requiem, donec inueniret locum Domino, & tabernaculum* erigeret Deo

d *2. Re.7.12* *Iacob*. illud, inquam, votum d remunerauit Deus excellétissima quadam promissione, ingentium bonorum ipsi & eius successoribus; & venturi ex eius semine ac domo Messiæ, qui d *regnaturus esset in eius domo in æternum.*

5. *Votum constanter reddit in castitate.*

MAGNVM etiam aliud bonum nobis accedit ex voto, castitatis, firmitatis scilicet, & Constantia in ea seruanda: ex quo stabilitas oritur eius, quem propriè statum Virginitatis aut Continentiæ vocamus. Cùm enim voluntas nostra naturâ suâ sit instabilis in suis decretis & propositis: non est medium aptius ad eam mutabilitatem stabiliendam, ne retrocedat: quàm si voto alligetur, quod teste S. Thoma magnam adfert decretis firmitatem: namque modo, ait, nos imitari constantiam beatorum in cœlo. Nam, vt suprà innuauimus, reuerentia debita infinitæ Dei maiestati, cui votum & permissum fit, inuitat, imò obligat, vt ne promissioni nostræ desimus. Si enim est ingens inciuilitas, non stare verbis & promissis factis Regibus & principibus; ac propterea diligentissimè curant homines, exactè & ad nutum ea exequi, quæ illis promiserunt: quanto maior censenda erit inurbanitas, si quis promissioni ac voto desit, quod Regi cælesti obtulit, in cuius manibus spiritus & vita est posita omnium Principum terræ. Ac propterea Propheta ille Rex dixit: qui e *vouetis, Domino reddite: est enim terribilis, & auferet spiritum Principum: & est terribilis apud Reges terræ.* id volens significare: eum, cui vota fiunt, talem esse, vt qui vouent, etiamsi Principes sint aut Reges, nisi steterint promissis, ostendat se eis terribilem, & auferat spiritum, & vitam gratiæ; & fortè etiam corporum.

Voto Deo facto deesse magna est in vrbanitas.

e *Ps. 75. 13.*

Votum reddit id quod est liberum necessariũ.

ALIA quoque ratio firmitatis & stabilitatis voti est, quòd vouens conuertat id, quod liberum ac voluntarium illi erat, in debitum & necessarium: obligat enim se vouens, ad id præstandum sub ea pœna, vt à Dei amicitia, &

iure

iure ad cœlum perueniendi excidat; incurrat verò in æternas inferni pœnas: nisi promissum reddiderit. Ne autem in huiusmodi damna incidat: exstimulat ipse ad firmitatem, & stabilitatem in reddendo quod promisit. quare coniicienti se in has angustias, vt constantior sit: copiosiorem Deus præbet gratiam, ne suæ firmitati desit. Ne doleas (ait S Augustinus) quod voto te obstrinxeris, sed gaude potiùs: quod non liceat tibi nunc facere, quod antea cum tuo damno faciebas: potius te ipsum excita ad standum promissis: Deus enim, qui tuum votum acceptauit, iuuerit, vt explere possis, Felix necessitas, quæ meliorem affert exitum.

Epist. 45. ad Armentarium.

6. *Votum virginitatis perficit connubium cũ Christo.*

Hinc etiam alia excellentia oritur magis propria voti Virginitatis, & Castitatis: quòd scilicet spirituale cum Christo connubium perficiat ac stabiliat. Quemadmodum enim in carnali coniugio necessaria est aliqua promissio & obligatio, cui illud innitatur. ita perfecta spiritualis cum Christo desponsatio nõ fit solo proposito Castitatis, quod potest sine peccato mutari; sed opus est voto, quod obligationem imponit fidelitatis seruandæ diuino, sponso. Ac propterea Castitatis votum est de essentia status religiosi: quòd talis desponsatio sit multò perfectior. Et hoc ipsum nouam adfert firmitatem ne fidelitas cœlesti sponso debita, lædatur. Sicut sponsa, aut vxor maiorem habet in castitate firmitatem ob specialem obligationem, qua tenetur esse fidelis suo sponso & viro, etiam absenti.

Status religiosi essentiale est votum Castitatis.

Accedit, quod votum etiam addit firmitatem ex ea parte, quòd lasciui, & impudici magis cauent tentare, & solicitare eas virgines, quæ suam Castitatem Deo consecrarunt: timentes, vt merito debent, ne Deus iram suam in eos ostendat, sicut homines solent contra eos qui ipsorum vxores aggredi audent. Hoc præclare perpendit S. Ambrosius contra quendam, qui ausus fuerat tale delictum committere cum quadam Virgine, quæ vocabatur Susanna. Quid (inquit) dicam de te, filio serpentis, ministro Diaboli, templi Dei violatore; qui in vno delicto duo atrocissima coniunxisti, adulterium & sacrilegium, dum temere corpus prophanasti Christo oblatum, & consecratum: Cane (ait S. Hieronymus) ne f *Phinees arrepto pugione perfodiat* te fornicantem *cum Madianitæ?* Attende: peccatum tuum fœdius esse peccato g *Amon*, qui *oppressit Thamar sororem* suam Virginem: virgo enim cõsecrata plus est quam soror. Contra te clamat sanguis h *Nabath*, *& vineæ Iezrael*, quæ cùm sata esset Dei sementu tu eam in turpium voluptatum tuarum hortum conuertisti. Aduersus te mittetur alter Elias, qui cruciatus & mortem tibi minetur, nisi tempestiuè surgas à tuo peccato per pœnitentiam. Memento, (ait alibi S. Ambrosius) quid magnus Baptista dixerit Herodi: *non licet tibi habere vxorem fratris tui* viuentiis: quamuis quòd libere hoc peccatum reprehendisset, martyrio fuerit affectus. quanto igitur æquius

Lasciui minus tentant post votum. Lib. de obiurgat one contra Susannã lapsam c. 9. ab aliquibus tribuitur S. Hieronymo Ep. contra Sauinianũ Diacon.

f Num. 25. 8 g 2. Reg. 13. 14 h 3. Reg. 21. Lib. de Virg ad sororem. i Mar. 6. 8.

est, temeritatē repræhendere eorum, qui suas Christo sponsas rapiunt: cum sit ipse frater natu maior, viuens & æternus. Gratias, inquit, diuinitati, quod hic nullus sit Herodes; vtinam nulla Herodias. Tantus enim est zelus emissi voti seruandi, vt virgines paratæ sint martyrium potius subire, quàm suæ integritatis iacturā facere; & viri, mori potius eligant, quàm in Regem suum ac Dominū peccare: dicentes cū castissimo Ioseph, k *quomodo possum malū hoc facere & peccare contra* Christū *Dominū meum*, vel tangens te eius sponsam.

k Gen 39.9.

§. II.

8. *Violare votum est sacrilegium.*

EX his deducere licet vltimam rationem, eo quod plurimi Sancti dicant exaggerantes peccatum, votum hoc violantium: appellant enim illud turpissimum sacrilegium, adulterium iustissimum, valdeque abominandum contra Deum infidelitatem. Quamobrem dixit Apostolus a *viduas* post votum castitatis *nubere volentes*, *habere damnationem*. Perpendit autem Sanctus Isidorus: nōn dixisse Apostolum, viduas quæ nubunt; sed quæ volunt nubere: nam aliquæ id non facient, siue quòd cogantur, re ipsa nō facere; siue ex pudore abstineant: quæ tamen, si vel corde desiderent, damnationem ipsam promerentur. Quanto igitur magis (ait Epiphanius) hanc pœnam promerentur virgines, hoc votum violantes postquam ipsum Christum in sponsum acceperunt? Mulieri, (ait S. Basilius) si nupsit, non permittitur, primo marito superstite, virum alium accipere. Cum igitur Christus Virginum sponsus nunquam moriatur: nunquam eis licebit sponsum alium, absque grauissimo adulterij crimine, accipere. Quod si tantum est crimen thalamum violare viri terreni; quantò grauius erit violare thalamum regis cœlestis? Vxor (ait S. Chrysostomus) non habet potestatem sui corporis, sed vir; & qui voto se Christo consecrauit, non habet potestatē sui corporis, sed Christus: cui facit iniuriam si alteri alicui illud tradat. Lapsus (ait S. Aug.) castitatis excelsioris peiores sunt adulterijs. Si enim Christo iniuriam facit quæcumque vxor proprio viro suo fidelis non est: quanto maior censenda est iniuria eiusdem Christi; quòd quæ ipsius est sponsa, fidelitatem ipsi non seruet? Et cum viri adeò zelent honestatem vxorum, & infideles sibi seueriſſimè puniant; quomodo celabit Deus sponsarum suarum castitatem, punietque lapsum sibi infidelium, vt hac ratione reliquas frenet, & cautiores faciat? cum in modum ait idem Sanctus, quo vxor Loth, cùm Deus illā ex Sodomis eduxisset & ex illis incendijs eruisset, in ipso itinere b *respiciens post se, versa est in statuam salis*: vt stulti & inconstantes hoc exemplo saltem discant in bono cæpto perseuerare: Ita, inquam, is, quem Dominus noster per votum castitatis ab incendijs & luxuriæ flammis eripuit, si respicit post se, & votum suum transgreditur: timere potest, ne simili pœna afficiatur, vt

a 1. Tim. 5. 12.
Lib. 2. de officiis Eccle. c. 18.
S. Aug. lib. de bono Viduitat c. 9.
Hæresi 61.
De vera Virg. & Epi. 185. ad Virginē lapsā.
Epist 6. ad Theodor. lapsum.
De bono viduit c. 11.
in Ps. 75. & in Titul. Psal. 83.
S. Greg. 3. par Pasto. Admoni. 28

b Gen. 19. 26.
Deus incestuosos post facta vota punit.

maneat exemplar in cautelam aliorum. Et quemadmodum vxor Loth perijt, non quòd vel vnum gressum versus Sodomam reuertisset; sed solùm quod respexerit illam: ita virgo existimare debet: contra hoc votum non solum peccari operis ipso, quod per gressus significatur, sed etiam ipso aspectu & consensu voluntatis. c *Memores estote* (ait Saluator noster) *vxoris Loth* quæ nũquam primam suam formam recepit; & exemplum accipite in alieno capite: ne æternum pereatis, instar agri d *sale* aspersi sati, qui semper manet sterilis & inutilis. Si e *Ananias* & *Saphira* (ait S. Fulgentius) infelici morte perierunt, eò quòd *partem precu*, quo agrum vendiderant, quem iam Deo per votũ paupertatis obtulerant, ex quadam cupiditate retinuerunt: quâ pœna non erit dignus, qui subtrahit Deo hæreditatem & margaritam Castitatis, prius ipsi oblatam? Has omnes sententias adducendas existimaui: vt clauorum instar firmiùs figant votum Castitatis, nec sit qui audeat refigere.

c *Lu.17. 32. S. Hieron. in Matthæũ. d Iud 9. 45. Epistio. 1. e Actuum. 5. 1. 10.*

9.

Sed *obijcere* quispiam posset: si adeo graue peccatũ est, votũ transgredi: expedit, illud nõ facere: ne vouens, tali periculo exponatur; & intuitu gratiam augẽdi ampliori merito, eò deuenire, vt gratiâ excidat lapsu turpiori. Cui obiectioni valde aptè respondet S. Ambrosius: Sed ita est, nullus sit miles, nullus ad pugnam exeat: ne fortè aliquando vincatur; nullus pedibus vtatur ad ambulandum: quia periculum est impingendi, neque aperiat oculos ad videndum, ob periculum labendi in concupiscentiam propter aspectum: quæ cùm non sint prætermittenda, sed prudenter & attentè præstanda: ita non sunt omittenda vota, quæ Deo aliàs placent, & in quibus non est alias morale periculum, si prudenter fiant: eò quòd Deus auxilium præstet ad illa seruanda. Ne pigeat (ait Sanctus Augustinus) vota edere: quia non vestris viribus ea explebitis. Deficietis si vobis ipsis fidatis; si autem Deo, cui votum offertis: edite illud, & tutò incipite quod vouistis implere: nam qui te hortatur, vt voueas, ipse adiuuat, vt reddas. Ideoque certius est ex voto lucrum, quam iactura: quòd si quis timor est iacturæ: is ipse magis lucrum promouet: humilis enim timor iustum reddit securiorem, vt voti sui compos euadat.

Lib. de Viduis prope finem.

Deus emittentes vota adiuuat.

in Psal. 75.

» »

in Psal. 131.

» »

» »

» »

10.

Denique vt Castitatis votum optatam habeat firmitatem, & certi lucri securitatem: plurimum refert conditiones illas adhibere, quæ capite nono primi Tractatus positæ fuerunt: quæ exactius in hoc voto sunt adhibendæ propter eius perpetuitatem ac difficultatem; & graues pugnas, quibus impetitur: quare diligenter curandum est, ne absque magna consideratione & consultatione edatur: sed diligenter regula illa nostri Saluatoris seruetur, qua dixit: f *quis vult turrim ædificare, prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt ad eam perficiendam*; & qui *committere vult bellum aduersus hostem potentem, sedens prius cogitat, an* sufficientem habet exercitum, vt *ei*

Consideratio ante votum perdiligens sit.

f *Luc. 14. 28*

In Matt. 19.

occurrat, & resistat. Alioquin melius est Castitatem non vouere, quàm, po votum, illam non seruare; & in prælio contra eam insurgente succumbere Et ideo S. Hieronymus dixit, vnusquisque consideret vires suas, vt cum po sit Virginalia implere præcepta, vota scilicet Virginitatis, ante quam illa dat, siquidem ad ea edenda non obligatur. Ne autem deceptio aliqua consideratione inferatur, aptum consilium est, experientiam aliquam pr habere facultatis, quàm quis habet ad votum in sæculo manens seru Quare ordinariè loquendo tutius est, primùm facere votum ad certum quot tempus, ad annum v.g. vt ex eo experientia sumatur ad votum perp tuum edendum. Plurimum etiam refert, vt vouens ad eam ætatem pe nerit, vt intelligere possit, quantum sit onus, quod sibi per votum impo Cùm autem Ecclesia ad religiosam professionem edendam constituat s decim annos: hæc ætas pro quocumque castitatis voto edendo suffic plurimum enim refert ab ipsa iuuentute firmiter illam amplecti, modò adsint conditiones discretionis, & maturitatis. Nam (vt S Ambrosius non est reijcienda ætas iuuenilis; sed animus & propositum est examin dum. Sancta enim Tecla non ex senectute, sed ex virtute fuit approbata omnis ætas Deo apta, est Christo perfecta. Ne miretis, quod iuuenes pr teantur Castitatem: cùm etiam iubeant martyrium. an dubitare licet, pa ætatem posse seruare continentiam; quæ confiteri potest Fidem, etiam effusione sanguinis? Denique ad votum castitatis edendum, maximè att denda est vocatio Dei, à qua præcipuè oritur virtus & facultas ad eam uandam. Vt proximo capite apparebit.

Experientiam suarum virium quis habeat.

Trident. Sess. 25. c. 15. Sexdecim annis voto faciendo sufficiunt. Lib. 3. de virginit. S. Aug. de S. virg. c. 26. S. Hiero Epist ad Eustoch de Virginitate

CAPVT VI.

AD BENE ELIGENDVM STATVM CONTINEN tiæ, eamque seruandam, necessariam esse Dei vocationem: eumq; sufficientia auxilia & media omnibus præstare.

PERPETVÆ Castitatis excellētiæ, & grauissimæ eius pugnæ satis pe suadent; neminem proprijs viribus eligere posse, sicut oportet, excel adeò ac difficilem statum; neque Continentiam promittere, nec pr missam seruare: nisi à Sancta Dei vocatione & inspiratione præueniam & adiuuetur. Quod satis expresse insinuauit Saluator noster suis Apostol dicentibus: nisi liceret libellum repudij vxori dare, expedire non nube respondit enim: *non omnes capiunt verbum istud sed quibus datum est.* In qu bus verbis non voluit supremus noster Magister) vt Hæretici carnales suam carnalitatem excusandam fingunt, affirmare, continentiam esse don Dei, Sicut est Prophetia, & donum linguarum, & aliæ gratiæ gratis dat quæ non à libertate nostra, sed à sola libertate Dei, illas, cui voluerit, dum

Vocatio Dei in statu eligendo necessaria a Mat. 19. 11.

depen

dependeat: nam Castitas, à libero nostro arbitrio dependet; & in libertate nostra est positum, eius statum amplecti aut non accipere: sed illud est verum: quod non à solo arbitrio nostro, sed præcipuè à vocatione & inspiratione spiritus sancti, dependeat: qui est paranymphus, & mediator animarum, quæ acceptaturæ sunt Christū in sponsum. Nam quèadmodum ad viros spectat, vxores eligere, quas in sponsas accipiant: ipsis tamen etiam consentientibus, ac desponsationem acceptantibus: ita Dei proprium est, virginitatem, & perpetuam castitatem inspirare; & animas eligere, quæ illam seruent, vt ipsius sint sponsæ: ipsis tamen tali inspirationi consentientibus: nā absque libero illarum consensu, non perficiuntur hæ nuptiæ; nec vlla infertur vis, nec obligatio imponitur eum statum eligendi. Ac propterèa addidit ipse Saluator: *qui potest capere, capiat*: quasi dixerit: vnusquisque potest libere hunc statum capere, aut non capere. Qui autem Dei inspirationem & motionem in se sentit; & suauem impulsum, & facultates ad illum amplectendum: meritò illum acceptabit.

Castitas à libero hominis arbitrio dependet.

Nulla est obligatio ad castitatis statum eligendum.

Ad cuius maiorem explicationem est aduertendum: duplicem esse modum vocationis ad statum perpetuæ continentiæ. *Primus* est generalis, quo Dominus noster tanquam ad rem maioris perfectionis exhortatur; & auxilia sufficientia ad eam custodiendam offert: eum in modum, quo Sanctus Apostolus dixit b *de Virginibus*, siue de Castitate *præceptum Domini non habeo: consilium autem do*. qui modus vocationis omnibus Christianis est communis; & omnes possunt eam acceptare. & Apostolicū sequi consilium: de quo S. Ambrosius Virgines alloquens dixit: quis poterit melius vobis dare cōsilium, quam ipsum vas electionis? & quem sponsum excellentiorem eligere poteritis? quibus licet sponsum eligere: non licet Deum præferre? Præter hanc vocationem est alia multo magis particularis, inclinans, & interiùs impellens voluntatem cum magna suauitate & efficacitate ad Castitatis statum matrimonio relicto eligendum. sed hæc non omnibus conceditur: sed ijs, quos Dominus noster suprema suâ prouidentiâ ad id præelegit: ipsi enim competit, inclinationes & propensiones distribuere ad omnes Ecclesiæ status, ita vt non desint, qui illos eligant, & amplectantur. Et de hac vocatione loquutus est Apostolus, cùm dixit: c *volo* & opto, *omnes vos esse* continentes *sicut me ipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo alius quidem sic, alius verò sic*: hoc est vnus speciali vocatione amplectitur statum continentiæ, & alius matrimonij: & hanc vocationem ipse appellat proprium donum ex Deo.

Communis modus vocationis.
b 1. Cor. 7. 25.
In Exhort. ad Virgin. Lib. 3. de Virginit.

Particularis modus vocationis.

c 1. Cor. 7. 7

§. I.

ERIT AVTEM opere precium, admirandos modos & vias explicare, quibus Deus D. N. specialem huiusmodi vocationem dirigit: vehementes tribuens

tribuens impulsus ac desideria huius status; illustrans diuina sua face intellectum ad virginitatis & Castitatis excellentiam agnoscendas; & ad magnum eius affectum concipiendum; onera verò, & molestias matrimonij horrorem ex eo sentiendum.

1. *Aliquos Deus vocat per seipsum.*

ALIQVANDO id facit Dominus noster per se ipsum solam absque ullo medio: sicut beatissimæ Virgini inspirauit votum virginitatis; nec cessat quotidie idem facere cum ijs, qui se dedunt orationi, & lectioni piorum librorum, & alijs pijs exercitijs: in quibus huiusmodi inspirationes sunt frequentiores. *Aliquando* adhibet medium concionum, exhortationum, & ratiocinationum per concionatores & Magistros spirituales, qui Castitatem persuadeant, sicut retulimus suprà, aliquos Apostolos, ac Doctores eam aliquibus sanctis persuasisse. *Aliquando* etiam prodigiosis aliquibus vtitur mediis, instantiam, & preces Angelorum Custodum, qui multò libentius statum hunc inspirant, ob maiorem similitudinem, quam habet cum suo. In qua admirabilem se præbuit Prouidentia diuina erga Sanctam Cæciliam, eique sponsum Valerianum, & affinem Tiburtium. Eius enim Virginis rationes adeò fuerunt ex Dei virtute efficaces: vt suum sponsum diuitem nobilem, & iuuenem ita vincerent ac subijcerent: vt feriolæ eius sensualium impetus reprimeretur; amplecteretur verò ipsam castitatem: descendens de cælo Angelo cum duobus sertis ex lilijs & floribus paradisi confectis quorum odore valde ambo recreabantur & ad suam Castitatem seruandam excitabantur. Et iucundissimus ac prodigiosus eorum odor permouit Tiburtium ad eos ipsos imitandos. Suauissima quoque virtutis huius fragrantia, quæ prælucet in ijs personis, quæ illam excellenter colunt: multos adtrahit; vt eam amplectantur. Propterea enim Dauid dixit: d *adducentur* [illegible] *virgines* sequentes ipsam Reginam. Interdum etiam eandem vocationem proponit per media magis humana, vt scilicet eligat aliquis statum conuenientiæ potius ex necessitate; quam voluntate; sed ipsam necessitatem conuertit in materiam virtutis, quod faciunt multæ Virgines nobiles, quæ commoditatem haberent, nuberent; sed quia eam non habent, statuunt viuere in perpetua Castitate. Sed solet Dominus noster hanc earum intentionem tanta gratiæ suæ abundantia extollere, vt quod alias quodammodo coactum erat: conuertat in iucundum & gratum: ita vt dolerent, si eum non elegissent. Et id totum signum est & indicium Dei vocationis, qui prouidentia sua impossibilitatem, aut difficultatem contrahendi matrimonij eò direxit, vt Virgines eas seruaret. Et ob eandem rationem, qui ratione suæ constitutionis corporalis, aut cõtinui alicuius morbi apti nõ sunt ad matrimonium: possunt hoc ipsum tanquam indicium accipere voluntatis Dei, & sui ad perpetuam castitatem vocationis, vt talem statum eligant, adeoq; libenter acce-

2. *Aliquos per concones.*

3. *Alios per preces Angelorum.*

4. d *Psal. 44. 15.* *Aliquos vocat per media humana.*

ter accepérent; atq; si liberum ipsis fuisset, illum amplecti aut reijcere. Nam, si huiusmodi homines possent vel ipso desiderio lethaliter peccare, licet ad ipsum opus peruenire non possint, (quemadmodum dixit Ecclesiasticus e *concupiscentia Sponsi de virginauit iuuenculam*) ita è contra ijdem plurimum promererí possunt, efficaci continendi voluntate renunciando ipsi operi: etiamsi ad illud perpetrandum apti fuissent. Et in hoc ait S. Hieronymus eduxisse Danielem cũ tribus suis socijs, quos Scriptura Sacra videtur f *Eunuchos* appellare, eo quod Castitatem naturalem in virtutem glorioſissimam conuerterint. Quamuis alij Doctores valde graues asserant: hoc nomine illos appellari, non ob naturalem defectum, quem habuerunt, sed ob puritatem castitatis animæ eorum quasi innatæ.

Per morbum aliquos vocat ad castitatem. e *Eccl. 20.2* *Lib 1. cõtra Iouinia. Iosephus lib. 10 Antiq.* f *Daniel. 7.* *S. Dorot. in synopsi* *S. Epith. in vita Danielis.* *Lyra. vide Pereira in Daniel 1.*

Quare diuina vocatio & electio pro indicio suo præferre solet fundamẽtũ bonæ naturalis Constitutionis, quietè ac suauiter ad continentiã propendentis absq; vehementia passionũ. Vult enim Deus D. N. naturæ fundamẽta iacere, apta & conformia ædificio, quod sua gratia erigere molitur. Et quẽ admodum vehementer propensis; & passionum, quibus quodãmodo vrũtur, vehementia impugnatis, suadere solemus, vt matrimoniũ ineãt: eò quòd magnũ videatur indicium, Deum illos velle statum illũ assumere: ita meritò consuli ac suaderi potest perpetua castitas ijs, qui proportionatam inclinationẽ & complexionẽ ad eam seruandam habent: illud enim signũ est diuinæ ad eam amplectendã vocationis. Quamuis hoc signũ solum, non sit vere sufficiens, sicut neq; eius defectus est certũ indiciũ, quod vocatio diuina desit. Multi enim reuera vocati à Deo ad egregiũ hoc ceptũ graues patiuntur pugnas: supplẽte scilicet gratia Vocationis quod natura nõ cõcessit. Quare potius conijciendi sunt oculi in vehementiã inspirationũ, & impullum internorũ; & in affectũ ipsius voluntatis ad eam amplectendã siue ad id impellatur à cœlestibus illustrationibus; siue à rationibus, quæ per ratiocinationem ostendunt, huius statũs conuenientiam, contrarij verò adferunt horrorem quendam. Obseruandæ tamen sunt regulæ & monita, quæ ad eligendum statum posita fuerunt in primo tractatu secundi Tomi.

§. II.

NE tamen quis deterreatur ab Electione celsissimi huius status timore suæ imbecillitatis, aut si iam illum accepit, animo deficiat, quasi non possit seruare quod obtulit aut promisit: est diligenter aduertendum gratiam diuinæ vocationis ad statum Castitatis, adferre secum auxilia sufficientia, vt per totam vitam castè viuere possimus, nisi nobis ipsis desimus. Deus enim nunquam vocat, nisi ad id quod est possibile, neque consulit, nisi quod sit factibile. Et quamuis dicat neminem posse esse castum, a *nisi cui id sit* è cœlo *datum*: simul tamen, cùm inspirat

Gratia vocationis ad hunc statũ adfert sufficientia auxilia.

castita-

castitatem, ex parte sua offert auxilia ad eam seruandam. Hæc autem sunt præcipuè illustrationes, inspirationes, & impulsus permouentes ad exequtionem mediorum, quibus illa custoditur. Sed necesse est hominem libere ijs consentire; & ex parte sua facere quod potest ac debet, nec reijcere omnia in solum Deum. Non existimes (ait S. Chrysostomus) coronam continentiæ dari, aut sorte, aut necessitate: datur enim potius eam sponte sua eligentibus & ab ipso Domino petentibus. Sed dicitur Deus illam daturus, vt intelligatur, quàm sit nobis necessarium auxilium cæleste ad eam obtinendam; & simul appareat eius excellentia, ac in custodienda difficultas. Idem confirmat S. Gregorius Nazianzenus alia ratione valde efficaci: Ne decipiaris, inquit, existimans, sicut solent hæretici: alios homines habere naturam deditam ad castitatem & virtutem; alios verò ad luxuriam & vitium; alios autem cum quadam ad vtrumque indifferentia. Quamuis enim verum sit, alios maiorem habere inclinationem & aptitudinem ad Castitatem & virtutem quàm alij: non tamen sola illa sufficit, nisi Deus, & ratio eam excitet, & impellat, vt exeat in opus. Quemadmodum silex nunquam scintillas emittet, nisi excussorio ferro percutiatur. Quando autem audis eos esse continentes quibus datum est; necesse est addere: ijs datum esse, qui accipere voluerint. Ac propterea dixit Apostolus, b *non esse volentis neque currentis, sed miserentis Dei*: hoc enim voluit dicere: quod velle, non sit solius hominis volentis; neque currere, solius currentis: sed etiam ipsius Dei inspirantis, ipsum velle & currere: & ipsa electio, qua homo hunc eligit statum, est diuinum beneficium. Ad eam enim faciendam simul cõcurrunt humana voluntas eligens, & gratia diuina electionem ipsam inspirans, & præueniens, ac excitans, vt fiat. Et quoniam ab eius misericordia prouenit inspiratio ad eligendam continentiam ab eadem etiam auxilium prouenit ad custodiendam.

Homo libere debet consentire inspirationibus. Homil 63. in Mat. 19. c Et S. Hieronymus ibidem.

In dictum illud: cum consummasset IESVS hos Sermones inclinatio sola ad castitatem nõ sufficit nisi concurrat Deus.

b Rom. 9. 16

Hæc distinctiùs explicuit Christus D. N. similitudine Eunuchorum cuius superiùs fecimus mentionem. Non enim minus potẽs debet esse gratia, quàm ipsa natura; nec amor regni cœlorum minus efficax, quàm ars, & industria hominum. Cùm igitur aliqui Castitatem seruent ex naturali complexione, aut humana industria, quæ illos ad matrimonium fecit ineptos: etiam erit valde possibile, & iucũdũ alijs, idẽ præstare ex diuina gratia, & propter amorẽ æterni præmij. Sed addidit statim Dominus, c *qui potest capere capiat*: vt hac ratione (ait S. Chrysostomus) excitaret nos ad excelsum adeo, ac difficilem statum aggrediendum: submonens interim non magnâ diligentiâ ac fortitudine opus esse ad illum obtinendum: non tamen esse impossibilem. Quare quemadmodum Christus D. N cũm in suis concionibus auditoribus dicebat, d *qui habet aures audiendi audiat*: vehementer optabat, omnes audire doctrinam suam; &, quod in se erat, sufficientia præbebat auxilia

Gratia non debet esse impotentior naturâ

c Matt. 9. 12

Homil. 6. in Matt.

d Mat. 13. 9.

vt in-

vt interi ſrē auditum haberent ad eam audiendam: & omnes poterāt libere eam audire, acceptare, ſi voſebāt: ita etiā, dum caſtitatē conſulēs, dicit: *qui poteſt capere capiat*, oſtendit deſiderium ſuū, vt omnes, quibus ille ipſam inſpiret, eam ampl[illegible]ctantur; offerrque auxilia, ad eam obtinendā: quam re ipſa obtinebūt: ſi, quod in ipſis eſt, media adhibuerint, quæ ipſe Saluator ad ea propoſuit, & quæ etiā nūc, inſpirat cuiuis: quæ in genere ad quatuor reuocātur.

1. *Tractat. 7. in cap. 19. Matt. e Luc. 11. 9.*

Primvm eſt *Oratio*, qua ſolicitè agatur, vt illa auxilia eorumque efficacitas impetretur. Nemo (ait Origines) à cuſtodia caſtitatis ſe excuſet, eo quod Redemptor noſter dixerit, eos tantùm eam ſeruare, *quibus datum eſt*: nam ipſe Saluator dixit etiam: *petite & dabitur vobis; & omnis qui petit accipit*. Petat igitur cum fide & fiducia Continentiam, & dabitur illi. Et ſi non dabitur, *eò quod ſit amicus: dabitur tamen propter improbitatem* & importunitatem petendi. Memor eſto, quod f *Iacob luctabatur* cum Angelo tota *nocte vſque mane*: & eius lucta erant orationes & lacrymæ, vt inſinuat Oſeas, cùm dixit: g *fleuit, & rogauit eum*, ac denique impetrauit, vt *ipſi benediceret qui tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit; & nomen Iacob*, quod luctatorem, ſignificat, mutauit ei in nomen *Iſrael*, quod ſignificat *fortem contra Deum*, aut *videntem Deū*. vt ex hoc intelligas, orationibus, lacrymis, prolixis vigilijs, & importunis precibus obtineri cæleſtem benedictionem & victoriā de ſenſualitate ſignificata per femoris neruum: quem Deus exſiccauit, dum eam gratiæ ſuæ abundantia mortificauit, concedens etiam fortitudinis donum, quo poſſet victoriam proſequi; donumque contemplationis ijs promiſſæ, h qui *mundo ſunt corde*. Hoc medio ſæpius vtebatur S. Auguſtinus orans Deū Dominum noſtrum piſſimis hiſce verbis: O amor qui ſemper ardes, & nūquam extingueris? Deus meus charitas infinita, accende me. Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis. Tota ſpes mea non nititur niſi in magna valde miſericordia tua. Da quod iubes, & iube quod vis.

f *Geneſ. 32. 25. 26.*
g *Oſea. 12. 4*
h *Mat. 5. 8. Lib. 10. de Ciuit. c. 29*

Orationi coniungenda eſt prompta & ad nutum *obedientia* in rebus omnibus, quas Deus iubet, & inſpirat; ſpeciatim in ijs, quę ſunt media ad ſeruandam caſtitatem; ita vt ſtatuas certò, te velle valde exactè ſpiritui diuino parere: vt ſic caro tua ſit obediens, tuoque ſpiritui ſubiecta. Nam quemadmodum Adami inobedientia effrenem fecit ſenſualitatem, laxauitq; habenas turpibus luxuriæ motibus: (nam ſtatim atq; diuinum præceptum Adamus & Eua tranſgreſſi ſunt, valde erubuerunt, quod ſe nudos aſpicerent, fædosq; adeò motus in ſe experirentur). Et, vt S. Auguſtinus ait, inobedientia carnis rebellis promulgabat ſpiritus inobedientiā: ita è contra Obedientia ſpiritus erga Deum effeciet, vt caro aduerſus ſpiritum non ita rebellet: vt cōtra eum præualeat. Ac propterea forte S. Petrus dixit: i *animas veſtras caſtificate in obedientia charitatis*, quaſi dixerit ſi animas veſtras vultis habere caſtas,

2. *Prompta obedientia neceſſaria eſt in inſpirationibus. Lib. 4. de Ciuit. c. 17. & lib. 11. de Gen. ad literam. c. 31.*
i *1. Petri. 1. 22.*

stas, amplectimini obedientiam perfectam, innitentem charitati: ex obedientia enim & charitate procedet Castitas.

3. *Frequens Communio necessaria est castis.*

HIS addendum est tertium efficacissimum medium, frequentia sacræ *Communionis*. Valde enim singulari prouidentia Christus D. N. cum in lege Euangelica statũ hunc Virginitatis & Castitatis perpetuæ institueret; & coniugalẽ Castitatẽ multo plus, quàm aliàs constringeret instituit etiã sanctissimũ Altaris Sacramẽtum, in quo castissimã suã carnem, & pretiosissimũ sanguinem panis & vini accidentibus tecta nobis tradidit: vt Caro eius nostra tangens castam efficiat; & emarcescat in nobis neruus sensualis amoris inordinati viuentis: ideoq; Sanctus Cyrillus ait: communionem sacram temperare membrorum nostrorũ Legẽ; & extinguere tentationes ac turbationes animarum nostrarum. Sed expressiùs adhuc Zacharias Propheta diuinum hoc Sacramentum appellauit, k *vinum germinans virgines*: ita prouidẽte Domino nostro, vt l *vinum*: quod esse solet instrumẽtum *luxuriæ*, medium esset efficacissimum ad generandam & cõseruandã Virginitatẽ virtute sanguinis sub ipsius accidentibus latentis. Fuit quoq; eiusdem Domini mens, & cõsilium, vt quemadmodũ ex prohibiti fructus comestione luxuria fuit in mundum ingressa: ita per sumptionem huius panis, vitæ illa repellatur. Comestio illa frænum abstulit carni; hæc efficacius illi frænum imponit; & ita sententia illa Ecclesiæ impletur, quæ dicit: *Gustus sauciauit, & gustus sanauit*. Cum igitur Dominus noster (vt dixit Dauid) m *mensam* hanc *parauerit aduersus omnes* tentationes, & eos, *qui tribulant nos*; eamq; strauerit in *conspectu meo*, vt omnibus esset spectabilis, & liceret diuinũ hunc panem ex ea sumere, quoties tentationes experiremur, ne eis succũberemus: sibi ipsi tribuat, qui illum nõ sumẽs sicut oportet, deficiat in tẽtationibus luxuriæ, & iacturã facit Castitatis.

Sumptio Eucharistiæ frenat luxuriam.

k Zach. 9. 17.

l Ephes. 5. 18.

m Psal. 22. 5.

4. *Strenua omni passionum mortificatio castis necessaria.*

QVARTVM medium, quod secundo est valdè affine & omnium trium fructus valde insignis, est strenua, valdeque attenta motuum sensualium, eorumq; omnium internarum, & externarum, quibus illi fouẽtur & relaxantur, *mortificatio*. Inter has mortificationes valde eminent Cilicia, Disciplinæ, siue flagella; Ieiunia, Vigiliæ, & asperitates aliæ corporales, de quarum vtilitatibus fusiùs actum est in tractatu de Pœnitentia: sunt que valde efficaces ad carnis impetus continendos & frænandos. Hoc significare voluit naturalis ille instinctus, siue boni spiritus impulsus, quo Adamus, & Eua statim atq; turpes in se motus aduerterunt, n *consuerunt folia ficus, & fecerũt sibi perizomata*, quibus se tegerent: quæ folia, (vt aduertit Ireneus circa hanc materiam) quãdo carni applicantur instar cilicij, valde eam pungunt, & molestiam adferunt. Qua actione quodammodo protestatus est Adamus: antidotum sui vulneris esse pœnitentiam, mortificationem, & castigationẽ carnis: & quasi verbis diceret, *cognosco, quod sim dignus tali tegumento, quod dete-*

Tomo 1. Tract. 3.

n Genes. 3. 7. Lib. 3. aduersus hæreses cap. 37.

tionem: quidem nullam præstat; mordet autem & pungit corpus: vt sic discat spiritui esse subiectum, remoueatque ab aspectu, auditu, & gustatu, quicquid potest, habenas illi laxare. Et quoniam hæc mortificatio multa complectitur ad nostrum hoc institutum spectantia, de illis agemus in subiectis capitibus.

CAPVT VII.

HVMILITAS CONFERT AD CVSTODIAM CASTITATIS QVÆ OB OCCVLtam superbiam facilè perit. Adferuntur aliqua documẽta ad vtramq; virtutem comparandam.

PRIMA eorum, qui Castitatem sartam tectam custodire volunt, cura & solicitudo esse debet, vt profundas in humilitate, propriæq; imbecillitatis cognitione radices iaciant, & à Dei protectione dependeant: absque cuius auxilio ac fauore nõ poterit illa illæsa custoditi, ita enim Salomon dicit: a *Sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat Sapientia, scire cuius esset hoc donum.* In quibus verbis duplex continetur cognitio: altera Fidei quæ omnibus Christianis est communis, qua credunt, & fatentur, continentiam esse donũ Dei, & sine eius auxilio, se non posse horrendis cõtinuisq; tentationibus resistere, quibus illa oppugnatur: & sũt nihilominus aliqui, qui ex occulta superbia, obliti eius, quod fide credunt, nimium suis viribus fidunt, maximamq; fiduciam in sua industria ponunt: ac securos reputant, existimantes, quamuis tententur, se non vincendos: & gloriantur inaniter in suis actionibus; delectantur, quòd magni ab alijs fiant, & propter sua facta laudentur. Humiles autem supra fidei cognitionem aliam adhuc iaciunt profundiorem, à dono Sapientiæ prouenientem: qua interiùs sentiunt, & manibus quasi palpant Nihilum, quod ex se ipsis habent; ac dependentiam, quam in omni re bona, & præcipuè in Castitate, quæ adeò est ardua, à Deo habent; suis viribus plane diffidunt, toramque fiduciam suam in gratia diuina collocant. Semper b *timent*, nunquam se reputant securos, nolunt ex suis victorijs honorem aut gloriam; sed soli Deo eam tribuunt. Ex quo prouenit, vt Dominus noster, cuius est proprium (vt ait Scriptura) c *superbis resistere, humilibus autem dare gratiam*, complacẽs sibi, in hac humilitate, copiosa valde eis auxilia largiatur ad Castitatem conseruandam; quæ denegat superbis præsumentibus, & confidentibus sibi ipsis: quos permittit turpiter labi, vt experientia discant exiguas vires, quibus pollent.

profunda humilitas castitatis studiosè necessaria.

a Sap. 8. 21.

Occulta superbia aliquos vanæ gloriæ subijcit.

Humiles suis viribus diffidunt.

b Iob. 4. 6.

c 1. Petri. 5.

§. I.

PRæclarè hoc explicat S. Gregorius in illa verba Iob: a *qui docet nos super iumẽta terræ: & super volucres cœli erudit nos*: certũ, inquit, est, spiritus humilitatẽ, & carnis castitatẽ mutuò se cõseruare. Et superba solet esse luxuriæ seminarium; D. N. permittente, vt qui tanquã aues per aëra se extollunt, decidãt in carnalitates instar iumẽtorũ terræ, quẽadmodũ euenit Gẽtibus, de quibus ait Apostolus, quod, ppter eorũ superbiã, b *tradidit illos Deus in desideria, cordis eorum, in immunditiam, & in passiones ignominiæ.* Et de Israelitis dixit C.

I.

a Iob. 35. 11. Lib. 26. moral. cap 33. *Superbia luxuriæ seminarium.*

b Rom. 1. 24

seas, quod c *spiritus fornicationis erat in medio eorum, vt eis dominaretur: Superbia Israel apparebit in facie eius:* hoc insinuans, quòd occulta superbia eorum se se prodiderit in publica fornicatione: quia interior animæ tumor prodijt ad faciem eorum. Quare nullus eorum, qui sanctè vixerunt, & tandem dedidit se vitio carnis, existimet, se tũc superatũ, quando manifesto aliquo peccato superbia apparuit; sed potiùs sibi persuadeat, quòd tunc vicit carnem, quando spiritus latenter intumuit. Quòd si repente Castitas, ad senectutem vsq; conseruata, perit: id euenit, propterea quod humilitas, quæ in iuuentute illam custodiebat, euanuit. Hæc S. Gregorius, quod iucunda quadam similitudine confirmat ex eo, quod S. Iob Deo dixit: d *propter superbiam quasi leænæ capies me*, in aliquibus, inquit, regionibus capitur leæna hoc modo: fodiunt magna fouea in via, qua illa est transitura, ex parte superiori lata, ex inferiori angusta: in ea ponunt ouem aliquam, vt leæna transiens deijciat se in illam, vt ouem deuoret, vnde postea non potest exire. Ita Dominus nonnullos in specie sanctorum ob superbiam & arrogantiam permittit occurrere illis occasionem aliquam, in qua impetu carnalis suæ passionis sese præcipitent, & in ea hæsitent, ita vt re ipsa experiantur, nec vires se habere, vt de illo luto emergant; nec vnquam habuisse, vt non laberentur: nisi Deus illos eas dedisset. Quemadmodum euenit Dauidi Regi: quem, ob occultam adhuc quam superbiam, permisit in huiusmodi foueam cadere, occurrente illa occasione, quâ vidit, d *Bethsabee*: & in ea immersus mansit vltra decem menses eo euentu veritatem comprobans illius sententiæ spiritus sancti: e *fouea profunda est meretrix, & puteus angustus, aliena: cui iratus est Dominus, incidet in eam*: quæ sententia hoc significat, quod qui in hanc foueam incidit, aliquid fœdissimi fecerit, Deum ad iram prouocans: in cuius pœnam talem lapsum permittit. Atqui hoc est peccatum superbiæ, & arrogantiæ, ob quam idem Sanctus ait, solere Deum f *Baltheum Regum dissoluere*, generosum scilicet cingulum, quod est Castitatis donum, & *præcingere funem* culpæ carnalis: donec suam miseriam & imbecillitatem agnoscant. Dicitur autem Deus huiusmodi baltheum dissoluere, non quòd deneget auxilia ad vincendam tentationem sufficientia, sed copiosiora & efficaciora, quæ, cũ humiles & grati essẽt, eis largiebatur.

2. *Genus luxuriæ aliud carnis aliud cordis.*

Ex His Sanctus Gregorius educit duo genera luxuriæ: alteram carnis, quæ castitatem corrumpit; alterã cordis, quæ de ipsamet Castitate gloriatur, & sic deo amittitur. Quare, vt Castitas integrè conseruetur, aduersus vtrangue luxuriã est decertandũ: & mortificãdus etiã affectus inanis gloriæ, qui oritur proclet ex eo, quòd carnis luxuriã quis mortificauerit, iuxta illud Moysis: g *circumcidite præputiũ cordis vestri*. voluit enim dicere, qui iam circũcidistis præputium carnis, eius vitia mortificantes: circumcidite nunc etiam præputia cordis, mortificantes superbas & arrogantes cogitationes; h *succingentes* (vt ait S. Petrus) nõ solũ corpo vestrũ, sed etiã *lũbos mentis*, cingulo humilis Castitatis.

c Osee. 5. 4.

Quando deficit humilitas deficit castitas.

d Iob. 10. 16

d 2 Reg. 11. 3

e Prou. 22. 14. & c. 23. 7.

f Iob. 12. 18.

g Deu. 10. 16

h 1. Petri 1. 13

Hoc ipsum confirmat S. Augustinus dicens primam pugnam eorum, qui desiderant Continentiam, esse debere contra Dæmonis suggestiones, instigantis ad multum sibi ipsis tribuendum & fidendum: nam tunc certam imminere ruinam, & lapsum in illam imprecationem Jeremiæ dicentis: i *maledictus homo, qui confidit in homine*: qui enim in se ipso confidit, in homine cõfidit; ideoque erit maledictus: quia permittet Deus, turpiter labi, vt planè perspiciat, quàm parùm possit: siquidem quantumuis sint excellentes, vt vocari possint k *Dii, & filii excelsi*: si tamen Deus eos deserat, interibũt, quasi miserrimi; & cadent, sicut Angeli mali. Bene id nouit, qui in abundantia sua dixit: l *nõ mouebor in æternum*: sed mox aduertit, *voluntatem Dei præstare virtutem decori* & sanctitati, quam in se videbat: nam statim atque Deus *faciam suam ab eo auertit factus est conturbatus*, & mutatus. Per medicinalem Prouidentiam (ait S. Aug.) paululum desertus est à Rectore; vt per exitialem superbiã desereret ipse Rectorem: agnoscens ex lapsu suo, se non posse solùm sanctitatem seruare, quam habebat. Ex quo infert Cassianus: apertum indicium proxime obtinendi donũ Castitatis esse, non sperare illud ex sua sola industria; & singularem esse de luxuria victoriam, non fidere proprijs viribus ad eam vincendã; sed eam à diuina misericordia sperare, & recurrere continuis suis orationibus ad Dominum qui potest illã dare. Et quamuis hæc fides (ait ipse) videatur facilis: non tamen est Tyronibus minus difficilis, quã ipsamet castitas. Nã statim atq; aliquã in se ipsis puritatis particulã, aut tentationum victoriã aduertunt, erumpunt in sultus aliqui superbię, quasi existimantes, ob suas diligentias se illam obtinuisse. Nam (vt S. Gregorius ait) difficile est homini nõ credere esse à se, quod videt & experitur in se. quam tamẽ difficultatẽ, si viceris viuacitate fidei illustratæ, meditatione ac luce cælesti, & experientia lapsuum alienorum: liberabit te Dominus à lapsibus proprijs; & magna experieris auxilia, quæ tibi ad optatam puritatem consequendam dabit.

DENIQVE quantumuis preciosa sit Virginitas non inueniet coram Deo gratiam, nisi coniunctam habeat humilitatem: vtriusque enim coniunctione beatissima Virgo Domina nostra adeo copiosam inuenit, vt in eiusdem Dei matrem propterea fuerit electa. Vt perpendit S. Bernardus grauibus hisce, & vtilibus verbis, quibus vtramque virtutẽ inter se confert. Pulchra, inquit, permixtio virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima in qua & humilitas cõmẽdat Virginitatẽ, & virginitas exornat humilitatem. Audis Virginem: audis humilem. Si non potes Virginitatem humilis; imitare humilitatem Virginis. laudabilis virtus virginitas: sed magis necessaria humilitas. illa consulitur, ista præcipitur. De illa dicitur: *qui potest capere capiat*; de ista dicitur: *nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, nõ intrabit in regnum cælorum*. Potes deniq; sine Virginitate saluari: sine humilitate non po-

3. *Lib. de Contin. cap. 4.*

i *Ierem. 17.5 Primatentatio dæmonis est multum sibi fidere.*

k *Psal. 81.6.*

l *Psal. 29.7. Lib. de Continen. c. 14. Cellar. 12. c. 15. & 16. Non fidere sibi victoriã est contra Luxuriam.*

4. *Homil. 1. super Missus est. Virginitas sine humilitate ingrata est Deo.*

m *Matt. 18. 3.*

tes; poteſt, inquam placere humilitas, quæ Virginitatem deplorat amiſſam? ſine humilitate autem audeo dicere: nec virginitas Mariæ placuiſſet m *ſuper quem*, inquit, *requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper humilem, & quietum?* ſuper humilem dixit; non ſuper Virginem. Sīgitur Maria humilis non eſſet, ſuper eā ſpiritus ſanctus non requieuiſſet: neque eius virtute concepiſſet. Reſpexit inquit, humilitatem ancillæ ſuæ Deus, potius, quàm Virginitatē. Et ſi placuit ex Virginitate, tamen ex humilitate concepit, vnde conſtat, quia etiam, ſi placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. Quid dicis Virgo ſuperbe? Maria Virginem ſe oblita, gloriatur de humilitate: & tu neglecta humilitate, blandiris tibi de virginitate. Quanto honorabilior es ex ſingulari munere Caſtimoniæ: tanto tibi maiorem iniuriam facis, quòd eius indecorem fædas permixtione ſuperbiæ. Alioquin expedit tibi virginem non eſſe: quàm de Virginitate inſoleſcere. Non omnium quidem eſt Virginitas, multò tamen pauciorum eſt, cum Virginitate humilitas. Si igitur Virginitatē in Maria non potes niſi mirari; ſtude humilitatem imitari: & ſufficit tibi. Quod ſi & virgo & humilis es: quiſquis es, magnus es. Hæc S. Bernardus. quibus præſtantiam oſtendit permixtionis vtriuſque huius virtutis, quæ ora occludunt duarum filiarum n *ſanguiſugæ, dicentium ſemper: affer, affer.* Nam vt idem Sanctus dixit, nec anima vanitate; neq; caro voluptate ſatiatur. At humilitas intercipit inſatiabilem vanitatis appetitum; & virginitas & caſtitas reprimit inſatiabile voluptatum deſiderium. Quare vtraque animam diſponit atque exornat, vt Rex cæleſtis eam dignetur in ſponſam acceptare.

m *Iſaiæ vlt. 2. Super humilem ſpiritus Domini requieſcit*

n *Pro. 30. 5*

§. II.

I. *Caſtitas ſecretò ſeruanda. Lib. de Gloria Confeſſ. c. 32.*

HVMILITAS hæc præcipuè ſeruanda & oſtendenda eſt in aliquibus, quæ tutum valde faciunt theſaurum Caſtitatis. *Primum* eſt, vt ſummo ſecreto illi tibi ſoli ſerues caſtitatem: vt nullo verbo, quo d vanitatem aliquam aut ſuperbiam ſapiat, aut inane deſiderium oſtendat, quod propterea in honore haberi velis, illam prodas. Theſaurus enim adeò præciolus, vt tutus ſit, occultus eſſe debet: quare inaniter illū oſtentans, occaſionem præbet Dæmonibus, eū deprædandi. Mirabilē caſum refert S. Greg Turonenſis de duobus coniugibus, qui voto ſe obſtrinxerant perpetuæ Virginitatis. Vxore autem mortua, vir corā multis dixit: gratias tibi ago Domine, quod quemadmodū Virginem hanc mihi in vxorem dediſti: etiam Virginem reddo. Et tunc vxor defuncta oculos aperuit, dixitque ſubridens: vir Dei, ne prodas noſtrum ſecretū cū te nullus interroget. Voluit. n. illi dicere: attende, quod occulta alias virtus, non ſit abſq; neceſſitate manifeſtanda, vt conſeruari poſſit. Memor eſto, te virū eſſe; tuāq; Caſtitatē in medijs innumeris periculis verſari, à quibus non poteris illæſam eā ſeruare, niſi humilitate tectam. Sed rarius adhuc & admirabilius fuit exemplū, q̄ Caſſianus refert, de quodā ruſtico, qui

virtus occulta non eſt ſine neceſſitate manifeſtanda. Collat. 17. c. 17.

dum

dũ veheret suorũ frumentorũ Primitias ad Sanctũ quendã Abbatẽ, cui nomẽ erat Ioannes, inuenit ibi quendã obsessum à Dæmone, valde ferum: per cuius os loquebatur Dæmon, contẽnens exorcismos, & mandata sancti illius Abbatis, & protestans: se propter illa non exiturum ex corpore, in quo erat. Sed eodẽ momento, quo rusticus ille accessit, solo eius aspectu territus Dæmon, & summa cũ reuerentia eũ nominans, exiuit ex corpore, quasi dicens: hic est qui me eijcit, nec ego possum in eius præsentia amplius hic manere. Stupefactus ex hoc euentu S. Abbas Ioãnes, instanter petijt ab homine illo, quam vitæ rationem haberet? sed cùm ille esset valde humilis, solum respõdit se esse sæcularem quẽdam coniugatũ. Sed S. Abbas ad huc institit, vt bona opera, quibus occuparetur, aperiret. Is vt obediret respondet: se esse pauperẽ quendã rusticũ, qui laborẽ manuũ victũ suũ quæreret; nec se meminisse alterius rei bonæ, nisi quòd cùm mane ad laborandũ exiret, & cùm vesperi domũ rediret semper ingrederetur templũ, gratias Deo agẽs ob accepta ab eo beneficia. Et in hunc modũ quædã alia retulit, quę & si bona erãt nõ tamẽ adeò excellentia, vt viderentur sufficere ad terrorem dæmonibus inferendum, quare Sanctus Abbas adhuc tertiò illum obstrinxit, vt aperiret quod tantopere occultare nitebatur; & tandem sic constrictus respondit valdè demisse: se magnum habuisse desiderium, vt monachus fieret; sed à parentibus fuisse coactum vxorẽ ducere, & elapsos esse iam vndecim annos: in quo toto tempore se habuisse vxorem non aliter quàm sororẽ, seruante vtroq; virginitatẽ, nullo alio eius rei conscio. Quo audito Abbas ita obstupuit, vt ingenti clamore publicè dixerit: non sine causa dæmon, qui nihili me faciebat, fugit à conspectu huius, cuius virtutem non potuit expugnare, non solùm ardore iuuentutis, sed neque tempore coniugij. Sed ego addo: quamuis huius viri Castitas fuerit rara: non tamen minus rara fuisse eius humilitatem. & quoniam Dæmon adeò est superbus, non tam fuit territus, quòd videret hominem castum, quàm quòd simul videret adeò humilem. Cui si defuisset humilitas; non ipsum dæmonem terruisset castitas. Coniungamus itaque semper has duas sorores, & fugient à nobis dæmones. Et quoniam superbia valde est astuta, impellitque ad manifestandas virtutes sub eo prætextu, vt gratiæ Deo agantur, aut propter illas glorificetur, vt in primo vidimus exemplo: discamus ex secundo, nõ adhibere illi fidem leuiter, sed eas occultare studeamus, donec obedientia & Charitas vrgeat nos, ad eas manifestandas: & tunc gloria Deo tribuetur; quando ex tali occasione gratia, quam ipse dedit, manifestabitur. Et cum ipse semper exaltet eos, qui se humiliant: nostri muneris est, eius dona cum humilitate occultare, vt tutiora sic maneant: ipsius autem prouidentiæ erit, viam & rationem præbere, qua illa manifestentur; quando ipse vult ex eis glorificari ad aliorum vtilitatem.

Humilitas fugat dæmones cum Virginitate.

Secun-

In Psalm. 99. prope finem. Lib. de Sancta virginitate. c. 5. Inanis gloria fugienda. Epist. 42.

Secundum, in quo humilitas elucere debet, illud est, vt ne quis inanis glorietur de excellentia & perfectione sui status, alios verò contemnat, qui habent minus perfectum. Vera enim excellentia, & amplitudo cordis Deo nō in alio cōsistit, quā in sanctitāte cordis, quæ status sanctitatē exp Nam vt S. Augustinus dixit: melius est humile cōiugium, quàm superba virginitas, si. n. nubens nō haberet nomē, vnde extolleretur, & haberet sī nū quo regeretur. Humilitas statū ex se vilem nobilitat, superbia etiam e altissimum reddit abiectum. Ac propterea apud Deum altior est comm humilis Virgine superba; & magis ei placet humilis sæcularis, quàm sup bus religiosus. Quod si tamen humilitas vilem alioquin statum adeò em let; quāto eadē amplius extollet statū ex se excelsū? triūphat. n. tunc de ho potentiori, vnde S. Bern. in alto posito nō altū sapere difficile est, & omn inusitatū; sed quanto inusitatius tanto glorioſius. Qui igitur statū ac dona Castitatis accepit: gloriam suam non in honore & laudibus hominum p nat; sed in vero earū contemptu: optans Deū solum honorari & glorifica ex suis donis; & studens, ne ob aliquā superbiam, eorum se reddat indig

EODEM dirigitur epistola illa, quam canit Ecclesia in festis Virginum, am buens illis memorāda iſta Apostoli verba: a *qui gloriatur, in Domino gloriet non enim qui seipsum cōmendat, ille probatus est: sed quem Deus cōmendat.* b *Vi sustineretis modicū quid insipientiæ meæ: emulor n. vos Dei æmulatione. Despō vos vni viro virginē castā exhibere Christo. Timeo autē, ne sicut serpēs Euā sedu astutia sua, ita corrūpantur sensus vestri, & excidāt à simplicitate, quæ est in Chri*

a 1. Co. 10. 17 b & Ca 11. 1

Quibus verbis Sanctus Apostolus magno zelo optans virgines & om Continentes Christi Domini sponsas seruare illi fidelitatem, & non amitt re bonum quod acceperunt, duo magni momenti documenta illis trad *Alterum* est, vt in Domino tantum glorientur, hoc est, Deū ipsum agnosc verum Dominum, patrem, & sponsum; nolentes sibi ipsis gloriam ex Ca tate & reliquis bonis quæ habent: cùm verè non ipsorum sint; sed eam te soli Deo tribuentes à quo illa acceperūt. Ne illos reprehendens, eis dica *quid habes, quod non accepisti? Alterum* documentū est: vt quamuis magnal beant dona, existimēt se magna & præclara præstare: nō tamen se ipsos pr pterea approbent & cōmendent: cum facilè possint decipi. Et d *quis* (ait S lomon) *potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato?* & e *quis gloria bitur se castū habere cor?* quamuis enim ipse non inueniat in se culpā: fieri po test, vt Deus, qui est ipsum iudicaturus aliquā inueniat; & quamuis castita tem habeat corporis: fieri potest, vt spiritus puritas aliquam habeat macul

In Deo gloriandum est

c 1. Cor. 4. 7 *Commendatio propria fugienda.* d Pro. 20. 9. e *ibidem iuxta* LXX.

Ex his licet cū eodē Apostolo *tertiū* documētū deducere; vt viuamus sollicite in perpetuo timore nostræ debilitatis, memores, q Eua, cum esset Virgō, decepta fuerit à serpēte: cuius deceptio initiū habuit à superbia, quæ fuit

primum eius peccatum, ex quo orta sunt inordinata ad sensuales voluptates desideria. Qui autem fundamentum iacit humilitatis, illa ipsum à laqueis, & astutijs serpentis eripiet, vt mox videbimus.

IMPONAMVS igitur finem allatis alijs documentis ex S. Augustino, qui in libro de sancta virginitate, postquam eius magnalia retulit, sermonem ex professo instituit de humilitate, tanquam medio, ad eam custodiendam, necessario: exhortans virgines, ne se præferant coniugatis, sed Ecclesiastici consilium amplectantur: f *quanto magnus es, humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*, qui solet humiles honorare.

ET post multas alias rationes sic ait: venite ô virgines, agite virgines Dei, hoc agite: sequimini agnum quocunque ierit; sed ne superbia tumentes accedite: quia tunc non poteritis eum sequi, cum per angustam deducet semitam: prius igitur ad eum, quam sequamini, venite, & discite: f *quoniam mitis est & humilis corde*. Humiliter ad humilem venite, si amatis; & ne discedatis ab illo, ne cadatis. Pergite viam sublimitatis ipsius virginitatis, pede humilitatis. Bona eius illi seruanda committite. Quidquid mali, quod contra puritatem non facitis, tanquam eius gratiâ concessum deputate. de viribus vestris expertis cauete: ne, quæ ferre aliquid poterstis, inflemini: de inexpertis autem orate, g *ne supra quam potestis ferre, tentemini*. Existimate aliquos in occulto superiores; quibus estis in manifesto meliores. multi enim coniuges, & sæculares, qui sunt in statu inferiores, sunt fortè in occulto vobis meliores, quamuis vos in publico videamini esse meliores: cùm aliorum bona, fortè ignota vobis, benignè credûtur à vobis: at vestra, etiamsi nota, nõ propterea minuitis, quòd alienis minora existimetis; sed charitate potius eadem augetis. Et quæ fortè adhuc vobis desunt, tãtò dabũtur facilius, quantò desiderabuntur humilius. Perseuerantes inter vos in puritate, præbeãt vobis exemplũ, vt in ea crescatis: cadentes autem, augeant timorẽ vestrũ; ne sicut illi, & vos cadatis. Illud amate, vt imitemini; hoc lugete, ne inflemini. Inspicite pulchritudinem amatoris vestri: cogitate æqualem patri, subditum & matri; in cœlis dominantem. & in terris seruientem; creantem omnia, creatum inter omnia, hoc est, tãquam creatum se gerentem. Illud ipsum quod in ipso deridենt superbi, inspicite, quam pulchrum sit. Totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus est in cruce: totũ teneat in animo vestro, quidquid noluistis occupari connubio. Sic amantibus mitem & humilem corde, nulla prævalebit superbia. Hæc omnia Augustinus ad preciosam virginitatis margaritam tutiùs cum humilitatis ornamento custodiendam: quæ ne in alterum inclinet pusillanimitatis extremum, coniungi etiam debet fiduciæ in Deum: de qua iam iam agetur.

4.
A cap. 31.

f Eccl. 3. 20

Ca. 52. & 58. *Superbia virgini fugienda.*

f Matt. 11. 29.

g 1. Cor. 10. 13.

Cap. 54.

Cap. 55.

CAPVT VIII.

FIDVCIA OBTINENDI DONVM CASTITATIS *in cuius conseruatione in medijs tentationibus, Omnipotentia diuina mirificè splendet; sicut & in ingenti pace ac tranquillitate post eas deuictas.*

PERFECTA CASTITAS, quam Sancti puritatem Angelicam vocant, est prodigiosa quædam virtus, ac diuinæ omnipotentiæ miraculum, ad gloriam Redemptionis Christi; & ad manifestandam gratiæ eius efficacitatem. Nam, si, teste S. Bernardo, ingens prodigium est, quod Deus diuinam fidem coniunxerit cum humano intellectu, valdè aliàs propenso, ad inuestigandam rationem omnium, de quibus velit iudicare: non est minus mirum Angelicam castitatem cum carne, adeò ad sensuum voluptates propensa coniungere; ita vt ab huiusmodi flammis non vratur. Vere (ait Cassianus) illud est mirabile opus: hominem carneum carnales affectus in carne positum respuisse; & (vt Apostolus dixit) a *in carne ambulantes, non secundùm carnem militare.* Quod miraculum ait esse ei simile, quod vidit Moyses in rubo; quæ ex omni parte igne circumdata, etsi ardebat, non tamen vrebatur, nec consumebatur. Quod ipse admirans, b *vadam*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Si esset adamas, aut ferrum, non mirarer sed quod sit rubus arida, & quæ facilè comburi possit; nec tamen consumatur: hoc me rapit in admirationem. Non igitur minus rapit admirationem, quòd caro iusti & casti hominis igne carnalium concupiscentiarum circundata, & quæ adeò facilè ab his flammis comburi possit, non tamen comburatur; sed suam seruet integritatem, & splendorem, atque si inter flores & rosas versaretur. Sed cessat admiratio, si attendamus, quod quemadmodum Deus D.N. cuius omnipotentiæ res omnes obediunt, est in medio rubi conseruans illam à læsione ignis: ita etiam idem Dominus est in anima casta, ita eius puritatem conseruans, vt in medio tentationum ignis non comburatur, nec pereat aliquo in eas consensu. Euenit etiã castis, quod tribus illis pueris in fornacem Babylonicam iniectis c *quos non tetigit omnino ignis, nec quicquam molestiæ eis intulit*, cùm tamen erumpens, *incenderit*, quos reperit *iuxta fornacem de Chaldæis: descenderat enim Angelus Domini*, cum illis pueris, aut (vt ipse Nabuchodonosor dixit) quidam *similis filio Dei*, qui eos ab illo incendio liberauit.

Castitas omnipotentia Dei miraculum est. Serm. 3. de de vig. Natiuitat.

Coll. 12. de Castitat. c. 13. 11.

a 2. Co. 10. 3

b Exod. 3. 3.

Deus animam castam conseruat.

c Dan. 3. 48 50, 92.

HAC igitur ratione existunt casti in carne, quæ instar est fornacis Babylonicæ, flammis concupiscentiarum, ac tentationum carnalium plenæ, quas dæmones fouent. Et quamuis hic ignis filios huius sæculi comburit, qui sponte sua, sicut illi Chaldæi, ad ipsum accedunt, & proprio periculo delectantur: non tamen castos comburit, nec vllam eis molestiam infert: eò quòd inuiti inter flammas existentes, earum ardoribus strenuè resistant. Quod tamen non prouenit ex virtute ipsius carnis, quæ eadem est in omnibus, & easdem habet in eis propensiones; sed à virtute omnipotentiæ Dei, mittentis Angelum suum in protectionem Castorum: & ipsemet filius Dei eisdem assistit, vt tueatur; & gratiæ suæ efficacitatem in eis absque periculo, in medijs flammis, conseruandis ostendat.

Flamma concupiscentiæ filios huius sæculi comburit.

HÆC est insignis illa promissio Dei, quam refert Isaias his verbis: d *hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel: noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, Saluator tuus.* O verba amore plenissima! ô promissiones dulcissimæ! ô tutissima nostræ puritatis, & Castitatis pignora! quis adeò erit pusillanimis, qui huiusmodi promissis animum non erigat? & quis adeò diffidens, vt talibus pignoribus non excitetur?

d *Isai. 43.1. Christi promissio.*

NOLI timere, ô homo, ait qui te creauit & formauit, ego animam tuam ex nihilo creaui; & corpus tuum in matris tuę visceribus formaui: ad me itaque spectat, vtrumque in puritate sibi necessaria conseruare, qua ad finem peruenire possint, ad quem vtrumque condidi. *Ego te* etiam *redemi* precio sanguinis mei; & ab inferni igne, quem eras promeritus eripui: cupioque à tentationibus, quibus impugnaris, liberare: ego enim auxilia tibi sum promeritus, quibus victoriam de eis referas. Ego te proprio *tuo nomine vocaui:* quia nouit te, amo te; & elegi, vt mihi in Castitate, & Sanctitate perfecta seruires. *meus es tu,* idque multis nominibus: es enim factura mea, seruus meus, & per Baptismum factus es filius meus, & bonorum meorum hæres; & es in meum obsequium destinatus. meum est corpus tuum, & anima tua cum omnibus facultatibus & sensibus. Ad me spectat, ea conseruare, tueri, ac perficere: quia mea potiùs sunt, quàm tua. Quis est homo, qui domus suæ rationem non habeat; qui si videat, eam aqua aut igne circumdari, non statim accurrat, ad damnum præcauendum ac reparandum? Quamobrem *noli timere*, sed certus esto, quòd *si transieris per aquas* ingentium tribulationum ac tentationum, *tecum ero*, vt non submergaris: sed potius virtutem tribuam, qua possis sicut sanctus

1. *Christus creauit nos ex nihilo.*

2. *Redempti per Christū.*

3. *Deo noti sumus.*

4. *Nostra omnia Christi sunt.*

e Mat. 14. 29

Petrus e *super aquas ambulare*, & omnibus tribulationibus superior esse. *Si ambulaueris in igne, non combureris*: nam etsi maior esset ac vehementior fornace Babylonica, *ego tecum ero*; efficiamq; ne sensualium tentationum flammæ te comburant. Non enim flamma illa ardebit in te: nam etsi pars anima inferior arserit, superior non ardebit, nec eam aliqua culpa inficiet: ego enim te gratiâ meâ præseruabo.

NE DIFFIDAS, *quia ego Dominus Deus tuus* omnipotens, voloque tuum remedium: sum enim *sanctus*, & cupio omnes tales esse; & ex officio mihi incumbit id procurare; sum etiam *Saluator tuus*, & volo efficacitatem gratiæ meæ in eo ostendere, vt à tot periculis te eruam; & absque læsione in tantis ignibus conseruem. Si igitur quando olli te circumdederint, confide mihi magnaque cum fide dic: *tuus sum ego: saluum me fac*: & ego statim accurram vt saluem; quia tu es meus, & sub mea te habeo protectione.

HÆc sunt magni Dei nostri promissa, quinque pignoribus innitentia quæ nobis tradit; quòd Omnipotentiâ suâ sit nobis auxilium præstitum ne in luxuriæ flammis pereamus.

§. I. *Diuinæ Omnipotentiæ prodigia in fauorem Castitatis.*

Colla. 11. c. 10. & 12. S. Th. 22. q 135 a. 1. ex Arist. 7. Ethic. Duplex actus virginitatis.

VT AVTEM ab ipso fundamento & radice intelligatur, quàm præclarè ac admirabiliter, quæ hactenus diximus, gerantur: aduertendum est: virginitatem (vt ait Cassianus quem sequitur S. Thomas) duos habere gradus: *alterum* imperfectum, & proprium Tyronum & pugnantium: quem Aristoteles proprio nomine continentiam appellauit: eò quòd contineant se illi ac frenent, resistentes impotenti passionum suarum impulsui: *alterum* perfectum, proprium hominum iam consummatorum, & quasi triumphum agentium: qui, pugnâ absolutâ, magna pace fruuntur: & hæc pleno ore Castitas appellatur, & puritas Angelica. Primi significantur per Iacob luctatorem; alij per Israelem videntem Deum, quibus facta sunt promissa, proximè insinuata: In primis inchoantur prodigia omnipotentiæ diuinæ in fauorem Castitatis; in alijs eadem perficiuntur. vt facile apparebit in solennibus illis duobus prodigijs a DEO factis in tribus illis pueris fornacis Babylonicæ. *Primum* fuit statim in initio, cùm a nullis *sunt in medium fornacis vinculi cum bracciis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus.* Et tunc licet ignis a Deo esset propè, vt vincula ipsa combureret: reliquas tamen vestes & corpora non adussit. Quod in tantam admirationem induxit Nabuchodonosorem, vt, quasi extra se positus, dixerit: *Nonne tres viros alligatos misimus in medium ignis compeditos, & quomodo ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis?* ô magnum prodigium (ait S. Hieronymus)

I. a Dan. 3. 22. 23.

In eũ locũ.

ardent

ardent vincula, quibus ligati sunt; & vinctorum corpora timens flamma non tangit! comburitur funiculus, quo pedes erant ligati, vt solutis liceret inter flammas liberè deambulare: & tamen nec corpus, nec reliqua vestimenta comburuntur, *nec quicquam molestiæ illis intulit* gnis. ô rem stupẽdam (ait S. Chrysostomus) *vinctos soluit flamma, & ipsa a vinctis victa est: mutauit enimuero naturam adolescentulorum Religio: imò quod mirabilius est, non naturam mutauit, sed permanentis naturæ vim repressit*: & corpus indutum, quod alias erat ignis fomentum & esca, ipsum ignem repressit. Hoc fecit omnipotentia Dei, b *cuius vox intercidit flammam ignis*, ne faciat quidquid potest; sed solùm quod prouidentia diuina permittit ita vt luceat, sed non comburat. & vt ait S. Gregorius: *vno eodemq; tempore in obsequio istorum, & haberet flamma virtutem ad solatium, & non haberet ad tormentum*: combussit enim, quod impediebat; non combusit, quod tegebat.

Hoc igitur prodigium facit Deus spiritualiter cum candidatis Castitatis, qui in suis initijs sunt veluti immersi in fornacem ignis tentationum vehementium. Sed ex virtute Dei fit, vt hic ignis ardeat quidem, quasi in suburbijs, & areis siue vestibulis carnis: sed non attingit partem animæ superiorem, cruciat, sed non occidit; pœnam infligit, sed non adfert culpam; carni est molestus, sed spiritui est vtilis: eò quòd illustret doceatque Deo fidere, sibi autem diffidere; & purificat quasi aurum in conflatorio; &, nacta occasione, comburit ipsa ligamina, dum passiones & inordinatas propẽsiones mortificat ilia violentia, quæ adhibetur, dum tentationibus resistitur; & si quid erat superbiæ, aut fiduciæ propriæ, id ipsum etiam comburit, & consumit, cum tam fœlici exitu, vt quod Diabolus ad eius perniciem adhibebat, conuertatur in eius commodum; ita vt dicere possit cum Dauide: c *dirupisti Domine vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo*. & tunc impletur quod superius dicebamus: d *cum ambulaueris in igne, non cõburêris, & flamma non ardebit in te*: etsi enim ardebit in carne tua: non tamen in spiritu, qui est optima pars tui: gratias sq; Deo ages cum Ecclesiastico verbis illis: Quæ Ecclesiæ applicat Virginibus. e *Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum, quia liberasti me a pressura flammæ, quæ circumdedit me: & in medio ignis sum æstuatus*: nam spiritus meus erat liber; & illæsus mansit, etiamsi flammæ tentationum carnem meam vexarent.

SED magnum latet mysterium in eo, quòd scriptura ipsa diuina perpenderit, cùm nullum vestimentorum prædictorum trium puerorum fuisset combustum, nominatim addiderit: f *& Sarabala eorum non fuisse immutata*, cũ enim Sarabala sint, caligæ; significare voluit: ignem tentationũ, ob Dei virturem in eis manentem, non solùm corporis & animæ munditiem non inficere, sed neque verecundam nuditatem aperire; nec propositi prioris

Homil. 4. ad Popul.

b *Psal. 28. 7*

Li. 3. Dial. c. 18.
" "
" "
Corpus castorum affligitur tentationibus, non animæ.

c *Psal. 115. 17*

d *Isai. 43. 2.*

e *Eccl. 51. 1. & 6.*

f *Dan. 3. 95.*

firmitatem mutare: sed cum totius mundi admiratione recentissimum illum seruare.

2. ALTERVM prodigium, quod fecit Deus cum tribus pueris, fuit; quod
g *Vers. 49.* *Angelum Domini descendere cum illis in fornacem, & excussisse flammam ignis fornace, & fecisse medium fornacis, quasi ventum roris flantem,* ita vt *non tetigerunt eos omnino ignis, neq; cõtristauerit, nec quidquam molestiæ intulerit,* h *nec odor ignis transierit per eos.* Vult enim Deus omnipotentiam suã manifestare, dans prodigiosam quandã pacem post pugnã adeò crudelem; & magnã serenitatem post tempestatem adeò horrendã: remouens ipsum ignẽ, & adeò procul illum excutiẽs, vt ab ipsa quoque carne recedat: ita vt, & ipsæ tentationes cessent fœdæ imaginationes euanescant; & voluptatũ sensualium motus procul recedant: maneatque totus homo in magna quiete: nec tristitiam aliquam habeat, nec molestiã. Et tunc accedit è cœlo *ventus roris* diuinarum inspirationum *flans,* qui passionum ardorem extinguit: simulq; descendit ros deuotionis, & cœleste solatiũ, cor exhilarans, & omnẽ expellens tristitiã præcedentẽ. Tunc lætitiæ cantica renouantur, oẽs creaturæ conuocantur, & inuitantur ad benedicendũ Domino ob collata sibi tot beneficia; & se ipsos mutuo exhortantur, vt millies ipsi benedicant: dicentes cũ tribus illis pueris: i *benedicite Anania, Azaria, & Misael Domino laudate & superexaltate eum in sæcula, quia eruit nos de inferno, & saluos fecit de manu mortis, & liberauit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos.* Tunc incipiunt dulcia cũ Angelis miscere colloquia: quia quisq; delectatur conuersari cũ sibi simili; & ipsi Angeli accedunt, seq; faciunt eorũ socios: & ipsemet filius Dei, lubẽs descendit ad ipsam fornacẽ, & arctã cũ eis init familiaritatẽ. Hic (ait Cassianus) reipsa impletur, quod dixit Dauid: k *ecce quam bonũ, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Nã caro & spiritus sunt iã sibi conformes, & consentientes: vt spiritus non vexetur, aut molestetur à carne. Et ipse Christus implet illis quod promisit, dicens: l *si duo vel tres ex vobis consenserint super terram, de omni re, quacunque petierint, fiet illis a Patre meo, quia ego in medio eorum sum.* Valde enim ipse delectatur habitare in animabus habentibus pacem: iuxta illud Dauidis: m *notus in Iudæa Deus: & in Israel magnũ nomẽ eius. & factus est in pace locus eius; & habitatio eius in Sion. Ibi confregit potẽtias arcuũ, scutũ gladiũ & bellum* Hoc enim significat; quòd quãuis Deus notus sit & venerationi habeatur apud animas per Iudæam significatas, quæ humili suorum peccatorum confessione sese affligunt, & in lacrymis versantur: in illis tamen, quæ per Israel significantur, & quiete gaudent, quã ex victoria hostium suorum sunt assequutæ: non solũ notus est, sed etiam magnificatus, & vehemẽter exaltatus: delectatur enim habitare in eis, quæ strenuè pugnarunt, & ipsius gratia hostiũ arma confregerunt; & victoriã, ac pacem, quæ eius est fructus, obtinuerunt.

h *Vers. 94. Pugnam pax sequitur.*

i *Vers. 88.*

Coll. 12. c. 11
k *Psal. 132. 1*

l *Mat. 18. 19* *Anima pacifica Christi habitaculum est.*
m *Psa. 75. 1.*

nerunt. Et quāuis n *Dominus diligat tabernacula Iacob, super omnia tamen illa* (vt idem Dauid ait) *diligit portas Sion.* Hoc est licet valde diligat luctatores & pugnaces, continuū gerentes bellum cum passionibus: multò tamen amplius eas diligit, quæ suas passiones iam vicerunt, & optata fruuntur pace. n Psal. 86. 2

Ex quo fit, vt perfectior gratiorque sit Deo Castitas pacifica, quàm continentia pugnax: quando scilicet pax in legitima pugna est obtenta. Quod Sanctus Thomas approbat ac declarat dicens: non semper esse melius, quod est difficilius, & maiorem adfert dolorem; nec semper esse minus bonum, quod suauius est, ac facilius: sed respiciendam potius esse originē, & causam, vnde id prouenit. Quod si causa sit naturalis, aut merè exterior: facilitas ex ea orta imminuit meritum. quare cōplexione frigidus; & ipsa natura horrēs eiusmodi voluptates; & vbi nō adsunt earūoccasiones: minus meretur quòd sit continens; quā qui valde calida est cōplexione; & ad huiusmodi voluptates propensa; & vbi sunt eis potiendi occasiones: quibus tamen omnibus ipse resistit, vt castus euadat. Quod si omniū horū causa sit spiritualis, pia, & laude digna: facilitas ex eo prouenies auget meritū. Quare qui magno spiritus feruore, aut charitatis magnitudine, aut insigni fortitudine (quā in pugnando adhibuit, sibiq; vim intulit) eò deuenit, vt non sentiat difficultatē in actionibus virtutis; sed potiùs dulcedine quadā afficiatur, magnaq; pace, ac tranquillitate in castitāte potiatur: multò ampliùs meretur, Deoque placet, quàm, qui magnas sentit repugnantias ob ignauiam suā in pugnando cōtra eas. Neque par fuisset, feruentem, ob suauitatem, quam ubi tanquam sui laboris præmium comparauit, aliquam iacturam facere; neq; obtenta victoria causa debet esse, cur lucrum imminuatur; sed potiùs, vt augeatur. *Castitas pacifica Deo gratissima. 2. 2. q. 152. art. 4. ad 2.*

§. 2. *Facile esse Deo, luxuriosos ac tentatos in castos, & tranquillos ac pacificos commutare.*

QVAMVIS vera sint quæ diximus: non desunt tamen multi, non solum inter gentiles & hæreticos, sed etiā Christianos, adeò vitio luxuriæ dediti, & qui toties propriarum concupiscentiarū flammis vrantur, vt impossibile sibi iudicent, diu consistere, quin hoc igne comburantur, & in aliquod graue peccatū labantur. Alij etiā sunt, nec pauci adeo his tētationibus vexati, vt non possint sibi persuadere, si posse eò peruenire, vt ab eis liberentur, & castitate pacifica, & Angelica puritate potiantur. Et quāuis ad vtroq; conuincendos sufficiebant, quæ diximus. de omnipotētia Dei-cui (vt S. Bernard. patruo suo valde incredulo dixit) facillimū est facere quod hominib. est difficillimū credere; tamē vt omnino sese victos dedāt, vtilissimā quandā doctrinā hic ponemus à Cassiano insinuatā, præmittēdo: de possibilitate, & excellentia virtutū non debere vitiosos & imperfectos homines iudiciū ferre ex eo, q ipsi in se ipsis experiūtur; aut quod ppriū iudicium ex ratiocinationib. *Coll. 12. c. 8. Imperfecti homines de virtutibus iudicium non ferant.*

pro-

Perfectorum iudicio standum.

propriæ imbecillitati innitentibus dictat; sed ex eo, quod perfecti & experti sentiunt, quorum iudicio meritò subijcere se debent, cùm audiunt: possibile & facile esse, quod ipsi impossibile, aut difficillimum reputabant. Cuius rei multa sunt exempla in ipsa natura. si enim rustico alicui diceretur: variis artis mutationibus, ex quadam herba fieri linum album, & ex rudioris telæ frustulis chartam confici subtilem; & ex quadam massa terrea splendidum vitrũ, si nihil huiusmodi prius audiuisset, & proprio tantũ iudicio vteretur, diceret hæc omnia esse impossibilia, & quasi deliria: sed si multi viri graues ei dicerent: se proprijs oculis talia fieri vidisse, non posset is fidem non adhibere: alioquin inurbanus, & stultus iudicaretur. Quod si ad locum illum duceretur, in quo illa fiunt; proprijsque oculis ea videret: ex vna parte obstupesceret, videns adeò extraordinarias mutationes posse ab arte fieri; ex altera autem parte propriam ignorantiam incusaret, ac disceret similia posterum credere. Hunc igitur, in modum rudes in schola virtutum credere meritò debent, diu in eisdem versatis & exercitatis: cùm ex propria experientia testantur: non esse vllum hominem adeò carnalem & lasciuum qui non possit fieri castus; neq; vllum adeò tentatum, & expugnatum vitiis posse ad quietem & pacẽ peruenire. Nam, si ex quadam terrea massa potis ars vel ex vnico statu conficere vas vitreum adeò pulchrum & purum: quanto facilius diuina omnipotentia poterit diuini sri spiritus habitu, & inspirationis efficacitate carnalem hominem in spiritualem, & terrenum in cœlestem commutare; & Angelicam castitatem, non habenti communicare? Ostra oculis Religiosorũ monasteria: inter quos, multos inuenies castissimos quos gratia diuina per totam vitam à culpa graui præseruat, etiamsi grauem sustineant pugnam; & alios multos, qui fruuntur iam suæ victoriæ pace, cum maiori multo animi lætitia, quod sensuales voluptates repellant, ac reijciant quàm homines sæculares habere possint in eisdem procurandis.

Rudes in schola virtutis credãt versatis.

Li. 8. Confess. c. 11.

ESTO memor, quid euenerit S. Augustino dubitanti, an posset seruare castitatem: cui Dominus noster illam ostendit serenam, & non dissolutè hilarem. quæ honestè (inquit) blandiebatur, vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, & puellæ; ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus; & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito tuo Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: tu non poteris quod isti & istæ! An vero isti, & istæ in semetipsis possunt ac non in Domino Deo suo? Domine Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? proijce te securus in eũ, noli metuere: non se subtrahet, vt cadas. Proijce te securus, excipiet te, & sanabit te. Accipe, inquam, hoc consilium, sicut

Illud

illud accepit S. Augustinus, & virile concipe propositū, magno feruore incipiendi pugnare contra tuas tentationes, confidens in Dei Omnipotentia, quæ ad eam te pugnam inuitat, ad maiorem ipsius gloriam. & fortè experieris mox cordis tui mutationem, quemadmodum dixit S. Dauid, intra se ipsum; a *nūc cœpi*: seruire scilicet Deo. Et statim ita mutatū se sensit, vt adiecerit: *hæc mutatio dextera excelsi*: & ob similes mutationes quas in se experiebatur exclamauit alia vice dicens b: *mirabilia sunt opera tua, & anima mea cognoscit nimis*. Quis (ait Cassianus) in se opera Domini non miretur, cū insatiabilem ventris ingluiem, & sumptuosam gulæ perniciosamq; luxuriam, ita in se viderit fuisse compressam, vt vix ipsum exiguū ac vilissimum cibum ratò, inuitusq; percipiat? Quis nō obstupescat opera Dei, qui illū ignem libidinis, quem naturalem antea, & velut inextinguibilem esse credebat, ita refriguisse præsenserit, vt ne simplici quidem se corporis motu sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat, quisque, cum homines quondam diros, atque truculentos, qui ad summū iracundiæ furorem etiā blandissimis subditorū irritabantur obsequijs, ad tantā transijsse viderit lenitatem, vt non solū nullis iā commoueantur iniurijs, sed etiā, cū illatæ fuerint, summa magnanimitate congaudeant? Quis plane non miretur opera Dei ac toto proclamet affectu, c *quia ego cognoui, quod magnus est Dominus*. cū vel se, vel alium quempiā ex rapacissimo liberalē; ex prodigo, continentem; ex superbo, humilē; ex delicato ac tenero, squalidū hirsutumq; perspexerit; & egestatē atq; angustiā præsentiū rerū etiā voluntariè perferentē? Ista sunt profectò, mira opera Dei, quæ peculiariter animæ Prophetæ similiumque eius mirificę contēplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia, quę posuit super terrā: quæ idē Propheta considerans ad admirationē eorum cunctos populos aduocat, dicens: d *Venite & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terrā, auferens bella vsq; ad finē terræ, arcum conteret, & confringet arma, & scuta cōburet igni*. Quod n. maius potest esse prodigiū, quam sub momento breuissimo: ex rapacissimis publicanis, Apostolos fieri; ex persequutoribus truculentis, prædicatores Euangelij patientissimos reddi: ita vt eā, quā persequebantur fidem, etiā effusione sui sanguinis propagarent? Ista sunt opera Dei, quæ se quotidie vna cū Patre operari filius protestatur, dicēs; e *Pater meus vsq; hodie operatur, & ego operor*. De istis operibus Dei beatus Dauid in spiritu canēs: f *Benedictus*, inquit *Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus*. De istis & Amos Prophetā: g *Qui facit*, inquit, *omnia, & conuertit ea, & transmutat in matutinā vmbrā mortis*. Hæc omnia Cassianus, aut Abbas potius Cheremon, cuius illa est de Castitate collatio, qui de mirabilibus hisce mutationibus loquebatur tanquā expertus in se & in alijs: Tunc enim erāt adeò

a *Psa. 76. 11.*

b *Ps. 138. 14. Coll. 12. c. 12*

c *Psa. 134. 5*

d *Psa. 459. In momento Deus hominem conuertit.*

e *Ioan. 5. 17*

f *Psa. 71. 18.*

g *Amos. 5. 8 iuxta Lxx.*

Cap 15.

adeò frequentes, vt ipse dixerit: sex mensibus obtineri posse perfectam Castitatem à Deo, qui eius ibi tradita documenta seruarent. Sed non est, cur Deo tempus præscribamus, sed quisq; faciens suas diligentias, perfectæ mutationem exspectet, quando Deo ita placebit. Nam h *facilè* (inquit Ecclesiasticus) *est in oculis Dei subitu honestare pauperem.* Quod si moram fecerit, non est pugna discedendum, sed cum Sancto Iob dicendum: i *Cunctis diebus, quibus nunc milito exspecto, donec veniat immutatio mea.*

h Ecc. 11. 23. Iob. 14. 14.

Castitas sensim obtinetur. Li. 1. de Virginibus ad Sororem.

CVM igitur de lege ordinaria perfecta Castitas sensim obtineatur animæ, qua ratione, & modo sancti sunt illam consequuti. Quod si eorũ exemplis vsus fueris, faciens quod illi fecerunt, obtinebis puritatẽ, quam illi sunt consecuti. Canditati Castitatis, similes esse debent apibus, de quibus S. Ambrosius ait, quod sint symbolum Virginitatis. Nam rore, inquit, pascitur apis, nescit concubitus, mella componit &c. sic ergo spiritu volandũ tibi est per fragrantes sanctorum ac sanctarum flores, qui in hac virtute resplenduerunt, & aspiciendum in singulis, quid fecerint ad eam conseruandam; illudq; ipsi colligendum tanquã cœlestẽ rorẽ, quo tuas cupiditates mortifices; tuum cor sanctis affectibus dulcores. Attende, quid S. Benedictus fecerit, quid Franciscus, S. Thomas Aquinas, S. Agnes S. Lucia, & aliæ clarissimæ Virgines, ac sanctæ: quorum gesta, & supra retulimus, & in posterum referemus. Præ omnibus autẽ aspiciẽdus est flos excellentissimus sacratissimæ Virginis Dominæ nostræ, summaq; opinio & æstimatio eius de ipsa virginitate. Sed multò ampliùs ipsemet Dominus, qui se ipsum appellat, k *florẽ campi, & lilium conuallium*: & perpendes singula verba, quæ in huius virtutis cõmendatione dixit. Accipe igitur ô virga (ait S. Ambrosius) alas quasi apis, non corporis, sed spiritus: vt supra vitia carnis q; passiones auoles; eoq; pernenias, vt Christo cõiungaris, qui habitat in excelsis, & humilia respicit, cuius pulchritudo est tanquã cedrus mõtis Libani; & tantæ celsitatis, vt cũ radices iaciat in terrã culmine ipso pertingit ac cælũ. Inuenies etiã hũc florẽ in profũdis humilitatis vallibus: si cũ cordis humilitate illũ quæ siueris; & in hortis conclusionis recollectionis, & continentiæ: si te exercueris in oratione & mortificatione tuorũ desideriorũ. Attẽde, quòd Apis ore suo colligat mel, & eodẽ ore faciat cõponat: verba. n. virginis pura esse debẽt *syncera*, grauia, & modestè composita: cuius operũ fructus alieni omnino esse debẽt ab omni amaritudine, pleni verò omni dulcedine: vt sint multis vtiles; siquidẽ nõ tibi soli laborabis, sed in cõmune multorum bonũ. Hæc S. Ambrosius: qui in alio loco addit, quod quẽadmodum Apes dũ vehementioribus ventis flantibus volant lapillos quosdam pedibus apprehẽdunt, qui sunt illis tanquam saburra, ne à tempestate huc illuc q; pellantur: ita ne castitas tua à tẽtationum ventis periclitetur, saburrare te oportet cognitione eius, quod ex te ipso habes: cõsiderata, vt dictum est, tua imbecillitate & mutabilitate; arripiendo pedibus

k *Cant. 2. 1.*

Apes symbolum virginitatis sunt.

Li. 3. de Vir.

tuorum affectum lapidē viuum Christum D. N. cuius virtute fortitudinem induent & constantiam in castitate, quam ad eius gloriam intendis.

CONFIRMEMVS prædictā admirabili quodam casu, qui euenit S. Bernardo cum quodam Gallo Nobili adeò luxuriæ vitio dedito, vt ne vel vnicum diē cōtinere se posset. cumq; omnibus, quas ei sanctus adferebat rationibus, respōderet: se non posse. Tandē die quadam sanctus dixit ei: Si nō vis facere pacem cum Deo, saltem treugas trium dierum facias, tanto tēpore à tuo peccato pro Dei amore abstinendo. Quod ipse annuit, & cōpleuit. Quibus cōpletis ait ad eum iterū Sanctus: alijs tribus diebus iterum abstine, pro amore B. Mariæ, quod & fecit. Et hoc facto dixit ei sanctus tertiò: Alijs tribus diebus abstine, pro amore omnium Sanctorū quibus cōtinenter transcursis, venit ille ad sanctum, dicens: Nolo tantummodo treugam cū Deo facere; sed & pacem perennem. Cōuersus igitur ex toto corde ad Deum, reliquum vitæ suæ tempus benè & castè peregit. Ex quo apparet non debere te fiduciam abijcere vincendi prauam tuam consuetudinem etiam inueteratam, valdeque radicatam. Si enim feceris, quod in te est; etiamsi modicum illud sit: omnipotentia Dei commutabit cor tuum, euellet prauam consuetudinem, pacemque tribuet perpetuam cum insigni victoria.

S. Bernard. *in speculo magno exēplo. verbo consuetudo: exemplo. 4.*

CAPVT IX.

PRVDENTIA IN DIGNOSCENDIS VINCENDISQVE *occultis tentationibus contra castitatem; & cautela in agendo cum viris & fœminis; & in moderandis affectibus.*

QVAMVIS in omnibus animæ negotijs tractandis debeant Christiani (iuxta monitum Saluatoris) esse a *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, sicut in præcedenti tomo est explicatū: in procuranda tamen castitate idem monitum est maioris momenti: anima enim casta, & pura ac simplex sicut columba, nisi prudentiam simul & astūtiam habeat serpētis, facilè decipietur ab ipso serpēte infernali: qui etsi in tentationibus omnis generis vitiorum, & contra omnes virtutes valde sit astutus: in ijs tamē, quibus oppugnat castitatē est astutissimus, mille enim artibus & laruis tegit luxurię fœditatem, vt Castitas insensibiliter, & imperceptibiliter lædatur ac destruatur. Quamobrē Apostolus, cùm Corinthijs dixisset: b *despondi vos vni viro Virginem castā exhibere Christo*: statim subiecit verba, quæ superius retulimus: *Timeo autem, ne sicut serpens Æuam seduxit astutia sua, sta corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Atque si dixisset: ne existimetis, vos omnino esse securos, ob sponsalia inter animas vestras & Christum celebrata: Sathanas enim, qui Heuam Virginem in paradiso seduxit, facilè poterit vos etiam Virgines, & in Ecclesiæ paradiso existentes, decipere. Nam sicut tunc loquutus est

a Mat. 10, 16 *Tract. 3. c. 7*

Prudentia serpentum necessaria castis.

Cap. 7. b 2. Cor. 11. 2

Dæmon loquitur per ora mulierum serpentarum. Apo. 9. 2. 9

per os vnius serpentis: ita nunc loquitur per ora virorum & mulierum serpentinarũ, & carnaliũ, vt simplicibus imponat. Os prouocans ad prauas desideria explenda. Et hoc est quod S. Ioannes insinuauit, cũ dixit: statimque puteus Abyssi apertus fuit, *& ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol, & aër de fumo putei: & de fumo putei exierũt locustæ in terram, & super capita earum tanquam coronæ similes auro: & facies earum tanquã facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, & dentes earum sicut dentes leonum erant. Et habebant caudas similes scorpionum.* Et quis hic fumus fornacis est, nisi intellectus cæcitas, quæ luxuriæ ignem comitatur; seductique homines vt, proprium damnum non aduertentes, decipiantur? Hoc faciunt carnis concupiscentiæ, per locustas significatæ: quarum esca & nutrimentum est viride tertæ fœnum; carnis scilicet voluptates. Et interdum, vt melius decipiant, accipiunt facies hominis, adferentes rationes apparentes: interdum verò capillos induunt mulierum, blanditias scilicet, ac delicias fœminarum; interdum etiam ostendunt dentes leonum, vt metum, actutorem incutiant, nisi ipsorum votis detur assensus: ac denique occulte furtim cauda feriunt tanquam scorpiones, effundentes venena, cum nullus homo minimè attendit. Et hac ratione innumeras obtinent victorias; quæ per coronas similes auro, quas in capitibus gestant, significantur.

Sensus moralis. Fumus fornacis in Apocal. cæcitas intellectus.

§. I.

a Prou. 7. 6. Mulier inhonesta.

SI CVPIS quandam ex his locustis valde ad viuum depictam cernere: audi quid Salomon dicat de inhonesta, quadam muliere. a *De fenestra, inquit, domus meæ per cancellos prospexi, & vidi* oculis fidei, quomodo illa *vecordem iuuenem* deciperet. *Occurrit ei mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, & apprehensum deosculatur iuuenẽ, & procaci vultu blãditur*, ingẽs promittẽs delicias & voluptates, eumq; ab incõmodis, quę imminere sibi timere poterat, securum faciens valde, piã ac religiosam sese ostendẽs, ac dicens: *victimas pro tua salute vouí, & hodie reddidi vota mea: idcirco egressa sum in occursum tuũ, desiderans te videre.* Actalia deniq; ei dixit, vt *irretierit eũ multis sermonibus, & blanditiis labiorũ pertraxerit illũ. Et statim* miser *eam sequitur quasi bos ductus ad victimã, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vinculum stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ eius agitur.* Hoc dixit Salomon, admirabili ornans artificio vecordis illius iuuenis deceptionem. Nam primum eum confert *cum bone*, qui ducitur ad victimam tardo gressu, quasi præuidens se prætextu futuri sacrificij, duci ad macellum: & simul confert illum cum *agno lasciuiente*, exiliente, & currente cum multis lætitiæ indicijs, qui tamen ad idem macellũ festinat. Ac denique dicit esse tanquam *auem* quæ volando *festinat*, vt escã accipiat; & capitur laqueo à venatore, qui illũ præparauerat,

vt ipsam capiens occidat, eaque postea nutriatur. Eosdé igitur gressus tenent miseri homines, quos decipit luxuria. Nam initio bouino sequuntur gressu, interdum sed raro in peccatum cadentes; & occasionem, specie quadam bona & sancta quærentes. Cumque deceptionem suam deprehendunt, adhuc remanet affectus ad voluptatem: ad quam percipiendam magis quàm antea festinant, quamuis conscientiæ remorius non desint, illos retrahentes: sed tandem festinant & volant absque difficultate, & potius cum magno desiderio escam illam sumendi sensualiũ delitiarum, in quibus inferni venator latentem posuit laqueum incorrigibilitatis, quo illos omninò capit, ac deuorat. Et maledicta locusta, quæ prius hominis faciẽ, & mulieris capillos ostenderat, finem imponit induens caudam scorpionis: quæ suo veneno occidit absq; vllo remedio. Tantamq; edit stragem, vt Salomon addat: b *fortissimos quosq; interfectos ab ea*, scilicet luxuriâ. Tanta enim est astutia eius ac feritas, vt nisi lux & fauor cœlestis adsit illã reprimens: non sit sapientia vlla humana, quam ipsa non decipiat; neq; fortitudo, quam non vincat; neque sanctitas, quam non proijciat in terram. Quis sapientior ipso Salomone hanc parabolam proponẽre? & quis Sampsone fortior? aut quis sanctior Dauide, suo tẽpore? hos autem tres (ait S. Hieronymus) prostrauit luxuria: vt lapsus virorum adeò insignium in scientia, fortitudine, & sanctitate, admonitio sit reliquorum, vt periculũ fugiant: nisi cum tanto suo incommodo perire velint.

Luxuria fortissimos enecat.
b Pro. 7. 26.

Qvod si huiusmodi viros aperta facie aggressa ita prostrauit; quam stragem edet si tecto vultu, & quasi laruato ne agnoscatur, aliquos inuadat? maledictus enim c *Leuithan* cùm de hoc vitio tentat & aggreditur aliquos ex electionibus, qui sunt d *cibus eius electus*, vultum suum aliqua ex quatuor laruis tegere solet, vt familiaritatem virorum & fœminarum faciat, in qua suos laqueos occultet. *Prima* est titulus & prætextus *religionis*, quo impellit ad familiariter agendum cum personis, quæ præferunt sanctitatem: siue id fiat in earum, siue in nostram vtilitatẽ: nam illis non attendentibus, spiritualem amorem conuertit in carnalem: ita vt e *qui spiritu inceperunt, carne consumantur*. *Secunda* larua est prætextus & titulus *necessitatis* aut *pietatis*: fingit enim obligationes rerum piarum & vrgentium: vt ex conuersatione necessaria transeatur ad prophanam; & pallio necessitatis tegatur carnalitas. *Tertia* est titulus *cognationis*: persuadet enim non subesse periculum, vbi ipsa natura ostium occlusit vitio: & cognatio adeò propinqua remouet suspitionem, pugnamque efficit securam. *Quarta* est, qua fingit falsam securitatem, quasi ob *senectutem* aut *longam castitatis experientiam*, aut ob generis nobilitatẽ, & officij authoritatem non sit periculum lapsûs in luxuriam; aut ob similes alias causas quæ tanquam vmbræ quædam sunt apparentis virtutis, quæ vmbram suffulciunt astuti Behemoth: de quo dicitur: f *sub vmbra dormit in secreto calami*,

Prostrauit sapientissimos & fortissimos.

In Regulis Monach. & de Castitate.

Plurimos occulte prosternit.
c Iob 3. 8.
d Hab. 1. 16.

Quatuor larua luxuriæ.

1. Pretextus religionis.
e Galat. 3. 3.

2. Pretextus necessitatis.

3. Titulus cognationis.

4. Falsa securitatis imaginatio.
f Iob. 40. 16

lami, & in locis humentibus: requiescit enim in animabus delicioſis, & ſenſualibus delitijs deditis: quas vmbris tegit virtutum ſimulatarum; easque ſpoliat vero lumine, quo fuiſſent ampliùs manifeſtandæ.

AD Hæc omnia incommoda præuenienda, nullum aliud medium ſapiens efficacius adinuenit, quàm aſſociari ſibi diuinam ſapientiam, & nunquam à latere ſuo repellere veram prudentiam, g *ſed ſapientiæ dicere: ſoror mea es: & prudentiam vocare amicam* fideliſſimam. Hæc eſt quæ laruam remouet Leuiatham, vt eius fœditas appareat. Hæc Behemoth vmbras illuſtrat, quibus cautiſſimè fugit. Hæc viros ſanctos efficit h *prudentes ſicut ſerpentes*, & æquè aſtuti ſunt ad fraudes dæmonum detegendas: atque ipſi ſunt ad eas obtrudendas, iuxta illud Dauidis: i *ſuper inimicos meos prudentem me feciſti, quia cuſtodiam mandata tua.* ſtatim autem ac tales fraudes deprehendunt: eas fugiunt non paſſu bouino, nec ſaltationibus agnorum, aut ceruorum: ſed celeritate plus quam auium. k *Eorum enim oculi ſunt quaſi columbarum ſuper rivos aquarum*, diuinarum ſcilicet Scripturarum: in quibus vmbras vident auium rapacium, à quibus celerrimè fugiunt; nam in hoc genere vitiorum, fugere eſt vincere: quod inſinuauit S. Apoſtolus, dicens: l *fugite fornicationem*. Et hac cœleſti prudentia ofta ſunt documenta illa & conſilia ſaluberrima, quæ ſancti ſunt amplexi ad ſuam conſeruandam caſtitatem: quæ & ſcripta reliquerunt ad noſtram inſtructionem. Quorum hic ſummam quandam faciemus pro ijs, qui perfectiùs eam colunt, ſiue læculares, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue Religioſi: vt quiſque illud ſibi ſumat, quod iuxta ſuum ſtatũ ad ſe ſpectabit.

g *Pro.7. 4. Diuina ſapientia medium contra hos larum.*
h *Mat.10,16*
i *Pſ.118.94.*
k *Can.5. 12*
Hoc vitium fugere vincere eſt.
l *1.Cor.6.18*

§. 2.

1. Non cohabitandum fœmina. In Reg.c.de Caſtitate.

PRIMVM documentum eſt, non habitare in eadem domo cum fœmina, cum qua ſit occaſio aliquid contra honeſtatem admittendi, quocunque exiſtente titulo ex prætextu ex quatuor prædictis. Memento (ait S. Hieronymus) quòd vna fœmina ex paradiſo expulerit eum, quem Deus ipſo collocauerat: quare meritò timere potes: ſi tali ſociæ incautè cohabites, ne tibi ſit occaſioni diſcedendi ex paradiſo Religionis, & ipſius Eccleſiæ ac proinde gloriæ paradiſum amittendi. Quamobrem ſeuero ſancti Gregorij Papæ decretò prohibitum eſt Sacerdotibus, cum fœminis habitare niſi cum ijs, quas antiqui Nicæni concilij Canones permittunt: quales ſunt mater, amita, germana ſoror. cum quibus nec malæ ſuſpiciones, nec tentationum pericula eſſe poſſunt. Melius tamen, inquit, facient, ſi etiam à taliũ ſe cohabitatione contineant. Nam legitur, quod beatus Auguſtinus nec cum ſorore habitare conſenſerit, dicens: quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores mea non ſunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis debet eſſe inſtructio. Nam incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pauet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita ſuperat, qui didicerit etiam non vti conceſſis. Et de

c. oportet. d. 81. S. Greg prohibuiſſ. clericis cohabitationem fœminarum Lib.7.ep.39 refertur c. Legitur. d. 81.

quodam

quodã alio ſancto viro ſcribitur, quod à proprijs ſororibus cibum per quandam rotã accipiens; diceret ſe crederet: quòd quemadmodum id facere poterat, illas nõ videns: ita ſe libentiùs habiturũ, ſi neq; audiret. Et conciliũ Moguntinum idem conſilium amplectitur, & approbat; quia inquit, inſtigante Diabolo, & in illis ſcelus perpetratum reperitur; aut etiã in pediſſequis earundẽ. Quis tutus erit, qui attendet, filias Loth proprium m *parentem inebriaſſe*, vt cũ ipſis dormiret: ſub eo prætextu, *quòd nullus virorum remanſiſſet in terra*, poſtquã Sodoma, Gomorra, & vniuerſa terra regionis illius ſubuerſa fuerat, ac propterea nullum ſupereſſe mediũ, ad generis humani propagationẽ, niſi vt proprius parens ebrius cum ipſis *dormiret*? n *Thamar* nurus Iudæ ſocerũ ſuum decepit, vt ſecum coiret: Ammon decepit, & n *vi oppreſſit ſororem ſuam Thamar*. o *Filii Heli* Summi Sacerdotis, etiamſi & ipſi Sacerdotes eſſent, *dormiebant cum* pauperculis *mulieribus*, quæ ex deuotione *obſeruabant ad oſtium tabernaculi*. Deniq; quemadmodũ non eſt tutum in eadẽ ſpelunca cum ſcorpionibus & baſiliſcis habitare: quia vel nunc, vel poſteà citò aut tardè veneno ſuo inficiunt & occidunt propeſe manentes: ita ait S. Hieronymus nõ eſt tutũ in eadẽ domo cum ſuſpectis mulieribus habitare: quarũ oculi ſunt quaſi Baſiliſci, qui dũ vident, aut etiam videntur, occidunt: quarum labia mel diſtillant, aſpidum veneno cõmixtum; quarum manus tanquam ſcorpionum ſunt, qui ſtatim atq; tangunt corpus, illud pungunt; cor verò veneno inficiũt. Quare maius prodigiũ eſt, cum illis abſq; culpa habitare: quam cũ ſerpentibus abſque læſione. Nec ſufficiunt vlla ſanctitatis præſeruatiua, vbi cõtinua eſt cum illis communicatio, & familiaritas. Quemadmodum euenit cuidam ſancto Epiſcopo, qui vocabatur Andreas, de quo ſanctus Gregorius refert: quòd haberet in domo ſua ſanctimonialem quandam fæminam, perſuadens ſibi, nullum imminere periculum ob diuturnam, valdeque probatam vtriuſque caſtitatem. Sed breui, imminere periculum deprehendiſſet eius amittendæ; niſi DEVS ſuâ miſericordia ipſum monuiſſet. Quod ſtatim atque aduerſit, illam ex domo ſua cum reliquis dimiſit: hoc ſuo exemplo nos monens; maioris eſſe prudentiæ, occaſionem fugere: quàm cum ſpe victoriæ, eam admittere. Primum enim eſt facile: ſecundum valde difficile: qui autem tantum animi & virium non habet, vt vincat quod minus eſt: quomodo habebit ad vincendum quod eſt maius? cùm igitur periculum aliquod apparet, amplectendum eſt ipſius Saluatoris documentum dicentis: p *ſi oculus tuus, manus, aut pes ſcandalizat te, abſcinde eum & proiice abs te: bonum enim tibi eſt ad vitam ingredi*, abſque aliquo horum quàm illis retentis, *mitti in ignem æternum*. volens apertè dicere: ſi pater tuus, mater, ſoror, aut quæuis alia perſona tibi adeò chara atque eſt lumen oculorum; aut ſi famulus, ancilla: amicus, aut alia perſona tibi tam neceſſaria, atque qui

pedes

c. Inhibendũ de cohabit. Cler. & mul ierum.

m *Ge.19.33*

n *Ge.38.18.*
n *2.Reg.13.14.*
o *1.Re 2.22*

Cum ſcorpionibus non eſt tutum habitare.

Oculi mulierũ ſunt quaſi baſiliſci.

Lib.3.Dial. c.7.

Prudentia eſt occaſionem fugere.

p *Mat.18 8*

pedes & manus; tibi fuerit occasioni impingendi contra Castitatem, si illas, aut à te remoue: præstat enim ad cœlum peruenire solum, quàm ad infernum descendere tam male comitatum.

2. *Non sunt visitandæ fœminæ suspectæ. Lib. 1. Officio c. 20.*

SECVNDVM documentum est, non visitare fœminas suspectas, nec permittere, se, quo ad fieri poterit, ab ijdem visitari: (idem autem intelligo de ipsis fœminis respectu virorum) nam æquè noxium est frequenter illas visitare, atque cum eisdem habitare. Hoc suadet S. Ambrosius omnibus Ecclesiasticis, & continentiæ cultoribus, multis rationibus: quarum præcipua est, ne in peccata labantur; imò etiam, ne occasio præbeatur murmurationibus, & suspicionibus: quæ bonum ipsorum nomen deforment. O quam, inquit, non dederunt locum errori, & dederunt supicioni! nam si aliquis imbecillitas huiusmodi fœminis eueniat; facile suspicio cadet in eas frequenter visitantem, etiam illius culpæ innocentem. Tertio eò quòd, vt plurimum, consumatur multum temporis in huiusmodi visitationibus, quod subtrahitur orationi, lectioni, & studijs. Cur (inquit idem Sanctus) tempus quod tibi super est, non expendes in lectione & Oratione? cur non visitas Christum? cur non cum eo colloqueris? cur non ipsum audis? siquidem cum eo loqueris, cùm oras: & eundem audis, cùm res diuinas legis. Adhæc, non decet huiusmodi frequentiam visitationum, opinionem aliquam, & auctoritatem ex hoc tuo exemplo acquirere: vt alij in eisdē sint liberiores. Idem confirmat S. Hieronymus, cuius sententia refertur in Decreto: hospitiolum tuum, inquit, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant: quia non potest toto corde cū Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Nunquam de mulierum formis disputes, Fœminæ nomen tuum nesciant. Fœminam quam benè videris conuersantem, mente dilige; non corporali frequentia.

Multum temporis consumitur in visitationibus.

c Hospitiolū ad 32.

De Constit. Monast. c 4.

IDEM consilium præbet S. Basilius suis religiosis, & quidem adhuc multo seuerius. Fugienda, inquit, inprimis cum mulieribus nobis congressiones sunt, collocutionesque; neque ad eas vnquam accedendum, nisi cùm res grauissima aliqua ad eas necessitas impellat, & aliter facere non possimus. Atque ipsa etiam vbi nos necessitas adegerit, quàm ocissimè, sine mora ipsis extricemus. Idem sæculares viri etiam senes & valdè alioquin grauis facere merito debent. Et fœminæ valdè honestæ exemplum accipiant de duobus illis senibus populi Israel Iudicibus qui quòd frequentarēt domum Ioakim, ibique viderent sanctam eius vxorem q *Susannam*, eius carnali amore exarserunt & omni pudore depositō, ad turpitudinem solicitarunt.

Sine necessitate mulieres non sunt adeūdæ

q Dan. 13 21

3 *De prætextu mentiendum cum sola fœmina*

TERTIVM documentum est, vt nullo prætextu, & nulla occasione, nisi illa valdè esset violenta, nec euitari posset, solus cum sola maneat; nec coram testibus eam alloquatur, qui minimum ipsos videant; etiamsi verba non audiant, cùm de ijs agetur, quæ occulta esse oportet. Id seuerissimè

seruabat S. Augustinus, vt refert Posidonius in eius vita. Et idem S. Ambrosius suadebat, dicens in necessarijs & vrgentibus fæminarum visitationibus semper iuniores habeant adiunctos socios seniores. Et in septima Synodo generali hoc seuerissimè cautum est omnibus Clericis: Certè, inquit, solum ad solam accedere nulla Religionis ratio permittit. Melius est enim, duos esse simul, quàm vnum. Simul enim & fidelius, & tutius res geritur. Væ enim vni, quia si ceciderit, non est qui erigat eum. Et in octaua Synodo idem est constitutum Religiosis, cùm necessitas vrgeret aliquam fæminam etiã religiosam visitare. Vult enim in eo casu colloquiũ Monachi cũ Monacha fieri in præsentia Abbatissæ aut alterius vetulæ monachæ, & breui ab ea discedere. Et vniuersim in omnibus Religionibus obseruantibus & Zelantibus est receptũ, vt nullus Religiosus ad domos fæminarũ eat solus. Nam (vt ait S. Thomas) religiosus solus est dæmoniũ solitariũ: eò quòd non habens custodem Angelum visibilem, qui ipsum coerceat, & retrahat ab his quæ appetit, sibi ipsi est dæmon. Nam dæmon videns solum cum sola, statim accurrit tanquam tertius ad illos solicitandos, ac denique illos prosternit. nam semiuicti censentur, qui absque necessitate in tale periculum se conijciunt: neq; arrogantes excusat exemplum Christi D. N. *quòd cum muliere Samaritana* solus *loqueretur*. Id enim fuit quasi occursus quidam in medio campi, per quem multi transibant: &, cùm colloquium protraheretur, iussit ille, qui virum suum vocaret. Adeoque rarò id contingebat, vt *venientes discipuli mirarentur, quòd cum muliere loqueretur*. Perpendite (ait S. Cyprianus:) quàm procul essent Apostoli ab huiusmodi colloquijs priuatim cum fæminis habendis: cum hic mirati fuerint, Magistrum suum cum ea colloquentem. Quamuis ob reuerentiam nullus illorum nec male de eo suspicatus est; neque ab eo quæsiuit, quid cum ea loquerentur. Est autem magnum testimonium insignis cautelæ, quâ Christus D. N. in suis actionibus se gerebat: siquidẽ ipsimet eius inimici, qui eius actiones diligenter obseruabant ac de eius cibo & potu, & conuersatione cum publicanis & peccatoribus murmurabant: nunquam tamẽ vel minimum mussitarunt in materia honestatis: quia nunquam aduertere potuerunt, vel minimũ indicium talis calumniæ. Imò S. Epiphanius aduertit: Christũ D. N. cum post resurrectionem soli Mariæ Magdalenæ appareret; & illa ad eius pedes se proijciens, eos vellet osculari, tunc id nõ permisisse: vt ostenderet, inquit, perfectam castitatẽ & sanctimoniam, dicit Mariæ: *r noli me tangere*: quamuis postea cum reliquis eius sociabus apparuit, facultatem eis fecit *ſ accedendi, & tenendi pedes eius & ipsum adorandi*.

Ex His *quartum* sumitur documentum, nec tangendi scilicet, nec permittendi se tangi ab aliqua fœmina etiam prætextu pietatis: præcipuè si soli sint: nisi ingentis necessitatis, & certæ securitatis casus occurreret. Nam vt sanctus

cap. 26. *Vbi suprà.*

c. In omnib. dist. & c. Clerici ex Cõcil. Africano & cClericus ex Lucio Papa ibidem. 18, q. 2. c. Distinguimus.

Castillo lib. 3. Hist. c. 37.

Sine necessitate agens cum muliere semi vitium est.
q Ioan. 4. 27

Lib. de sing. Clericõ.

Hæresi 26.

r Ioa. 20. 17.
ſ Mat. 28. 9.

4. *Non sunt attingendæ mulieres & contra.*

Vbi suprà c. Hospitiolũ. & Pro. 6. 27.

sanctus Hieronymus disputat: si sanctus Apostolus dicit, *bonum est homini mulierem non tangere*: malum igitur erit eam tangere, aut certè periculosum. Nam, vt Sapiens ait, & *Sicut non potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut stimenta illius non ardeant; aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius, sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.*

Tactus mulieris est velut tactus ignis. Lib. 4. Dial. c. 11. Refertur c. Presbyter d. 32.

Talis enim tactus est quasi tactus ignis, qui solet cor inflammare, & comburere. Quamobrem viri sancti in hoc erant cautissimi. Qualis fuit magnus ille vir Vrsinus, de quo sanctus Gregorius refert, quòd summam cautelam adhibuerit, ne pateretur, se ab vlla fœmina tangi; &, cùm iam esset in extremo, & fœmina, quæ illi ministrabat, aurem suam ad ægrotantis nares applicaret, vt deprehenderet an adhuc respiraret: Sanctus vir, vires, quas potuit, debilitate sua exerens, in feruore spiritûs vocem extulit, dicens: recede me mulier, adhuc igniculus viuit: paleam tolle. Volens significare, quòd quemadmodum ignis stramen aut stuppam tanges, statim accenditur, ita cùm fœmina tangitur, concupiscentiæ ignis accenditur: nec tutos se putant sancti, eò quòd ignis ob senium aut præsentem morbum valde sit mortificatus. Vel vna siquidem scintilla, quæ superfit, sufficit, vt stuppam accendat magnamque excitet flammam. quemadmodum euenit seni cuidam monacho, qui transiens per quoddam monasterium, incidit in morbum. Is autem monasterio grauis esset, contendit apud Abbatem, vt permitteret se ire ad domum piarum quarundam fœminarum, quæ suam operam ad eius curationem offerebãt. Resistenti autem Abbati ob periculum, quod euenire poterat, Monachus responderat: non esse, cur timeret: nam se iam habere corpus mortuũ. Cui Abbas replicauit: corpus tuum mortuum est; sed non est mortuus diabolus tentator, qui videns te in occasione positum, aggredietur ac prosternet: sicut re ipsa euenit, & animæ suæ iacturam fecit. Denique vt appareat zelus Dei Domini nostri in hanc cautelam, dicam quod in vita S. Mariæ de Egnies refertur; quòd colloquẽte ipsa cum viro quodam spirituali, ipse tetigit eius manum: ipsa autem adeò colloquio immersa non aduertebat: sed Deus D. N. defectum illum suppleuit, & audita est hæc vox de cælo: *noli me tangere.* quam cùm illa non intelligeret, vtpote Latini sermonis ignara, quæsiuit ab ipso viro, quid vox illa sibi vellet? Ille vocem intelligens, manum retraxit, factusque est cautus, ne vnquam amplius mulierem tangeret.

Vna scintilla sufficit ad accendendã stuppam.

Licet corpus quasi mortuum dæmon tamen viuit.

5. Mortificanda sunt affectiones erga mulieres.

§. 3.

VENIAMVS ad quintum documentum, quod medicamentum adhibet ægritudinis radici, vigilans cura, summa diligentia, in reprimenda & mortificanda quacunque affectione in corde exsurgente ad quamcunque personam, ex qua possit castitas periclitari, etiamsi valdè sit sancta

Tunc

iuncta, & videatur sancta, valdeque illa nostro, aut nos eius auxilio, & opera indigere. Nam (vt ait S. Basilius) proxima & veluti contiguis ianuis sunt quædam vitia virtutibus. nam quælibet virtutis ianua simillimam in vitia ferentem vtrinque speciem aperit; vt qui ad virtutem ingredi nititur, eius primùm ianuæ adsistens, dum hac se pulsare arbitratur, aperta sibi hinc aut inde altera ex vitiorum ianuis: deceptus maxima similitudine, ingrediatur veluti virtutis domum: cunctis eius errorem irridentibus, quod in tali habitet hospitio. Hoc modo valde sunt prope domus & ostia zeli, & iræ; liberalitatis, & prodigalitatis, & similium aliorum. Et huius generis, ait Sanctus Basilius, esse spiritualem amorem & sensualem; charitatem veram & falsam, quæ est carnalitas. Et sæpè eueniet, aliquem existimare, se pulsare, & ingredi domum veræ charitatis, dum amat consanguineam, aut cognatam, aut confessarium bono & spirituali amore: cum reuera non ita sit. eò quòd domum sit ingressus falsæ charitatis, siue carnalitatis: quia eos amat amore sensuali, & propter carnis voluptatem. Id quod intra breue tempus detegitur, erumpentibus aliquibus verbulis, leporibus, & tactibus; & rebus alijs valdè à vera charitate remotis. Sancta enim charitas (vt ipse ait) carnis non tangitur vitijs & cætera; neque affectiones sensuales admisceri sibi patitur; neque decet, vt, nomen sequentes falsæ charitatis, dignitatem & meritum veræ amittamus. & vt S. Hieronymus dixit, crebra munuscula, & dulces literas, & sudariola, & prægustatos cibos sanctus amor non habet: hæc enim omnia carnem sapiunt, & procul sunt ab amore casto.

Lib. de vera virgin tate circa medi.

Vitia multa proxima virtutibus.

Vide S. Bonauent. de Gradib. virtutũ c. 4. Amor cordis moderandus ne periclitetur Castitas.

Ex His S. Basilius infert prudentiam & zelum, quo amor cordis sit dignoscendus ac moderandus, ne castitas periclitetur. prudenter, inquit, se ipsum libret, pro merito singulis quod est sui iuris impartiens. Deum propter se ipsum sine termino aut limite diligat; sed Dei ministros non propter se ipsos, sed quod eam iuuent, vt Deo coniungatur, serioque ei seruiat. Probas ac deuotas personas diligat (præcipuè si sint fœminæ) purè propter Deum, & ipsi Deo, eo solo fine, vt obligationi suæ satisfaciens earum animas saluas faciat; Quodcumque exiguæ huius amoris puritatis erumpens indicium statim mortificans. Et intelligat: (ait idem Sanctus) vultum & vocem mulieris esse instar Magnesis lapidis, qui ferrum ad se trahit, si sit in certa distantia. Et quamuis valde sis senex & sanctus; tibique videaris instar ferri insensibilis: ne tamen tibi ipsi fidas, neque affectu prope accedas ad fœminã: trahet enim te magnes, sibiq; faciet adhærere amore sensuali. De quo dixit S. Hier. inter illecebras voluptatũ etiam ferreas mentes libido domat.

Vox mulieris est velut magnes.

Epistola ad Eustochiũ de Custo. virginit.

Sed ad hunc sensualem amorem moderandum ac frænandum nullum est efficacius medium vero ac feruenti Dei amore, cuius rationem præclarè adfert S. Hieronymus dicens: valdè difficile esse animam non amare rem

Dei amor vincit carnis amorẽ.

aliquam: quamobrem amorem carnis, ſpiritûs amore eſſe vincendum, vnius deſiderium, alterius deſiderio mortificandum: vt quantùm ex alterum minuitur, tantùm alterum creſcat. Fœlix conſcientia & beata Virginitas cuius corde nullius alterius amor, quàm ipſius Chriſti inuenitur. Quod ſi cuius perſonæ recordatur, non ſuſpirat propter eam, nec videre deſiderat quem viſum non vellet deſerere. Hoc enim vult ſignificare: cùm ſine alio amore viuere non poſſis: vt carnalem repellas, amplectere ſpiritualem: vice turpem creaturarum amorem, diligendo multum earum creatorem: ita quemadmodum clauus clauo pellitur, ita purus Chriſti amor pellet ex corde omnium rerum terrenarum amorem. Et hoc eſt, quod ſuadet Apoſtolus, cùm dicit: a *Et nolite inebriari vino in quo eſt luxuria: ſed implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo, & Patri.*

a Eph. 5. 18.

IN qua ſententia opponit Apoſtolus effectus & fructus amoris carnalis, ſignificari per vinum, in quo eſt luxuria; effectibus amoris diuini a Spiritu ſancto prouenientis: qui nos exhortatur, vt carnalis vini amorem diuini Spiritûs amore vincamus. Vinum enim luxuriæ alienat homines ipſis, inebriatos voluptatibus rerum externarum: at vinum charitatis colligit homines intra ſe ipſos inebriatos delicijs bonorum internorum.

Vinum luxuria facit homines garrulos.

illud vinum facit homines garrulos, loquaces in plateis, & foris huius mundi; hoc verò facit eos colloqui ſecum ipſis intra propria ſua corda: illud incitat ad prophanas & minus honeſtas cantilenas decantandas; hoc verò ad cantandos pſalmos, hymnos, & canrica ſpiritualia ac pia: illud adfert illis obliuionem & ingratitudinem in vſu creaturarum, in quibus ſuas quasdam delicias ac voluptates; hoc autem efficit perpetuam Dei memoriam, & gratiarum actionem propter res quaſcunque, quibus ivtitur ad gloriam ipſius dantis: illud expellit ex corde nomen Ieſu Chriſti, nec ore illud profert, vt laudet; neque in opere, vt eum imitetur; hoc verò nomen illud ſanctiſſimum ita viſceribus imprimit, vt ſemper deſiderent de eo, cum eo colloqui; illum que in omnibus eius actionibus imitari. Deſique veræ Charitatis dulcedo a deò excellit: vt faſtidium adferat dulcedinis vini ſenſualis. Quæ b *meliora ſunt* diuini ſponſi *verba vino* vniuerſæ terræ: ac propterea c *Zona aurea*, hoc eſt, charitate *præcingit vſque ad mammillas*, mortificans cæteros mores.

Vinum charitatis impellit ad cantica ſpiritualia.

b Cant. 1. 1 c Apoc. 1. 13.

Ex efficacitate huius diuini amoris, qui caſtificat cor, prouenit, vt ſenſus etiam ipſi, & reliquæ hominis facultates caſtificentur: cor enim perfectè caſtum caſtos efficit oculos; caſtas aures, odoratum, guſtatum, & tactum caſtos; caſtam linguã, caſtas manus in ipſis operationibus. Init enim firmi-

Cor caſtum omnia mẽbra efficit caſta.

ſimum

simum cum omnibus his facultatibus pactum: quod nunquam admittent aliquid illicitum contrà castitatem; sed potius à multis licitis abstinebunt, ne occasionem præbeant in illicitis impingendi. Cùm igitur sensualis voluptas (vt ait S. Basilius) sit instar alicuius fontis plura habentis episstomia, qui aquam fundit per sensus & potentias carnis; & instar serpentis mulrorum capitum, per quæ omnia inficit veneno: diligentem operam dare oportet, vt purus Dei amor adeò crescat, vt illum fontem, septemque eius riuulos exsiccet: vt impleatur quod dixit Isaias quod d *desolabit Dominus & leuabit manum suam super flumen Aegypti, & in fortitudine spiritus sui*: ita illud *percutiet*, vt *in septem riuos* distribuat, vt *transeant per eum* etiam *calceati*. Quem eundem effectum (ait S. Basilius) prouenire ab interno castitatis amore: qui ignis instar hunc fontem exsiccat; & serpentis huius capita ita adurit, vt nõ renascãtur. Danda est tibi opera (ait Cassianus) vt adeò magno castitatis amore accendaris qualem homo valde auarus habet ad pecuniam; aut ambitiosus ad honorem; vt libidinosus ad personam sibi valde dilectam. nam ex feruenti huiusmodi desiderio fiet, vt, quò eam obtinere possis, dulcem ac suauem cibum horreas, & ipsum potum necessarium; & vt somnum naturæ aliàs debitum, suspectum habeas, aut certe cum timore & magna cautela illum admittas; eò quòd sit industrius deceptor, & æmulus valde aduersarius castitati. Horrebis etiam otiositatem, quæ est carnalitatis esca, vt affirmant Sancti Patres dicentes: Dauidem fuisse ab ea superatum: nam e *eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, mansit ipse in Hierusalem* otiosus, quod otium fecit illum *surgere de strato suo post meridiem, & deambulare in solario domus regiæ*. & oculos leuare vt eam aspiceret, quæ eius castitatem est deprædata. Ac propterea Poeta ille dixit: *otia si tollas periere cupidinis arcus: cedit amor rebus, res age, tutus eris*: quare si castitatem diligas: eius amor faciet te horrere otium, quo illa valde læditur; & occupationes bonas amare, & quæcunque alia, quibus illa foueatur & conseruatur.

Sensualis voluptas per multa capita venena diffundit.
d *Isai.* 11 15.
Coll. 12. c. 4.
S. Aug. ser. 17. *ad Frat. S. Isid. l.* 3. *de summo bono c.* 20.
e 2. *Reg* 11. 1
Otium fecit peccare Dauidem. Ouid li. 1. *de remedio Amoris.*

Denique anima casta esse debet f *Hortus conclusus & fons* sigillo vnici sui sponsi *signatus*, qui dicit ei: g *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*, vt intelligat, quidquid fecerit, cogitauerit, aut amauerit: debere esse sigillo Iesv Christi sponsi eius obsignatum; In solo eo totum suum amorẽ collocare debere; neque rem vllam amare, nisi in ipso, & propter ipsum: & sic eò deueniet, vt habeat h *dilectionem fortem sicut mortem*; sicut mortem scilicet vitiorum, & vitam omnium virtutum. Sed de hac conclusione & sigillo fusiùs inferiùs agemus, cum sermo erit de castitate Religiosa, in qua id magis euenier.

f *Cant.* 4. 12
g *Cap.* 8. 6.
In solo Christo castus amorem collocet.
h *Cap.* 8. 6.

Imponamvs his documentis finem addito alio: quod scilicet, quæcumq; de moderandis affectionibus & cautelis adhibendis in agendo cum

Tract. 6 *ca.* 10. & 11.

fœminis dicta sunt, sint etiam intelligenda modo suo in agendo cum personis paruæ ætatis. Est enim verissima illa sententia communis, quod in mulieribus facit sexus, in pueris facit ætas. Adferunt enim cogitationes & affectiones inordinatas, quæ maiorum peccatorum sunt sementis. ad cuius rei remedium prædicta documenta sufficiunt.

CAPVT X.

PRVDENTIA ET FORTITVDO IN TENTATIONIBVS & occasionibus repentè & seorsim occurrentibus, siue in vigilia, siue in somno: & præparatio ad eas vincendas adhibenda.

QVANTVMVIS humana prudentia & zelus castitatis vigilem ac peruigilem in fugiendis occasionibus eius amittendæ, aut inficiendæ; certũ est aliquas, & fortè multas adeò repentè occurrere, vt præueniri non possint: eò quòd Dæmon valde astutus illas offerat: vt imparatos nos videns, & solos absque alijs testibus facilè nos prosternat. Quas occasiones & tẽtationes permittit Dominus, vt arrogantium, tutosq; se iudicantium superbia retundatur, & humilietur, splendeat verò magis prudentia & fortitudo perfectorum; adeò strenuè eas vincentium, atque si eas præuidẽtes sese muniuissent. Historiæ sunt plenæ stupendis ad hoc propositum exemplis. Patriarcham Ioseph omnino repentè & solum inuasit eius Domina: & a *apprehensa lacinia vestimenti eius*, ad peccandum inuitauit, *Quis tamen relicto in manu eius pallio fugit; & egressus foras*, vt castitatem suam illæsam conseruaret. b Sancta Susanna omnino est imparata, cùm improbi illi senes eam inualerunt, quæ *tamen exclamans voce magna*, eorum improbitatem euasit.

a Gen. 39. 11

b Dan. 13. 24

Occasiones luxuria varia.

IN vitis Sanctorum legimus, sæpe Dæmonem huiusmodi occasiones illis obtulisse: aliquando in hospitijs, dum iter facerent: vt euenit S. Bernardo. Aliquando dum visitarent ægrotantes, siue ad confessiones excipiendas, siue ad eas consolandas: vt accidit S. Vincentio Ferrerio. Aliquando dum in suis ædiculis in Eremo manerent, fœminas in eas inducebat: vt euenit S. Martiniano, quem adeò vehementer his occasionibus persequebatur, vt fecerit eum per mundum vagari ab vno in alterum locum, vt eas fugeret: donec se recepit ad quandam insulam paruam inhabitatam in medio maris. Sed neque ibi quiescere permisit: nam die quodam repentè eò impulerunt fluctus maris quandam Virginem quæ fuerat naufragium passa: quam, ne permitteret submergi, coactus est in Insulam illam admittere. Sed cum

ipsa

ipse non iudicaret se tutum esse, si cum illa maneret: post quædam documenta ei tradita, ipse sese proiecit in mare; potius eligens cum fluctibus cõgredi, quàm cum huiusmodi occasionibus. Sed non defuit prouidentia Dei tam fideli seruo suo: misit enim illi duos Delphinos, qui supra dorsum eum saluum deduxerunt ad portum. Denique quando dæmon tales occasiones non inuenit, solet repentè eiusmodi phantasias & repræsentationes excitare, vt magno periculo exponatur ipsa Castitas. idque aliquando facit dormientibus: vt, cum euigilauerint, consentiant; aut rebus turpibus, de quibus somniarunt, delectentur. Aliquando etiam vigilantibus, & quidem maiori vehementia easdem phantasias obijcit: vt euenit Sanctis Benedicto, & Francisco: qui strenuè contra eas decertarunt. nam alter inter spinas nudo corpore se reuoluit; alter verò etiam nudum super magnos niuium globos se proiecit, vt sic de suo hoste triumpharent. Sed quoniam aliqua ex his medijs fuerunt extraordinaria; & alia, absque Dei speciali impulsu, non fuissent licita: subijciamus iam aliqua imbecillitati nostræ magis accommoda: præmittentes: strenuum militem (vt primo tomo dictum est) non debere differre, de aptis armis sibi prospicere, donec iam pulsetur ad arma; sed valde tempestiuè, beneque præparatus esse debet.

S. Martinianus duorum delphinorum auxilio ad portum deducitur.

Tra. 2. c. 4.

§. 1 *Tres inuisibiles socij ad custodiam Castitatis.*

Inter Alia remedia ad custodiam Castitatis valde efficacia sunt illa quæ Sanctus Basilius insinuat, dicens securitatem castitatis non esse reijciendam in id solum, vt quis semper sit benè associatus talibus socijs, qui illum custodiant, eiusque curam gerant: nam id nec semper esse possibile, nec sufficiens: quamuis, vt tales habeat socios, meritò debet procurare. quare multum, inquit, refert semper & in omni loco associare sibi testes, hominibus quidem inuisibiles, sed dæmonibus terribiles: quorum societas & aspectus, hinc animum nobis addat ad resistendum tentatoribus: inde verò frænet, contineatque, ne aut facere, aut dicere, aut cogitare audeamus aliquid indecens coram illis. Hos testes ait esse tres.

Lib. de vera Virginitate.

Tres testes inuisibiles.

Primvs est propria nostra conscientia: quam meritò timere, magnamque eius rationem ducere debebis, vbicunque fueris. Se ipsum, inquit, primùm, conscientiamque suam reuerebitur, etiamsi plane sit solus, ne scilicet aliquid inhonestum admittat. Conscientia enim est inuisibilis quidã pedagogus, comesq; fidelissimus à Christo D. N. adhibitus: vt semper te comitetur, & suggerat quod bonum est; deterreat vero à malo; ac reprehendat, & remordeat, si aliquid tale admiseris. Hoc autem sufficere debet: nein eius præsentia facias, quod coram pædagogo, aut socio visibili non feciſſes. Nam

2. *Propria conscientia. S. Th. 1. part q. 79 a. 1. Adducit Origenem alios.*

(vt su-

(vt fusè S. Ambrosius perpendit) nulla est pœna grauior interiori vulnere conscientiæ; nec leuerius iudicium, quàm ipsum domesticum. Ac propterea Iustus fugit peccatum, etiam cum solus est, & à nullo videtur: non enim tantum reputat pudorē, quòd eius culpa alijs innotescat, quantus oritur exinde morsu conscientiæ suæ? Et quamuis annulum illum Gygis haberet, qui illum redderet inuisibilem: peccatū tamen non admitteret. nam eius occultatio non innititur spei, quòd non deregetur; sed propriæ conscientiæ. Hæc S. Ambrosius, quæ varijs confirmat exemplis: sed ad nostrū institutū sufficit illud Patriarchæ Ioseph, cuius conscientia ipsum deterruit, ne cum sua domina peccaret: quāuis peccare potuisset & non deprehendi. Statim enim cōscientia propria memorandū illam sententiam ipsi dictauit: a *Ecce, Dominus meus omnia mihi tradidit, quæ in domo eius sunt, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum?* infige igitur conscientiæ tuæ fidelitatem, quam Deo tuo debes, ob innumera beneficia in te collata: & illa ad protectionem tuam prodibit. cùm te inuadet luxuriæ tentatio.

Li. 3. de Officijs c. 4. & Conscientia vulnera grauissima.

Conscientia Ioseph à peccato detinuit.

a Gen. 33. 9

2. *Socius secundus Angelus custos.*

SECVNDVS socius & comes noster est Angelus custos. Deinde (ait S. Basilius) filius (reuerebitur ad stantem sibi Angelum; cuius præsentia te permoueri ne quid fœdum, aut turpe facias: erubescēs, quòd purissimus ille spiritus aliquid videat. Si enim Apostolus dicit: b *mulierem suum debere caput velare propter Angelos*, propter decentiam scilicet ac reuerentiam debitam Angelis ipsis assistentibus; magis est rationi consentaneum, vt omnes honestissime viuant, ob reuerentiam custodibus suis Angelis debitam; nec solum, ait S. Basilius, hanc reuerentiam debes custodi tuo Angelo; sed innumeræ multitudini Angelorum, & glorioſissimis spiritibus Sanctorum Patrum è cœlo aspicientium quæ in terra geruntur; quorum oculos quiduis, quod inhonestum sit, offendit. Hoc ipsum confirmat, & fusiùs deducit S. Ambrosius: cens: studentes altiori castitati, copioſiorem habere Angelorum custodiam. Quod insinuauit spiritus Sanctus, dicens in Canticis canticorum: c *lectulum Salomonis ambire sexaginta fortes ex fortissimis Israel*; animam scilicet castam: & postea addit: d *mille tui pacifici, & ducenti custodiunt fructus vineæ*, cōgregationis scilicet animarum castarum, sed fœcundarum multorum bonorum operū. Quia creuit, inquit, numerus, vbi creuit & fructus; & quò sanctior quæque eò munitior, à pluribus scilicet Angelis, vt videre licet in Eliseo casto & Sancto, quem custodiebāt exercitus innumerabiliū Angelorum: quia erat in quo ipse erat, *plenus fuit equorum & curruum igneorum in circuitu eius*. Quæ consideratio sufficere debet, ad exactius conseruandam Virginitatem, ne discedere à se cogat Custodes Angelos; nam quemadmodum fumus apes fugat, & fugere facit, ac fauum suum deserere: ita carnalitas fugere facit Angelos; datq; locum dęmonibus; vt accedant: nam f *omnis homo similis sui socium*

Magna reuerentia debetur Angelo custodi. Li. 1. de Vir. ad sororem.

c Can. 3. 7.

d Ca. 8. 12

Carnalitas facit fugere Angelos.

e 4. Reg 6 17.

f Eccl. 13. 20

tur. Et, vt sanctus hic Doctor ait, castitas Angelum facit: qui eam seruauit, Angelus est, qui perdidit, Diabolus; & illi euenit maledictio, quam Sanctus Iob imprecatus est, dicens: h *habitent in tabernaculo illius socii eius, qui nõ est; aspergatur in tabernaculo eius sulphur.* Et quis (inquit S. Gregorius) vocatur: *qui non est*, nisi peccatum: cuius socij sunt Dæmones, qui peccatoris latus circũdant, nec desistunt, donec tabernaculum eius aspergatur sulphure carnalitatis, quę esca erit ignis æterni? cogita igitur, cùm solus es, ac tentaris habere te ad vnum latus Dæmonem tentantẽ; ad alterum verò Angelum custodientẽ. & hoc ad pugnandum te animabit: ne hostem tuũ exhilares, nec contristes tuum amicum & custodem. cum tali enim socio viuere poteris consolatus, quemadmodum S. Agnes, S. Cecilia, & plures aliæ sanctæ, quæ Angelorum suorum custodum opera vsæ sunt; vtà similibus periculis eriperentur.

Castitas facit Angelum.
g Iob. 18. 15. Lib. 14. Moral. c. 10.

In tentatione dæmonem Angelus adest.

Sed multò potentior est tertius comes ac testis, de quo idem Basilius dicit: præ cunctis autem ipsum sponsum suum reuerebitur, sibi vbique assistentem; ipsiusque patrem ac Spiritum sanctum, in quorum præsentia nihil faciet Virgo, quod purissimos eorum oculos offendat. Ingens enim Deo irrogatur iniuria: si in eius conspectu facias, quod in conspectu hominum non auderes. Indicium enim est, te pluris facere bonam apud homines habere opinionem: quã apud Deum. Quod si vxor valde compositã & cautam se ostendit, cum est in præsentia viri sui, aut patris, aut cognatorũ: quantò erit magis rationi consentaneum, vt anima casta, composita semper sit, & cauta: quæ semper est in præsentia cœlestis sui sponsi Iesu Christi, & æterni eius Patris, ac Spiritus sancti: qui sunt magni castitatis zelatores? hoc medio vsa est S. Susanna, cum se vidit solam inter duos illos carnales senes, eligens potiùs mori h *quam peccare in conspectu Domini.* nam qui eius præsentiã veneratur, mox sentit eius auxilium: ita enim Ecclesiastes: i *cognoui*, inquit, *quod erit bonum timentibus eum, qui verentur faciem eius.* Time (ait S. Augustinus) eum, cui cura est attendere, & aspicere semper quid facias: & hic timor te faciet castum; aut si peccare vis, quære vbi te non videat; & fac quod vis. Cum autem nullus sit talis locus: noli peccare.

3. *Sanctissima Trinitas comes est tertius.*

h Dan. 13. 23
i Eccle. 8. 12
Serm. 46. de Ver. Domi.
„
„
„

Qvod si tot sociorum ac testium præsentia non sufficiet ad te reprimendum: conijce oculos (ait S. Basilius) ad innumeros testes tuorum operum futuros eorum conscios in nouissimo vniuersalis Iudicij die: cùm diuina maiestas notos faciet omnibus hominibus omnes carnalium hominum lapsus ad maiorem eorum pudorem & confusionem: quauis eos fecerint in occulto, & studuerint alijs hominibus occultare. Eueniet, inquit, illis, quod pictoribus, qui quamdiu suas imagines pingũt, eas tegunt, ne videantur; sed opere absoluto, retrahunt vela, quibus imagines tegebantur: & absolutas imagines omnibus ostendũt. Ita homines in hac vita conscientiãs suas variis figuris

4. *Innumeros testes operum omnium habebimus in Iudicij.*

Omnia peccata Die iudicij patebunt.

guris depingunt operum bonorum aut prauorum, honestorum aut turpiū quas corporis sui velo,& anguli, in quo se abscondunt, studiosè tegunt: die autem Iudicij velum illud retraherur,& omnibus patebit, quid quisq depinxerit.quod si pictura tua fuerit peccatorum carnalium: erubesces co ram toto mundo;tantoque erit maior tunc ignominia, quantò maior fuer hic de te opinio: nam omnibus exspectantibus videre in anima tua ima nes magnæ pulchritudinis,videbunt eas fœdas esse ac turpissimas:caue gitur nunc aliquid occultè facere,quod te in publico afficiat ignominia. Na

k *Matt.* 10. 26. l *Luc.* 8 7. m 1. *Co.* 4 5

ipsius Dei verbum est:k *nihil est opertum,quod non reuelabitur: & occultū non scietur*:l *& in palam veniet*.m *& dies Domini illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit* occulta *consilia cordium*. Eueniet quoq; ijsdem quod d prosis,& habentibus corpora vlceribus ac fœditatibus plena,qui tamen v stibus induūtur preciosis:propter quas valde elegantes videntur,& place qui si vestibus exuerentur, vt ab omnibus videri possent; ab omnibus in derentur,& condemnarentur:ita(inquit S Basilius)multi sunt homines fœminæ,quarum animæ sunt leprosæ, & carnalium culparum vlceribus fœdatæ:sed quia elegant quodam corpore sunt indutæ,earum fœditas no notatur:in die autem iudicij,exuentur ab illis ornamentis, quibus lepra gebatur:ideoque valdè erubescent,& æternùm confundentur: neque so

Solatium nullum est ex honore.

a *Eccl.* 11. 29

tium vllum habebunt ex honore, quo in hac vita afficiebantur; iuxta illu Ecclesiastici:n *malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ, & in fine homi denudatio operum ipsius*.cuius sententiæ hic sensus est, quòd cruciatus & affe ctio,quæ in hora mortis & rationis reddendæ sustinebitur,tanta erit:vt pr cedentium voluptatum penitus obliuiscatur, etiamsi plurimæ & plurim rum annorum fuerint:quia tunc opera turpia,quę induta speciem habebu virtutum,aut humanæ authoritatis larua aliqua tegebantur: exuentur om nino & omne tegumentum remouebitur ita vt omnibus pateant ad pub rem ac dedecus ipsius peccatoris.

Ex his omnibus considerationibus agnoscere poteris viam & mod vitam tuam ordinandi etiam cum es solus.Præuenire enim ac præparare e dem documentis te oportet ad quoscunque repentinos casus occurrent dicens tibi ipsi illud Apostoli:o *spectaculum factus sum* Deo, *Angelis & homi nibus*:nolo itaque aliquid admittere, quod hoc spectaculum reddat defor me & coram eis erubescam.

o 1. *Co.* 4 9.

§. 2 *Contra nocturnas illusiones.*

Tentationes ex somnijs ortæ.

NON SVNT minus periculosæ tentationes repentinæ, quæ oriuntur ex somnijs,aut statim,cùm euigilatur occurrunt: quare magna attentione ac vigilantia opus est, vt quis se ab eis expediat. Neque enim gratis dicitur de sexaginta illis fortibus viris,qui lectulum Salomonis ambiūt, quod

a vni-

a *vnius cuiusque ensis esset super femur suum propter timores nocturnos* quasi armati essent cõtra luxuriã: vt insultibus, quos noctu, & cũ homo minimè attendit, excitare illa solet, resisterent: tunc. n. maximè innotescit, quis perfectè sit castus. quemadmodum accidit venerabili Booz, cũ dormiens semel in area sua euigilans *b medià nocte inuenit ad pedes suos iacentem mulierem* bene ornatam, quam tamen, nec tangere voluit, vt suo loco perpendimus.

a *Can. 3. 8. Tempore noctis innotescit quis castus sit.*
b *Rut. 3. 8.*

Sed aperiamus Dæmonum astutias in spargenda semente turpis cogitationis, & alterationis sensualis in somno, vt culpam aliquam, statim atque homo euigilat, ab eo extorqueat. Mouet enim memoriã eius, quod in somno euenit, vt voluptatem aliquam, aut sensualem complacentiam, aut culpabilem aliquã morã, aut turpẽ consensum eliciat. Et facilè solet ipse fieri voti compos, si nos in vigilia aliquam dedimus occasionem ad eiusmodi sementem spargendã. Hoc facilè explicabitur ex ijs, quæ Samsoni euenerunt, agẽti cũ quadam nequã muliere nomine Dalila: cui vt placeret, multas dedit occasiones, vt c *dormientẽ variis vinculis alligaret* quæ ita ligatũ excitabat, accurrentibus eius hostibus Philistæis, vt ipsum comprehenderent. Et quãuis excitatus, ter ruperit vincula, & hostiũ impetum euaserit: quartò tandem dormienti *tonsor rasit septem crines eius*: ex quo totam suam fortitudinem amisit, ita vt excitatus non potuerit se ipsum soluere: ideoque facilè à Philistæis captus fuit: qui *statim eruerunt oculos eius*, & in mola Asinaria *molere fecerunt*. Idem euenire solet hominibus liberioribus & promptis ad agendũ cũ personis carnalibus, aut proprijs corporibus indulgendum cibis delicatis, & vinis præstãtibus; aut ad sensus suos oblectãdos rebus delectabilibus; aut in sua imaginatione huiusmodi rerum imaginibus & cogitationibus occupãda. Nam cuiusuis horum occasione in die data, ipsamet caro impulsa & alterata à Dæmone producit in somnijs turpes repræsentationes, & impuros motus, quibus dormientes ligat & illaqueat, vehementẽ imprimens imaginationem, & appetitũ ac delectationem sensualium voluptatũ. Homine verò euigilante, statim accurrunt Philistæi infernales, vt animam capiant, solicitè procurantes, liberũ aliquem consensum aut cõplacentiam eius, quod somniauit, elicere. Et quamuis verũ sit, quòd aliqui, in quibus locum adhuc habet timor Dei, & spiritus fortitudo, soleant citò sese expedire, diabolicis suggestionibus resistentes: accidit tamẽ eos interdum adeò negligentes, & incurios interdiu fuisse, vt in pœnam Deus illos nocte deserat, permittens Dæmonem tanta vi eos in somnijs ligare, vt euigilantes non sciant sese soluere, ideoque voluptate in somno repræsentata inescati, eam libenter acceptant: ac proinde ab hostibus capiuntur, qui ingenti furia eorum castitatẽ deprædantur, & eruentes eis prudentię oculos, molere faciũt in mola luxuriæ: ab vna in alteram culpam, cum magna eorum pernicie, eos trahentes. O

c *Iudic. 16. 7 19.*

Philistæi eruerunt oculos Samsoni.

Dæmones conantur excitare consensum somnij.

In sumno plurima pereunt animæ.

quot animæ à carne sua sunt deceptæ, sicut Sãson à Dalila! ô quot victoria infernales Philistæi obtinent, astutè aggredientes in somnijs, quē vigilãtes aggredi ausi nō fuissent! ô quot noxia semina interdiu spargunt quæ postea fouentur & crescunt in somno, post quem, fructum proferunt ipsum peccatũ & sæpè in ipso somnō percipitur damnum, quòd in vigilia præcesserat. Nam carnalis pollutionis nouacula radunt, aut ostendunt, rasa esse septē spiritus Sancti dona, quæ Spiritum ipsum exornabant; & contra carnis tentationes roborabant: eò quòd ante ipsum somnum, culpabilem valde occasionē præbuerint ad ea, quæ in somno geruntur. Quare si castitatem conseruare desideras, studere omnino debes; quantū inte erit, occasiones euitare impium huiusmodi somniorum & morum abscindendo illecebras nimirum cœna, lecto, & colloquijs, quibus tales occasiones admiscentur: te ipsum verò muniendo sanctis cogitationibus, cùm vadis cubitū: vt si aliquod somnium fortè eueniet, talem habeat materiam. Nominatim verò memoriam tenuabis præsentiæ Dei, & Angelorum eius: confidens eorum protectioni, qui circa eius custodiam vigilabunt, qui non potest non dormire. cùm inciderit dices Angelo tuo Custodi: Angele Sancte, quemadmodum Dæmō, me dormiente, vigilat in meā pernicie; & tu quoq; vigila quæso in meum cōmodum: siquidem non minus tibi curæ est bonū meum, quam illi incommodum meū. Et cùm ego non possim nunc vigilare, vt me ab eo defendam: tu, quæso, pro me vigila, vt ab eius insultibus me defendas. Sed nominatim & principuè confidere debes illi Domino, de quo dixit Dauid: d *non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israel*: si enim interdiu fueris, sicut Israel vigilans, & contemplans Deū omnia videntē, ipse vigilabit pro te de nocte, ac defendet ab illusionibus ac e *timoribus nocturnis*, & à *negotijs* quę *perãbulant in tenebris*, quapterea enim dixit sponsa: f *Ego dormio, & cor meum vigilat*: hoc est Deus qui amor est cordis mei, & vita mea vigilat pro me; & attēdit protectioni ac defensioni meæ, dū ego dormio Deniq; semper & vbiq; memor esto g *sagacis illius vigilantis*, quā vidit Ieremias: quæ est ipsa diuinitas, nunquam dormiens & semper vigilans ac contemplans quidquid facias: vt vel præmium reddat vel supplicium pro meritis tuorum operū. Aç propterea Aegyptij eam depingebant virga quadā recta, oculū in summitate habente: vt significarent Deum omnia videre oculis valde acutis; mundumq; gubernare, *Iustitiæ* rectitudinis virga, non solum in ijs, quæ exterius apparent; sed sicut reuera sunt. Nihil siquidem etiā occultissimum, eius oculos effugit; vigilatq; semper, vt opere impleat, quæcunque Sanctis promisit, & minatus est luxurio sis. Quamobrē postquam Ieremias virgam illam vidit: *ollam* quoq; vidit *succensam*: quæ in sensu morali luxuriam significabat, contra quam seuera diuinæ Iustitię punitio dirigebatur. Habeas itaque semper in tua memoria hanc

Euitanda sunt occasiones sõniorum turpiũ.

Meminisse præsentiæ Dei oportet.

d *Psa.* 120. 4.

e *Psa.* 90. 5. f *Can.* 5. 2.

g *Ier.* 1. 11. *Deus videt opera nostra.*

succensa luxuriam significat.

virgam

virgam vigilantem, vt faciat te semper vigilare in discernendis occultis astutijs Dæmonis & carnis tuæ; & pugnare contra eas medijs suprà positis.

Ex dictis licet colligere summam perfectionem, ad quam potest Castitas in hac vita peruenire. Quod breuiter explicauit Cassianus hisce, non minus honestis, quàm grauibus verbis ac sententijs: tum demum, ait, homo perfectè censebitur castus, cùm ad illum statum peruenerit, vt talis inueniatur in nocte, qualis in die; talis in lecto, qualis in oratione; talis in somno, qualis in vigilia; talis solus, qualis turbis hominum circumseptus. Postremò vt nunquam se talē secretus aspiciat, qualis videri ab hominibus erubescit: nec in eo tale aliquid ineuitabilis ille oculus deprehēdat, quod ab humanis aspectibus velit esse celatum; vt dicere cū Propheta possit: h *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* hoc est, nō ego delitias accipio, quas solent peccatores de nocte, & in tenebris: quia pudet illis vti in die clara; sed delitiæ meæ sunt puræ & sanctæ in oculis Dei videntis quidquid agatur in tenebris; & cui ipsa nox æquè est clara, atq; dies: ideoq; in eius conspectu nihil tale faciam, quod non deceat. Vt autē insinuet, à quo beneficiū hoc accipiat: subiungit, dicens: *quia tu possedisti renes meos*: id est, quia tu mortificasti omnes carnis meæ motus impuros: & ita appetitus omnes eius possedisti, vt imperio rationis, tuæq; sanctissimę voluntati cum qua ego cupio meam esse conformem, subieceris.

Collat. 22. 8.

h *Psal. 138. 11.*

CAPVT XI.

STATVM CASTITATIS *suscipientes, nec eam seruantes, in horrendas incidere miserias & grauissimis affici pœnis ad aliorum cautelam.*

DEO EST hominis natura inconstans, & ad continendum adeò fragilis, vt qui stat, magnis opus habeat fulcimentis, ne cadat & prosternatur. Quò autem in continentiæ professione altius quis progressus est, (quales sūt Sacerdotes & Religiosi) eò casus eius est miserior, & maiorē adfert commiserationem. Cùm enim ex loco valdè excelso cadant, & ad ipsū casum impellantur simul à superbia & luxuria: nō prius consistunt, quàm ad summā eius profunditatē perueniant. Et cùm etiā malo suo exemplo grauius adferant damnū, trahentes post se alios, qui illos imitentur, magis irritant iram Dei, vt grauiori pœna illos afficiat; atque hoc exemplum alios coerceat ac frænet, qui peccatum illud viderunt. Hoc insinuauit Scriptura diuina exaggerando hominum coruptionem & effrænationem in luxuriam: dicit enim, eò vsque eos peruenisse, vt a *filii Dei videntes filias hominum, quod essent pulchræ, acciperent sibi eas in vxores*. Vocat autem *filios Dei* (vt aiunt SS. Ambrosius & Augustinus) successores Seth, qui

Quo altior gradus eò miserabilior casus in castitate.

a *Gen. 6. 2. Lib. de Noe & Arca c. 4.*

Lib. 15. de Ciuit. c. 23. vide Perer. ium ibid.

& sapientiâ & sanctitate tunc præcellebant: ac propterea tenebantur eis magis casti, & creatori suo grati: & tamen cùm cœperunt laxare sibi habenas, fuerunt multò peiores; & prauis suis exemplis infecerunt successores Cain: & ita magis corruperunt mundum, & horrendum diluuij supplicium accelerarunt. Aliqui Doctores dixerunt: malos Angelos siue Dæmones hic appellari *filios Dei*, eosq; induisse hominum corpora, vt possent cum fœminis coniungi: sicut etiam fœminarum corpora induunt, vt se viris coniungant. Non quod illi sentiant sensuum voluptates, quarum sunt incapaces quòd sint puri spiritus: sed quod delectentur perditione virorum simul & mulierum: quos decipiũt ac deprauant huiusmodi voluptatibus. Sed quamuis hoc interdum eueniat, sitq; magnum indicium, quòd luxuriæ peccatum sit valde detestandum: si quidem ipsi dæmones tot adhibent artificia, vt homines ad eam prouocent: sed non loquitur de eis Scriptura diuina: neque opus est vt dæmones corpora induant & formas personarum sanctarum ad huiusmodi fraudes exercendas: nam peruersæ carnis inclinationes, dæmonum funguntur officio; & filiæ hominum sunt quasi dæmones, ad filios Dei deturbandos; & filiæ Dei virgentur, ac deprauantur à filiis hominum, et erga ipsas sunt tanquam dæmones, concurrente Sathana inuisibiliter maledictis suis suggestionibus, vt & filij, & Filiæ Dei ex præcelsa dignitate, quam possident, ruant; & puritatem amittant quam profitentur.

S. Augustin. Abulensis in caput 6. Gen. q. 6.

§. I.

a Iere. 13. 1.

MODVS & ratio, qua in has miserias deuenitur, explicari potest tremenda illa similitudine, quam Deus proposuit Prophetæ Ieremiæ, dicens ei: a *posside*, siue compara *tibi lumbare*, siue cingulum lineum, *& pones illud super lumbos tuos, & in aquam non inferes illud*. & cum id Propheta fecisset, ait *Deus secundò, vt tolleret lumbare, & iret ad Euphratem, & absconderet illud ibi in foramine petræ*, Quod etiam Propheta præstitit, *& post dies plurimos dixit Dominus ei tertiò, vt rediret ad Euphratem, & tolleret inde lumbare, quod ibi absconderat, quod cum faceret Propheta, ecce computruerat lumbare ita, vt nullius iam aptum esset*. Et tunc Dominus cœpit suam Parabolam explicare *dicens: lumbare* illud lineum significare electum populum suum Israël & Ierusalem, qui quamuis ex se ipso rudior esset & crassior: magna tamen sua misericordia illum elegit, vt eius esset possessio, & arcto amore ipsi coniungeretur. *Sicut enim*, inquit, *adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israël, & omnem domum Iudæ: vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriã*. Sed multò ampliùs (ait S. Hieronymus) viri perfecti sunt Christi Domini lumbare, siue cingulum, eò quòd ipsi adhæreant per intimam charitatem: & quidem adhuc magis speciatim continentes, & Religiosi, & omnes Professores & cultores perfectæ Castitatis; quos in secundo tome

Cap. 2.

diximus

diximus significari b *Zona aurea*, quâ Christus Dominus *ad mãmillas præcingebatur*. Nã etsi illi ex se ipsis sint rudis & cruda tela linea: ex gratia tamen eiusdem Saluatoris exaltantur, vt sint auream valde splendidum, puram Castitatem cum charitate inflammata coniungentes: & ratione vtriusque huius virtutis honoratur, valdeq; gloriatur benignissimus noster Pater: quòd illos habeat sibi ita coniunctos & adhærentes, sicut cingulũ adhæret ei, quem cingit. diligit. n. eos, semperq; præsentes habet, eorumque curam gerit Sed nõ eos præcingit per mediũ corp⁹, sicut dixerat Ieremiæ de populo Hebræo; sed ad ipsas mãmillas: vt teneriorẽ ostendat amorem, quo populũ Christianum prosequitur, & virginitatis ac Euangelicæ Castitatis cultores: collocãs eos in altiori loco, ad suum sc. pectus, & in medio cordis sui. eò quòd & ipsi multò excelsiorẽ & heroicã perfectionẽ profiteantur. Sed, ô miseriã & inconstantiã humanã! & quã pauci sunt, qui felicẽ suã sortẽ nouerint, vitamq; agant celsitudine eius status dignã: sed potius ab vnione, quam cum Christo habebãt, miserè recedunt. nisi enim ipsi prius eum desererent, tanta eius est bonitas, vt nunquã eos prior ipse reijceret, necà iucundissimo, quẽ in pectore eius habẽt loco, repelleret. Verum, quònam discedunt, & vbi tandẽ sistunt, relicto loco & statione, quam habebant? lumbare hoc siue cingulum lineũ nobis ad viuum valde detegit. Nam primũ eo fuit præcinctum corpus Prophetæ; deinde illud soluit, & in manibus retinuit; & postea ad Euphratem portauit, vbi illud abscondit, ibiq; cõputruit: ac deniq; omnino abiecit, eò quòd nulli vsui aptũ esset. Eisdem igitur gradibus cadit iustus, quo Christus D. N. est præcinct⁹, cui per votũ Castitatis adhæsit. Et quò ille feruẽtior est, eò magis cõstringit. Sed vbi incipit tepescere, etiam incipit laxari. & hic primus est eius ruinæ casus: quia dilabitur in multa peccata venialia, & tepiditatẽ, cõtra ipsam Castitatẽ eiusq; perfectionẽ, quã profitetur Et hi defectus maculant & obfuscant ipsum cingulũ; laxant & aliquid remittunt de stricta illa vnione, quã cum cælesti suo sponso habebant. Et quemadmodũ cingulũ valde laxatũ, prope est vt cadat, ac dissoluaturi ita: qui sponte admittunt hoc genus peccatorum, prope sunt, vt charitatis & amicitiæ cum Deo iacturã faciãt, incidentes in aliquod lethale peccatũ. Culpa enim, quæ in alijs valde fuisset leuis, in ipsis est multò grauior, ob maiorẽ obligationẽ, quã tenebantur ad eam sponte nõ admittendã: cum Deus eos tantis misericordijs præueniss̃et, & quod macula etiam paruula, si in vestem incidat valdè preciosam, turpior sit, magisq; pernicios̃a. Ac propterea Nazareos, qui tantam puritatem & sanctitatem profitebantur, sicut vidimus: non solùm iussit Deus c *abstinere a vino*, quod inebriat, sed *etiam ab vuis, siue recentibus siue siccis, & passis, vsq; ad acinum*. nam Deo dedicati & consecrati, etsi non possint omnes leues culpas quæ ex inaduertentia, aut passione turbata procedunt, euitare: pos-

sunt

b *Apoc. 1. 13*

I.
Feruentior Castitas constringit Christum.

Sponte peccantes Christum dimittunt.

c II. *Trad.* c *Num. 6. 3.*

Leues culpæ sponte non admittẽdæ. 2.

sunt tamen ac meritò debent eas sponte, & aduertentes nõ admittere. Qui si in hoc sint negligentes; facilè incident in secundam miseriam culpathalis, quæ etsi non destruat omninò cingulum: soluit tamen illud, ac sertat ab ipso Christi pectore. Quamuis enim non omninò destruat & labefactet statum Christiani hominis aut religiosi, nec ipsum statum & votum Continentiæ: Destruit tamen Charitatem; animamque separat ab vnione & amicitia quam cum Deo suo habebat. Nam (vt ait Apostolus) non possunt simul existere; quod quis sit d *vnum corpus cum meretrice*, & simul non *spiritus cum Christo*: & qui carnalem vnionem adeò turpem amplectitur, tam dissoluit spiritualem adeò gloriosam; & indignum se reddit gratiarum & fauorum, quos à diuina misericordia accipere solebat. Ad cuius confirmationem refert S. Gregorius, quòd cum Rex Wandalorum Arianus iussisset abscindi linguas septem Episcopis Catholicis, eò quòd non consentirent ipsius errori: illi tamẽ etiam sine linguis miraculosè loquebantur optimè. Et cum post aliquot annos vnus eorum laberetur in peccatum inhonestum; statim priuatus est illa gratia loquendi sine lingua. Peccatum est adeò turpe hominis, cui Deus adeò benignè fauebat, statim debuit meretrici in faciem ipsam prodire, vt suam miseriam agnoscens, per pœnitentiam surgeret. Eius enim generis est hoc vitium, vt nisi feruenti pœnitentia intercipiatur, multa alia sui generis post se trahat; & miser peccator latis habenis currat ad flumen Euphraten, e *turbidamq; bibat aquam* sordidarum suarum voluptatum, quemadmodum ipsi gentiles bibunt. Hæc fuit miseria Filij prodigi; qui, dum esset in magno honore in domo paterna, eam deserens, f *abiit in regionem longinquam, vbi dissipauit substantiam suam viuẽdo luxuriosè*. & tandem incepit egere, & *missus est in villam, vt pasceret porcos*, turpissimè scilicet suos sensus voluptatibus sensualibus: cuius tamen tãta erat fames, vt non posset saturari nec vllus erat, qui illi daret, vt de saturaretur. Tanta tamen est diuina misericordia, vt non desistat huiusmodi peccatorum aculeis pulsare, vt pœnitentiam agant, & suarum turpitudinum fluxum contineant, quemadmodum pulsauit & verè mutauit filium hunc prodigum. Eidem spectant eiusdem Prophetæ verba dicentis: g *quid tibi vis* anima mea *in Ægypti: vt bibas aquam turbidam ex flumine?* vilo? *& quid tibi cum via Assyriorum? vt bibas aquam fluminis* Euphrates? h *vsquequo delitijs dissolueris filia?* memor esto sublimis loci, quem in pectore meo habebas: age pœnitentiam propterea quod illum reliqueris; & ego te in eodem reponam. i *Numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ?* cur igitur tu me obliuiseeris, qui cupio te tanquam cingulum & fasciam pectoralem, & *tanquam auream* pectori meo applicari?

Peccatum mortale solui charitatem cũ Deo.
d 1. Co. 6. 15

Lib. 3. Dialo. c. 23.

Peccatum contra castitatem alia sequuntur peccata.
e Iere. 2. 18.
f Luc. 15. 13. 30.

g Ier. c. 2. 18
h cap. 31. 22.

i cap. 2. 32.

4. QVONIAM sæpe huiusmodi vocationes, & pulsus mihi efficiunt in o-

libe-

libus peccatoribus eò quòd sint ebrij furioso vino suarum voluptatum, iuxta illud Oseæ: k *fornicatio, & vinū, & ebrietas auferunt cor*: permittit Deus, eos incidere in *quartam* miseriam: vt scilicet *abscondatur lumbare* lineum in profunda aliqua fossa; in qua tamdiu maneat, donec *computrescat, & nulli vsui sit aptum*: Hoc est, vt huic vitio ex deliberato animo se totos dedant, & incidant in infamem, turpemq; concubinatum cum execranda illa fœmina, quam Salomon, l *foueam profundam appellat, & puteum angustum*, m *in quē* miser & infelix *homo incidit cui iratus est Dominus*: Deus enim iram suā ostendet, permittens, eum in eadē fouea immergi in miserias innumeras, & computrescere cum suis carnalitatibus, & amittere spiritum, honorem & bonam opinionem: & manere inutilem, vt quasi impossibile illi sit, ad priora exercitia & ministeria redire. Hoc etiam dixit Propheta Ioël verbis illis: n *cōputruerunt iumenta in stercore suo*. quæ autem sunt hæc iumenta, nisi homines: qui o *cùm essent*, inquit Dauid, *in* magno *honore* tanquam lumbare ipsius Dei, *comparati sunt* in suis moribus *iumentis insipientibus*: & computruerunt in stercore suarum luxuriarum, eis omninò immersi? eosdem deflet Ieremias cùm dicit: p *filii Sion inclyti, & amicti auro primo & qui nutriebātur* tanquam infantes *in croceo, amplexati sunt stercora*; amittentes nobilitatem & ingenuitatem, quam habebant, & commutantes, lac deliciarum spiritualium in stercora sensualium; & viuentes instar iumentorum in stabulo suo; nec inde prodeūtes ad subeundum laborem in re aliqua vtili. Et paulò inferiùs deplorat casum Nazareorum, (quorum candorem & pulchritudinem suprà retulimus) dicens de illis: *denigrata super carbones facies eorum* Et propter miram proprietatem eos comparat carbonibus, qui primùm fuerunt prunæ splendentes igne, & postea in fossas aliquas proiectę, & terra coopertæ, postquam aliquo tempore sepultæ ibi manserunt, fiūt carbones nigri ac turpes, inficientes & maculantes omnes, à quibus tanguntur. Spirituales enim hi Nazarei, qui priùs abstinentes erant, & virtutibus adeò heroicis splendebant, eò sensim deuenerunt, vt superbirent, multum sibi in sua pulchritudine complacentes. Qui in pœnam tantæ præsumptionis à Deo deserti, inciderunt in profundam carnalitatis foueam, in qua sensim nigredinem tanquam carbones contraxerunt, prauisque suis exemplis omnes aspicientes, & cum ipsis agentes inficiebant, ac maculabant Et quoniam proprium colorem amiserunt, *non sunt cogniti in plateis*. significat enim, quòd cùm illi castitatis pulchritudine florerent, erant collecti in domibus suis, aut in suis monasterijs; agebantq; valdè cautè, incedentes per angustam perfectionis semitam, suamque vitam consilijs Euangelicis conformantes: sed postquam ambulare cœperunt per latas perditionis plateas, relaxantes sensus suos, sicut reliqui peccatores, valdè improbi, & prophani: propterea iam non sunt cogniti in plateis: quia

k *Ose.4.11*

l *Pro.23.27*
m *c.22.14.*
Impuri sunt velut iumenta.
n *Ioel.1.17.*
o *Ps.48.13.*
S. Gregorius Homi 10. in Ezechiel.

p *Thren.4.2.5.*

Impurorum facies super carbones denigrantur. vers.8.

Post peccatum commissū inter castos & impuros non est discrimē.

nullũ est inter ipsos & illos discrimen. Quemadmodũ margarita aliqua p cioſa facilè dignoſcitur inter carbones: quæ tamen, ſi etiã in carbone co tatur, quis eã inter reliquos carbones dignoſcet? & præterquã quod ſunt gri, adeoq; deformes; etiã adeò ſunt aridi, vt adhæſerit cutis eorũ oſſibus ta carne conſumpta: a miſerunt enim omnem teneritudinẽ, & ſolitam co tionẽ; & aruerũt, & facti ſunt quaſi lignũ, hoc eſt, valdè inepti ad ea, quæ Dei, & ad bonum proximorum: atq; ſi nunquã de rebus huiuſmodi egi

§. 2.

5. *Deus peccantes deſerit. Homilia 10. in Euangel.*

NEQVE eſt hæc vltima miſeria: nam ſũprema & maxima ad quam uenire poſſunt omnes huius vitæ miſeriæ, eſt tremenda Dei deſer permittentis illos abſq; fræno ſequi ſua deſideria; donec in eis moriãtur (ait S. Grego.) eſt, *computreſcere iumenta in ſtercore ſuo*, hoc eſt, carnales ho nes in fætore luxuriæ vitã finire. nam interdum obſeruatũ eſt, in ipſis ſtr ris amplexibus, quod adeò dilexerũt, & tanti in ſua vita fecerũt, mortem ijſſe, & ex lecto libidinis ad infernũ deſcẽdiſſe. Hæc illa miſeria eſt, qua

2 Eccl. 19. 2

cleſiaſticus extollit, cùm ait: a *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapien arguent ſenſatos. Et qui iungit ſe fornicarijs mulieribus erit nequam: putredo & mes hæreditabunt illũ, & extolletur in exemplũ maius; & tolletur de numero* tium *anima eius*. Et ſenſus eſt: quòd qui fuerunt ſapientes & prudentes, & celſum locum in Eccleſia, & in cõſpectu Dei habuerunt: ſi cõiungantur fo nicarijs mulieribus, & inebrientur vino turpiũ ſuarũ voluptatum, eò deu ent, vt apoſtatent à Deo, deſerendo eius amorem & ſeruitiũ. Adeoq; hæc rum miſeria interdum creſcit, vt quẽadmodum lineum illud lumbare tatum fuit ex terra promiſſionis ad Aſſyrios, vbi omnino computruit: tanquã Apoſtatæ recedũt à religione, quam profeſſi erãt, & redeunt ad ſæ lum; & ꝙ horribilius eſt ab ipſa Catholica fide & Eccleſia ſancta recedun

Sapientes coniuncti mulieribus apoſtatant à Deo.

Impuri à fide recedũt.

transeunt ad partes & factiones Hæreticorũ, vt turpibus ſuis facultatibu beriùs potiantur. Ibi *putredo & vermes* ſunt eorum hæredes: miſera. n. cõ entia putreſcit in ſuis vitijs, & mordetur ab horrẽdis vermibus, illã qui p gunt, & torquent: imò & ipſa infælix caro pœnã luit ſuarum voluptatũ, tu bo infecta fœtido, quo putreſcunt & cõſumuntur eius oſſa; & replet ver bus, eius viſcera vorantibus: diſponente Deo, vt violẽta aliqua, & hor morte ante tempus moriatur, vt *ſit in exemplũ maius*, & inuſitatum, vt alij a tiores fiant; & æterna hominum adeò egregiorum ac Sanctorum damna metum alijs incutiat, ne audeant illos imitari. Caueat (ait S. Hiero.) qui

Conſcientia in vitijs putreſcit.

In Ierem. 13. b Pſ. 72. 28.

teſt cum Dauide dicere: *bonum mihi adhærere Deo bonum eſt*: ne ei ex ſua negli & incuria eueniat, vt diſſoluatur & ſeparetur à Deo ſuo; qui permittat tr transferri ad flumen Euphratẽ, & poteſtatẽ inimicorum: & qui debuit le ſcondere in foraminibus petræ firmiſſimæ, quæ Chriſtus eſt: abſcõdatur ſerpeliatur in foraminibus corruptæ & putrefactæ petræ, cadendo in vitã

ctores hæreticorum, & sæcularium & in eam deueniat putredinẽ, vt non possit amplius aptari, vt iterũ ipsius Domini corpus cingat, nec in eiꝰ domo vsui esse possit. Hæc S. Hier. ad cautelam eorum, qui spiritus delitias aliquando degustarunt, & c *abscondi* consueuerant *cũ Christo in Deo*, contẽplates eius magnalia; & ex occulta postea superbia hæc exercitia deserunt, vitã suã relaxant, delitias quærunt & solatia: quos monet, nisi ad se ipsos redeant, sensim deuenturos ad profundã fornicationis foueã, in qua adeò computrescãt, vt vlni esse nõ possint. d *Sic putrescere faciã* (ait Dominus) *superbiam Iuda, & superbiã Ierusale multã*. Superbia. n. tanquã radix peccatorũ eiꝰ, ignominiosa adeò putredine puniẽda est, vt oẽs obturent suas nares, ne fætoré eius percipiãt. Idem cõfirmat Scriptura diuina, referens horrenda aliqua supplicia in huiusmodi peccatores, ad alios continendos & deterrendos: e *Ecce ego* (ait Dominus ad Samuelem) *facio verbum in Israël, quod quicunq; audierit, tinniẽt ambæ aures eius*, fuit autem illud, infœlix mors Sacerdotum filiorum Heli ob scelera, quæ perpetrabant cum mulieribus, quæ *obseruabant ad ostium tabernaculi*, permisit enim Deus, arcam testamenti tunquam captiuam transferri ad Philistæos, ne eam videret in manibus Sacerdotum adeò carnalium: Et quamuis Deus in antiqua lege, Sacerdotes permittebat habere vxores, tantum tamen horrorem carnalitatis ostendebat, vt lege constituerit: f *si Sacerdotis filia deprehensa fuerit in stupro flãmis exureretur, quia nomen Patris sui violasset*. Quam igitur pœnam promerebitur illa, quæ cùm esset filia Dei, cui se voto Castitatis consecrauit, huiusmodi culpâ cœlestis sui Patris nomen violaret? exiguæ & leues censebuntur flammæ Sodomæ ad eam puniendã Sed audiamus quam pœnam sumpserit Deus de Hebræis cum mulieribus Madianitis fornicantibus. Non enim contentus, quod viginti quatuor millia de plebe ingulasset, iussit Moysen g *tollere cunctos principes populi, & suspendere eos contra Solem in patibulis*; & *cum quidam ex filiis Israel intrasset ad scortum Madianitidem, videnteꝰ Moyse & omni turba filiorum Israel*, inspirauit Deus Phinees filio Eleazari Sacerdotis, vt *arrepto pugione ingrederetur post virum Israëlitem in lupanar, & perfoderet ambos simul*: minus malum existimans, statim eos descendere in infernum, quam vt multi alij detestando eorum exemplo perirent. Prætereo notas & exemplares punitiones Nazarei Samsonis, Prophetæ Dauidis, & aliorum, quæ in præcedentibus capitibus sunt insinuatæ. Solum addam exemplum Ruben, qui fuit primogenitus Patriarchæ Iacob, cuius turpitudinem patet eius, imminente morte, tremenda quadam maledictione puniuit, dicens: h *Ruben primogenitus meus*, qui esse debuisses initium gaudij mei, & honor domus meæ, *prior in donis & maior in imperio*, ac propterea omnibus tuis fratribus præferri debuisses. Sed quia *effusus es sicut aqua*, permittens, te absque freno à carnali tua

c *Col. 3. Per occultã superbiam venitur ad fornicationẽ Idem. 4. 9. Superbia radix peccatorum.*

e *1. Re. 3 11*

f *Leuit. 21, 9 Violantium castitatem horribilis erit pœna.*

g *Nu 25. 4.*

h *Ge. 49. 3.*

concupiscentia duci; teq; ipsum in profundū luxuriæ præcipitans, sicut
fusa aqua, quæ mergitur in terram: *non crescas*, nec ea præeminentia frui
quæ inter fratres tuos tibi debebatur, nec familia tua crescet, & propaga-
tur sicut illorum: *quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Q
pœna, vt ei esset magis ignominiosa, transtulit pater eius priuilegia & i
magnitia ad castum *Ioseph*, omnium fere minimum; & qui ob insignem c
tatem meritus est nomen Nazarei, & sancti, inter tuos fratres: & adeò in
scendo profecit, vt fuerit caput k *duarum tribuum in Israël*, ac propterea
pater eum appellauit: l *filius accrescēs Ioseph, filius accrescens*: quasi dicat, semp
crescit, vt torus mundus intelligat, quod Dei maiestas humiliet superb
luxuriosos; & quamuis sedem suam habeant inter stellas, eos inde detru
& abijciat vsque ad abyssum, spolians eos gratijs & priuilegijs, quæ p
concesserat: ita vt nunquam crescant, nec proficiant, neq; honorem ver
obtineant. siquidem ipsi effundi voluerunt sicut aqua, & immergi in p
fundam luxuriæ foueam. Qui tamen contrà, m *exaltat* castos *humiles, erig*
eos de puluere terræ, *vt collocet cum principibus* Ecclesiæ suæ.

SED quoniam in hac vita existenti nunquam remissionis ianua occ
ditur, si veram faciat pœnitentiam: nemo debet fiduciam abijceren; etia
videat se tanquam aquam effusam, & sicut lumbare, quod diu fuit sepu
tum, computruisse. Nam qui filium prodigum, impudicum admisit; & ipse
recipiet iterū in domum suam, & lumbaris putridi damna reparabit, vt p
sit ad pristinū officiū redire. Quod expressè insinuat per eundē Ieremiam
cens: n *Vulgò dicitur: si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit*
alterū nūquid reuertetur ad eam vltrà? tu aūt fornicata es cum amatoribus mul
tamē reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiā te; & iterum præcingam te
cum, sicut priùs præcingebaris. Maior est misericordia mea, quàm tua
seria; plus ego dimittere possum, quàm tu peccare: defleas tua pecca
pete confidenter eorum veniam. & ego o *preces tuas exaudiens, educam te*
lacu miseriæ, & de luto fœcis, in quo hærebas, *& statuam super petram* firmi
pedes tuos, & dirigam gressus tuos in meo obsequio, *& immittam in os tuum ca*
ticum lætitiæ *nouum, vt quicunq;* tuam mutationem *videbant* lætentur & o
ulrent, & *discant sperare* in misericordia mea magna. Exeas igitur, mi frat
ex fouea ista execranda, in qua hæsitas, computrescens in tuis carnalitatib
quòd si cupis te abscondere, p *ingredere* (vt ait Isaias) *in petram & abscondere*
fossa humo, &, vt sponsus dixit sponsæ, q *in foramina petræ, & in cauernā macer*
ingrediens (vt ait S. Hier.) p meditationē vulnera Christi crucifixi, & in eo
de tuo ruminans tanquā gemens columba dolores Saluatoris, & granitate
tuorū peccatorū, quæ il orū fuerūt causa, hæc enim r *petra* est vnicū *refugi*
hæreticis, vt spinas excutiāt, quibus transfigūtur. Ingredere etiā cōsiderati

Deut. 33. 6. *sit Ruben parum in numero.*
i 1. Para 5. 1
k Gen. 48. 5
l Isa. 49. 22. *Superbos & luxuriosos Deus humiliat.*
m Psalm.
Si vera fuit pœnitentia nunquam negatur remissio.
n Iere. 3. 1.
Misericordia Dei maior est miseria humana.
o Ps. 39. 3.
p Isai. 2. 10. 21.
q Cant. 2. 14
r Ps. 103. 18.

ne foueã sepulchri, tibi, cũ mortuus fueris, aperiendi & excauandi; & stude nũc te præparare ad rationẽ, quæ tũc exigetur, reddendã. Maneas deliberato animo diutius in duobus his locis abscõditis: & confide in diuina omnipotentia, quòd licet in ea ingrediaris tanquã putridũ lũbare, prodituras sis per pœnitentiam integer & renouatus. Si verò adhuc pertinaciter pergere velis in sordidis tuis voluptatibus; præpara te ad pœnã suscipiendã, quæ inopinãtem inuadet, cũ horrendis cruciatibus, vt videre potuisti in exemplis diuinæ scripturæ, quæ recensuimus: & alia innumera potuissemus adferre ex historijs Ecclesiasticis, ex quibus tamen vnicũ solum proferam, quod narrat Petrus Cluniacensis, & refert Cæsar Baronius in suis annalibus ad initiũ tomi duodecimi, de Sacerdote quodam, qui excelsæ suæ dignitatis oblitus in hoc peccatũ fuit lapsus, & per multos annos præceps in illud ruit: nec tamẽ propterea à sacro Missæ faciẽdo abstinebat. Habebat familiaritatẽ cũ monachis monasterij Bonæ-Vallis, à quibus frequenter, de vitæ emẽdatione monebatur: isq; bonis verbis spẽ illis faciebat, sed in suo malo statu persistebat. Sed minimè cogitantem grauis morbus inuasit: quem Prior monasterij visitauit: & periculum aduertens, mansit cum illo per noctem, cumq; soli essent, cæpit ægrotus magnis clamoribus Patri priori dicere: adiua me, adiua me: duo enim ferocissimi leones hic sunt, qui faucibus apertis inhiãt, vt me discerpant: ora quæso Deum, vt me ab eis liberet. Quod cùm diceret totus tremebat, & quasi furiosus sesẽ agitabat, vt leones illos fugeret. Tremens itaq; Prior tradidit se orationi pro misero illo ægrotante. qui paulò post dixit: iã propter tuas orationes ferę illæ abiuerunt, nec ampliùs comparent. Sed oblitus conuerti ad Deũ, cæpit alios sermones de varijs rebus cum Priore misceri. Sed post vnam horam, alio clamore multò adhuc maiore dixit: heu, video fluuium igneum de cœlo descendentem rectâ super hunc lectum, vt me comburat: ora, quæso, Deum, vt me ab eo liberet: à quo vt se defenderet, stragula eleuabat, quibus totum se cooperiret: Orauit Prior pro eo adhuc feruentius, donec ille dixit, desiste ab Oratione: quia iam Deus ab illo igne me liberauit, interposito linteo quodam inter me, & ignem, quod nõ potuit penetrare. Cæpit Prior illum consolari & exhortari: cumque mutuò colloquerẽtur raptus infirmus in Ecstasim: Et post mediã noctẽ redijt ad se dicens horrẽdis ac tremendis gemitibus: væ mihi, væ mihi: qui ductus ad iudicium Dei dãnatus in eo sum ad mortem æternã, & horrendis carnificibus traditus, qui trahant me ad æternum ignẽ cum Sathana, & malis eius Angelis. Et hic habent fartaginẽ quandam ignitam pinguetudine plenam, in quo me frixant. Cumq; Prior inciperet pro illo orare, dixit infelix desine orare: quia non exaudieris. Fortè cogitas me delirare? non deliro: sed valde mihi præsens hæc dico, Et accipiens Priorem ex cucullo dixit: sicut hoc est cucullum,

Pertinacem inopinata pœna inuadet.

Pœna sacerdotis prolapsi in peccatum impuditiæ.

ita quod video est ignea sartago: quo dicto exilijt gutta vna liquoris ex sartagine ad ipsius manum, quam, spectante ipso Priore totam combussit, pollem, carnem, & ipsamet ossa: & horrendo quodam genitu dixit: hoc est experimentum eius, quod iam dixi, & quemadmodum gutta hæc manum meam consumpsit: ita ignis hic comburet & consumet me totum. Iam tortores sartaginem appropiant, vt me in eam proijciant: & sic infelix expirauit, tradidit miseram animam eam exspectantibus. Hanc visionem ostendit Deus infelici illi sacerdoti; non ob eius vtilitatem, vt ait S Gregorius, sed ob nostram, vt experimentum capiamus in alieno capite, & ne cõculcemus castitatem, quam diligenter colendam & seruandam excelsus noster status nos obligat.

CAPVT XII.

LAVDABILIS VERECVNDIÆ AFFECTVS, *eius præstantia, & proprietates; quam illa iuuentuti sit necessaria, & speciatim ad castitatem tuendam.*

Verecundia Castitati necessaria. 2-2.q.144.a.2

AD CASTITATIS custodiam & ornamentum multum conferunt in particulari tres aliæ virtutes cum heroicis suis exercitijs, quarum primũ vadè illi simile & affine, est laudabilis quidã affectus quem Sancti *verecundiã, erubescentiã*, vel *pudorẽ* nominant. Qui affectus (vt ait S. Thomas) sequens S. Gregorium Nazianzenum, & S. Ioannem Damascenum) est timor quidam cuiusuis rei turpis, aut indecentis, & magnus quidã horror infamiæ & confusionis, quam ob suam turpitudinem & indecentiã coniunctam secũ adducit: quam hoc nomine & motiuo fugit iuxta regulas rationis & moderationis, quã illa præscribit. Studiosus hic affectus solet interdũ prodi externis aliquibus signis in vultu: proprius enim passionis timoris effectus est, sanguinẽ alterare & spiritus vitales, qui corpori adferũt calorem & colorem: licet non semper eodem modo, vt idem Angelicus Doctor dixit. Timor enim mortis rerumq; terribiliũ trahit sanguinem ad interiora, & vultum ipsum relinquit decolorem, & quasi exanimem: timor autem verecũdus vultum accendit, roseumq; reddit, & quodammodo depingit genas rubratum rosarum coloribus. Quamobrem spiritus Sanctus in Canticis ait: a *sicut fragmen mali punici ita gena tua*: comparans sponsæ genas malo punico secto, cuius grana splendent gratissimi huius coloris pulchritudine. Quamuis addat: *absque eo quod intrinsecus latet*, ad significandum: quamuis exterior huius verecundiæ pulchritudo valdè sit iucunda & grata: multò tamen maiorem esse internam, quæ sub illa latet. Boni huius affectus radices inseuit naturæ author in hominibus ob duplicem finem. Tum scilicet, vt peccati turpitudinem ac vilitatem fugerent, vel eo nomine, quod sit infame & contemptibile: tum, vt si forte aliquando in illud laberẽtur, erubescerent ac pudore propterea afficerentur, excitãtes seipsos ad culpam suam emendandam vel eo nomine, vt eius confusionem euaderent. Et

Verecundia timor rei turpis est.

Verecundia proditur signis in vultu. 2-2.q.44.a.1.ad 3.

Timor verecundus accendit vultum. a Cant. 4.3

S Tho. 1.2 q. 4. & q 41.a.4

hinc

hinc oritur, quòd studiosa verecundia non solùm vitia fugiat, sed (vt idem S. Thomas dicit) eorum quoque tiam signa, & quidquid speciem habet aliquam peccati, iuxta Apostoli consilium, dicentis: b *ab omni specie mala abstinete vos*: nã non solùm vera culpa, sed quæ talis videtur, infamiam adfert & confusionẽ inter homines: quam vult Deus quod in nobis erit, sollicitè fugere. Suadet etiam Sapiens: c *curam habere de bono nomine hoc enim* (inquit) *magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi*. qua tamen sententia non id intendit, vt præcipua nostra cura sit, procurare bonum nomen & famam: hæc enim esset vanitas & ambitio humana; sed vt procuremus studiosè viuere coram Deo & hominibus: ex hoc enim sequitur bonũ nomẽ; detestemur autem vitam turpẽ, quæ obscurat ac defœdat bonã famam. Hanc curam in se recipit virtus sanctæ Verecvndiæ: cuius excellentias breuiter insinuabimus, acceptas ex ijs, quæ de ea dicunt SS. Ambrosius & Bernardus, in quibus ea valdè eminuit.

Verecundia fugit vitia & signa vitiorum.
a 2. 2. q. 144. a. 4. ad 2.
b 1. Thess. 5. 22.
c Eccl. 41. 15
Studiosè viuere coram Deo conari debemus.
Lib. 1. Offi. c 17. 18. & 19.

§. 1.

Sanctvs hic Christianæ verecundiæ affectus (vt ait S. Ambrosius) est primum fundamentum temperantiæ, & omnium virtutum illam comitantium. Quare qui nouam vitam incipere meditatur, statim debet verecundiæ fundamẽta aperire, quæ est familiaris amica animæ tranquillæ, fugit cõtentionem, detestatur leuitatẽ, diligit moderationẽ, seruat honestatẽ, & studet verã pulchritudinem obtinere. Cuius ratio est, quod qui erubescit de omni, quod est aut videtur turpe, facilè extrahit ex corde suo terram & arenã vitiorum; & aperit fundamenta, in quibus possit virtutum saxa collocare; & quæ iam collocata sunt, facilè conseruat, horrore & timore turpitudinis & fœditatis illa destruentis. Et quoniã maiorem horrorem & pudorẽ habet de turpitudine luxuriosa: ita est fidelior custos Castitatis, qua comite hæc virtus est securior, vt apparet in a *Ioseph*, & b *Susanna*, qui nõ habuerunt potentiorem suæ puritatis custodiam, quã sanctam eius comitẽ Verecundiã: quia plus timebant veram infamiam ex admissa culpa sequuturam; quàm quę eis superuenit ex eo, quod ipsis imponeretur, illam admisisse. Studiosa enim verecundia non tanti facit detrimentum infamiæ, quanti culpam eam promerentem: eò quòd nihil adeò ignominiosum reputet, atque ipsum peccatum: cuius ignominiam, vt fugiat, pòtè offert iacturam pallij, libertatis, & vitæ ipsius: tolerando paupertatem infamem, diuturnum carcerem, & mortem ignominiosam, ne verecundiam amittat, aut eius instinctum calcet. Ex quo apparet, quàm excellens & potens sit laudabilis huius affectus vis, & quam tremendum culpæ horrorem imprimat. siquidem sufficit horror ipse ad timores rerum valde terribilium, quas mundus tantopere timet, superandos; conculcando illos omnes, vt culpæ turpitudinem euadat.

Verecundia fidelis castitatis custos.
a *Gen.* 37.
b *Dan.* 13. *Cap.* 8.

Sed vlterius adhuc progreditur laudabilis huius affectus excellentia. eò

quòd

Verecundia virtutum reparator.

quòd non solũ sit fundamentum virtutũ, sed etiam ꝑ arũdem reparator. Nã si ex nostra debilitate in culpas aliquas labimur: sancta verecundia viã nobis aperit ad pœnitentiã, vt de admissis doleamus; datq; orationi vim & efficacitatẽ, vt earũ veniam à Deo impetremus: ac ꝓinde, vt gratiam nobis restituat cum virtutibus illis, quas per peccata destruxeramus. c *Publicanus* (ait S Ambrosius) cum tãta verecundia *orabat, vt oculos nollet leuare ad cœlum*, quem verecundia exaltabat plus quàm Pharisæum: cũ hunc præsumptio & arrogãtia abijceret. Oratio enim peccatoris ob suas culpas erubescẽtis, eo plus habet verecundiæ, eò plus obtinet gratiæ. Neque minùs potentem & efficacẽ in hoc se ostendit hæc virtus, quã in prædictis: tantum enim adhibet culparũ admissarum horrorem, vt quo eas per pœnitentiam deleat, nullã non meat infamiã, quod S. Gregorius in d *Magdalena* valde perpẽdit, dicẽs: quæ flere, & inter epulas non erubuit: nam quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaret foris. Quod ipsum etiã aduertimus in multis feruentibus pœnitentibus; qui, quòd valde illos pudeat ob turpitudinem suarum culparum: vt ab eis liberentur, nullã timent infamiam, quæ euenire illis possit ex earum confessione; non solùm quæ fit occultè, sed si opus esset, etiam publicè. nullam enim infamiam maiorem iudicant, qnàm quod coram Deo eam promereantur.

Oratio peccatoris quò plus habet verecundiæ eò plus obtinet gratiæ Homil. 33. in Euangel.

d *Luc.* 7 38.

c *Luc.* 18. 13

3. *Verecunda indicijs se prodit.*

Ex quo etiam alia oritur Christianæ verecundiæ præstantia: quòd sæpe tim indicijs se ipsam prodat, dũ reprehendimur de aliquibus vitijs ac defectibus, quæ in nobis notãtur manifestat enim interiorẽ erubescẽtiã coloribus ad genas prodeuntibus: qui multò ampliùs spiritum exornãt, quã corpus; eumq; reddũt Deo & hominibus gratũ. Quod benè confirmat id quod euenit sponsæ cũ ab sponso suo reprehẽderetur ob audaciã, dixit enim: e *si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula Pastorum*, qua reprehẽsione adeò timida & verecũda mãsit, vt, teste S. Bernardo, rubicũda euaserit valde, facies q; tota accẽsit, qui color adeò fuit eius dilecto gratus, vt statim eã laudauerit, dicẽs: f *pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* volẽs insinuare, quod quemadmodũ turtur, priore socio amisso, sola permanet, gemitu ostẽdens pœnã, quã ex eius absentia afficitur: Ita anima, quæ ob reprehensionẽ suæ culpæ, timet absentiã, & irã Dei sui: verecũdia, & coloribus genarũ suarũ confusionẽ & pœnã manifestat, quapropterea afficitur: & hac ratione pulchrior euadit in oculis diuini sui sponsi, cui summè placet; quòd, qui reprehẽditur, respõdeat mãsuetè, acquiescat verecũdè, obediat modestè, & cõfiteatur humiliter, vt in alio loco exponitur.

e *Cant.* 1. 8.

Serm. 40 *in Cant.*

f *Cant.* 1. 10.

S Bern. 42. *in Cantica. Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 9

4. *Verecundia facit iustum cũ laudatur erubescere.*

Sed non adeò mirum est, quod verecundia colores ad faciẽ educat cũ iustus de suis defectibus reprehenditur: sed illud magis mirũ, quòd idẽ faciat, cũ laudatur ob suas virtutes. Quia nõ multũ est, quod erubescat audiẽs suas

culpas, quæ secũ adferunt infamiam; sed magnũ quid procul dubio est, quòd erubescat auditis suis virtutibus, quæ sunt honore dignæ. Sed id facit humilitas, quæ ad vtrunq; vtitur filia sua verecundia ideoq; non solũ confunditur ob culpã, quã audit, & agnoscit; sed etiã erubescit, cùm suas audit laudes: quia timet periculũ ac damnũ, quod ex eis sibi potest prædenire. Et præterea ipse non inuenit intra se rẽ aliquã propriã laude dignã, sed potius cõfusionem: nã bonũ, quod in se sentit, Deo totũ tribuit; sibi autẽ soli, quod est malũ. Ac propterea in eodẽ libro Canticorũ, vt suprà dicebamus; cũ spõsus laudaret sponsam, inter alias eius laudes hanc inserit: *g sicut fragmen mali punici, ita gena tua absq; eo, quod intrinsecus latet.* volẽs significare, spõsam nõ ostendere verecundiã exteriùs, quòd interiùs, & in corde vacua esset virtutibus: nã potiùs plenã esse, sicut malũ punicum plenũ est granis cum stupendo ordine & pulchritudine: sed quod omnes exornaret humilitate interna & verecundia externa eas conseruaret. Eum in modum quo Ruth cum suas laudes à Booz audiuit, *h cecidit in faciem suã* dicens: *vnde mihi hoc vt inueniam gratiam ante oculos tuos.* quasi erubesceret, quòd laudaretur, nihil in se aduertens laude dignum.

Verecundus confusione se dignum putat.

g Cant. 4. 3.

h Rut. 2. 10. Vide Rich. super Cant. c. 4. 10.

Ex quo etiam fit, vt humilis verecundia vereat & virtutes suas in publicũ producere, acceptare dignitates, & videre se in occasionibus authoritatis & amplitudinis alicuius cõstitutã. Quãuis quò illa magis laborat sicut malũ punicum, pulcherrima virtutũ & gratiarũ suarũ grana occultare: eò Deus magis illa manifestat & ideò nõ dixit, esse similẽ integro malo punico, sed secto: quod partẽ aliquã ostendit eius, quod intus habet. Tales fuerunt i *Moyses* & k *Ieremias*, quos cùm Deus elegisset ad gubernandum populum Israël, diuinumq; ipsius verbum ei prædicandum; se humiliter excusabant: erubescentes sancto quodam timore aggrediendi egregia adeò facinora: quamuis diuina gratia ea porerãt benè præstare: sed hic ipse illorũ timor ad tãta officia & dignitates, aperuit eos esse dignos officio & munere, q; illis Deus iniũgebat.

5. Verecundia veretur accipere dignitates.

i Exod. 3. 11. & c. 4. 10.

k 1. 6.

Et vt semel summam huius virtutis præstantiam referamus eam (ait S. Ambrosius) aperuisse: Virginem Sacratissimam cum summa congruentia promeritam fuisse supremam matris Dei dignitatem, quam illi Angelus annunciabat. In cuius præsentia sancto quodam pauore turbata est, videns prope se solam virum quendam tantæ elegantiæ & pulchritudinis. Quæ etsi humilis esset, ob pudorem tamen virginalem nec resalutauit salutantem, nec aliquod responsum dedit: donec necesse fuit, eum interrogare, quomodo mater fieri posset cùm promisisset se mansuram semper virginem. Quãobrem eminentissimè potuit spiritus Sanctus de ea dicere, quod *eius genæ* essent sicut *fragmen mali punici absque eo quod intrinsecus latet*: fuit enim stupẽda virginalis eius verecundia; sed multò adhuc magis prodigiosa fuit interior virtutum omnium plenitudo: ob quas promeruit ab ipso Angelo voca-

5. Verecundia virginem Mariam fecit Dei Matrem.

ri plena gratia; ita insinuans, eam instar *mali punici* ita plenam esse cælestibus illis granis, vt nihil intra eam esset vacuū, sed omnem plenitudinē haberet quam suprema dignitas, ad quam Deus eā elegerat, postulabat; à qua plenitudine splendores humilitatis, modestiæ, verecundiæ, & castitatis prodibant.

§. 2.

Serm. vlt. in Cantica.

SED iucundum erit audire quæ de hac virtute dicit S. Bernardus, quasi ōpendio referens quæ hactenus diximus, circa illa sponsæ verba: a *in lectulo per noctes quæsiui quē diligit anima mea*: aduerte, inquit, sponsę verecūdiam, qua nescio an quicquam gratius aduerti in moribus hominum quear Hau primū omnium libet quodammodo in manibus sumere: & quasi speciosum quendā florem decerpere loco, nostrisq; apponere adolescētibus. Nō qui non sit & in proiectiori ætate omni studio retinenda; quæ est certè omni ornatus ætatum: sed quæ teneræ gratia verecūdię in teneriori ętate amplius pulchriusq; eniteat. Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchræ, & quam splendida gemma morum in vita & vultu adolescentis? quam vera & minimè dubia boni æ nuntia spei, bonæ indolis index? Virga disciplinæ est illi, quæ pudēdis affectibus imminēs, lubricæ ætatis motus actusq; ues coercēat: comprimat insolentes: quia soror continentiæ est. Nullū æque manifestū indicium columbinæ simplicitatis: & ideo etiam testis innocētiæ Lāpas est pudicæ mentis iugiter lucens; vt nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod nō illa illicò prodat. Ita expunctrix malorū; & propugnatrix puritatis innatæ: specialis gloria cōscientiæ: & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus: & insigne totius honestatis. Rubor ipse genarū, quē fortè inuexerit pudor, quantū gratiæ & decoris illis fulo afferre vultui solet? Vsq; adeò genuinū animi bonum verecundia est: & qui malè agere nō verentur; videri tamen verecundentur, dicente Dominō. b *omnis, qui malè agit, odit lucē.* Sed & qui dormiunt, nocte dormiūt: & qui ebrij sūt nocte ebrij sunt: opera nimirū tenebrarū & digna latebris, tenebris occultantes. Interest tamen, quòd occulta dedecoris, quæ verecundia honesti non habere, sed prodere erubescit: sponsæ verecundia omnino non operta, sed exspuit; sed propellit. Idcircò ait Sapiens: c *est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Quærit sponsa verbum verecundiæ quidem: quia in lectulo: quia per noctes: sed hæc verecundia habet gloriam, non peccatum. quærit hoc ad purificationem conscientiæ: quærit ad testimonium, vt possit dicere: d *Gloria mea hæc est: testimonium conscientiæ meæ.* e *lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Verecūdia tibi, si aduertis, & loco signatur & tēpore. Quid tam amicum verecūdo animo, quàm secretum? Porrò secretū & nox & lectulus habet. Deniq; orare volētes, iubemur intrare cubiculū: vtiq; secreti gratia. Id quidē ad cautelā, ne corā orātib. hu-

b *Ioan. 13 20.*

c *Eccl. 4 25.*

d *2. Cor. 1. 12*

e *Cant. 3. 1.*

Verecundo peccatum amicum est.

humana orationis furetur fructum, frustretur effectum. Sed doceris nihilominus verecundiam sententia hac. Quid tã proprium verecundiæ, quam proprias vitare laudes vitare iactantiam. Patet quòd signanter & ad verecũdiam, orantibus, petere secretum indixerit pudoris filius & minister. Quid tam indecorum, maximè adolescenti, quam ostentatio sanctitatis. Bona cõmendatio sequuturæ orationis, si præmittas verecundiam, dicens: † *Adolescentulus sum ego & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.* oratio enim verecundo colorata rubore valde grata est, & serena ac splendens in oculis Dei; quæ propterea facilè quod petit, obtinebit. Hæc omnia S. Bernardus.

† Ps. 118. 141.

Verecundia ad adolescentes & virgines maximè pertinet Lib. 1. Offic. c. 17. & 19.

Inter eius autẽ sentẽtias præcipuè consideratione digna est illa, quæ ait verecundiã etsi omnibus necessariã in quacunq; ætate, tẽpore, & loco, multò tamẽ amplius pertinere ad adolescẽtes & Virgines, & paruæ ætatis personas. Quod etiã prius docuerat S. Ambrosius, addẽs: quemadmodũ natura senes ornauit grauitate, & viros fortitudine: ita adolescẽtes dotauit verecundia. tenera nanque ætas valdè lubrica est ad peccata speciatim carnalia: ideoq; maximè opus habet fræno verecũdiæ, quæ luxuriã reprimit. Ac propterea fortè dixit idẽ Sanctus, verecundiã maximè eminere in personis elegãtioribꝰ nõ quòd virtutẽ in corporali elegantia collocemus; sed quod artifex peritus in materia aptiori melius sculpit figuram; & natura prouida pulchritudinẽ verecũdia frænat: eò quòd maiorẽ præbeat occasionem offuscandi, & inficiẽdi castitatem culpæ fœditate. vt etiã dictum est, cùm egimus de matrimonio.

Verecundia luxuriam reprimit.

Tom. 2. Tract. 5. c. 6 Correptio vtilis vt sit necessaria est verecundia

Iuvenes præterea, & qui viam virtutis auspicantur, opus habent correptione in multis rebus, in quibus necesse esset aliàs impingere: Vt autẽ correptio illis sit vtilis, plurimũ iuuat, eos esse verecundos: sicut etiã efficit verecundia, ne ante tempus ostentare se velint, aut in publicum cum iactantiæ & inanis gloriæ periculo prodire; & vt silentium seruare nouerint, & modesti, compositique sint in suis moribus. Id enim totum efficit Christiana verecundia: quæ vehementius occupat tyrones in virtute: vt sic eos ita intra limites contineat, ne ad vnum aut alterum latus declinent.

2ª. q. 144. a. 4.

Ex his deducitur, (vt S. Thomas perpendit) laudabilẽ hunc affectũ, præcipuũ suũ locũ habere in ijs, qui mediocriter sunt boni, aut mediocriter mali. Hi n aliquem habent virtutis amorẽ, & opinionem, simul cum vitij aliquo contẽptu & parua æstimatione. Sed quoniã ex imbecillitate aut vehementi passione, vitio aliquãdo succũbunt, incedũt verecũdia & cõfusione pleni: tũ ob admissã turpitudinẽ, tũ ob eã, quã timẽt, se admissuros. Ex hoc ẽt ꝓueniẽ (codẽ sacro Doct. teste) eũdẽ affectũ, neq; in valde ꝓbis, neq; in valde imꝓbis locũ aliquẽ, & aditũ habere: quãuis ob rationes cõtrarias. Nã valde ꝓbi, & in virtute diu exercitati, ꝓcul valde sũt à re aliqua turpi admittẽda, ex qua cõfusio q̃dã, aut dedecꝰ ipsis oriatur: ac ꝓinde valde procul sũt ab aliquo verecundiæ

Verecundia nec in valde probis nec in valde improbis locum habet.

cundiæ exercitio: quamuis ita sint dispositi, vt si quid admitterent, quod deceret, valde propterea erubescerent. Contra amen valde improbi, omnino abiecerunt verecundiam ex peccato: quia non reputant ignominiã illud admittere; sed potiùs de eo gloriantur, sicut infelix Ierusalem, cui dixit Deus: *g frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Quando autem peccator ad hoc ferũ adeò statũ peruenit: valde propè est, vt in æternũ pereat. Quia neq; reprehensiones timet, nec monita & cõsilia ei profunt; neq; se ipsum cohibere cogitãs, quid alij de ipso sentiẽt aut loquẽtur: potius quasi effrænis equus irruit vitia absq; vllo Dei, aut hominũ timore: eò quòd apud oẽs verecundiã deposuerit: & ita incidit in peccatũ impœnitentiæ & obstinationis, *h indurãs quasi aspis surda aures suas,* ad voces Dei, eiusq; ministrorũ; tantumq; induras cor, vt nec signũ in eo inprimãt, iuxta illud q Ezechielis dixit Deus populo suo: *i domus Israel nolũt audire te: quia nolũt audire me.* & vtriusq; causa est: *quia omnis domus Israel attrita frõte est, & duro corde.* Attritã frontẽ habere est nõ tegi vultũ verecũdia, cũ malè agit; nec opus habere frõte; vt sanguinẽ & colorẽ auertat, quẽ effundit verecũdia, ita n. eã à se abiecit, vt nec signũ quidẽ eius reliquerit, aut sentiat: quod propriũ est hominum impudentiũ: qui ob suã impudentiam peruenerũt (vt ait S. Gregorius) ad tantã cordis duritiem, vt nõ plus sentiãt, quam lapis, vocẽ reprehendentis, aut manũ puniẽtis: quæ signa sunt certa futuræ perditionis. Ex quo apparet quã sit noxia ac permiosa pernicios huius affectus iactura: qua ostiũ occluditur cõuersioni & iustificationi; aperitur verò obstinationi & impœnitentiæ: ac proinde æternæ dãnationi.

Valde improbi abiecerunt verecundiam. g Ier. 3. 3.

h Psal. 57. 7

i Ezech. 3. 7 *Non erubescere impœnitentia sequitur.*

Homil. 10. in Ezec. & sup primum Ps. Pœniten. ad finem.

§. 3. *Moderatio eiusdem affectus.*

CVM DETRIMENTA hactenus ostenderimus, quæ ex verecundiæ defectu oriuntur: operæ precium erit etiam illa insinuare, quæ ex nimia verecundia proueniunt: si enim illa erit nimia, etiam erit vitiosa; & nisi modum aptum & conuenientem deducatur: quod natura nobis dedit ad vtilitatem, conuerteretur in nostrum detrimentum. Id autem in tribus casibus euenire potest. *Primus est,* quando verecundia oriretur ex defectu aliquo naturali, aut violento, in quo nulla admiscetur culpa: quale esset, si quis erubesceret, eò quod esset strabo aut luscus, blesus, pauper, ignobilis, aut mechanicus, aut similem ob causam. Hæc verecũdia, vt plurimum prodit defectum humilitatis, & animum superbum: ex quo oritur vt erubescat, & pudore afficiatur ex eo, quòd in hominum ore est contemptibile, quamuis in oculis Dei non sit tale quare huiusmodi verecundia in viris tantum imperfectis locum habet: nam perfecti gaudere potius solent, quòd contemnantur, & careant multis rebus, quas homines magni faciunt. Et ob eandem rationem imperfecti erubescunt ob culpas falsò sibi impositas; eò quòd aliquid ipsorum honori detrahatur: perfecti autem (teste Sancto Thoma) eò

Verecundia nimia vitiosa est. 1.

Verecundia ex defectu naturali est signum defidentiæ humilitatis. 2. 2. q. 144. a. 4. ad 2.

tam-

tenunt huiusmodi infamiã, quasi rem patũ ad se pertinentẽ: ideoq; nõ multum propterea erubescunt; quibus non desinant motus aliquos pudoris sẽtire, rationem ipsam & libertatem præuenientes: quibus tamen strenuè resistunt, animũq; resumunt ad gaudendũ, q̃ sine culpa sua iniurias patiantur.

Secvndvs casus priori deterior est: cùm quis erubescit de actionibus virtutũ, quas huius sæculi homines contemnunt: quale esset pauperibus ministrare; iniurias à se alteri illatæ veniam petere; eorum defectus & vitia reprehendere, qui ipsius curæ & directioni sunt commissi; euangelicã veritatem, & alias profiteri & prædicare. quod si verecundia hæc adeò crescceret, vt ab huiusmodi operibus nos retraheret: valde esset vitiosa. Cõtra quam Christus D.N. tremendam illam protulit sententiã: a *qui me erubuerit, & meos sermones: hũc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Hoc.n. voluit significare: qui ex pudore omiserit credere doctrinam meam, meisque sermonibus obedire: & ego in die nouissimo ita me cũ ipso habebo, atq; si de rebus eius erubescerem, nec dignarer illum apud me habere; ledà mea societate & comitatu repellerem. Et vniuersim (ait idem Angelicus Doctor) ex imperfectione Virtutis oriti pudorem, ob cõtemptus, & opprobria ex operibus virtutum prouenientia: Nam quò quis magis est virtutis studiosus, eò minus curat bona hæc aut mala externa. Ad hanc autẽ perfectionem exhortatur nos Dominus noster per Isaiam Prophetã, dicens: b *nolite timere opprobrium hominum; & blasphemias eorum ne metuatis;* sed potius c *gaudete & exultate* (ait Christus) *cũ maledixerint vobis homines, & dixerint omne malũ aduersus vos mentiẽtes propter me; quoniã merces vestra copiosa est in cœlis.* Quare Apostoli, qui tempore quo Christus patiebatur, erubuerunt ipsum confiteri: post aduentum Spiritus sancti, ex cuius plenitudine euasserant ipsi perfecti, non solùm non erubescebant Christum confiteri, sed d *exibant à Pharisæorum consilio gaudentes, eò quod digni habiti essent, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Ad hoc autem, institutum fuit Confirmationis Sacramentum, vt suo loco declarauimus.

Tertivs casus est: cùm quis commissã culpã confiteri erubescit, timens contemptũ inde sibi oriturũ eum in modũ, quo Adam & Eua erubuerũt ob culpã, & nuditatẽ ex ea ortã: q. quia tanta ea fuerit, vt eã cõfiteri erubuerint; & potius conari sint eam excusare. Sed de hoc casu fusius actum est, cum egimus de cõfessione, ad quẽ locũ nunc remittimus lectorẽ. Solùm nunc addo: ad humilitatis virtutẽ spectare, nimiã hãc verecundiam moderari in tribus prædictis casibus. Perfecta enim humilitas erubescit culpas admittere: non verò admissas confiteri; Erubescit, cùm audit suas virtutes laudari; sed nunquam eas exercere: Et vniuersim nõ timet infamiã propter se ipsam, sed ob eius causam. Quod si causa est culpabilis, erubescit propter eam, & studet re-

2. *Verecundia defectus est erubescere in virtute.*

a *Luc. 9. 29.*

Art. 2. ad. 1. Ex imperfectione virtutis oritur pudor.

b *Isa. 51. 7.*

c *Mat. 5. 11.*

d *Act. 5. 41. Tõ. 1. Tra. 3 c. 5.*

3. *Verecundia desuit cum culpam confiteri erubescit. Tom. 1. Tra. 3 c. 5.*

mouere: si autem talis non est, potiùs gaudet, quòd contemnatur: nam inimia absq; culpa viro humili, est quasi bolus sine osse, & mel absque fella lud amaricante. Nam, vt S. Petrus dixit, hac ratione *communicat Christi passionibus*: & idem est, atq; si *persecutionem pateretur propter iustitiam*, & g nominis Christiani, qui gloriatur de contèptibus, is. quibus culpā non hab

e 1. Pet. 4. 13
f Mat. 5. 10.

CAPVT XIII.

VIRTVTEM MODESTIÆ, ORNAMENTVM ESSE *ac protectionem Castitat multiplicem esse eius præstantiam & vtilitatem; damna quoque immodestia*

2 2. q. 160. a. 1. ad 1. ar. 2 ex Cic. l. 2 de Inuent. *Modestia superbia motus moderatur.*

1.

S. Tho. 2. 2. q. 161. a. 1. Hom. 8 in Luc. vide Ianſ. Pro. 22. v. 4 *Nimia sciendi desideria modestia reprimit.*

2.

2. 2. q. 166. a. 2.

a Rom. 12. 3 *Modestia corporis motus moderatur.*

3.

2. 2. q. 168. a. 1. ad 1. l. Of c. 19. *Modestia vestitum moderatur*

4.

2. 2. q. 169.

ADeo eminet apud homines virtus modestiæ, vt (teste S. Thom commune omnibus virtutibus nomen, ei quasi proprium a buerint: non quòd ipsa omnes præcellat; sed quòd earum sit in cium, modumque valde iucundum in rebus omnibus ponat. Ci ius sphæra (vt idem Angelicus Doctor ait) valdè protenditur: complect enim quatuor partes valde insignes, tanquam quatuor flumina terrestris ius paradisi, Deo & hominibus adeò placentis.

PRIMA Modestiæ species est, quæ motus omnes elatos, inanes, & a gantes Superbiæ moderatur & hæc insignis est virtus humilitatis, quam ste Origine, Philosophi propterea Modestiam appellarunt, quod in reb omnibus sese metiatur ac moderetur iuxta propriam paruitatem; elatos inflatos reprimens spiritus, quos effrænis nostra natura producit. Ac propterea etiam ipsa Scriptura sacra eodem nomine illam vocat; & vocabulum hebræum, illam significans, significat propriè Modestiam.

SECVNDA species est, quæ nimia sciendi desideria, ad quæ curiositas inclinat, moderatur: ne a *plus sapere* velit, *quam oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatem*, vt dixit Apostolus. Et hæc est virtus illa, quæ vocatur studiositas, qua studia sua metitur ac moderatur iuxta humanam capacitatem; nec limites transgreditur naturalis luminis, & fidei, à quibus dirigitur.

TERTIA species Modestiæ est, quæ externos oris corporis motus mod ratur ac gubernat iuxta qualitatem personæ, negotiorum, locorum; ac tem porum: ita vt nihil indecens faciat, quod à recta ratione degeneret. Mod stia enim & vitæ pulchritudo (vt ait S. Ambrosius) consistit in eo, vt cui personæ detur quod ei competit; & cuiq; negotio proprium ornamentum Hæc ipsa modestia extendit se etiam ad ludos & solatia, quæ necessaria sun ad conseruandam vitam, & perseuerandum in seriis grauibusque virtutu exercitijs; adhibita in eis mediocritate ac moderatione, vt iuuare possint non verò nocere fini ipsi virtutis, ad quem diriguntur.

DENIQVE quarta species Modestiæ moderatur vestitum, & ornatum co poris, omnemq; pompam & apparatum externū: præscindēdo nimietatem quæ spirat vanitatē, sensualitatē, curiositatē, aut singularitatē aliquā: accom

modet se aũt cõmuni prudentũ cõsuetudini, & moribus, iuxta qualitatẽ suæ personæ, statũs, & officij. Eumin modum, quo S. Petrus dixit: vt mulieres tẽperarent sibi à nimio b *cultu vestimẽtorum*, & seruirent Deo *Spiritu* quodã *quieto & modesto, qui est in cõspectu Dei locuples*. Hic enim spiritus qui prædictas quatuor partes amplectitur, animam replet ingẽtibus spiritualibus diuitijs: iuxta illud Salomonis: c *finis Modestiæ timor Domini, diuitiæ, gloria & vita*. Quibus verbis quatuor ingentia Modestiæ bona insinuauit, quæ præcipuè quidẽ in cælo, sed in hoc etiã mũdo dantur. Timor Dei scil. castus, qui æternũ permanet; virtutum diuitiæ; gloria, & honor in conspectu Dei, Angelorũ, & hominum; & vita beata pacifica, & quieta: eo modo quo paulatim iuxta nostrũ Institutum explicabitur: ijs præmissis, quæ de matrimonij statu sunt dicta.

b 1. *Pet.* 3. 4.

c *Pro.* 22. 4.

Tom 2. *Tra.* 5. *c.* 6.

§. 1.

I. *Modestia comes virginitatis.*

Modestia in omnibus suis speciebus, nominatim autem in duabus vltimis, quæ huius virtutis nomen retinuerunt, est fidissima comes & socia Virginitatis & Castitatis, quemadmodum S. Apostolus insinuat in eo ordine, quo refert duodecim fructus Spiritus S. tres. n. vltimos ponit a *Modestiã, Continentiã, Castitate*. Spiritus. n. sanctus, vbi in Iustis proferat fructũ Cõtinentiæ, quæ sensuales passiones reprimit; & fructus Castitatis, quæ easdem iam sibi subiectas habet, inspirat fructus Modestiæ; quæ simul est ornamentũ & pulchritudo spiritualis animarum castarũ propria; & protectio ac defensio suijpsius contra hostiũ impugnationes. Et quemadmodũ perfecta corporis pulchritudo ex eo oritur, q̃ omnes eius partes propriam habeant pulchritudinẽ, & proportionem cuiq; conuenientẽ; & cuiuscunq; illarũ turpitudo siue defectus, in causa est, cur corpus ipsum non sit plenè pulchrum ac perfectũ: ita spiritualis pulchritudo Modestiæ oritur ex eo, quod oẽs corporis partes & oẽs sensuũ actiones, & reliqui motus hominis exterioris suũ seruent modum ac decentiã, statui suo, iuxta prudentiæ regulas, conuenientem. Ita vt oculi propriam habeant modestiam, dum aperiuntur, dum claudũtur, ac dum adspiciunt; lingua, dũ tacet, dũ loquitur, & in modo verba proferendi, suaq; sensa manifestãdi; caput, manus, brachia, & pedes suã quoq; seruent modestiã in omnibus corporis motibus. Eandem quoq; compositionem ac decentiã seruent in vestitibus, calceis, & reliquo ornatu, qui competit cuiq; corporis parti. Hæc est pulchritudo, de qua cælestis sponsus laudat sponsam in duobus capitibus libri Canticorũ, discurrens p singulas eius partes. Et in altero eorum ita incipit: b *quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum absq; eo, quod intrinsecus latet*. In altero ita ait, c *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis*. quasi dixerit, admiror, & obstupesco pulchritudinem & compositionem, quam in omnibus tui corporis partibus habes, à pedibus vsq; ad caput. Pedes tui, decẽ-

a *Gal.* 5. 23.

b *Cant* 4. 1

c *Cant.* 7. 1.

ter-

ter sunt cooperti, luosq; gressus quietè, grauiter, & pulchrè dirigunt: oculi tui tanquã simplicis colũbæ sunt, modesti, verecundi. Et quãuis multũ in omnibus exterius cernatur: multò tamẽ plus est, q intrinsecus latet. Quia n. exterior corporis modestia magni sit facienda: multò tñ excelsior ac prestantior est interior spiritus modestia: quæ, vt superius dicebamus, d *est in aspectu Dei locuples*: & quomodo locuples non erit, quæ secũ adfert ordinis rectitudinẽ internarũ omnium animæ facultatum, in omnibus cogitationibus, & affectibus? hoc n. non obtinetur, nisi perfecta virtutũ omniũ cõnectione. Ac propterea S. Thom. dixit, exteriorẽ modestiam procedere ex interioris hominis bona cõstitutione; & cõpositione; nec sine ea posse cõsistere.

d 1. *Pet.* 3. 4.

2. 2. q. 168. a. 1. ad 3.

Modestia est quasi moderatio humorum.

Modestia rectè est sicut sanitas, quæ prouenit ex recto ordine & proportione humorũ. Nam, quando illi bene sunt cõpositi, salus est perfectæ: indicia prodeũt ad ipsam faciẽ; & ex omnibus corporis affectionibus sanitas cognoscitur; si aũt illi perturbentur, vel solus vnus nõ seruet suã proportionẽ: ille sufficit, vt sanitas deficiat. Cuius etiã externa indicia id produnt. Si igitur quando omnes animæ passiones benè sunt mortificatæ, & virtutum præsentia cõtinentur: statim apparet ac prælucet exterior modestia tanquam earũ fructus: sed statim atq; interior illa compositio pertũbatur: apparent quoq; ei⁹ signa exteriùs. Ac propterea dixit Eccl. e *ex visu cognoscitur vir, & occursu faciei cognoscitur sensatus, amictu⁹ corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Nam si hæc omnia externa ordinem & rectitudinẽ suã in omni loco, occasione, & tempore tenent: optima sunt signa, quod interiora bene sint ordinata & composita: si autem hæc ipsa externa turbantur, non rectè incedunt, indicium etiam sunt interioris animi perturbationis: nam f *qualis est arbor tales producit fructus, & ex illis illa cognoscitur.*

e Eccl. 19. 26.

f Mat. 7. 17.

Modestia bonorum operum custos.

Sed vlteriùs adhuc excellens hæc virtus progreditur: nã nõ solum est bonorum operum fructus; sed simul est eorundẽ custos, & protectrix; nominatim verò castitatis: quã instar thoracis cuiusdã ferrei, fortis, pulchri, valde splẽdentis, ex omni parte protegit, ne hostium ictus, & globi eam deijciant. Illa pactum exequitur & g *fœdus*, quod *pepigit* Iustus *cum oculis suis*, vt ne cogitet quidẽ de virgine; h *sepit spinis aures suas*, ostendẽs, se pungi, cũ audit impia verba; ori adhibet frænum, ne similia colloquia exeant; & linguæ filo quoddam adhibet põdus, vt quidquid loquetur, benè prius perpendatur, & põderetur; cõpedes adhibet pedibus, ne in pratis gressibus labatur; manicas manibus inijcit, ne ad prauos tactus extendantur. Deniq; ita exteriorem hominem moderatur, & mortificat: vt interiori non adferat occasionem se effundendi, & inficiendi; & ita vestitum, & corporis ornatum componat, vt sua nimietate, aut curiositate, neque gestanti, neque aspicienti detrimentum adferat. Quare Modestia est quiddam pulchritudinis correctium

g *Iob.* 31. 1.

h Ec. 28. 28.

Modestia est correctium pulchritudinis.

soletque Deus vtramq; e in suis sponsis coniungere : non solùm vt illæ non impingant; sed etiam, ne alij labantur, aut illas interturbare audeant. Nam si pulchritudo permouet cor eam aspicientis: tara personæ pulchræ Modestia illud cohibet ac reprimit; ne dicere audeat, aut facere aliquid, quod offendat eam; quæ suam puritatem, & Modestiam præ se fert. Vtrumq; fuit in Sacratissima Virgine Domina nostra cum singulari eminentia. nam (vt S. Thomas & alij Doctores asserunt) cùm esset pulcherrima adeò tamen rara eius Modestia & compositio fuit : vt ex ipso eius aspectu homines permouerentur, & allicerentur ad Castitatem; & si quas alias habebant tentationes; ipso eius aspectu conquiescebant & componebantur: quemadmodum S. Ambrosius pie perpendit, dicens: tanta erat eius gratia, vt non solùm in se Virginitatem seruaret; sed etiam si quos viseret, integritatis insigne conferret. Et ita existimo illam facere consueuisse, quoties cum suo sponso Ioseph agebat; cuius castitas crescebat magis, & profundius in eo radicabatur: cum illam aut aspiceret, aut alloqueretur. Eandem excellẽtiam cum maiori adhuc excessu habuit Christus D. N. qui, cùm admirabilis esset pulchritudinis, adeò tamen erat singularis & præcellens eius modestia, & splendor sanctitatis, ac diuinitatis, qui diuinam eius faciem suffundebat, vt à nemine vnquam inordinatè cõcupiscceretur, sed honestatem potius infunderet omnibus, ipsum aspicientibus. Quamuis autem modestiæ virtus per se ipsam solam non sufficiat, (vt ait idem S. Thomas) ad rem adeo insignem & excellẽtem præstandam absq; alio speciali dono ipsam comitante; non tamen ipsa parum ad id cõducit. Ac propterea digna est quæ magno studio procuretur.

Modestia fuit in B V. singularis. *In 3. D 9 t. a. 1. q. 1. ad. 4. Vide Suarez in 5. P. Tõ. 2. Disp. 2. sectio 2. Li. de Institu. Virgi c. 7.* M destia in Christo maxima fuit, *suprà.*

§. II.

I.

EX DVABVS his Modestiæ excellentijs, quibus adeò ornatum & conseruationem Castitatis iuuat ac promouet, sequuntur aliæ non minoris momenti, & ad perfectionem nostram, & bonum proximorum.

II. Modestia authoritatem adfert homini a *Iob. 29. 24*

NAM inprimis, Modestia magnam adfert authoritatem & opinionẽ ei, qui illa præditus est: & propter eam diligitur, & in honore omniũ est, ac veneratione, eò quòd indicium sit egregiarum ipsius virtutum. Iuxta illud quod S. Iob de se ipso dixit: *si quando ridebam ad eos, non credebãt: & lux vultus mei non cadebat in terram.* voluit enim significare: se in tanta veneratione fuisse apud omnes, ob Modestiam & grauitatem suam; vt etiam si quando corã eis rideret, non tamen aliquid de reuerentia, & veneratione diminuerent; nec id leuitati alicui, sed potiùs prudentiæ & grauitati tribuerent; aut occulto alicui mysterio, quod ipsi non assequerentur. Quod verò dicit: *lux vultus mei non cadebat in terram*, propterea addidit; quod nihil ipse vnquam faceret, propter quod non posset absq; verecundia oculos suos in cælũ eleuare; aut modestè eos aspicere, quibus cũ agebat. *Lucẽ vultus* sui appellat ipsam vultus

Lux vultus est modestia grauis

modestiã lætã,& granẽ:quæ in omni loco,& tempore,& in omnibus negotijs,& occupationibus ita splendebat,vt nihil vnquã faceret,quod lucẽ illam obscuraret,aut turbaret;aut aliquo pudore vultũ ipsũ contegeret,quasi ipsius persona indignũ. Talis fuit summi Sacerdotis Oniæ modestia:quẽ diuina Scriptura b *verecũdũ viſu,modeſtũ moribus,& eloquio decorũ* appellat.Quãobrẽ adeò omnibus erat charus, vt in eius morte etiã ipse c *Rex Antiochus contriſtatus fuerit, & lachrymas fuderit, recordatus defuncti ſobrietatẽ & modeſtiã*

b 2. *Mach.* 15.12

c *cap.*4. 37.

2. Modestia Ecclesiam ædificat.

HINC oritur,quod Modestia plurimum ædificet Ecclesiam, suauemq; afflet odorem per totã Ciuitatẽ & familiã.Estq; quasi mutus concionator: nã (vt S Petrus dixit)sine verbo sanctitatem eã habentis manifestat;& promouet fidei acveræ religionis eam docentis, opinionem & æstimationem; dæfundit dæmones;peccatores conuertit;Iustis spiritum & animum addit;omnesque impellit ad virtutem diligendam; Deumque à quo illa proficiscuntur glorificandum. Nam quemadmodum Reges & Principes egregia Dei templa aut palatia ad suam habitationem ædificantes, valde delectantur quod eorum frontispicia sumptuosa valde sint,& spectabilia, vt spectatores rapiant in admirationem,& ad interiora lustranda allicjant & inuitent. Ita (inquit S Ambrosius loquens de sanctissimæ Virginis D. nostræ modestia) Virgines,& animæ castæ ac sanctæ, quæ templa sunt viua spiritûs sancti,& habitationes ac palatia in quibus habitat ipse Deus,habere debent splendida quidẽ ac præclara frontispicia cum diuina quadam modestia & grauitate,quæ mundum totum rapiat in admirationem; sitque testimonium inæstimabilium diuitiarum,quæ interiùs reconditæ manent. Ac propterea laudatissimarum Religionum Fundatores maxima cura studuerunt ditissimum huiusmodi frontispicium collocare in viuis domibus, quas erigebant; congregationibus scilicet suorũ Religiosorum ac Religiosarum,vt sæculares eorum frontispicientes ædificarentur & admirarentur: conijcientes ex ipso frontispicio interni ædificij amplitudinem, & ita allicerentur, & afficerentur ad ingrediendum, & possidendum præclarum adeo ædificium. Admirabile fuit in hoc genere exemplum S. Bernardi ac primorum eius Monachorũ in Clarauallem,quò ingressus fuit Summus Pontifex Innocẽtius II cum multis Cardinalibus,Episcopis,& alijs Galliarum Magnatibus. Et cùm Monachi(qui plures sexcentis erant)obuiam Pontifici exirent, summam omnes grauitatem modestiam & externam compositionem ostenderunt, oculis omnium humo defixis, nec vagabunda curiositate circumductis, sed composîs palpebris,ipsi quidem neminẽ viderent, ab omnibus tamen viderentur, sponte abstinẽtes ab externæ illius pompæ aspectu,quam sæculares homines, quasi fascinati, libentissimè aspiciunt. Cumque Pontifex cæterique Principes tale spectaculũ Religiosorũ viderent, admirati,ac ædificati, non poterant lachrymas continere:videntes quantum interesset inter modestiam religio-

Lib 2. *de Virgin.* Virgines singularem habeant modestiam

*In eius vita Lib.*2.*c.*1. *circa finem.*

Modestiã omnes mirantur.

& ea quæ mũdus magni facit. Eandẽ viã tenuerũt S. Dominicus, S. Frãciscus, & Pater noster S. Ignatius, primiq; harũ Religionũ Professores: qui oẽs adeò fuerunt Modestiæ studiosi, vt si in illis initijs simile quid occurrisset, quod in Clara-valle, eandẽ præsetulissent modestiã. Nec prætermittã hic insinuare, quanti Pater noster S. Ignatius virtutẽ hanc fecerit; ssquidem speciales de ea regulas instituit, summaq; diligentia earũ promulgationẽ cõmendauit: ipseq; Dominus noster (vt in eius vita refertur) indicia dedit, quòd sibi in eis complaceret. Et inter alias causas cur nõ præscriberet propriũ aliquẽ habitũ suis Religiosis, vna fuit: vt hac ratione obstringeret illos ac impelleret, vt rara sua Modestia, & Religiosa grauitas illis esset instar Habitus, quo dignoscerentur, æstimarentur, ac discernerentur à reliquis Sacerdotibus & sæcularibus.

Fundatores religionum modestiæ studiosissimi.

3.

Hinc tertia oritur veræ Modestiæ præstantia: qua Christianus, Religiosus, & Virgo ambulant in veritate, iuxta id quod professio & status proprius exigit. Nam (vt S. Thomas inquit) ad veritatem spectat, corporis motus dirigere; talem se exteriùs exhibendo, qualis reuera intus est; & exteriora sua cum eo, quod interior professio requirit, conformando: iuxta regulam S. Augustini, quæ habet: In omnibus motibus vestris nihil sit, quod cuiusquã offendat aspectum; sed quòd vestram deceat sanctitatem. Nam quemadmodũ Principes & Magnates grauitatem & Modestiam seruant ad suam dignitatem pertinentem: ita decet filios Dei, & magnæ perfectionis cultores Modestiam illam custodire, quam eorum dignitas exigit. Et vt S. Bernardus dixit: professionis propriæ memoria quasi Pædagogus & excitator esse debet, quietis moderationis eos moneat, quã in omnib⁹ suis reb⁹ seruare debeãt.

2. 2. q. 168. a 1. ad 3 & 4. Reg. 3. In omni motu nihil sit offendẽs oculos proximi

His accedit, quod Modestia etiam reddit hominẽ aptiorem ad agendum cum Deo; & ad familiaritatem illam arctam, quam cum animabus, sponsis suis habere solet: quemadmodum Apostolus insinuauit, cùm postquã dixisset: d *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, adiecit: *petitiones nostras innotescere apud Deum*. Modestia enim multum confert ad cordis tranquillitatem, qua possit rerum æternarum meditationi meliùs attendere; e *sapientia* item, *quæ desursum est*, (vt ait S. Iacobus) *primũ quidem pudica, deinde pacifica & modesta est*; habitatq; f *in spiritu quieto & modesto, qui est in conspectu Dei locuples*: quem ad suam præsentiam admittere valde delectatur Deus. Et quemadmodum templum bene purgatum & exornatum, inuitat homines ad libenter in eo manendum, & pietatis opera exercenda: ita spiritus *quietus & modestus* excitat sese ad orationem: & ipse Dominus libenter ac diu cum ipso conuersatur. Et cum huiusmodi amicitiam contrahere cũ aliquo vult, talẽ priùs Modestię modũ ei inspirat. Ad cuius confirmationẽ refert S. Greg. de quadã Virginẽ nomine Musa: cui per visionẽ sancta Dei genetrixi Virgo Maria apparuit cũ multis puellis eius coæuis, cui Musæ optanti se reliquis coniũgere,

4.

Modestia aptũ facit hominem ad agendũ cum Deo. d *Phil.* 4. 5. e *Iacobi.* 3. 17. f 1. *Petr.* 3. 4.

Spiritus quietus se excitat ad orationem. *Lib.* 4. *Dial. c.* 17.

" dixit ipsa Virgo sanctissima: vt nihil vltra leue & puellare ageret, & à nihil
" à iocis abstineret, sciens quod inter easdem Virgines quas viderat, ad e
" obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis in cunctis suis moribus
" puella mutata est, vt omnem leuitatem puellaris vitæ magna grauitate
" geret: omnibus, qui eam videbant, stupentibus. Reuelatio verò, quam hab
de sua morte, ita ad punctum exequutioni est demandata, quemadmod
ipsa consilium sequuta est, quod acceperat.

5. f *Iob.28.25.* Modestia Donũ Dei *Lib. 9. Moral. c. 4.* Modestia Dei timori iungi debet. g *Pro.12.4.* h *Phil. 4.5.*

DENIQVE hæc Modestia, donũ est Domini nostri, de quo dicitur apud Iob quod f *fecerit ventis pondus*: Hominibus enim ex se vagis, & inconstantib pondus adhibet & grauitatem Modestia, vt eâ decentiâ & trãquillitate m ueantur, quâ decet; aut (vt S Gregorius interpretatur) viris contemplat pondus tribuit, & grauitatem spiritûs; vt carnis leuitatem & mutabilitat reprimant. Hoc autem pondus & Modestia, vt vera sit ac solida inniti debet reuerenti Dei timori. cuius meminit Sapiens, cùm dixit: g *finis Mod timor Domini*; & actuali memoriæ Dei præsentiæ & assistentiæ in omni & tempore cuius memin it S. Apostolus, cùm dixit: h *modestia vestra* n *omnibus hominibus: Dominus enim prope est.* quasi monere quamuis Mod debeat esse publica: intentio tamẽ esse debet occulta. Modestia vestra om bus hominibus debet esse conspicua: sed non propterea, vt illis; sed vt I placeatis qui magis prope est, quàm illi. Quod si præsentia Regum ac P cipum famulos ac subditos reddit modestos: quantò est magis rationi sentaneum vt Creatoris præsentia modestas & composita reddat creatu

Ex Cassiano Collat. 12. c. 8.

Tunc enim modestia erit continua, & perseuerans, publicè, & occultè co alijs, & seorsim ab illis; in rebus magnis, & paruis: nihil enim quod non ceat, fieri debet coram Deo, cui infinita debetur reuerentia.

§ III.

Immodestia detrimenta.

1. Immodestia oritur ex vitijs grauissimis

PRÆDICTÆ Excellentiæ Modestiæ adhuc melius intelligentur, si dam referamus Immodestiæ, quæ ei aduersatur: hæc. n. est deformitas qua & morbus, aut exterior hominis dissolutio quæ ex ægritudine, ac deco tione Passionum interiori oritur: nominatim autem superbia, & vanit te; aut ira, & impatientia; aut curiositate, & leuitate animi; aut à nimi lualitate, siue excessu in gaudio, aut tristitia. Omnes enim passiones, quas mine facto, conantur Modestiam destruere, edentes externa signa inord tionis & perturbationis, quã ipsæ habẽt. Eũ in modũ quo lepra est morb exteriorem carnis partẽ deturpans varijs maculis, & vlceribus, ex corrup intus latente humore prouenientibus: ita Immodestia est vitium dete pans, ac deformans corpus, eò quod talis sit spiritus, qui latet. Et quem modum olim iubebat Deus, a *vt quicunque maculatus esset lepra haberet*

Deformat nominem immodestia. a *Leu. 15. 45*

menta dissuta, caput nudum: vt omnes possent lepram videre, & *os veste contectum*; ne corrupto suo halitu alios inficeret, & propter eandem causam, *omni tempore quo leprosus esset, solus habitaret extra castra*: ita igitur Immodesti, vestimenta animæ Iustæ, hoc est Modestiam, habent dissuta, & inordinata, permittente Deo, huiusmodi indicia, vt ex eis interior lepra dignoscatur, qua talis anima est infecta. Eum etiam in modum quo Salomon de homine Apostata, qui à seruitio diuino recedit, dixit: b *homo Apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malũ, & omni tempore iurgia seminat*: & ex huiusmodi signis, talis esse dignoscitur. Quemadmodum euenit Iuliano Apostatæ: de quo scribitur, quod cũ Athenis studeret, adeò esset leuis, in omnibus & corporis motibus immodestus, vt videns eum Gregorius Nazianzenus, dixerit. O quam horrendum monstrum sibi ipsi nutrit Respublica Romana!

Immodesti habent affectus inordinatos.

b *Prou. 6 1.*

Julianus apostata immodestus fuit.

Inuectiua 1 in Iulianũ.

2. Immodesti à iustis separandi sunt.

Lib. 1. Offic. c. 117.

Qv'amobrem homines immodesti meritò deberent tanquam leprosi separari à Congregationibus Religiosorum, & Societate Iustorum: ne illos perturbarent, aut malorum exemplorum fœtore inficerent. Ita S. Ambrosius se habuit erga quendam clericum, qui ipsum aliàs domo exeuntem comitari solebat: Qui, (ait) adeo erat immodestus, vt inordinato suo incedẽdi modo: tanquam flagello quodam, meos oculos verberaret: ac propterea eũ ex meo comitatu dimisi. Et propter eandem causam noluit alterum ad sacros ordines admittere etiam magnâ instantiâ id petentem. Et de vtroque dicit, infelicem exitum habuisse.

3. Immodestia externa perturbationis internæ signum.

In Epitaphio ad Eustochiũ Virginem.

Nugæ in ore sacerdotis sunt quasi blasphemiæ.

Nam turpe illud, & quasi exæsum frontispicium satis magnum erat indicium perturbationis internæ domus eius animæ; & quòd non multũ à ruina abesset interius illud ædificiũ. Ex quo efficitur, vt quò altiorem aut perfectiorẽ statum homo habet, & profitetur: eò sit immodestia pernicios ior. Sicut etiam in veste pretiosiori maculæ maiorem adferunt fœditatem; & vt S. Hieronymus ait: nugæ & ioci in ore sæcularium, sunt tantùm nugæ: at in ore Sacerdotum sunt quasi sacrilegia & blasphemiæ: eò quòd celsitati & puritati status eorum plurimum aduersentur. Ita dicere liceret Immodestias in laicis & sæcularibus hominibus tales censeri: at in religiosis & Ecclesiasticis esse quasi sacrilegia: quatenus sanctitatem, quã statu suo profitentur, deturpant, & iniuriâ afficiunt. Ac proinde cedunt etiam in totius Communitatis detrimentum: cuius opinionẽ suis Immodestijs valde apud alios imminunt; animumque & affectum alijs auferunt ingrediendi in domum illius Religionis, quæ aditum & frontispicium adeo incompositum & turpe habet.

4. Immodesti præbent aditum hostibus virtutum.

Præterea sua Immodestia hostibus aditum præbent, ad Castitatem & reliquas virtutes deprædandas: ipsa enim illos incitat ac permouet ad huius detrimenti occasiones quærendas: quemadmodum immodesta illa

mulier, de qua Salomon ait, quod esset c *garrula & vaga, quietis impatiens, non valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.* suarumque voluptatum occasionem & escam quærens. Et quoniam Dæmon non dormit, statim illis occasiones immittit, & obtrudit portas adeo patentes.

c *Prou. 7. 11.*

5. Immodestia hominem facit inhabilem ad orationem.

ACCEDIT, quod immodestia, inhabilem reddit hominem ad orationem & Exercitia spiritualia: quia negat Dominus noster deuotionis fructum spiritui, per tot riuos, & partes diffluenti. Quod si Propheta d *Elisæi* nolit exire, vt videret & alloqueretur *Naaman* leprosum, priusquam *Septies lauaret in Iordane & à lepra mundaretur*; & tunc locutus est, & valde familiariter cum eo egit: quid mirum, quod Dominus noster nolit faciem suam iuxta dam ostendere, nec familiariter cũ immodestis hisce leprosis agere, donec per pœnitentiam & mortificationem lauent, omnemque suam lepram purificent? & ob eam causam Sancti seuerè in se ipsis puniebant quamuis leuem modestiam, ob quam tanto bono priuarentur. De quodam sancto nomine Eusebio refert Theodoretus, quod ambulans per campum legens Euangelia, leuauit oculos, vt aspiceret quosdam rusticos suis bobus arantes agrum, in cuius Immodestiæ pœnam circulum ferreum collo suo apposuerit, ferreaque catena alligauerit alteri, quem gestabat ad cingulum: ita vt cogeretur semper caput inclinatum portare, puniens dura adeo hac pœnitẽtia spatio quadraginta annorum Immodestiam vnius diei. Et S. Catharina Senensis per multos dies fleuit amarè Immodestiam, in Oratione admissam, quia vertit caput, vt fratrem suum videret.

d 4. *Reg. 5. 10.*

Pœnitẽtia pro immodestia susceptа.

6. *In vitis Patrum.*

SED ne quis in temeraria iudicia dilabatur, aut propter apparentes aliquas immodestias aliquem cõtemnat, operæ-precium est aduertere aliquos deprehensas esse in viris aliquibus valde sanctis, varijs de causis. *Aliquando* ex inaduertentia; sicut legitur de magno illo Arsenio, in quo summa modestia & grauitas elucebat: & nihilominus ex inaduertẽtia coram toto illo iuuentu femur vnũ super alterũ collocabat, nõ sine offẽsione reliquorũ Religiosorũ: donec die quodã Abbas magna dexteritate & prudẽtiã iussit quendam alium Monachũ eodẽ modo se collocare corã ipso Arsenio: quẽ ipse Abbas monuit immodestiæ illius: & tunc Arsenius propriam suã primò aduertit & inposterũ emendauit. *Aliquando* prouenit etiam ex aliqua naturali passione corpus inordinatè permouente, ita vt reprimi non possit. Sicut S. Gregorius refert de quodam sancto, qui vocabatur Isaac, qui cũ inculpabilis esset ac prodigiosæ vitæ, non poterat aliquando immodesti risus impetum & effusam lætitiam cohibere: sicut etiam alij non possunt linguam continere, vt cum ea quiete, & tarditate, qua oportet, loquãtur: permittente Deo D. N. hanc in rebus paruis debilitatem, ne in maioribus arroganter euanescant.

Lib. 3. Dial. c. 14.

Interdum

interdum etiam fecerunt aliqua sancti, quæ immodesta videbantur, vt hac ratione se corã hominibus humiliarent, & honorẽ fugerent, quem illis offerre volebant; aut ob alios fines gloriæ Dei, speciali instinctu id eis inspirãtis: vt apparet ex Historijs Simeonis Sale, S. Francisci; & aliorũ Sanctorum; & Isaias Propheta iubente Deo, d *ambulauit nudus & discalceatus*; & Dauid, vt mortem euaderet, quam timebat, fecit coram Rege Achis aliquot motus & indicia immodesta, & e *fluebant saliuæ eius in barbã*. & saliebat in Aula & *impingebat in ostia portæ, quasi insanus*, aut stultus. Ad huiusmodi tamen casus opus est prudentia plus quàm humana, & motione diuina; sine qua non est faciendum, quod in se indecens est & malum, etiamsi in finem bonũ dirigatur.

d *Isai* 10. 3.

e 1. *Reg.* 21. 13.

CAPVT XIV.

TEMPERANTIAM ET ABSTINENTIAM CONFERRE ad custodiam Castitatis, & victoriam de luxuria reportandam.

Ex S. Tho. 2. 2. q. 146. & 149. a. 2. ad 1.

TEMPERANTIA, quæ inordinatum voluptatum gustatûs appetitum moderatur, & alio nomine Abstinẽtia dicitur, (quatenus ab ijs cibis & potibus abstinet, quæ huiusmodi voluptatum sunt materia) hostẽ habet vitium gulæ & ebrietatis matrem, scilicet Luxuriæ, quod insinuat Ecclesiasticus dicens: a *duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat: & homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens vsque ad finem &c.* quibus verbis monet, hominem deditum gulæ, quam vocat *os carnis*, non sistere, donec luxuriæ ignem accendat; & comedentem ac bibentem nimium cibos & vina delicata eò deuenire, vt fornicationis & adulterij panem dulcem, & iucundum sibi reputet; & vt in hæc vitia, tanquam effrænis præcipitetur. Sed quoniam de hoc puncto fusiùs actum est in secundo tomo: solùm hic adferemus, quæ ad nostrum pertinent institutum: supponentes eos, qui velint compotes euadere castitatis, & præclarorum aliorum Christianæ vitæ factorum, debere sese munire virtute abstinentiæ; carnique subtrahere omnẽ excessum in cibo & potu, qui esse potest esca luxuriæ, & aliorum vitiorũ; neque esse contentos, quod illicitis & prohibitis abstineant (illis enim vti esset intẽperantiæ); sed interdũ etiã à delicatis & pretiosis, quãuis eis vti liceret vt hac ratione subiectũ magis ac obtẽperantẽ habeãt hostẽ domesticũ carnẽ scilicet; & vt castitatis thesaurum tutiùs conseruent; maioresq; vires à Deo obtineant, quibus graues pugnas vincant, & glorioſos triũphos reportent.

a *Eccl* 23. 21

Gulosus fit Luxuriosus.

Tract. 2. c. 7 Studioſi castitatis debent se munire ab abstinentia. Interdum à licitis abstinendum.

Eum in modum, quo Daniel cum socijs suis initium dederunt clarissimis victorijs b *proponentes* firmiter *in corde suo, ne polluerentur de mensa Regis, neque de vino potus eius*: sed contenti essent leguminibus ad vescendum, & aqua ad bibendum. Quod præclarè S. Basilius expendit his verbis: Daniel

b Dan. 1. 2.

quod

Daniel quia Gulæ oppreſſit, ad magna euehitur officia.

quod gulæ libidinem compreſſerit, regno potitur Chaldæorum, ſimulac demolitur, draconẽ interimit; & Leonum pædagogus efficitur; idoneus habetur, qui Deum humana ſe forma indururum prænunciet, & abſtr myſteria palam interpretetur. Quid autẽ de eius ſocijs dicam, nam facti la ſuperiores, regiam iram pro nihilo duxêre; & ſtatuam eius auream con pſêre, & quamuis in horrificam illam fornacem, Nabuchodonoſoris Re iuſſu ſuccenſam, fuerint proiecti; nihil tamen læſionis acceperunt; ſed res potiùs valdeque iucundi laudes Deo canentes, in ea perſtiterunt. Vi enim tibi dico: ſi gulam in officio continueris, paradiſum habitabis: ſina nùs; hoc tibi perſuade, pabulum te mortis futurum, & ignis æterni. Hæc Baſilius. Ex quibus apparet: abſtinentes vincere quinq; hoſtium valde li rendorum genera: flammas ſcilicet, leones dracones, idola ſiue falſos & crudeliſſimos tyrannos. Vincunt enim luxuriæ flammas in fornace ta tionum; in qua non comburuntur, ſed ignem à ſe repellunt. Abſtinentia nim eſcam illi auferunt; ſcriptum eſt enim: *c cum defecerint ligna, extin ignis*, & ipſæ prunæ. Subijciunt ſibi vim & fortitudinem leonum, paſſion ſcilicet beſtialium, & nominatim Iræ: quæ etiam eſt luxuriæ incentiu quia Deus omnipotentiâ ſuâ d *concluſit ora Leonum*, & omnium harum rum: eò quòd ipſi abſtinentiâ ſuâ obturarunt ora propria. Et quid mir quòd non deuorentur à famelicis leonibus, qui non aperiunt ora ſua, vt ſtent cibos delicatos? e *Interficiunt* quoque *dracones* ſerpentes ſcilicet in nales, obſtruentes ora maledictarum eorum ſuggeſtionum, ne in poſter audeant ipſos perturbare, & moleſtare abſtinentia enim abſtrahunt illos caſiones, quibus ſerpentum aſtutia innititur. Contemnunt f *ſtatuas aurea* carnis idola, nam paucis contenti calcant idolum auaritiæ; falſum que vo tris Deum, per Bel ſignificatum, de quo Rex Babylonis dixit ad Danielem *non videtur tibi Bel eſſe viuens Deus? an non vides, quanta comedat, & bibat q die?* quia per ſuos voratores Sacerdotes vorabat quæcunque in eius tem ponebantur. Denique triumphant de Tyrannis, qui ſicut ille Nabucho noſor, temperantes & caſtos perſequuntur; nihili facientes leges & iura iuſmodi, vt Chriſti crucem amplectantur.

Abſtinẽtes vincunt flammas Luxuriæ.
c *Pro.26.20*
Abſtinẽtes vincunt paſſiones beſtiales.
d *Dan.6.22*
e *Cap.14.21*
Abſtinẽtes vincunt ſuggeſtiones dæmonis.
f *Cap.3.18.*
Vincunt auaritiam.
g *Cap.14.5.*
Abſtinẽtes vincunt perſecutiones.

Sed præſtantius adhuc, magisque glorioſum bonum communicat Dominus noſter per abſtinentiam, aperiens illis arcana ſua, ſicut fecit Danieli, admittens eos ad ſuam familiaritatem, & extollens ad rerum cæle contemplationem, iuxta illud quod dixit Iſaias, quod Dominus h *dabit ſcientiam, & intelligere faciet* arcana ſua, *ablactatos à lacte & auulſos ab vbere* Et quoniam familiaritas cum Deo D. N. adeò eſt ſuauis, & conſolationibus cœleſtibus plena fit, vt (teſte S. Bernardo) abſtinentes, nõ priuentur deſide & voluptatibus ſuis, ſed eas in præſtantiores cõmutent; deſerunt enim ea

Abſtinẽtibus Deus arcana reuelat.
h *Iſaia. 28.9*
Ad Fratr. de Monte Dei.
Deſerentes mundi delitias cæleſtibus ſatiantur.

nales,& transeunt ad spirituales;reformant enim spiritū iucūdo sapore spirituali;& ipsa caro reformatus in desiderio & cupiditate saporis sui carnalis.Nā(vt dixit S.Ioannes Climachus)tūc perfectè gula vincitur,cū spiritus suauitas degustatur, quæ carnis gustū reddit insipidū,imò & ipsa caro prosuauitas degustatur, quæ carnis gustū reddit insipidū,imò & ipsa caro profecit abstinētiā:quia i *non in solo pane viuit homo,sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.*& leguminibus tantùm vescentibus,& aquam tantùm bibentibus,tantā dedit pulchritudinē& corpulentiā Danieli & socijs eius:vt k *apparerent vultus eorū meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebātur cibo regio.*Et certo quodam modo abstinentia gustū auget, & saporē ciborū; & communi prouerbio apud nos dicitur: esurienti nullus panis est malus. Et Salomon dixit:l *anima saturata calcabit fauum:& anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.*Quamobrē dixit S.Ambrosius:cōdimētū cibi,ieiuniū est:quātò auidior appetentia,tātò esca iucundior.verè enim ieiuniū saporem addit in cōuiuijs.certū est enim,cibos post famē dulciores esse ac sapidiores

Gula vincitur cum suauitas spiritus gustatur.
i *Deut* 8. 3.
k *Dan.* 1. 15.
l *Prou.* 27. 7.
Lib. de Elia & ieiunio.

§. I.

Interna Abstinentiæ perfectio.

Præcellens hæc Abstinentiæ virtus tanquā Regina quædam valde prudens sedens in throno cordis humani omnia regit ac moderatur,ipsius iurisdictioni subiecta, quæ innumera sunt: & fungens ibi, recti,iustiq; iudicis munere,duplex valde perfectum iudicium exercet. Alterum interius, vniforme & commune omnibus hominibus, diuitibus & pauperibus; sanis & infirmis; sæcularibus,Ecclesiasticis,ac religiosis:alterum exterius, idque valde varium: accommodatum scilicet circumstantijs personarum, locorum,& temporum:quæ plurimùm variantur.

Abstinētia regit omnia in corde humano.

I.

Primvm Regina hæc subijcit sibi appetitum,qui dicitur concupiscibilis, omnesq; eius propensiones & actus:frænans& gubernās omnes iuxta rationis regulas.Quare semper iubet,homines siue diuites,sibiq; indulgētes;siue infirmos& valetudinarios,subiectum habere hunc appetitum:ita vt nullū cibū siue pretiosum,siue vilem; necessariū aut non necessariū ad vitæ sustentationē,inordinatè appetant. Nam,teste S.Gregorio:*non cibus,sed appetitus in vitio est*. Nam Elias etsi a *bis in die carnibus vesceretur*,temperans tamen & abstinens censebatur:Esau autem iudicatus est intemperans,eò quòd vehementi appetitu comederit b *lentis edulium*: & Israëlitæ fuerunt etiam intemperantes:cùm concupiscerent c *cucumeres,cepas,& allia*.& quoniam dæmon benè hoc nouit, non tāti facit cibum externum, quanti internam eius appetitionem;&ita secundum Adamum tentauit,incitans illum,vt d *lapides* non in carnem,sed *in panem* conuerteret; sicut etiam nō vicit primum Adamū,offerendo illi carnē sed pomū. Quāobrē præcipua tēperantiæ siue Abstinentiæ gubernatio consistit in frænanda & coercenda interioris huius appetitus

Subijcit sibi appetitū concupiscibilem.
Appetitus non cibus in vitio est.
Lib 3. *Moral* c.13.
a 3. *Reg.* 17. 6.
b *Gen.*25. 34.
c *Num.* 11.5
d *Matt.*4.3.

petitus nimietate, iuxta illud Apostoli: e *carnis curam ne feceritis in desid*
quasi dixerit: non prohibeo curam carnis vestræ; sed nimia desideria ei p
spiciendi. Ex quo infert Cassianus: infirmos & indigentes cibis delicat
bus, posse esse temperantiores ijs, qui multum ieiunant: si desideria, inc
quæ fragilitas carnis exigit, mentis vigore castigent. Et, qui multum
nant, si volunt esse perfecti, debent etiam mortificare hæc desideria, e
escarum viliũ & crassarũ; Eũ in modum (ait S. Bernardus) quo f *David*
bibere aquam sibi allatã *ex cisterna, quæ erat in Bethlehem*, eò quòd nimio
dam appetitu eam desiderasset. Et, qui g *curuatis genibus aquam biberant*
cti sunt à Domino, tanquam inhabiles ad bellum: illa enim ratio bibẽ
dicabat nimiam internam cupiditatem: qui verò obiter *aquam sumebant*
nu eam ad os proijcientes, fuerunt approbati: quia indicium id erat eo
piditatem suam frænatam habere. Vt intelligatur, quòd hæc magna Re
modo illo Ducis Gedeonis probet suos milites in ratione bibendi aq
escas ordinarias sumendi admittens ad vexillũ & obsequium suum, eo
sua desideria continent; & coercent; reprobans verò, qui suis desideri
na laxant: eò quòd plus desideria ipsa onerent, & inhabiles ad pugnã re
quã ipsi cibi. Et propterea Christus D.N. dixit: h *attẽdite vobis, ne forte gra*
tur corda vestra in crapula & ebrietate. Dixit autẽ cõrda, & non corpo
nº cordis est, quo homo torpescit: ex quo etiã onº & torpor corporis

Ex quo intelligitur, quòd abstinentia siue Temperantia mortificet p
cipuè finem gulæ, hoc est voluptatẽ temperantia enim nũquã propter
lũ comedit, vt delectetur; (delectatio enim condimentũ tantũ esse debe
mestionis) sed ob alios excelsiores magisq; glorioſos fines virtutis. Quo
magis declaretur, aduertendum est: Abstinẽtiam multos fines habere p
quosdam malos, alios bonos, alios perfectos: & hac ratione S Bonauent
distinguit quinq; modos temperantiæ. Primus est, Auaritiæ; secundus hy
pocrysis; tertius Paupertatis; quartus medicamẽtĩ; quintus Religionis & P
fectionis. Nã Auari solẽt esse tẽperantes; ne expensas faciant, de quibus
clesiasticus dixit: quod i *nõ satiẽtur pane; & super mensam suam sint intristi*
fame. Hypocritæ etiam temperantes sunt & abstinentes, vt honorentur
laudentur ab hominibus: & *quando ieiunant inceduñt tristes, vt appareant*
hominibus ieiunantes. Et de vtrisque dicere licet quod k *receperint mercedẽ*
suam: in hac enim vita, quæsitũ præmiũ fortunarũ, quas seruant; aut hom
quem acquirunt, & recipiunt: sed æternũ tamẽ amittunt. imo pro suo labo
re pœnam potiùs promerentur. Sed secunda hæc Hypocrisis, & inanis gl
riæ abstinentia solet aliquos religioſos prosternere: cuius rei tria sunt ind
cia. *Primum*, cum Abstinentia est singularis; & inusitata: cùm tamẽ in rebus
lijs non sunt illi bono exẽplo, sicut in hac. *Secundũ*, si publicè sint abstinẽt
& tẽperati; occultè tamen; &, cùm ab alijs videri & obseruari non possunt

Lib. 5. c. 8.

Apoleg. ad Guilhel.

f 2. *Reg. 23. 15*

g *Iudicum 7. 7.*

Bibentes aquam manu frænatam habent cupiditatem.

h *Luc. 21. 34.*

Temperãtia mortificat voluptatem.

Abstinẽtiæ fines multi. *Processu. 6. Relig. c. 32.*

Auari temperantes sunt ne faciant expensas.

i *Eccl. 14. 10*

Hypocritæ abstinent vt laudentur.

k *Mat 6. 16*

Tribus modis inanis gloria facit abstinere religioſos.

Ex *Cassiano Lib. 2. c. 23.*

sunt intemperantes: nam in his casibus siue comedant, siue non comedant, vtrumq; ab eadem radice, amore scilicet proprio oritur. contra quos dixit Deus per Zachariam: l *cum ieiunaretis & plangeretis: nunquid ieiunium ieiunastis mihi? & cum comedistis & bibistis, nunquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?* quasi eis dixerit: in ieiunio nō meum honorem, sed vestrum quærebatis; in cibo autem & potu quærebatis potius, quod vestro palato arridebat, quam quod meo. *Tertium* signum est, si in modo suæ abstinentiæ valde sint pertinaces, etiamsi nec superiores, nec Confessarij illum approbent. Quale fuit ieiunium illorum, quibus dixit Deus per Isaiam, se non admittere illud, eò quòd in eo m *ieiunio inueniretur voluntas eorum, & ad lites & contentiones ieiunarent*, perturbantes pacem, prætextu ieiunij sui.

l Zach. 7. 5.

Signum est Hipocrysis in modo abstinendi pertinacem esse. m Isaiæ. 58.

Abstinētia pauperta-tis & ægri-tudinis in-differentes habent fines.

Aliæ duæ Abstinentiæ Paupertatis & ægritudinis habent fines ex se indifferentes, ita vt & mali esse possint, & boni ex circumstantia, quæ adiungetur. Si enim pauper propterea solùm est temperans, quòd nō habeat plus quod comedat; eius abstinentia est coacta, & vitiosa, si cupiditas aliàs sit inordinata. Sed licet ei facere ex necessitate virtutem, gaudendo, se non habere quod comedat, vt occasionem inde habeat exercendæ temperantiæ: nam, si haberet, fortè esset vorator, sicut diues ille auarus & Epulo. Et hac ratione pauper ille Lazarus fuit temperans, qui, n *cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis: & nemo illi dabat.* Et eadē ratione, si infirmi & valetudinarij abstinēt ab aliquibus cibis ad euitandū incommodū ex eis prouēturū: talis abstinētia erit medicinalis; sed parui aliàs pretij: imò interdū neq; virtuosa erit; si doleāt ob infirmitatē, quatenus, ppter eā priuātur talib⁹ delicijs & voluptatibus. At Christiana, religiosa, ac perfecta abstinētia gloriosū illū finem respicit, de quo dixit Apostolus: o *siue māducatis siue bibitis, siue aliud quid facitis omnia in gloriā Dei facite*, addētes excellsum hūc finē ei, quē huiusmodi operaex natura sua respiciūt: conseruationē scilicet sanitatis, & vitę: quatenus est rationi cōformis: sed nobilius quid est, exuere se & abnegare quidquid est ppriū, & pure comedere, ppterea q Deus velit, & iubeat vt comedas, aspiciēs tuū corpus sicut aspiceres alicui⁹ pauperis, cū ei dares aliquid ad comedendū: eo q sit seruus Dei, & vt vires habeat, fortis q; sit ad laborādū pro ei⁹ obsequio iuxta illud eiusdē Apostoli: p *qui māducat, Domino māducat, & gratias agit Deo.*

n Luca. 6. 21.

Abstinētia ad gloriam Dei diri-genda. o 1. Cor. 10. 31.

p Rom. 14. 6.

Ad perfectam interiorem Temperantiā pertinet tertia alia Excellentia, quæ in eo cōsistit, vt spiritus nō se se effundat totū in opus, quod facit corpus: iuxta Regulā Ecclesiastici dicētis: q *noli auidus esse in omni Epulatione, & nō te effundas super omnem escā.* Quod S. Bernardus sic declarauit: cùm manducas, ne totus māduces; sed corpore suā refectionē procurāte, mens suā nō negligat. Tūc autē aliquis dicitur totus māducare, cū ita se occupat in comedēdo vt & mēs ipsa & imaginatio, & omnes appetitus in ipsis cibis occupētur,

3. Temperā-tia spiritus effusionem cauet q Eccl. 37. 32. *Ad Fratres de Monte Dei.*

& quodãmodo obsorbeãtur in ipsa voluptate, qua afficiũtur: quod planè decet Christianum hominem: deceat aũt, vt dũm corpus cibo corporali reficitur spiritus suam spiritualem refectionem sumat, cum in modum, quo Angelus dixit Tobiæ: t *videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Sumat igitur caro cibos suas visibiles; sed ita tamen, vt simul spiritus inuisibilem suum cibum sumat, siue id fiat attendendo alicui lectioni, quæ tempore mensæ habetur, vt mos est apud religiosos, siue considerando & ruminando mysteriũ aliquod de nostræ; siue affectus exercendo per varios actus amoris & laudis Dei, actus gratitudinis ac deuotionis; per petitiones variarũ virtutum: accipiendo pro materia talium actuũ aliquid, quod legitur, aut ipsosmet cibos, qui proponuntur: conferendo eos nunc cum ijs, qui proponentur in cælesti gloria; nunc cũ felle & aceto Christi Domini in cruce; nunc cũ defectu eorũ, qui sunt in inferno. Aliquando etiam suspirando & optando cibum Angelorum: aliquando rubescendo, quod bestiarum cibis vescaris. Aliquando iudicando, te ob tua peccata indignum eo, quod comedis; Deum verò laudando, quòd illo indigne merenti largiatur; & virtutes petendo, quas ipsi cibi significant, cùm illis vescéris: qualis est vita gratiæ aqua, vinum diuini amoris, ac zeli, panis humilitatis, teneritudo cordis carnei; miscendo frequenter (vt ait Apostolus) gratiarum actionem pro his donis: cibus enim, qui sumitur, *ſanctificatur per verbum Dei & orationem*, quæ, dum ille sumitur, inseritur: quia sumitur in præsentia ipsiusmet Dei, rebus omnibus assistentis: vt huiusmodi præsentia frenet appetitum; & rectè disponat omnia exteriora, quę ab eo prouenient: propterea enim dixit Dauid: t *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei*: & *Moyses, & omnes seniores Israel inuitarunt Iethro, vt comederent omnes panem cum eo coram Deo*: in cuius conspectu nihil fieri debet immensâ eius puritate indigno.

t Tobiæ 12. 9. Spiritus cum corpore cibũ sumat. *De hac cõsuetudine vide cassian. l. 4. c. 7. Turrecr. Tract. 102. in Reg. S. Benedic.*

t 1. Tim. 4. 5.

t Psal. 67. 32.

§. II.

Abstinentia exterior, & virtutes quæ illam iuuant.

EX Hoc iudicio ac interiori Abstinentiæ directione pronenit omnis exterior rectitudo: quamuis sit difficilior, eò quòd non possit eiusdem ratiocinationis, ac eadem pro omnibus. Cuius perfectio in quatuor his rebus moderandis consistit: quantitate scilicet, & qualitate ciborum; tempore, loco, modo eos sumendi attendendo in omnibus dispositionem, complexionem ac necessitatem sumentis, cęteras quę circumstantias: illam comitantes; sed speciatim respicit tres virtutes, à quibus plurimùm iuuatur.

1. PRIMA est virtus Obedientiæ debitæ Deo, eius Ecclesiæ, & legibus ac præscriptis Maiorum, suique Status si sit religiosus; & hæc esse debet præcipuus Dux, & instar Poli, quo dirigatur. Quicunq; enim cibus cõtra Dei legem & voluntatem sumatur erit instar boli illius Adami; & sumptio cum inobe-

dientia

dientia est animæ venenum. Quando igitur gula ad talem comestionem te impulerit, respondendū tibi est quod Rechabitæ respondebant inuitāti eos ad bibendum vinum: dicebant enim: *non bibemus vinum vnquam: quia Ionadab Pater noster præcepit nobis, ne biberemus vinum in sempiternum.* & ita dices: non gustabo rem talem, neq; tali tempore, aut loco: quia pater meus cęlestis ita iubet: sufficit autem mihi quod ipse iubeat, vt ego ad nutum exequar. Quam ob rē sanctus Basilius suis Religiosis suadebat, vt ad tēperantiæ thesaurum rectè custodiendum, clauem eius traderent Patri suo spirituali: ex cuius directione os suū aperiāt, vt comedāt, aut claudāt, ne comedāt; eiusq; verbum & ordinē sequantur, nō dantes locū cōsilio, & suggestioni serpētis, qui Euā seduxit: vtitur enim ille falsa clave, licet rectę formā præferente, vt faciat nos aperire os cùm Deus iubet illud claudi: vt statim mors ingrediatur. Quemadmodum euēnit magno cuidam viro decepto à quodā falso Propheta, suadente illi, b *vt comederet in loco, in quo præceperat ei Deus, ne comederet*: is enim violenta morte *à leone* illata, culpam luit suæ inobedientiæ.

Sumptio cibi cum inobedientia veneū a *Ier. 35. 1. 6. Serm. de Abdicat. rerum.*

b 3. Reg. 13. 22.

Huic Obedientiæ valde affinis est fraterna charitas: cui valde attendendum est, ne quid comedatur aut bibatur cum scandalo & offensione proximorum, iuxta illud Apostoli: c *Noli propter escam destruere opus Dei*; & proximum illum *perdere, pro quo Christus mortuus est. Nam omnia quidē sunt munda; sed malū est homini, qui per offendiculum manducat. Et bonum est non manducare carnē, & non bibere vinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Ac de ipso dicebat: d *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Quemadmodū insignis ille & strenuus Martyr Eleazarus, qui non solùm e *voluntariè præibat ad supplicium, ne carnem porcinam manducaret*, contra legis antiquæ præceptum, cuius se obseruatorem profitebatur: sed maiori adhuc animi constantia reiecit illorum persuasionē, qui eū hortabantur, vt *simularet se* carnem illam *manducare, vt Regis præcepto parevideretur*; & sic mortem euaderet: quibus ipse *respondit citò, dicens: præmitti se vellem Infernum, ne multi adolescentium arbitrantes Eleazarum tales carnes comedere, propter eam simulationem deciperentur.* Cuius exemplum sequuti e *septem fratres* Machabæi gloriosum subierunt martyrium, vt idem præceptum seruarent, & alij similiter Machabæi f *secesserunt in desertum locum, & seni cibo vescebantur, ne prohibitum cibum manducarent.*

2.
Nil comedendum cum scandalo fratris c *Ro. 14. 20.*

d 1. *Co. 8. 13* e 2. *Mach. 6. 19. 23.* Eleazarus simulare carnis comestionem noluit.

e 2. *Mach. 7. 1. c. 5. 27.*

Tertia virtus, quam Abstinentia respicit & in quam tendit, est Castitas: cuius conseruatio incumbit ipsi, iuxta illud S. Hieronymi: in omnibus exhibe te lobrium, vt te sobrietas exhibeat purum & castum: quare oculos in hanc puritatem, & castitatē conijciens, quatuor prædicta ita moderaberis, vt nihil omnino cū eius detrimento admittas. Denique eadem Abstinentia respicere debet virtutem Pœnitentiæ, quæ, ad satisfaciendum Deo pro peccatis,

3.
Sobrietas; castitatem conseruat. *Tract. 31. in Regu. S. Benedict.*

Abstinentia pro pœnitentia adhibenda.

catis, præcipuè carnalibus, sæpius adhibet ieiunia, & seueras abstinentias prædictis quatuor rebus obseruans semper Obedientiæ præscriptum documenta quæ in proximo capite ponentur.

CAPVT XV.

OMNES GRADVS AC MODI PARTICVLARES TEMPERAtiæ & Abstinentiæ perfectæ; & qua ratione iidem conferant ad custodiã Castitatis.

Temperãtia prudẽs cibi quantitatem moderatur *Lib. 5. Ca. 5 & Coll 2. cap. 12.*

TEMPERANTIÆ virtus auxilio Prudentiæ, quæ in rebus omnibus medium adhibet, moderatur inprimis cibi potusque quantitatem insumentis necessitatem, vires, complexionem, & occupationem corporalem multam aut exiguam; leuem aut laboriosam vt enim aduertit Cassianus, non possunt omnes eandem omnino regulam in hoc seruare, nam alij indigent maiori quantitate, quàm alij: ita vt aliquis censeatur temperans, integrum sumens panem; alter verò intemperans vel mediũ sumat. & hac ratione reperiuntur duo vitia valde perniciosa: si iudices scilicet temere, multum comedentem; & si inaniter extollas teipsum parciùs comedentem: vtrumque enim Apostolus damnat cum ait: a *qui manducat, non manducantem spernat; & qui non manducat, manducantẽ non iudicet.* externa enim cibi sumptio non est certa regula virtutis internæ. Hæc enim in eo consistit, vt tenentur duo extrema vitiosa: ne scilicet plus aut minus sumatur, quàm sit necessarium, & conueniens ad vitam ipsam sustentandam, & satisfaciendum obligationibus & oneribus proprij status; siue multũ aliàs sit, siue modicum quod ad id sufficiat. Gubernandum enim esse corpus ait S. Bonauentura, in modum, quo Deus mundum hunc gubernat: ita vt nihil ex necessarijs desit; nec tamen habeat superflua. Præclarè hoc declarauit S. Basilius dicens, sicut in gula intemperantiam declinare, graue ac periculosum est: ita & nimiam abstinentiam corpus atterere, ac per infirmitatem inutile reddere, omni profectò ratione caret. Æquè igitur periculosum est vtrumque, & ieiunio extremum; nam æquè impedire possunt exercitia virtutum. Quemadmodum si equum adeò pinguem & lasciuientem enutrires vt non posset illum in cursu retinere, sed impetu suo te præcipitaret; aut si macerando eum debilitares vt in medio cursu deficeret, nec posset vlteriùs progredi; vtrumque hoc esset perniciosum. Necesse igitur est extrema vitiosa ita vitare, vt neque ad dexteram inclines, neque ad sinistram; neque ob nimium cibum caro se præcipitet in vitia carnalia; neque ob defectum cibi necessarij deficiat in Exercitijs virtutum. Cùm enim corpus sit animæ instrumentum ad eas exercendas; neque Deus illud condidit, vt esset otiosum; sed vt operaretur, & laboraret; necesse est dare ei sustentationem ad id præstandum necessariam, dicendo cum Dauide: b *fortitudinem meam ad te custodiam*, vt cã scilicet tibi seruiam.

1 *Ro. 14.* Externa cibi sumptio non est interna regula virtutis.

Processu 6. Religio. Cap. 12. Lib. de vera Virgi. & de Constit. monast. c. 3. & Reg. 228. ex breuia. & ex Fusis.

Extrema vitiosa abstinentiæ vitanda sunt.

b *Ps. 58. 10.*

Quod si quæras, vtrum ex his duobus extremis sit pernicioſius, & maiori ſtudio euitandũ? reſpondeo duabus regulis, quas adferunt ſancti. *Prima* eſt, quod ſani & robuſti, & qui conſtitutionis ſunt calidioris, tutiùs (vt S. Bonauentura docet) poſſint ad extremum ſeueritatis inclinare: ſubtrahendo corpori aliqua neceſſaria, quò ſpiritui ipſi magis ſubijciatur. Quòd ſi priùs nimium ſibi indulſiſſet, non debet ad alterũ extremum vno quaſi ſaltu trãſire; ſed paulatim; ſicut fecit S. Dorotheus cum diſcipulo ſuo Doſitheo. cui aſſueto comedere quotidie ſex libras panis, ſubtrahebat interdum vnã vnciam: & hac ratione eò deuenit, vt vel octo vncijs in die eſſet contentus. *Altera* Regula eſt: quòd qui debilis ſunt complexionis, ac laboribus debilitati, ſtudiorum præcipuè & meditationum debeant magis recedere (vt ait Gerſon) ab extremo ſubtrahendi ſibi neceſſaria: eò quòd hoc illis eſſet pernicioſius, ac detrimentum minus reparabile. Quamobrem dixit Abbas Moyſes: (vt refert Caſſianus) pernicioſius continentiam immoderatam, quàm ſaturitatem remiſſam ſupplantare: exceſſus enim in vna ſumptione cibi admiſſus, ſtatim reparari poteſt, ſi in proxima ſumptione aliquid de neceſſarijs ſubtrahatur; nimia autem continentia, ac debilitas difficilè reparatur; niſi cum detrimento ſpiritûs, & ſcandalo, & contra proximi ædificationem, habenæ laxentur; & redeatur ad ſaturitatem & illecebras antiquas, quas ſemel reiecerat. c *Sit igitur,*) vt ait Apoſtolus) *corporum noſtrorum hoſtia & obſequiũ rationabile:* hoc eſt cum ea moderatione, quam ratio dictat; vt caſtitas conſeruetur, & reliquæ virtutes non fraudentur auxilio, quo ad ſuas actiones opus habent; & coniungatur (vt dixit S. Petrus) d *virtus cum ſcientia & abſtinentia,* quæ ſe tanquam piæ ſorores inuicem iuuent.

Duæ regulæ quibus cognoſcitur extremum pernicioſius.

1. *De Inform. Nouitio pa. 1. c. 9.*

In eius vita 2.

3 p. *Tract. de Myſt. Theol. practi conſid. 10. Col. 4. c. 17.*

S. Bonau. ſuprà

S. Bern. ad Fratr. de Monte Dei. c. Ro. 12. 1.

Abſtinentia valde moderãda.

d 2. *Petri. 1. 5.*

§. I.

Eſcarum qualitas.

Qualitatẽ ciborum abſtinentia moderatur

Secvndo loco moderatur Abſtinentia qualitatẽ ciborũ, coercens inordinatũ precioſorũ, ac delicatorũ ciborum, & exquiſitè præparatorum deſiderium: quos aliàs gula appetit, ob delectationẽ, qua eos ſumendo afficitur: eum in modũ, quo Iſraelitæ in deſerto appetiuerunt carnes, alioſq; cibos palato ſuo magis gratos, nauſea quadam affecti, a *quod nihil aliud reſpicerent niſi Manna,* cibũ alioquin ex ſe valde iucundum: nam gula eum ſolum exiſtimat meliorem, qui palato & appetitui magis placet. Sed neque de hac qualitate certa aliqua regula pro omnibus conſtitui poteſt. diuitibus enim ac potentibus delicatioribus eſcis vti licet, quàm pauperibus & plebeis; & ſæcularibus, quàm religioſis; valetudinarijs, quàm ſanis: accommodanda enim eſt ciborum qualitas neceſſitati & complexioni; celſitati, & vilitati ſtatus.

a *Nu 15. 5.*

Diuitibus vti licet eſcis delicatioribus quam plebeis.

Triplex in cibis excessus vitandus. *Lib.3.c.23.* Religiosi cibo communi ad parandum facili vtantur. *Ad Frat.de Monte Dei Serm.30. in Cantica. Processu 6. cap.33. Tom.1. Tract.5. Cap.5. in reg.c.17.*

TRIPLEX autem excessus vitandus est sæcularibus in hac materia. *Primus* est Prodigalitatis: ne in huiusmodi delitijs multũ expendant; *Secundus* ambitionis & Iactantiæ: ne eis vtantur ob mundanam vanitatem. *Tertius* sensualitatis: ne eis tanquam gulæ irritamento vtantur. At Religiosi, & qui maiorem perfectionem sectantur, Cassiani regulam meritò seruare debent vt cibus sit ad parandũ facilis; & quem ad comedendum opportunioris & lioris precij compendium præstet; quique sit conuersationi fratrum vsui communis. Idem confirmat S. Bernardus dicens: omnes Religiosos meminerint vti debere cibis totius Communitatis; nisi manifesta adsit necessitas. Animadvertendum verò esse, ne ficta sit necessitas, aut à palati appetitu excogitata. Qui nimium volunt Galeni esse discipuli, qui potius Christi esse deberent, horrebant que & Notâ singularitatis Communitatem ipsam scandalizant. Quamuis ægroti (vt ait S. Bonauentura) non astringuntur hac regula: nam cum vera & nota necessitas exigit potius, vt eis cum charitate indulgeatur. Illa autem, quod in se est, documenta illa sequi debent, quæ proposuimus, cum de morbis ageremus: studentes horrere & euitare quamcunq; nimietatem. Ferre verò patienter, cùm deerunt delitiæ, aut cibus apponetur insipidus, memores omnes eius, quod ait S. Augustinus in sua Regula: illos scilicet meliores esse, qui paucioribus possunt transigere vitam.

2. *Ad Frat.de Monte Dei.* In cibis cõdimenta quærenda non sunt. *Collat.5. c.11.*

AD hunc Abstinentiæ gradum spectat, à condimentis abstinere, quæ nihil aliud præstant, quàm gulam irritare, & voluptatem percipere. Sufficit (ait Bernardus), vt cibi sint comestibiles, non quæsitis condimentis, vt fiant magis concupiscibiles, vel delectabiles. Sufficit enim concupiscentiæ malitia sua: si enim voluptati, quam illa in cibo sumendo percipit, addantur irritamenta ex ipsis cibis: fient duo contra vnum. & sic spiritus succumbet. Et bene Cassianus ad hoc propositum perpendit: quisquis degustatione immodicè suauitatis offensus, ne ad momentum quidem delitias gutturis sui voluerit castigare: is nullatenus poterit vel occulta vel maiora corporis deliteria refræna re. Multi Sancti panis admiscuerunt cineres, & cibo rem aliquam amaram: vt hac ratione gulam mortificarent: & b *agnus Paschalis edebatur cum lactucis agrestibus*: ne in cibo illo sacro locus daretur sensualitati. Et summor fueris c *fellis*, d *vinicq; myrrhati*, quod obtulerunt Christo Domino in cruce pendenti: erubesces, si condimenta quæras quæ delectent, tuasque quæritent voluptates. Sed accuratiùs adhuc (ait S. Basilius) reijcienda esse illa condimenta, quæ Luxuriæ motus excitant, quale ait esse, nimium sal em, ob rationes paulò inferiùs adferendas.

Sancti panis admiscuerunt cineres.
b *Exod.12.8*
c *Mat.27. 34.*
d *Mar.15.23*
Lib.de vera Virginitate.

§. II.

§. II.

De Abstinentia à Vino.

IN eodem Abstinentiæ gradu fuit etiam valde celebris inter sanctos illa, quæ à carnibus & vino abstinebat. Nam in veteri testamento Daniel dicit de se ipso: trium hebdomadarum diebus a *caro & vinum non introierunt in os meum*: sed orabat Dominum Deum pro populo suo. Et S. Hieronymus ex Iosepho refert de Edessenis, quod seruarent perpetuam castitatem, abstinentes semper à carne, & vino. Sed multò adhuc amplius eadē Abstinentiæ ratio floruit in nouo Testamento. Nam (vt idem Sanctus ait, & Sanctus Isidorus) ante diluuium nec carnes comedebātur, nec bibebatur vinum; sed post diluuium cœpit vtriusque rei vsus. Veniens autem Christus Dominus in mundum, reduxit res ad sua principia: suadens quòd perfectius esset, iuxta sententiam Apostoli dicentis: b *bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum*. Quare Ecclesia Sancta ex inspiratione spiritus sancti, constituit Abstinentiam à carnibus duobus diebus singulis hebdomadis, vigilijs aliquorū sanctorum, Quatuor anni Temporibus, & tota Quadragesima. Et S. Clemens in Constitutionibus Apostolicis ait, quòd in septimana sancta abstinebatur etiam à vino; nec alius cibus sumebatur, quàm panis, & aliqua olera; nec bibebatur aliud, quàm aqua.

Hæc Abstinentia à vino valde fuit magni æstimata. Nam (vt S. Thomas aduertit) adeò est difficilis huius rei moderatio, vt illam solam respiciat specialis illa virtus, quæ vocatur *Sobrietas*: cuius contrarium est vitium *Ebrietatis*: cuius propria malitia in eo consistit, vt in tanta copia bibatur, vt rationis iudicium turbetur: ex quo tot oriuntur incommoda, vt S. Chrysostomus vitium illud appellet diabolicum, matremque omnium vitiorum.

Nam primum, destruit Castitatem, iuxta illud Salomonis: c *luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunq; his delectatur non erit sapiens*: & Apostolus ait: d *nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: quam obrem S. Basilius cultoribus castitatis suadet, abstinere à vino; præcipuè verò iuuenibus, & ita ait: *vinum addis iuuentuti? actum est de castitate*. Et S. Hieronymus, Virgini sponsæ Christi suadet fugere vinum tanquam venenum.

Hvc accedit, quòd excessus in potu vini destruat charitatem fraternam. Et vt dixit Ecclesiasticus: e *vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum*. Nā quemadmodum *ignis probat ferrum durū*: sic nimium *vinum corda superborum arguet*: nam cor inflammat irâ; emollit luxuriâ, & ad omne peccatum exstimulat.

Specialim autem laxat linguam, & impellit ad loquendum imprudēter; & ad infidelitatem in custodiendo secreto. ac propterea Spiritus Sanctus suadet: f *noli Regibus dare vinum; quia nullum est secretum vbi regnat ebrietas*, & ob-

a Daniel. 10.3. *Lib. 2. in Ioüini. Lib. 1. de Offic. Eccl. c. 44.*

b Rom. 14. 21.

Lib. 5. c. 19.

2. 2. q. 144. & 150. *Homil. 71. ad pop. D. 35 c Ante omnia.*

c Pro. 20. 1.

d *Eph. 5. 18. Lib. de vera Virgin. & Reg. 10. Fusi. Et de Cōstitu. monasti. c. 21. Epistol. ad Eustochiū. 2.*

Eccl 31. 38. & 39. Prou. 23. 29. 3.

& obliuiscuntur iudiciorum Iustorum, & obligationum officij sui.

4. IDEM vini excessus reddit hominem ineptum & inhabilem ad sapientes diuinæ illustrationes; & ad veræ deuotionis affectus. nam (vt dixit Oseas Pheta): g *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor*, & h *suffundunt oculos*, solùm corporis, sed multò magis animi ac propterea dixit Ecclesiastes: i *tam in corde meo abstrahere a vino carnem meam, vt animum meum transferem ad Sapientiam, deuitaremq; Stultitiam.* Qua sententia insinuat: se propter Luxuriæ se tradidisse, quòd fræna potationi laxasset. Quare ad se reuertere creuit, à vino abstinere, vt posset esse vere Sapiens.

g Osea 4. 11
h Prou. 13. 9
i Eccles. 2. 3.

5. IDEM etiam vitium facit hominem incōstantē in omni bono, nam (vt Ecclesiasticus:) k *vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sapientes.* Nec mirum est, eos succumbere tentationibus: siquidem (vt Salomon dixit) sunt l *quasi sopitus gubernator in medio mari, amisso* rationis *clauo.*

k Eccl. 19. 2.
l Prou. 23. 4.

6. DENIQVE preciosissima quæque humanæ naturæ bona corrumpit, quia sunt salus, vita, honor, fama, libertas, iudicium & ratio, quæ hominis propria, quibus distinguitur à bestijs. quare concludit Sapiens: *cui vę patri vę? cui rixæ? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt & cupiscent extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.* Hæc Salomon: quæ pulchrè confirmat S. Augustinus, dicens: O dolorosa Ebrietas, omnium malorum mater, omnis luxuriæ soror, omnis superbiæ pater! O Ebrietas, tu mentem excæcas, iudicio recto cares, cōsilium nullum habes, blandus dæmon es, nenum dulce es, peccatū suaue es! insania voluntaria, ignominiosus languentis sanæ debilitatio, turpitudo morū, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. O Ebrietas, discant te diligētes agnoscere, discāt te detestare, discant te velut mortem effugere: quoniā qui te dilexerit, Regnum Dei non consequetur. Ebrietas (ait S. Ambrosius) est carnalitatis esca stultitiæ incentiuum, sapientiæ venenum. Quid est homo ebrius nisi superflua Creatura? Cuius vita somnus, & cuius somnus est ipsa mors. Ne temerè de tua fortitudine præsumas: quia neque fortior es, quam Loth; neque continentior quam Noë. Hic m *inebriatus est*, & turpiter *nudatus*; ille autem n *inebriatus* per filiarum fraudem incestum cum eis admisit.

Sermo. ad Fratres in Eremo. c. 13. vbi hortandum ad ducit exemplum. Serm. de sobrietate & castitate.
Lib. de Elia & ieunio
m Lib. 2. de Abraham.
Gen. 9. 21.
n c. 19. 32.
S. Thomas 2 2. q. 149. a. 3.

PROPTER omnes has rationes fuit hoc vitium valde seuerè prohibitum Ecclesiasticis, & multò magis huc seuerius Religiosis, & virginibus: eò quòd vitium hoc maximè aduersetur Castitati, coniunctioni mutuæ, orationi, silentio, & Perfectioni, quam profitentur. Et quamuis moderatus vini vsus non sit illicitus, abstinentia tamē eius vel omnino, vel ad tempus semper fuit valde cōme-

data,

data, & laudata in scriptura sacra. Et o *Aaroni eiusq; filiis sacerdotibus dixit Dominus: Vinum, & omne quod inebriare potest non bibetis, quando intratis in tabernaculũ testimonii, ne moriamini.* Et lex Nazareorum, qui p *votum faciebant, vt sanctificarentur, seq; Domino consecrarent*, erat, vt *a vino, & omni, quod inebriare posset, abstinerent.* Quod confirmauit Angelus Gabrieli cum de Sancto Ioanne Baptista, Euangelicæ legis Præcursore, dixit: q *erit magnus coram Domino; vinum, & siceram non bibet; & spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ:* vt statim appareret, quàm esset gloriosus modus hic abstinentiæ, qui tantam eius excellentiam comitabatur, quasi fundamenta iacturi ad designandam Legem Nouam. Quamuis autem S. Apostolus suaserit Timotheo discipulo suo, vt r *Modico vino vteretur*, tamen paulò ante dixit: *teipsum castum custodi*, & tunc causam subiunxit, cur suaderet modico vti vino; *propter stomachum*, inquit, *tuum, & frequentes infirmitates tuas*; & quoniam opus erat maioribus viribus ad grauiores sustinendos labores. Magnumq; indicium est sanctæ cõsuetudinis Timothei, quam mutare noluit, nisi à suo Magistro impulsus; cuius consilio securior est facultas, illam mutandi. Et vt S. Bernardus ait, qui talis fuerit, qualis erat Timotheus, benè licebit ei ea facultate vti.

o *Leu.10.9*

Ezech.4.21

p *Thm.6.2.*

q *Luc.1.15.*

r *1.Tim.5.23.*

Apolog. ad Guilhel. & Serm.30. in Cant.

§. III.

Tempus, & modus cibum sumendi.

Tertio loco præscribit Temperantia tempus & horam sumendi cibum: & quoties, & in quo loco sit sumendus obseruatis in omnibus Prudentiæ Regulis, & attenta necessitate sumentis, & cõsuetudine Patriæ, statutisq; Religionis, ita vt præscripta hora cõueniẽs non præueniatur prætextu alicuius sensualitatis: ne talis in illud væ incidat, de quo dixit Ecclesiastes: *Væ terra, cuius principes mane comedunt: beata vero terra, cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Idem autem intelligit *comedere mane*, & comedere extra tempus, & propter voluptatem. Aptè autẽ vtrumque coniunxit: qui enim ob sensualitatem suam comedit; nec horam seruat, nec tempus; qui autem comedit ad refectionẽ & sustentationẽ naturæ, non præuenit tẽpus ad id aptum. Est q; signũ exiguæ valdeque infantilis virtutis, quod quis huic gulæ modo se dedat. Nam (vt Cassianus aduertit), qui non exspectat patiẽter horã præscriptam, nec se ipsum superat, ne extra præscriptum tempus comedat; is difficilè poterit seipsum vincere in rebus maioris momenti. In solo vno casu (ait ipse) Patres Eremitæ horam præueniebant, aut sæpius, quàm solerent, comedebant: quando scilicet opus erat charitatem & societatem hospitibus exhibere. Sed nec tunc præscriptam sibi quantitatem ciborum excedebant: imo aliqui medietatem tantùm suo tempore sumebant; reijcientes aliam medietatem ad horam, qua hospes illo die esset venturus. Et vniuersim suadebant, magis expedire, quo-

Temperãtia tempus sumptioni cibi præscribit.

a *Ecc.10.16.*

Lib.5.c.20, 24, & 25.

Coll.2.c.26. Lib.5. cap. 9. & collat. 2.c.23.

tidie semel aut bis moderatum cibum sumere; quàm diu abstinere, & pol-
sese saturare & replere. Et S. Hieronymus ait: melius esse, quotidie par-
quàm rarò satis sumere: quemadmodum terræ, vtilior est pluuia sensim e-
scendens: quam nimbus magno cum impetu cadens. nimius enim cibus a-
pedit bona Exercitia: magis igitur expedit, ita illum sumere, vt statim po-
illa continuare.

Epist. ad Eustoch. & in Regul. cap. de Abstinentia.

DENIQVE Temperantia ordinè & rectitudinè præscribit in modo sum-
cibum: vt decentia, qualitati sumẽtis, & circumstantium ædificationi de-
seruetur; multoque magis illa, quæ Deo D. N. placeat: in cuius præsentia
suprà dicebamus, cibus sumendus est, vt excitemur ad id faciendum cum
qua par est, decentia interiori & exteriori, quemadmodum qui comedit
coram Principe & Rege terræ, grauitatem & totius hominis compositi-
magnam seruaret in mensa. Quare in comestione (ait S. Basilius) seruan-
esse documentum illud Apostoli, dicentis: b *omnia vestra honestè, & secun-
ordinem fiant*. Sed duo præcipuè extrema sunt vitanda: *alterum*, comedi-
valdè festinanter, magnosq; bolos sumendi: id enim est magnum inordi-
valde interioris appetitus indicium; & sanitati, bonæque digestioni contra-
rium; & nominatim grauitati ac modestiæ Religiosæ. quod fusiùs prosequ-
tur S. Bonauentura sequutus S. Bernardum. *Alterum* [illegible]mum est. nimis
dè comedere, diu cibum aut potum in ore retinendo, vt iucundo & gu-
illo sapore diutiùs delecteris. Hunc gulæ modum S. Dorotheus Lenæ-
id est insanam palati siue gutturis voluptatem appellat: qualis erat illorum
de quibus dixit Oseas: quod d *super triticum & vinum ruminarent*, eũ in tra-
quo solent animalia ruminantia; vt, dum comedunt & bibunt, maiorè p-
cipiant voluptatem. De vtroque hoc extremo admonet Ecclesiasticus dic-
e *vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponũtur; ne, cũ mãducas multũ, odio habe-
ris. Et si in medio multorũ sedisti, prior illis ne extendas manũ tuã nec prior po-
bibere. Cessa prior causa disciplinæ, & noli nimius esse*, & tardior, *ne forte offen-
f Prou. 23.1.* SED altiùs adhuc hæc monita ac documenta tradit Salomõ, dicens f *qu-
do sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante fac-
tuam: & statue cultrũ in gutture tuo: si tamen habes in potestate animam tuam:
desideres de cibis eius, in quo est panis mendacii*. In qua sententia quinque mag-
momenti documenta tradit, seruanda præcipuè in conuiuijs, de quibus
Gregorius ait, vix fieri posse absque aliquibus peccatis. Ac propterea S. Am-
brosius perfectionis cultoribus suadebat, illa fugere: eò quòd multum tem-
poris in eis expendatur, multaque verba profana & noxia proferantur,
quibus non possis aures tuas occludere; quod si impedire illa tentes, habe-
beris superbus, & inurbanus. Cogent etiam nolentem comedere, & bibere
præter tuam consuetudinem; & quolibet excessu & inordinatione acciden-

Regul. 72. ex Fusis.

b 1. Cor. 14. 40.

Ad Fratres de Monte.

Serm. 28.

d Oseæ. 7. 4

e Eccl. 31. 19.

Lib. 1. Moral. c. 4.

Lib. 1. Offic. c. 20.

te maculaberis, eò quòd præsentia tua censeberis omnes approbasse. Quoniam autem non possunt interdum huiusmodi conuiuia euitari, seruanda tibi sunt prædicta Salomonis documenta. *Primum* est, vt *diligenter attendens quæ apponuntur*, non te effundas ad vescendum de omnibus; sed priùs consideres, quòd magis tibi expediat. *Secundum*, vt *statuas cultrum* discretionis *in gutture tuo*, perpendens periculum cui expositus es, gulæ succumbendi, si nimius cibus per tuum guttur ingrediatur. *Tertium* est, vt *non desideres de cibis eius*; sed cultro mortificationis iugules desiderium & appetitum ciborum, & vinorum delectabilium & pretiosorum, quæ sunt verè *panis mendacii*, hoc est fallaces & mendaces cibi, qui te decipiunt alliciendo, & impellendo ad plus sumendum, quàm opus habeas. *Quartum* est, vt cultrum quoque statuas in gutture tuo, mortificando linguam, ne ad loquendum laxetur; nam etiam imminet periculum succumbendi & moriendi propter sermonem. *Quintũ* est, vt comedas, loquaris, totumque illud opus facias, quasi cultrum in gutture tuo haberes: qui in memoriam reuocet, moriendũ tibi esse; fieriq; posse, vt ex ipsa mensa deducaris in sepulchrum. Hisce quinq; documentis satis munitus eris contra gulæ spicula: quamuis victoria adeò sit rara, vt Sapiens idẽ adiecerit: *si tamen habes in potestate animam tuã*: quasi dixerit: hæc omnia, quæ tibi dixi, facito, si tantam habes virtutẽ, vt animam tuã frænare & intra certos limites in huiusmodi occasionibus continere possis: Nã grauiter & prudẽter S. Chrysostomus dixit: quis est vincẽs tã facilè inimicos, vt prãdens trophæũ erigat? S. Augustinus etiã cũ multum in sanctitate profeciſſet, Deo D.N dicebat: quotidie cõtra appetitũ comedendi & bibendi pugno; & quis est Domine, qui non aliquando metã & necessitatis limites egrediatur? quicunq; is est, magnus certè vir est: debetq; meritò sanctum nomen tuũ magnificare: ego autẽ non sum talis, sed homo peccator. Et quãuis aliqui sint (vt ait Cassianus), qui facilè cõuiuia euitẽt, cibosq; delicatos sibi non procurẽt pauci tamen sunt, qui moderatè vtãtur, sibi permissis; sciantq; se ipsos mortificare, cùm illos habent coram se positos. Quare aptum illud est consiliũ, vt aliqua semper mortificatio fiat dum cibus sumitur, aliquid relinquendo eorum quæ meliùs sapiunt, & palatum delectant, tam vincendæ gulæ causa quàm Christo D.N. in eius pauperibus aliquid tribuendi. Nam si qui valde se mutuò diligunt, cùm simul comedunt alter alteri offert bolũ aliquem iucundioris cibi, aut etiã mittit extra mensam, si prope sit: non censebitur magnum quid facere, qui Christum Dominum verè ex corde diligit: si aliquid comẽdere omittat, quo aliàs recreabatur, vt ad ipsum Dominũ mittat in suis pauperibus existentem, & id exspectantem. Aduertit enim S. Greg. semper expedire, vt misericordia cum abstinentia coniũgatur, in diebus præcipuè ieiunij; ita vt demus egẽtibus, quod nobis supereſt, aut ex cibis subtrahimus.

Discretio in comestione adhibenda. Desiderium vinorum delectabilium fugiendũ. Mortificanda lingua in conuiuio. Memoria mortis adsit.

Hom. 59. ad Popu. Lib. 10. Cõfeſſ. c. 8.

Lib. 5. c. 7.

5 p. Paſtoralis. Admoni. 11.

§III. *Oratio & Gratiarum actio.*

Oratio prçmittenda conuiuio.

DENIQVE, cùm pugna cibis præsentibus adeò sit continua Prudentis fuerit; vt quisque se oratione præmuniat, qua possit victoriam de e reportare. Quare quisq; deberet breuē aliquā piāq; orationē in prōpt habere, qua se præmuniret, qualis hæc esse posset. *Domine Iesu Christe, fili Dei viui, qui in passione tua sitiens, felle & aceto potatus es, da mihi veram temperantiam tutem, vt in hac hora, ita mea necessitati ad gloriam tuam purè satisfaciam, vt nullo modo voluptati deseruiam, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum Amen.*

Monialem Dæmon inuadit comesta lactuca. *Lib. 1. Dialog. c. 4.*

AD idem dirigitur Benedictio mensæ cū orationibus, quibus Ecclesia titur, facto signo crucis super cibum & potum, vt Dęmones fugiāt, qui res ipsos acuunt, vt hominem ad se delectandum alliciant: imò interdū ingrediuntur ipsos cibos: refert enim S Gregorius de quadam Monialis in horto Monasterij lactucā quādā comedit, q sibi videretur ad delectatio apta & statim fuit à Dęmone obsessa, qui postea fassus est, se in ipsa lactuca illse, & in, ea etiā ingressū esse; eò quòd ipsa Monialis non signasset illlā cru

Post mensam officiū suum negligere non debet virtus gratitudinis gratias Deo agere propter accepta dona, quæ qui sumpsit non erat promptus. Dicet autē aliquē diuinarū laudū hymnū, quē admodū Saluator ipse, ultima cœna finita, dixit; imò quoties cibū sumpsisset, hymnum de more dicebat. Ex quo Ecclesia modū cōstituit ad huiusmodi gratiarū actiones, prę cōbēs psalmos valdeq, pias orationes. S. Chrysostomus quendā indicat mo valde celebrem apud antiquos Patres, quē minutim explicat, quasi singu verbis vtpote valde pijs, ac teneris sese oblectaret: ita autem se habet.

Post mensam gratiæ agendæ Deo. *Mat. 26. 30. Homil. 57. ad Populū.*

Benedictus Deus, qui pascis me à iuuentute mea. Qui das escam omni carni ple gaudio & lætitia corda nostra, a vt semper omnem sufficientiam habentes, abu demus in omne opus bonum in Christo Iesu Domino nostro: cum quo tibi bonor gloria & imperium cum sancto spiritu in sæcula, Amen.

2. Cor. 9. 8.

Sub sumptione cibi actus gratitudinis ęxercędus.

Gloria tibi Domine, gloria tibi sancte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis cib in lætitia, imple nos spiritu sancto, vt inueniamur in conspectu tuo beneplacentes, n erubescentes quando reddes vnicuiq, secundùm opera sua. Idem orationis & gratitudinis modus seruandus est etiam, dum ipse cibus sumitur, iuxta Apostoli consilium in proximo capite indicatum: Sed nominatim post cibū sumptū seruandus est; quando Dominus noster auxilium nobis præstiterit ad triumphū de gula reportandū. Et vniuersim in omnibus victorijs, quas ab hostibus, castitatē oppugnātibus, obtinebimus, meritò debemus gratissimos nos ostendere ei, qui ex ingenti sua misericordia, & per filij sui merita eas nobis donauit. Dicemusq; frequēter, animoq; valde demisso & grato b uia illa piaq; Apostoli verba: b *gratias Deo, qui dedit nobis victoriā per Dominum nostrū Iesum Christū:* cui sit honor, lausq; perpetua, & gloria in æternū A

b 1. Cor. 15. 57.

TRACTA

TRACTATVS III.

DE STATV RELIGIOSO QVO AD EIVS SVBSTANTIALIA; ET INGENTIBVS PRAEMIIS EIDEM PROMISSIS.

CAPVT I.

QVID SIT STATVS RELIGIOSVS, ET CHRISTVM D. N. eum in lege noua constituisse; eiusque aliquid in antiqua praecessisse.

INTER eos Status, qui sub Continentiæ vexillo militant, præ-
lucet quasi Sol inter sydera sacer Status Religionis. Quod Re-
ligionis nomẽ attribuit sibi, quãuis aliàs propriũ sit nobilissi-
mæ cuiusdã virtutis, cuius est reddere Deo supremum cultum
& honorem ei dẽbitum, ob infinitam eius præstantiam & ex-
cellentiam: cuius actus sunt Adoratio, quàm Latriam appellamus, Deuotio,
Oratio, Sacrificia, Oblationes, & Vota, & alij similes: quibus omnes Christia-
ni Deũ ipsum honorãt ac venerantur; sed eosdẽ tamen multò perfectiùs ex-
ercent cultores & Professores huius status, quẽ per excellentiã Religionem
appellamus. Quæ non aliud est, quã Congregatio hominũ Creatoris ac Re-
demptoris sui obsequio perpetuo dedicatorũ, & obstrictorũ cũ ea perfectio-
ne, quam Sacrum Euangelium docet: ad quem statum tribus illis peruulga-
tis votis, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ se se obstringunt iuxta ali-
quam formulam, modumque viuendi ab Ecclesia Sancta approbatum. Tria
enim sunt necessaria ad propriam status Religiosi perfectionem. *Primum*
est, firmum animi decretum seruandi perpetuam Castitatem, Paupertatem,
& Obedientiam, ita vt nunquam retrocedat, aut aliquid ex ijs resumat, qui-
bus per huiusmodi virtutes sponte se spoliauit, ac renunciauit. quod tamen
non sufficit, nisi addatur *Secundum*: vt idem animi decretum voto confir-
metur. Ad rationem enim status spectat, (vt supra est dictum) vt stabilis sit
ac firmus: Hanc autem firmitatem non habet, nisi ex vi voti, quo promitti-
tur Deo D. N. id, quod ipse Status ex suo Instituto profitetur. Sed neq; suffi-
cit tria illa vota priuatim & ex propria deuotione edi: (quod facere posset
eũ qui in sæculo manere vellet) sed necesse est secundũ eam formam & ra-
tionem id fieri, quam Ecclesia præscripsit: licèt enim vota illa in seipsis san-

cta sint,

Religionis status præcit alios.

Quid sit Religio. S. Tho. 22. q. 186. a. 6.

Tria necessaria ad perfectionem religiosam.

1.

2.

cta sint, eaque Deus approbet & acceptet à quocunque legitimè ea offerantur: sed, cùm diuersæ sint rationes, fines, ac media, ea custodiendi: cõmisit Deus Ecclesiæ suæ, suoque vicario Pontifici Romano, solennitatem; condiones & media præscribere, quibus ea sint edenda, vt verè sint vota religionis & hac ratione Ecclesia, & eius nomine cæteri Prælati ea acceptant, vt constituant Statum Religionis.

Vide S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 1. In Amos. 9. Lib. de vera Relig.

OPTIMO autem iure nomen hoc Religionis ei statui tanquam proprium assignatur: ducitur enim, (vt ait S. Hieronymus & S. Augustinus) à verbo Religare, hoc est rursus ligare. Nam omnes homines, naturalis quidem legis vinculo, diuino sese obsequio mancipant: at Christiani secundo Euangelio legis vinculo in Baptismo se ligant: quibus duobus vinculis tertium addunt Religiosi, obstringentes se tribus prædictis votis, tanquam a *funiculo triplici* de quo Ecclesiastes ait, *quòd difficilè rumpatur*. Postquam enim Religiosi ipsi se ipsos obstrinxerunt: non possunt se ipsos dissoluere: eò quòd in perpetuum ligati, diuinoque seruitio dedicati maneant. S. Isidorus dicit: nomen Religionis venire à verbo Relegere: eò quòd tales dedicent se se ad leniter cogitandas res diuini cultus; legẽtes, & repetentes semel & sæpius lectionem & occupationem earum rerum, quæ ad sui status obligationem spectant. Cuius excellentiæ nulla via meliùs intelligi possunt, quam si explicetur quis ipse status sit, & quas res complectatur. Cui cùm tanquam proprium tribuitur nomen Religionis, quod omnibus Ecclesiæ statibus est commune: debit eidem tanquam proprium attribuere, quod spiritus sanctus per Salomonem de tota illa dixit. nam sæpe euenit, vt magni alicuius palatij delineatio magno artificio sit in alio minori, quod in ipso maiori continetur, compendio quodam expressa. Ait itaque Sapiens; b *Sapientia ædificauit sibi domum excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, Si quis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus loquuta est: venite, comedite panem meum & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* In qua sententia quæcunque diximus de ipsa Ecclesia in primo Tomo, videbimus satis clarè depicta, eaque pertinere ad statum Religiosum: qui huius & sequentis Tractatus est materia & argumentum, authorem scilicet eius, antiquitatem, firmitatem, & finis eius præstantiam, Institutorum eius varietatem, votorum oblationes, legum pastum & refectionem; modum vocationis ad tot bonis fruendum; personas quæ vocantur; ac media, quibus Christus D.N. vtitur ad talem vocationem. Simul etiam insinuantur excellentiæ, magnæque huius status vtilitates.

Religiosi dicuntur quasi relegentes.

b *Prou. 9. 1.*

Argumentum huius tractatus.

§. 1.

Author Status Religiosi.

Author status religiosi Christus.

A PRIMO igitur præcipuéque Status Religiosi authore inchoâtes: dubium non est, quin Sapientia diuina incarnata, quæ ingentem Ecclesiæ domum fundauit & exstruxit, etiam in eadem ædificauerit sacram domum Religionis, cum rebus illis præcipuis, quæ ad eius essentiam, & firmitatem spectant. Quæ quemadmodum veniens in mundum, tradidit se in mortem, permittens a *latus suum lancea aperiri, & ex eo sanguinem & aquam exire*: b *vt exhiberet* (vt ait Apostolus) *ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentē maculam aut rugā, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata*: ita dicere licet, quod venerit in hunc mundum magis in particulari, vt intra ipsā Ecclesiam, Religionem exstrueret: in qua Excellentius adhuc Ecclesiæ pulchritudo & nitor splenderet: præuidens hanc Euangelicæ perfectionis præstantiam in multitudine omnium Christianorum haud conseruandam; multitudo siquidem semper sequitur quod laxius est; & quod preciosum est & ratum, in paucis inuenitur. Pro his igitur paucis ædificare voluit angustam Religiosæ vitæ domum. Quemadmodum insinuauit ipse, cùm adolescenti dicenti, se omnia mandata custodiuisse à iuuentute sua, dixit: *si vis perfectus esse vade, vende quæ habes, & da pauperibus: & veni, & sequere me.* quibus verbis (vt ait S. Augustinus) manifestauit felicis huius Status fundationem: qui supra præceptorum obseruantiam, addit etiam consiliorum Euangelicorum, in Paupertate, Castitate, & Obedientia religiosa; Paupertatem indicauit, cùm dixit: *vende quæ habes*, eorumq; proprietati renuncia, *dando ea pauperibus*; Castitatem, cùm dixit: *veni sequere me*, seruando scilicet Castitatem, quam ipse seruabat: de qua iam dixerat d *esse quosdam Eunuchos, qui se ipsos castrauerunt propter Regnum cœlorum*, quod ipse prædicabat; similiter insinuauit obedientiam eodem illo verbo *sequere me*: nam propterea sequi debebat, vt obediret, & vitam perfectam, quā ipse ducebat, ac docebat, amplecteretur. Hoc ipsum attentiùs adhuc deducitur ex eo quod, nolente adolescente illo Statum tantæ perfectionis amplecti, statim S. Petrus Apostolus, reliquorum Apostolorum nomine, dixit ipsi Christo: *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* qui S. Petrus nomine rerum omnium, quas reliquerant, non solùm facultates & possessiones intellexit quas reliquissent, vt paupertatem amplecterentur: sed vxorem quoq;, propriamq; libertatē, cultores & Professores facti continentiæ, & subiectionis erga sunm Magistrū. Ita enim S. Hieronymus deducit ex ipsius Saluatoris ad S. Petrū responsione qua dixit: e *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Satis enim apertè his verbis Christus insinuauit:

a *Ioan. 19. 34.*
b *Ephes. 5. 16.*
c *Matt. 19. 21.*
Epist. 89. q. 4.
d *Matt. 19. 12.*
Lib. 1. cont. Iouinia.
e *Marci. 10. 29.*
Luc. 18. 29.

Omnia relinquentes maxima præmia recipient. *Lib. 17. de Ciuit. c. 4. 2. q. 88. a. 4. ad 3.*

uit: omnia illa deseruisse Apostolos, vt ipsum sequerentur; quibus propterea centuplum etiam promittebat. Et quoniam ipsi futuri erant fundamentalia Euangelicæ perfectionis sacra, quos reliqui fideles sequuturi erant certissimum est, (vt ait S. Augustinus quem S. Thomas, eiusque scholastici sequitur) S Petrum & reliquos Apostolos eâ ratione rebus suis omnibus, et Christum sequerentur, renunciasse; vt tribus ad id editis votis sese obstrinxerint: inspirante eis eorum Magistro hunc perfectionis modum, quem postea essent prædicaturi, & in Ecclesia ipsa constituturi.

Vide Suarez in 3. P. tom. 2. Disput. 28. Sect. 2.

Opus virtutis cum voto præstantius est alijs.

QVEMADMODVM autem supremus hic Magister omnibus præibat semper exemplo, & priùs opere exequebatur, quod verbo docebat: credibile est, quod quemadmodum perfectissimè seruauit Paupertatem, Castitatem, Obedientiam patri suo: ita etiam votum ediderit earūdem trium virtutum vt qui semper faceret, quod erat optimum, & perfectissimum: nam, vt supra dictum est, præstantius est opus virtutis, quod fit cum voto, quàm sine illo. Ac propterea in Psalmo, in quo de eius passione agitur, cùm ea referuntur quæ ipse erat facturus, ait: [f] *vota mea reddam in conspectu timentiū te.* Votum (inquit, S. Basilius) appellat ea quæ promiserat se facturum; aut (vt S. Augustinus ait) sacrificia, quæ pro salute mundi obtulit; nominatim autem passionis ac mortis sacrificium. Nam credendum est, ipsum voto se obtulisse æterno Patri, cùm ingressus in mūdum ei dixit: [g] quia *corpus aptasti mihi* vt sacrificari posset, *ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam: Deus meus* id *volui & lex tua in medio cordis mei* Et ea vota impleuit in conspectu timentium Deum, vt exemplo suo eos exstimularet ad ipsius imitationem.

Vide Suarez in 3. P. tom. 2. Disput. 28. Sect. 2.

Opus virtutis cum voto præstantius est alijs.

Tract. 1. c. 9.

[f] *Ps.* 11. 26.

Ibidem.

Ibidem in 1. expositione.

& S. Hieron.

[g] *Psal. 39. 7. Heb. 10 5.*

II.

Excellētia prima status religiosi est ratio fundatoris h. 1. *Pet. 2. 4.*

PRIMA igitur Status Religiosi excellentia oritur; ex præstantia primæ ius fundatoris Christi D. N. qui est Sapientia æterna, & modo quodam de eminenti, & superiori quàm nostro; dignatus est esse primus legis Euangelicæ Religiosus, ac petra fundamentalis huius ædificij; adiungens sibi discipulos religiosos, qui ipsum imitarētur, & h *accederent* (vt S. Petrus dixit) *lapidem hunc viuum*, super quem & *ipsi super edificarentur tanquam lapides viui*, & efficeretur *domus* quædam *spiritualis*, ipsa scilicet sacra Religio.

2.

Status religiosus antiquus est

Ex quo etiam constat secunda eiusdem Status excellentia, eius scilicet antiquitas: siquidem orta est in mundo cum ipsomet eiusdem mundi Salvatore, qui in ipso instanti quo cæpit esse homo, obtulit Patri suo proposita de vota perfectionis Religiosæ. Quid enim fuit porticus illa Bethlehem, in qua ipse Saluator erat cum matre sua & Ioseph; nisi viua quædam Religionis domus? nam omnes tres erāt Virgines Deo consecrati; omnes tres paupertate in summa paupertate; clamante infantulo exemplo suo, quod postea erat etiā verbo prædicaturus. Quare statim atq; cæpit Ecclesiam suā fundare, cœpit quoq; Religionem intra eam disponere ac erigere. Quemadmodum

Benar-

Bernardus memorandis his verbis declarat: ordo, inquit, Religiosus fuit primus in Ecclesia, imo ab eo cæpit Ecclesia, quo nullus in terra similior Angelicis ordinibus; nullus vicinior ei, quę in cælis est Ierusalem mater nostra; siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem; cuius Apostoli Institutores; cuius hi, quos Paulus tam sæpe i *Sanctos* appellat, inchoatores exstiterunt. nam inter illos nihil, quod suum esset, quispiã retinebat: sed k *dividebatur* (vt scriptum est) *singulis prout cuiq; opus erat*: idque tanta concordia morum, & animorum cohærentia, vt l *multitudinis credentium esset cor vnum & anima vna*. Nã, cùm spiritus sanctus venit super Apostolos, ac discipulos, vt quæ Christus D. N. prædicauerat ac docuerat, in eis confirmaret, & stabiliret: statim cæpit hunc viuendi modum dilatare & confirmare, inspirans plurimis viris ac fœminis, vt non contenti obseruantia Præceptorum, consilia quoq; amplecterẽtur Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ; votis editis ad eum vitæ modum sese obligantes: vt sic essent in omnibus perfectiores. Vnde Cassianus ait, vitam Religiosorum in cœnobijs communiter viuentiũ sub Obedientia vnius Abbatis incepisse ab ipsis Apostolis: ad quorum pedes ponebant Fideles precia agrorum ac domorũ, quas vendebant, in signũ Paupertatis, & Subiectionis ad Apostolos, voto se ad id faciendum obligãtes. Cuius indicium est tremenda illa punitio, quã S. Petrus puniuit Ananiã & Saphiram eius vxorem, eò quòd m *fraudassent de pretio agri, & partem tãtum quandam ad pedes Apostolorum posuissent*: nam ita facientes *mentiti essent spiritui sancto*, transgredientes votum, quod ediderant, voluntariæ paupertatis: quemadmodum communiter S. Patres interpretantur. Deniq; adeò excreuit, & inualuit Religiosus Status in primitiua illa Ecclesia, vt S. Dionysius S. Pauli discipulus ita de eo loquatur: quasi de re valde nota & confirmata; eiusque Professores vocabantur *Cultores*: eò quòd cultui & honori Dei omnino se manciparent, & animarum suarum profectui, & in omni virtutum genere perfectioni ex instituto studerent. Appellabantur quoque *Monachi*, eò quòd ad solitudinem se reciperent, vt, seorsim ab alijs cum Deo agerent. Et in signum, quòd à vita communi, & apud fideles ordinaria se segregarent, induebant peculiarem habitum à reliquis distinctum: vt hoc ipsum eos ad maiorem perfectionem prouocaret.

Apologia ad Guilielmũ columna 9.
i *Rom.* 15. 25 1. *Cor.* 16. 1.
k *Act.* 2. 14 & 4. 32.
Vide Bellar. lib. 2. de Monach. c. 5. tom. 2.
Vita religiosa cæpit ab Apostolis.
Lib. 2. c. 5. & collat. 18. c. 15.

m *Act.* 5. 2. *S. Aug. Ser. 27. de verb. Apost. & Chry. Hom. 12. in Act. Vide Bellar. sup. c. 20.*
Lib. de Eccl. Hierar. c. 6.

§. II.

Religiones in Antiqua lege.

SED adhuc maior est Religiosi Status antiquitas. Nam diuina Sapientia multò ante quàm humanam carnem indueret, & cùm antiquæ Ecclesiæ domum ædificauit in populo Hebræo, fundauit intra eam domum aliam Religiosam: licèt non adeò perfectam, atque in lege noua. Hæc fuit Religio Nazareorum, qui (vt ait S. Thomas) tunc aspirabant ad supremam

3. 7. q. 186. a. 6 in Argum. sed contra.
Religiosus Status viguit in antiqua lege.

perfectionem, obligantes se voto ad ea, quæ diuini essent obsequij: quamuis votum illud non perpetuum esset, sed ad certum aliquod tempus a *Quo tempore abstinebant a vino, & omni, quod inebriare posset, nec comedebant quidquid de vinea esse posset, ab vua passa vsq; ad acinum: nec nouacula transibat per caput eius* sed permittere debebant crescere *Casariem capitis sui; nec contingere* aliquem *mortuum*, etiam *Patrem aut matrem*: vt sic intelligeretur, perfectam sanctitatem cõsistere in plena sui ipsorum mortificatione; speciatim autem in tribus. *Primum*, vt abstineant à rebus delectabilibus, & occasionibus in eas incidendi, quantumuis paruis ac leuibus. *Secundum*, vt huius vitæ onera patienter ferant; neque delectationis aut indulgendi sibi causa, illa à se excutiant. *Tertium*; vt omnem amorem parẽtum, fratrum, & cognatorum omninò euuant ac deponant, b *dimittentes mortuos sepelire mortuos suos*; vt perfectioni consequendæ studeant, quam profitentur. Et hac via multi ad tãtam pertenerunt sanctitatem, vt Ieremias de eis dixerit, c *candidiores Nazareis eorum nitidiores lacte, rubicũdiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores.* Quæ omnes qualitates eminentius competunt nostris Religiosis quos propterea S. Greg. Nazianzenus Nazareos appellat: de quibus meritò dicere licet, quod sint rubicundiores ebore antiquo, quod est os Elephantis, in initio quidem valde candidum; sed propter antiquitatem efficitur rubicundum & multò pulchrius: quod vt supra diximus figura est Castitatis, charitate exornatæ, & reliquis virtutibus eam comitantibus condecoratæ. Quid igitur est, quod dicimus Euãgelicos Nazareos esse rubicũdiores ebore antiquo: nisi quod Religiosi nostri plurimũ excedant antiquos in Castitatis puritate: in puritate spiritus, in feruore charitatis, & in omnium virtutum excellentia? & quod tanquam exemplar & Magistrum habeant Dominum illum, de quo dixerunt Prophetæ (vt refert S. Matthæus) d *quoniã Nazareus vocabitur*, sanctus scilicet & consecratus Domino nouorum Nazareotum exemplar, cuius nonnullum vestigium fuerunt antiqui; quos noui ita præcellunt, vt veritas figuram, & corpus verum suam vmbram excedit.

Erat etiam in antiqua lege modus alius Religionis eorum, quos scriptura *filios Prophetarum* appellat, qui custodiebant Castitatem; & a communi aliorum hominum conuersatione abstinebãt; teq; in diuinis laudibus occupabant. De tempore Samuelis dicitur, quod e *grex Prophetarum descendebat de excelso, quos precedebat Psalterium & tympanum, & tibia, & cythara, ipsi autem prophetarent*, & *laudarent Dominum.* Meritò autem appellatur locus in quo illi erant *Collis Dei*: eò q̃ dedicatus esset ad laudandum & glorificandum Deum à Sanctis illis viris, huic tantùm rei intentis. Postea floruerunt valde tempore Eliæ, ac discipuli eius Elisæi, quos S. Hieronymus & S. Isidorus Eremiticæ ac Religiosæ vitæ principes appellant: eo quod Virginitatem

a *Num. 6.*

Perfecta sanctitas in mortificatione sui ipsius consistit.

b *Mat. 8.*

c *Thre. 4. 7. Oratio. in laudem S. Basilij.*

Ebur figura est castitatis charitate, exornatæ.

d *Mat. 2. 23.*

e *1. Reg. 10. Epist. 4. ad Rustic. & 13 ad Paul. Lib. 1. de Offic. Eccl. c. 1. Reg. 2. § 15.*

colligunt

oluerint, & in paupertate vixerint seorsum in solitudine, quos f *filios Prophetarum habitantes in Iericho*, tanquam Magistros suos habuerunt, obedientes eis, eorumque consilia amplectentes. Ad quorum imitationem continuata fuit hæc vitæ ratio in secta Edessenorum: de quibus Iosephus refert, quod renunciarent nuptijs, ac diuitijs; haberentque omnia inter se communia; & alias cõsuetudines adeò legibus nostrorum Religiosorum similes, vt aliqui Doctores affirment Edessenos illos fuisse hebræos, ad Christianismum cõuersos: de quibus idem refert Philo Iudæus, laudans (vt refert Eusebius Cæsariensis) celsitudinem Religionis quam S. Marcus Alexandriæ plantauerat inter hebræos, amplectentes fidem Euangelicam.

Lib. 10. Antiquit. c. . & lib. 2 de Bello c. 7. Canisius de Cõf. Euãg. § 5. Bellar. supra c. 5. S. Hiero. Epist. ad Eust. de seruanda virgin. Li. 2. histo. c. 23. 13.

f Amos. 10.

Quicquid tamen de hoc sit, semper Deus operam dedit, vt in antiqua lege duplex ille Religionis modus prædictus conseruaretur: iuxta illud, quod ipse dixit per Amos Prophetam: g *ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti: Et suscitaui de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazareos:* quos in paruo licet numero ex multitudine plebis elegit, vt maiori spiritu, ipsius seruitio se manciparent. Quam ob rem in sancto Ioanne Baptista, qui finis fuit antiquæ legis, & præcursor nouæ, vterque hic gradus Religionis fuit simul: nam h *ab ipso vtero matris suæ fuit* Nazareus, *spiritu sancto repletus*, & Propheta & filius Prophetarum; & secessit in loca deserta, vixitque in perpetua Virginitate & paupertate, aperiens hoc modo fundamenta Eremiticæ ac Religiosæ vitæ in Euangelica lege ideoque S. Gregorius Nazianzenus, & S. Hieronymus ducem illum faciunt vitæ Religiosæ. Quamuis Christus D. N. eam constituerit in ea perfectione, quam habet, tanquam supremus omnium Magister, cuius causâ Religiosi nostri, quodammodo promerentur insigne nomen Prophetarum: eò quòd (vt ait S. Bernardus) castitate, paupertate, suaque adeo exacta Obedientia prophetizant, post hanc temporalem & visibilem vitam, aliam superesse æternam & inuisibilem: ad quam suspirant contemnentes quæcunque sunt in hac vita.

h Luca 1. 15. Oratio in S. Basil. epist. ad Eusto. Chrys. homil. 1. in Ma Cassia col. 8 cap. 16. Serm in id Psalm. 23. Hæc est generatio quærentium Dominum.

CAPVT II.

PRÆCELSVS RELIGIONIS FINIS EST VT RELIgiosi non sibi, sed soli Deo viuant.

EX Dictis proximo capite deducere licet celsissimum finem, quem diuina sapientia respexit, dum Religionis a *domum ædificauit sibi.* Nam etsi b *vniuersa propter semetipsum operatus sit Dominus*, & propter gloriam suam; sed præcipuè tamen domum hanc sibi ædificauit multis de causis, vt scilicet esset locus dedicatus ad quærendam gloriam Dei, in quo ipse laudaretur, & glorificaretur à suis electis: quorum opera ita in mundo præluceret, vt omnes, ea videntes, excitarentur ad cœlestem ipsius Patrem glorificandum; deinde, vt inæstimabilis gratiæ suæ diuitiæ & redemptionis efficacita-

a Pro. 9. 1. b cap. 16. 4. Religionis domum diuina sapientia multis de causis sibi ædificauit.

tem manifestaret: faciens eos, qui in mundo viuerent, ipso mundo superiores; & in carne viuentes, nõ viuere secundùm carnem. Item hanc domum ædificauit, vt sibi esset solatij ac recreationis domus: in qua desiderij sui compos fieret, quo desiderat conuersari cum filijs hominum, agẽdo familiariter cum ipsis Religiosis: qui, vt ipsi soli attenderent, omnia reliquerunt; ac denique, vt in eadem domo, infinitæ suæ sapientiæ thesauros aperiret, donis electos suos scientiam propriam sanctorum, & occulta mysticæ scientiæ spiritûs. Quamobrem Religionem licet appellare c *domum sanctitatis, domum Orationis*, & e *domum disciplinæ*; & domum propriam Dei ædificatam ipsum & pro ipso, potius quàm pro nobis. nam, etsi verum sit, quod eam pro nobis ædificauerit, & in bonum commodumq; nostrum: eo quod innumera bona per eam nobis eueniant, vt postea videbimus: noluit tamen dici quod nobis sed *sibi* eam ædificasset. Vt Religiosi intelligant: se non suos esse sed Dei; nec sibi ipsis sed Deo viuere debere; iuxta illud Psalmistæ: *f anima mea illi viuet*: quia eam non suam reputabat, sed Dei. Est enim eius creatura à quo totum esse accepit, quod habet: æquum igitur est, vt Creatori seruiat: & vt opus artificis ipsi seruiat, qui ad hoc illud fecit, vt eius operâ vtatur. Est eius ancilla; eius sanguine redempta, qui vitam suam pro eius redemptione exposuit. Ego (ait Dominus) g *redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu*. Hoc volo esse imposterum proprium nomen tuum: *qui est Dei*. Cogitur sis totus Dei, sicut mancipium totum est Domini, qui illud emit: æquum est, te viuere non tibi ipsi, sed ei Domino, qui te redemit: ita enim Apostolus dixit: h *pro omnibus mortuus est Christus: vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*. Speciali gratia elegit te ipse, vt esses pars Ecclesiæ suæ; speciali vocatione te vocauit, vt esses membrum Religionis ipsius; fecit te viuum lapidem huius domus; quam in suum vsum & obsequium ædificauit: æquum igitur est, te totum in hoc ipso occupari, & quidquid cogitaueris, loquutus fueris, & feceris: id non tibi, sed ei Domino fiat, cuius tu es. Vt re ipsa impleas quod idem Apostolus dixit: i *qui sapit, Domino sapit; & qui manducat Domino manducat; nemo enim nostrũ sibi vivit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus*. quòd si Dei es: cui, nisi Deo viuere debes? Tecum loquitur Isaias dicens: k *iste dicet: Domini ego sum. & iste scribet manu sua: Domino*. seu: Dei sum ego; cùm enim eius vocationi præbeo cõsensũ: me ipsũ obstrinxi, vt illi soli viuerẽ. Quod si cùm Deus sit absolutus Dominus, nec tuis creaturis opus habeat, exit à se ipso per amorẽ, videtur animæ illi viuere, q̃ amat; dũ adeò attentè, & cũ tanta cura, eius cõmodis consulit, vt suorum amicorum bonũ, propriũ reputet; Idemq; sit, ædificare Deo domum, & eandẽ illis ædificare: quantò magis erit rationi consentaneum,

Domus religionis solatij Christi.

c *Psal.* 92. 5.
d *Isa.* 56. 7.
e *Ez.* 31. 31.

f *Psal.* 21. 31.

1. Religiosi non sui sed Dei sunt.

g *Isai.* 43. 1. 2.

h 2. *Co.* 5. 15.

3.

i *Rom.* 14. 6.

4.

k *Isa.* 44. 5.

Deus non habet opus creaturis.

anim

anima illa à se ipsa omnino exeat, soliq; Deo viuat, totam se occupãs in eo q̃ ei placet; & implens quidquid ille præcipit, ac consulit? hoc est quod sponsa dicebat: l *dilectus meus mihi, & ego illi*; & iterũ, m *ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*. ille, inquit, viuit mihi, & ego illi viuo; sed interest: quod ille attendit commodo meo; ego autem eius seruitio; ille cõsulit honori meo, ego autem studeo honori eius; ille per amorem est totus meus, & ego per amorem sum totus eius: Hæc ille facit, quia bonus est & complacet sibi, dum creaturis suis benefacit; ego idem facio, quia ipse est vltimus finis meus, vnicum bonum meum: teneorq́ue illi ex toto corde meo seruire: & væ mihi, nisi id fecero. nam (vt S. Bernardus ait) dignus est morte, dulcissime Iesu, qui vult sibi viuere & non tibi; & qui tibi non sapit, desipit. propter te metipsum feci sti omnia: & qui vult esse sibi, & non tibi: nihil esse incipit inter omnia.

l Cant. 5. 10 m c. 6. 2.

Hoc ipsum clamant tria Religionis vota. Nam vir Vxori suæ viuit; vxor viro suo: vterq́ue enim attendit, n *quomodo placeat alteri*. Anima autẽ, quæ voto Castitatis se obstrinxit, viuit spõso suo Christo; & *cogitat, quomodo placeat Deo*. Diuites huius sæculi sibi viuunt; ac propterea diuitias quærunt, quibus sibi ipsis indulgeant: pauper verò spiritu, qui eas omnes reliquit, ostendit, se non sibi viuere; sed Deo, à quo sperat alimenta, qui gloriantur de sua libertate, viuunt sibi accipientes tanquam regulam ducendæ vitæ suæ, proprium iudicium & voluntatem propriam: at Religiosus, per votum obediẽtiæ, propriam libertatem exuit; ac desinit esse suus: tradit verò suum iudicium, voluntatem, & libertatẽ Deo, suisq́ue Prælatis. Quare si definire velimus: quid sit Religio, licebit cum S. Bernardo dicere: esse generationem hominum nõ quærentium se ipsos, sed Deum; & profitentiũ viuere, non sibi ipsis; sed Deo suo. Sunt enim domus illa, quam Sapientia diuina ædificauit *sibi*: vt scilicet in ea viueret, & habitaret: ita vt cum Apostolo dicere possent: o *viuo iam non ego sed viuit in me Christus*. Quinam quæso maior honor, quæ maiores diuitiæ, aut lætitia maior haberi potest, quàm quod sis domus Dei: in qua diuina habitet Sapientia: studet (ait S. Augustinus) Deum possidere, vt ipse te possideat, & sic eris hæreditas, ac domus eius. Nam, si ipse possidet, aut possidetur: vtrumque est in tuum commodum. Felices Religiosi qui sunt domus, in qua Deus habitat: nam talem hospitẽ, & habitatorẽ habentibus, nihil deesse potest. Felices quoque illi, quòd non sibi viuant, sed ipsi Deo siquidem Deo viuentes, multò meliùs sibi viuunt: quia in Deo inuenient quidquid desiderare possunt, si in eius perseuerent obsequio. p *Christus* enim (ait Apostolus) *tanquam filius est in domo* patris sui, quæ est etiã *ipsius propria*: *quæ domus sumus nos si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus*, viuentes ad gloriam eius, qui habitat in nobis; & constituit nos, vt simus eius domus & habitatio.

Serm. 20. in Cant. in i. nitio.

5. n 1. Cor. 7. 33.

Anima voto obstricta viuit Christo.

Religio est generatio hominum non quærentiũ se. *Serm. in id Psal. 23. Hæc est generatio.*

o Gal. 2. 20.

Felix est qui non sibi sed Deo viuit.

p Hebr. 3. 6

ATTEN-

ATTENDE igitur, Religiose, ne ab excelso illo fine degeneres, quem in hoc tu tuo quærere profiteris: ne te ipsum abijcias, ac deprimas, vt in posterum viuas mundo, hosti tuo; nec carni, ancillæ tuæ; nec tibi ipsi, qui iam non es tuus; nec solatium inuenire potes in abiecto adeò fine, qualis tui ipsius est, cum iam te ipsum *leuaueris supra te*, vt Deo tuo te coniungeres, adhæres: viue ipsi Deo tuo; & cum eius Apostolo dic: *q ego per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam. Christo confixus cruci*: Per legem spiritus, & perfectionis mortuus sum, legi carnis, legibus mundi, & amoris proprij: vt soli Deo viuam: pro cuius amore clauis trium votorum confixus sum cruci mei Redemptoris, vt ipse viuat in me, & ego in eo, in æternum Amen.

q *Thren.* 3. 28. *Galat.* 2. 20.

CAPVT III.

FVNDATIO PARTICVLARIVM RELIGIONVM iuxta diuersos earum fines, qui ad septem præcipuos reducuntur.

7 columnæ sunt multitudo particularium religionum.

PRIMVM, quod Sapientia diuina in hac Religionis domo, quam ædificauit, ad eius pulchritudinem & firmitatem fecit, illud fuit, quod *excíderit columnas septem*, quibus totum ædificium inniteretur, & sustineretur: quæ (iuxta id quod S. Gregorius de Ecclesia dicit) sunt particularium Religionum multitudo quæ diuersis suis Institutis Statum hunc sustinet, & multitudo virorum Apostolicorum, qui vitâ & doctrinâ suâ cum auxilio diuino, eas fundarunt & conseruant in perfectione, quam profitentur.

I. Non est possibile omnes easdē vias tenere

CVM enim diuina Sapientia multas & varias habeat vias & rationes ad perfectionem ducendi; nec sit possibile, eosdem homines, omnes illas tenere: ita rem disposuit ac direxit, vt essent variæ Religiones, variæ Instituta, quæ possent varijs personarum generibus accommodari: ostenderet ex vna parte inæstimabiles gratiæ suæ thesauros, & pulchritudinem Christianæ perfectionis, quæ vna cùm sit quo ad interiora, habet tamen quo ad exteriora admirandam varietatem. Nam vna eademque charitas & amor Dei, & proximi (in quo, teste S. Thoma, substantialis Christianæ vitæ & Religionis perfectio consistit) producit multitudinem actuum & Exercitiorum virtuosorum, quibus ipsa Religio, quasi a *Regina sedens a dextris æterni Regis* est mirificè exornata, & *omnis gloria eius interior apparet in fimbrijs aureis*, & exterius *circumamicta varietatibus*, cum tanta Regularum, Constitutionum, Ceremoniarū, Vestimentorum, Exercitiorum ac Ministeriorum varietate: vt qui hæc omnia perpendat, magis obstupescat, quàm b *Regina Austri cùm vidit ordinem rerum & seruorum in domo Regis Salomonis.*

q. 184. a. 1.

a *Ps.* 44. 10.

b 3 *Reg.* 10 5.

Ex altera etiam parte, per hanc veritatem prospicit sapientia diuina ea, quæ ad ipsorum et hominum bonum expediunt. quorum cùm sint varia ingenia, & naturales propensiones, ac vires inæquales: alij amant solitudinem; alij cupiunt inter plures habitare; alij propendent ad contemplatiuam Mariæ vitam; alij ad actiuam Marthæ; alij amant magnam in pœnitentijs seueritatem: alij in eisdem sumendis sunt molliores. Vt autem omnes perfectionem Religiosam obtinere possent: constituit Religionum varietatem, vt essent propensionibus, ac facultatibus; & viribus omnium fidelium accommodatæ. Ad hæc ex temporum varietate oriuntur in Ecclesia variæ necessitates, aliæ spirituales; aliæ temporales nunc ob hæreticorum persequutiones, nunc ob ignauiam & incuriam Catholicorum: ad quas necessitates reparandas diuina sapientia recentes erigit Religiones, cum accõmodatis Institutis ad subueniendum Ecclesiæ in his angustijs ac pressuris. Denique tanta est humana miseria: vt eædam Religiones, quæ magno feruore in vitijs ad perfectionem contendebant, sensim tepescant, & in spiritu inueterascant, quibus interdum euenit, quod in illa Nabuchodonosoris c statua fuit delineatum, *cuius caput* quidem *erat ex auro optimo, pectus autem & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Ita in Religionibus sæpè descenditur per suos gradus à feruore perfectæ charitatis vsq; ad tepiditatem vitæ terrenæ. Quãobrem diuina prouidentia nunc excitat viros Apostolicos, qui eas reforment, & rebus aliquibus recentibus additis, in pristinum feruorem restituant: nunc nouas erigit Religiones, quæ nouo feruore suum cursum auspicentur. Et cùm omnia noua placeant, adferantque admirationem: plures homines illæ ad se trahunt; qui sequantur perfectionem, quam Dvs noster in domo sua statuerat renouare. Quæ omnia clariùs intelligentur ex particulari horum Institutorum varietatis declaratione.

i 2 Sapentia diuina prospicit quæ ad hominũ bonum pertinent 3.

Religiones erigũntur vt succurratur ecclesiæ necessitatibus 4

c *Dan.* 2 31.

Omnia noua placent.

§. 1.

Qvamvis septem columnarum numerus (vt ait S. Gregorius) non significet multitudinem determinatam, sed perfectionem in ea, hoc est, necessariam multitudinem ad domus Dei conseruationem: licet nihilominus Religionum varietatem ad septem ordines reducere: eò quòd septem sint præcipui fines, ad quos illæ, varijs actionibus & operibus triplicis vitæ, Contemplatiuæ, Actiuæ, & ex vtraque Compositæ tendunt. aliquæ enim magis eminent in operibus amoris & cultus Dei; aliæ in operibus pœnitentiæ & abnegationis suiipsorum; aliæ in operibus misericordiæ erga proximos.

Li. 17. mor. cap. 17.

Ex Cassian. col. 14. c. 4. D. Thom. 2 2 q. 188.

1. Ordo primus Religiosorum est eremitarum.

Primvs Ordo est Anachoretarum siue Eremitarum, qui tanquam finem sui Instituti, respiciunt contemplationem, secedentes ad loca secreta

& fugientes hominum consortia: vt orare, & liberius cum Deo suo agere possint. In qua re imitantur secessionem Eliæ & S. Joānis Baptistę; imitatione ipsius Sapientiæ incarnatæ, quę statim post Baptismum secessit a *mundo* per spatium *quadraginta dierum* exercens vitam contemplatiuam: quam postea sequuti sunt, qui huiusmodi vitæ fuerunt columnæ, sancti scilicet Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius, Simeon, & alij multi quorum: alij in sepulchris sese abdebant; alij stabāt super columnas; alij in montibus, alij in speluncis desertis habitabant. quam viuendi rationem Deus approbabat, magnisq; miraculis & singularibus fauoribus ita commendabat, vt eis tanquam illicijs permoti multi eos imitarentur. Ex quo factum est, vt AEgypti, Syriæque deserta magno huiusmodi Religiosorum multitudine conderentur. Et ita quodammodo implebatur quod dixit Isaias: *b lætabuntur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium*. Germinabat enim infinitam Virginum & continentium multitudinem habitantem in desertis, contemplantium *gloriam Domini*, & *decorem Dei nostri*. Sed cùm hæc solicudinis ratio succesſu temporum euaderet periculosa: nec quamuis ibi esset tuta Castitas, & contemplatio magis quieta: at (vt quidam S. Abbas bene expertus dixit) votum Paupertatis aliquid de suo splendore amittebat, ob curam & solicitudinem ciborum vestium, & reliquarum rerum, quæ erant ad vitam ducendam necessariæ; & ipsum votum Obedientiæ, quod est inter reliqua præcipuum, non habebat, occasionem, qua exerceretur; sed potius erat occasio, vt proprium Iudicium propriaque voluntas prævalerent, cum magno periculo in superbiæ abyssum incidendi.

a *Matt.* 4. 1. Christus vitam eremiticam exercuit per 40 dies

b *Isa.* 35. 1.

Apud Cass. coll. 16. c. 3.

2.

QVARE diuina Sapientia *secundum* Religionis ordinem constituit Monachorum scilicet Cœnobitarū, qui in cōmunitate sub vnius Prælati obedientia viuerent: cuius finis (vt refert ipse Cass.) erat propriā voluntatem mortificare, nimiamq; suijpsorum solicitudinem deponere: disponentes se ad contemplationem per continua exercitia obedientiæ, ac fiduciæ de gubernatione & prouidentia Dei per ipsos Prælatos, ad imitationem ipsiusmet Domini: qui cum esse æterni Patris Sapientia, c *subiecit* tamen *seje hominibus, descendit q; de cælo, non vt faceret voluntatem suam sed eius, qui miserat eum*. Hic ordo habet in se, quod bonum est Anachoretarum: Contemplationem scilicet tanquam finem, absq; eo, quod erat apud illos periculosum: hic enim habet magna subsidia ex Societate aliorum Religiosorum eiusdem Professionis; & ex directione Superiorum: quare tanquam magis tutum eum fundauit & constituit in Oriente S. Basilius: reducens (vt ait de eo S. Gregorius Nazianzenus) Monachos per deserta separatos ad cœnobia, præscribens eis Regulas & constitutiones fini & votis ipsorum accommodatas. In Occidente autem eundem ordinem instituit S. Benedictus; ex cuius fami-

Supra c. 8. Ordo religionis secundus cœnobitarum.

c *Luc.* 1. 3. d *Jon.* 6. 38. huius Ordinis velut finis est contemplatio. *Oratio in laudem S. Basilij.*

e multis

multæ aliæ Religiones, quas Monasticas vocamꝰ, prodierũt: inter quas valde prælucet Religio Carthusianorũ, cuius S. Bruno fuit fundator: eò q; habeat plus de solitudine, & minus de conuersatione, etiam inter ipsos Religiosos.

Author ordinis in occidente S. Benedictus.

Hvic affinis est *tertius* Ordo: cuius finis est propria perfectio; ita vt ex ipso Instituto nihil agant cum proximis. Perfectioni autem suæ varijs vijs attendunt, nam aliqui excellunt in exercitijs diuini cultus, orationis vocalis honorantes Deum canticis & choris prolixioribus; celebrantes magna solẽnitate officia diuina, implentes ea ratione quod valde proprium est domus Dei, vt sit e *Domus Orationis*. Alij excellũt in seueris exercitijs pœnitentiarũ & asperitatum externarum, induentes se pannis crassis & cilicijs, & nudis pedibus incedentes, abstinentes à carnibus, imò etiam aliqui à lacticinijs; & alias laudabiles suscipientes mortificationes, vt carnem suam spiritui subijciant, f *semper mortificationem Jesu in corpore suo circumferentes*; & g *stigmata Domini Iesu*, (vt ait Apostolus) *in corpore suo portantes*, vt eum imitentur.

3. Tertij ordinis finis est propria perfecto. e *Isa.* 56 7.

f 2. *Co.* 4 10 g *Gal.* 6. 19.

Qvartvs Ordo est Religionum habentium finem proprium opera misericordię corporalia in bonum proximorum, siue gerendo curam infirmorum in Xenodochijs, siue peregrinos hospitio excipiendo; captiuos redimẽdo; aut laborando in quærendis eleemosynis pro indigentibus; aut varia Marthæ officia exercendo in Bethania, quod interpretatur domus obedientiæ: eò quòd in his omnibus operibus ab ea dirigantur; ministrantes sicut Martha corporaliter ipsi Christo in eius pauperibus, eorumque necessitatibus subueniendo: quæ necessitates motiua quædam fuerunt, vt viri aliqui sanctitalium Religionum professionem inuenirent ex inspiratione Sapientiæ diuinæ, quæ vniuersalis est omnium prospectrix.

4. 4 Quarti ordinis finis sunt opera misericordiæ corporalia.

Hinc etiam ortus est quintus Ordo Religionum, quas Militares appellamus, quarum finis est armis Ecclesiam à visibilibus eius hostibus propugnare, vt in pace, & absque aliquo impedimento attendere possit ad res spirituales; & subsidio esse Christianis oppressis ab infidelibus: eò quod hoc sit opus misericordiæ valde placentis Deo, qui dixit: h *eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Neque parua censenda est charitas, quam hic & proximè præcedens ordo profitetur: siquidem tales Religiosi vitam propriam offerunt pro vniuersali Ecclesiæ bono, aut pro seruitio alicuius infirmi peste infecti, aut pro redemptione in captiuitate detenti, exponentes etiam periculo propriam libertatem: vt alij eam recipiant, & non pereant.

5. *S. Tom.* 2, 2 *q.* 188 *a.* 3. Quintus ordo militarium. h *Psal.* 81. 4.

Sextvs Ordo est Religionum profitentium vitam mistam, contemplatiuam scilicet & actiuam in suis optimis operibus: qualia sunt misericordiæ spiritualia in bonum animarum, confessiones excipiendo, concionando, docendo, & consilium præbendo. Quam ob causam occupantur & ipsi in studijs scientiarum humanarum ac diuinarũ: quæ ad huiusmodi ministeria

6. Ordo profitentium vitam mistam

præstanda sunt necessaria: dāt tamen suum tempus orationi, & contemplationi, vt hauriant quod alios doceant, ad imitationē Saluatoris, qui vitæ suæ annis nocte vacabat orationi, die verò prædicationi ad commodum proximorum. Et quoniam hic finis excellsior est, eò quòd amplectatur vtrumq; actum charitatis, amoris scilicet Dei, & proximi circa bona animæ quæ præstant corporis bonis: ideò hoc Institutum, ex hac parte (vt 2.2.q. 188. a.6. Thom.) est cæteris præstantius: quod profitentur multæ Religiones mendicantes, spiritualibus hisce armis assistentes Ecclesiæ: vt eam ab hæreticis tueantur, & conseruent; Catholicorum verò spiritum ad maiorem pietatem exstimulent. Quam ob rem, cùm Ecclesia esset in huiusmodi angustijs constituta, excitauit D.N. insignes duas Religiones Mendicantes; sub sanctis Dominico & Francisco: quemadmodum ipse reuelauit summo Pontifici, qui tunc Ecclesiæ præsidebat, ostendens dormienti, Ecclesiam S. Ioannis Lateranensem minari ruinam, quam duo illi Sancti humeris appositis sustinebant. Quæ meritò & illi, & ipsorum Religiones dicuntur Ecclesiæ columnæ; & non eas sexta, quæ sustentat domum & statum Religiosum.

Huiusordinis institutum cæteris præstantius est

7. Ordo religiosorum clericorū *Vide Platū lib. 2. de bo. stat rel. c. 23*

EIDEM est valde similis *septimus* Ordo Religionum, quæ dicuntur Clericales, Religiosorum scilicet Clericorum, eundem habentes finem, qui proximè præcedentes non solùm perfectioni propriæ attendentes, sed etiam perfectioni proximorum: adiuuantes suis ministeriis Prælatos & Episcopos in rebus aliquibus, officiorum eorum propriis. & hic ordo fuit primus in Ecclesia institutus ab ipsismet Apostolis, quemadmodum asserit Pius IV. Pontifex in Bulla quadam Canonicorum Regularium, quam refert Nauarrus. Nā in ipsis Ecclesiæ initijs oēs Clerici obstringebant se vt Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ: nihil proprij habentes, sed ex bona cōmunitatis, in qua degebāt, se sustētantes. Sed, cū sensim feruor ille, ac veritas intepesceret, S. Aug. eū in sua Diœcesi renouauit; custodiēs, vt ipse hanc Clericalis status perfectionē; & omnibus suis viribus alios exhortans vt imitarentur. Ex quo disciplina illa ad alias etiam multas Diœceses transiit, & nunc etiam durat in multis Cathedralibus Christianitatis Ecclesijs.

In c. statuimus, 10. q 3. nu. 6. & 8.

SED nostris hisce temporibus voluit Sapientia diuina septimæ huic columnæ addere, tanquam eius partem, Societatem IESV: quam Tridentinum Concilium Religionem appellat Clericorum. Videns enim, quam grauiter premeretur Ecclesia propter hæreses, quæ in Regionibus septentrionalibus recens erant exortæ; & propter Catholicorum relaxationem & frigiditatem circa vsum Sacramentorum, & bonam filiorum educationem, inspirauit Patri nostro S. Ignatio fundationem suæ Religionis, & ministeria, quibus opus erat ad tot necessitates reparandas. & vt speciali voto se obligaret, ad obediendum Pontifici, vtirent ad loca hæreticorum, & gentilium, vt

Sess. 25. c. Decreto de Regul. c. 16.

catholicam fidem vel defenderent ab hæreticis, vel plantarent inter gentiles: suisque concionibus & exhortationibus homines permouerent, ad exercitia orationis & frequentiam Sacramentorum, Cõfessionis, & Cõmunionis magna cura illa administrando; & præterea doctrinam Christianam pueros & rudem plebem docendo; & in omni bonorum morum genere eos instruendo. instituit quoque scholas, vt docerent iuuentutem legere, & scribere, litteras humaniores, & scientias naturales, sacramque Theologiam; diligentem dando operam, vt simul cum litteris virtutes imbiberent. Quæ ministeria adeò sunt Religiosorum propria, vt Iosephus Iudæus loquens de Essenis (siue illi essent Religiosi suæ legis, siue qui ad Christianismum conuertebantur, vt supra est dictum) dicat; quod cùm illi castitatem seruarent, nec proprias haberent proles: suscipiebant alienas in ætate tenera, vt eas docerent, suosq; pios mores illis instillarent. Quod si Religiones Monasticæ; quæ à communi consortio magis sunt separatæ, hoc munus exercuerunt, vt constat ex S. Basilio, & S. Benedicto: quantò aptius id præstare poterunt Clerici? ideoque vtrisque præscripsit sexta Synodus, vt Presbyteri & Monachi in suis Monasterijs & Ecclesijs scholas haberent, in quibus fidelium liberi benè instituerentur.

Lib. 2. de bell. Iud. c. 7

Regul. 192. fusiùs c. 4. & 5.

CAPVT IV.

Excellentiæ Septem Horvm Ordinvm *Religiosorum, & eorum firmitas in persequutionibus.*

Septem illæ status Religiosi columnæ in proximo capite positæ, tanta varietate exercitiorum & muniorum sunt expolitæ, & tot scientiarum ac virtutum splendore & elegantia exornatæ, vt facilè prodant infinitam artificis, qui eas ad gloriam suam expoliuit, sapientiam. Primum enim, quemadmodum Ecclesia ipsa Catholica in omnibus statibus iustorum, quos habet, innititur septem columnis septem virtutum, quas Cardinales & Theologicas appellamus, Fidei scilicet, Spei, & Charitati; Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudini, ac Temperantiæ, cum septem Sancti Spiritus donis, quæ illas adiuuant, & in earum actionibus extollunt, ad conseruationem & perfectionem iustorum. Ita etiam Dominus noster fundauit domum Religionis cũ omnibus suis Ordinibus & Institutis supra septem speciales virtutes, quæ actionibus suis valdè perfectis, columnarum instar, eam sustentant: Castitatẽ scilicet perpetuam, Paupertatem voluntariam, Obedientiam & Subiectionem proprijs suis Prælatis; & Religionem siue deuotionem, ex qua vota procedunt, quibus illas confirmat; Charitatem fraternam cum multorum coniunctione & vnione in eadem vitæ ratione; fugam sæculi, qua Pa-

Mirabilis Dei sapientia in ordinum fundatione.

I. Virtutes septem religionis.

ter, mater, fratres, & consanguinei relinquũtur; & quidquid ad leges, & in
sæcularium hominum, & huius mundi pertinet; imitationem denique Christi
Domini, in bona & recta intentione, spiritu, feruore, & modo, quo ille ha
omnia fecit, accipiendo illum tanquam harum omnium virtutum exem
a *Phil. 2. 15.* Quæ omnes virtutes expolitæ etiam sunt admiranda exercitiorum cuius
earum propriorum varietate, vt suis locis dicemus. Per easdem a *lucent*
ptem status & ordines Religionum, *sicut luminaria in mundo, in medio*
b *Prou. 8. 31.* *tionis praua & peruersa* huius mundi, & tanquam stellæ firmamenti in no
huius sæculi. nã b *diuinæ sapientiæ deliciæ* sunt, *esse*, & habitare *cum* huiusm
filiis hominũ, quæ præclararũ adeò virtutũ eorũ aspectu admodũ delectat

2. QVAM ob rem meritò dicere licebit, septem hos Ordines esse instar
septem candelabrorum aureorum, in quorum medio S. Ioannes vidit Iesum Chri
c *Apo. 1. 12. 16.* *stum D. N habentem in dextera sua stellas septem*: qui cùm vult suos electi
hi ordines sunt velut candelabra d *Mat. 5. 15* e *Marc. 4. 21* tanquam faces splendere & ardere in Ecclesia, singulari sua doctrina, & e
emplari vita: d *non ponit eos sub modio*: e *vel sub lecto*, non sub oneribus g
uissimis matrimonij, nec sub molestis fortunarum curis: sed supra vul
horum candelabrorum aureorum, euehẽs eos ad statum excelsæ perfec
nis, fundãtũ in accẽso Dei, & proximi amore. Cuius signũ est, q̃ præterg
riosos Martyres, maxima Sanctorum pars, quos Ecclesia canonizauit, &
dinariè canonizat, attulerunt & præluxerunt in his candelabris, ex quo ad
tam sanctitatem peruenerunt, vt Ecclesia ipsa nobis illos proponat tanq
exemplaria virtutum, & aduocatos atq; adiutores ad eam consequendã

3. IIDEM sunt *stellæ in manu dextera* ipsius *Christi*. Fundatores. n. sacrarũ Re
ligionum; ac cæteti, qui in custodia & obseruãtia suorũ Institutorum emi
nent, splendent tanquã stellæ cum insignibus illis proprietatibus, quas Spi
f *Baruc 3. 34* fundatores horum ordinum stellis assimilantur ritus S. per Baruch Prophet. de eis indicat: f *Stellæ*, inquit, *dederunt lumen*
custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt. & dixerunt, adsumus: & luxerunt cum
iucunditate, qui fecit illas. Hi. n. Sancti Religiosi lucẽt in suis stationibus, &
stodientes singuli Institutum & locum, in qno Deus eos collocauit, tanq
strenuos milites, paratos vitam potius amittere; quã stationẽ suam deseret
suumq́; officium constanter, ac firmiter præstantes: nec à Deo audiant, qua
ipse cuidã Episcopo dixit in Apoc. g *mouebo candelabrum tuũ de loco suo*, ni
g *Apoc. 2. 5.* in obsequium meum feceris q̃ debes. Quare magno sibi ducunt honori, q
sint valde ptõpti ad obediendum Deo: quia sunt stellæ quæ vocatæ, dicunt
adsumus, paratæ sc. ad obtẽperandũ tuis iussis ablq́; mora aut repugnantia
tuaq́; officia præstanda non cum tædio, aut tristitia sed cũ lætitia & gaudio
lucentes ei, qui fecit illas, ad gloriam scilicet eius, qui illas creauit, vocauit,
h *Ec. 45. 10.* in eo statu collocauit. Nã, vt supra dicebamus: non sibi, sed Deo & Salvato
ri suo viuunt: qui honorẽ ab eis accipit iuxta illud Eccles. h *Species* sive pul

chritudo

chritudo *cœli gloria ſtellarum*, per quas *mundum illuminat in excelſis Dominus. in verbo Sãctis ſtabũt*, parati *ad* acceptandũ & ſequendũ eius *iudiciũ*, & dictamẽ; *& nõ deficient in vigiliis ſuis*. Sẽper.n. ſunt i *vrecinĉti* & vigilãtes, *exſpectãtes Dominũ ſuum*, parati facere ad nutum, q ipſe præſcripſerit; non dormitantes, nec deficientes in ſuis vigilijs, quibus potius recreãtur. Vnde aũt tantum bonum his ſtellis: niſi q k *Chriſtus Dominus illas habeat in dextera ſua*, eas adiuuans ac dirigens in omnibus, quæ faciunt, & proſperum ac felicẽ præbẽs exitũ in omnibus, quæ aggrediuntur proſpiciens eis tanquã rebus proprijs?

Hoc aũt inſinuauit S. Ioan. cùm dixit, Chriſtum D. N. eſſe l *in medio ſeptẽ candelabrorum aureorum*, propter aſſiſtentiam ſcilicet, qua conſeruat augetq; Religiones, iuxta illud quod ipſemet dixit: m *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* & quod promiſit populo ſuo dicens: n *ponam tabernaculum meum in medio veſtri. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, vos q, eritis populus meus.* Sed quid mirum, quod Dominus habitet in eis? cùm dictum ſit, ipſam diuinam Sapientiam ædificaſſe SIBI hanc domum, in qua habitaret. Vt quemadmodum homo ambulat per ſuam domũ, & attendit, curamq; gerit eorũ, quæ in ea habet: ita Sapiẽtia diuina proſpicit domui ſuæ Religionis & attẽdit ad oẽs ſeptem columnas eius: quas, vt ſupremus ac peritiſſimus artifex, ſemper magis ac magis polit ac perficit: eò quod non ſimul ac ſemel omnem ornatum & perfectionem, quam habent, accipiant.

Et hoc indicat verbũ illud EXCIDIT, quod ſignificat ſecare, polire, & ſculpere o *lapidem*, lignum aut aliud quoduis metallũ aut ductile. Non dicit tamen hic Scriptura: ſicut alias, an hæ columnæ eſſent lapideæ, aut argenteæ, aut æreæ, aut cedrinæ: vt intelligatur, diuinam Sapientiam gratia ſuæ cæleſtis vocationis eligere omne genus hominum ad hunc ſtatum, excindendo illos ex huiuſmodi fodina, & ſæculi huius ſylua; ac mineris miſeræ huius terræ, vt columnas erigat Religionis. quamuis harum columnarum materia non tanti fiat, atq; ipſa figura & elaboratum earum artificium: quemadmodum in rebus artificialibus imago eleganter depicta, aut in tabula, aut in lapide ſculpta plutis omnino fit, quã imago eſt, quàm quæ minus benè eſt depicta etiamſi in auro & argento. Quare diuina Sapientia magnam attẽtionem & operam ponit in his columnis elaborandis: nam malleo & Zelo mortificationis eas perpolit, auferens omnem exceſſum & nimietatem, tam rerum terrenarum, quas poſſident; quàm affectionum & propenſionum ad eas: donec in ipſorum cordibus Impreſſa omnino & expreſſa ſit imago Euangelicæ perfectionis, & figura Chriſti crucifixi, qui exemplar eſt omnium huiuſmodi ornamentorum: quem Pater eius æternus p *lapidem* appellauit, *ſuper quem ſunt ſeptem oculi, cuius ſculpturam ipſemet vellet calare*: multa in eo faciens foramina, flagellis, ſpinis, & clauis; vt ad ea tanquam ad

nidos

i *Luc.12.36.*

k *Apoc. 1.16* Religioſos Chriſtus tenet dextera ſua.

4.

l *Verſ.12.*

m *Mat 18.20.*

n *Leu.26.11* 2. *Corint.6.16.*

Diuina ſapientia columnas domus huius ſemper magis polit.

o *Exo.34.4*

Hę columnæ malleo mortificationis poliuntur.

p *Zach 3.9. LXX fodio foueam. Hebraicè: aperiam apertionem eius Vide Riber. in eum locũ*

nidos suos electi se recipiant: vt qui pueri sint, & quasi colum bæ simpli-

§. 1.

q *Apoc. 5.6* SVPER hunc lapidem sunt septem oculi, qui etiam dicuntur q *septem lampades oculi, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Qui autem sunt hi oculi: nisi quos stellas septem appellamus? oculi sunt: eò quòd habeant magnam sanctitatis celsitudinem lucem magnam, & in doctrina splendorem; magnam coniunctionem & inter se ipsos conformitatem; & sunt Spiritus, & Angeli quos in vita imitantur: & mittuntur à Deo in vniuersam terram, vt suis ministerijs foueant eos, qui in ea habitant. Hi oculi collocantur super lapidem qui est Christus: quia illi innixi, firmitatem & fortitudinem à Deo accipiunt ne acceptum ab eo splendorem amittant. O fortunata domus! cuius columnæ adeò sunt elegantes, pulchreque elaboratæ! cuius candelabra adeò pretiosa! cuius habitatores, stellæ sunt adeò splendentes! in quarum medio ipsemet Saluator existit, manu eos sustentans, suaque gubernatione dirigens eorumque operâ vtens, quasi oculis ad multos alios dirigendos & gubernandos.

§. 2.

EX DICTIS intelligitur firmitas, ac stabilitas statûs Religiosi, cum bonorum eius varietate: propterea enim appellantur columnæ, & quidem septem: vt significetur earum firmitas & robur ad sanctæ huius domus structuram sustentandam, accedente Sapientia diuina ad eas corroborandas, eum in modum, quo de ipsa terra dixit: a *Ego confirmaui columnas eius* tanta firmitate, vt nullus possit eas deijcere. Ego habeo, in manu mea septem stellas, b *quas*, contra firmum meum decretum, *non poterit quisquam rapere de manu mea.* Ego posui septem oculos supra firmam petram: quis adeò potens erit, vt illos ab ea abstrahere possit? Nam quemadmodum Ecclesia fundata est supra firmam petram, quæ est Christus; & portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam: ita, quamdiu Ecclesia durabit, perdurabit status Religiosus. Est enim fundatus super eandem petram scilicet Christum: qui basis est columnarum eius, Ipse Saluator est firmissimus, imò ipsa Sapientia: qui prudens in c *domum* Religionis *descendentes pluuias, venturæ flumina, & flaturos ventos*, noluit illam *ædificare super arenam, sed supra firmam petram*: ne, adeò grauiter appetita, & impugnata rueret. Quis enumerare poterit pugnas & conflictus, quibus sancta hæc domus patet? non dico hic quos particulares Religiosi sustinent, de quibus suo loco dicetur; sed quos ipsemet status, eiusque columnæ sustinent. Tria militum agmina Dæmones habent, quibus domum hanc persequuntur. Vnum est hæreticorum; qui, quod apostatauerint ab Ecclesia, in qua fuerunt regenerati, seque contra eam opposuerunt: ideo multi illorum, iustis Dei iudicijs in pœnam suæ superbiæ eò deuenerunt, vt Religionem desererent, quam fuerant professi; & tanquam homines verè carnales

a *Psal. 74.4*

b *Ioa. 10.28*

Quamdiu Ecclesia stabit religio stabit.

c *Matt. 7 25*

Maximæ religionis tentationes sunt in tribus agminibus.

1. Hæreticorum.

impug-

improbant & condemnant votum Castitatis; tanquam auari & cupidi detestantur votum paupertatis; & tanquam suę voluntatis amantes, eiąue subiecti, horrent votum Obedientiæ: audentque sacrilegum os in omnia perfectionis statuta mouere. Huic agmini adiunxit Dæmon alterum, Principum Tyrannorum: qui hunc statum sunt persequuti; alij quidem hæresi adhærentes, cui Religiosi strenuè se opponebant; alij rationibus politicis suæ gubernationis innitentes: & iudicantes, per Religiones imminui aut sæculare militiæ, aut Reipublicæ suæ propagationem. His accesserunt alij, qui prætextu Eruditionis, persequuti sunt Religiones mendicantes calumnijs, & fallis, aut apparentibus tantùm rationibus, vt ipsas Religiones in suis initijs quodammodo suffocarent. Nisi S. Thomas, & S. Bonauentura ad eas propugnandas prodijssent. Sed tertium agmen non minus infestum & crudele exurgere solet à filijs ipsiusmet Religionis, tentatis ac turbatis propterea quod non possint superborum suorum votorum compotes fieri: ideoque conuertunt se contra matrem suam; & quæ in ea piè sunt constituta, alterate & transgredi constituunt: ideoque improba sua vita eam persequuntur. de quibus intelligitur quod dixit sponsa: d *filii matris meæ pugnauerunt contra me.* Benè autem illos appellat filios matris suæ, & non patris: tales enim sunt quasi semifratres, eò quòd sint filij ipsius Religionis propter professionem & vota in ea edita; non tamen sunt filij Patris cœlestis, & Iesu Christi Saluatoris, cuius vestem lacerant schismate & diuisione, quam in Religione efficiunt.

Votorum impiorum improbatio.

d Cant. 1. 6.

Sed omnes hæ persequutiones non valebunt domum diuinæ Sapientiæ deijcere, aut columnas eius infringere. Cùm enim suâ omnipotentiâ eam ædificauerit; eâdem illa conseruabit ac defendet, sicut ipsam Ecclesiam eodem modo oppugnatam tuetur ac protegit: exipsismet persecutionibus occasionem accipiens ad eam augendam & propagandam; & illustrandam, vt magis innotescat, pluriſque ab hominibus fiat. Quare licebit Religioni applicare, quod S. Ambrosius dixit de Ecclesia, explicans sententiam illam Salomonis: e *difficile mihi est* cognoscere *viã nauis in medio mari.* Quæ (ait) hæc est nauis, nisi ipsa Ecclesia (talis autem est etiam ipsa nauicula Religionis) quæ, quamuis frequentissimè oppugnetur â fluctibus & tempestatibus: nũquam tamen naufragium faciet, aut ad portum aduersum appellet. Nam super ipsum malum stat ipse Christus; in puppi residet Pater; Spiritus autem sanctus in prora: qui autem eam dirigunt, tanquam Magistri & gubernatores, sunt Apostoli & Prophetæ. cùm igitur hæc nauis attentè adeò & exactè gubernetur: impossibile est, eam perire. Cum f *nauicula*, in qua erant Apostoli, *operiretur fluctibus*, vt pene mergeretur, quia ipse dormierat: excitatus ab eis solo verbo imperauit ventis & mari; & facta est tranquillitas magna;

Lib. de Salomon. c. 4. e *Pro. 30. 17.* Ecclesia assimulatur naui. Gubernatio Ecclesiæ. f *Mat. 8. 14*

cum tanta eorum', qui viderant, admiratione; vt dicerent: *qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* cùm igitur idem ipse Dominus maneat in nauicula Religionis, quam tanquam gubernator ac Dominus eius gubernat: omni procul dubio etiam conseruabit eã ac proteget. Quod si quãdo permiserit, ventos & mare huius mundi commoueri, & exurgere contra eam, id faciet, vt fluctus illi eam sicut g *arcam* Noë *eleuent in sublime a terra*, hoc est, ad summam perfectionem, quam eius Institutum requirit. Nam (vt sanctus Augustinus ait) si corporales calamitates eam affligũt, eius patientiam exercent & augent; si erroribus & falsitatibus: exercent & exacuunt eius sapientiam; si odijs & rancoribus: exercent, & augent eius charitatem, vt extendat se ad diligendos inimicos, à quibus ipsa odio habetur. Et hac ratione magnum ipsis persequutionibus haurit vtilitatem; nam h *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* animarum suarum.

Cur Deus affligat Religionem.

g *Gen.* 7. 17 *Lib.* 18. *de Ciuit. c.* 51.

h *Rom* 8. 28 Religio indefectibilis.

Hoc esse debet præcipuum fulcrum fiduciæ Religiosorum, quòd eorum Status deficiet, nec ipsæ columnæ eum sustinentes. Ita sentiebat noster Pater sanctus Ignatius, qui Proœmium Constitutionum ita inchoauit: summa Sapientia, & bonitas Dei Creatoris nostri ac Domini, quæ conseruatura est, gubernatura atque promotura in suo sancto seruitio hanc minimam Societatem IESV, vt eam dignata est inchoare, atque si dixisset: i *Dei perfecta sunt opera*; & vt Apostolus dixit: k *qui cœpit opus bonum*, idem illud *perficit*. Cùm igitur infinita eius Sapientia & bonitas artificium hoc erexerit, idem perget, illud conseruare: quod si morte alij deficient, qui eius erant columnæ: ipse tempori eliget alios similes, iuxta illud Dauidis de Ecclesia dicentis: l *pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues principes super omnem terram.* Nam loco primorum fundatorum succedunt eis alij eiusdem spiritus, qui promouent quod illi cœperunt. Quod si qui lapides huius ædificij culpâ suâ decident: aptabit DEVS alios, qui eorum locum impleant. Nam & si ex Collegio Apostolico Iudas Apostatauit; non defuit vnus m *Matthias* qui eius locum impleret, & *annumeraretur cum vndecim*, & quamuis n *multi & innumerabiles* deficiant, & à DEO *conterantur*, vt legitur in Iob, *stare faciet alios pro eis*. Quemadmodum enim ipse eos vocauit, qui ipsum deseruerunt; ita potest alios vocare, qui perseuerent: quemadmodum ipse Dominus nostri sancto Francisco dolenti, & lugenti ob disciplinæ relaxationem, quæ sensim in aliquos eius Religiosos intrabat, dixit: ne turberis, inquit, neque angaris, quod aliquis deserat Religionem, aut scandalo alijs in ea sit. Nam, quis, nisi ego, illam plantauit? quis alius, quàm ego homines vocat ad pœnitentiam? & postquam vocati sunt, quis dat eis perseuerantiam? ego eos adduxi, ego eos detinebo & custodiam; & si aliqui abiue-

Societas Iesu.

i *Deut.* 32. 4

k *Philip.* 1. 6.

l *Psa* 44. 16

m *Act.* 1. 26.

n *Iob.* 34. 24

Plato lib. 1 *rep.* 3. Deus vocat homines ad pœnitentiam.

rint,

tint, alios ego in eorum locum adducam. Et quemadmodum sanctus Gregorius dixit, omnia conuertuntur in bonum electorum : nam aliquorum ruina reprimit superborum arrogantiam ; vt sese humilient, nec decidant ex loco suo, quem tenent : & vocatio aliorum, fouet humilium confidentiam : ne videntes tot cadere, & ipsi animum deijciant, & cadant, quia videant, Deum ruinas illas multis alijs vocatis reparare. Denique quamuis in ipsa Religione multi sint mali ; & qui boni sunt, impingant interdum in aliqua peccata : non tamen propterea Status ipse deficiet ; aut ipsa domus ruet, quam Sapientia diuina ædificauit. Nam improbi malitia, ipsi soli nocebit, non autem communitati resistenti, & improbanti : aut Deus illum conuertet, vt redeat ad vitam, quam eius Status exigit : iuxta promissionem ipsius Dauidi factam, quâ dixit : o *si filius tuus iniquè aliquid gesserit, arguam eum : misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul quem amoui a facie mea. Et fidelis erit domus tua ; & regnum tuum vsque in æternum* perdurabit. Eundem in modum licet intelligere, similem promissionem fundatoribus Religionum factam, quòd eorum domus & familia futura sit perpetua, si eorum filij Statuta earum seruare studuerint ; & quamuis aliqui eorum peccent, eorum tamen peccatum non futurum sicut fuit Saulis, inobedientis, ac pertinacis, qui totam suam familiam destruxit & regnum amisit : sed erit sicut peccatum Salomonis, qui non destruxit familiam suam & regnum ; aut sicut peccatum ipsius Dauidis, qui, facta pœnitentia, ab eo surrexit ; & vniuersum damnum, quod intulerat, reparauit. Et hoc est, quod prædixit Zacharias Propheta loquens de tempore legis gratiæ : p *in die illa* (inquit) *proteget Dominus habitatores Ierusalem, & erit, qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid, & domus Dauid, quasi Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum* Quæ promissio, licèt facta sit toti Ecclesiæ per Ierusalem ædificatæ : potest tamen etiam iure optimo præcipuæ eius parti, quæ est Religio, applicari, cuius habitatorum singularem Deus protectionem gerit, eos præseruans à lapsibus, & peccatis grauioribus. Sed quoniam humanæ fragilitatis est impingere & cadere aliquando, ostendit Deus suam protectionem, faciens vt illi surgant, sicut Dauid, per pœnitentiam : ait vt eius causa non faciat iacturam domus Dei. Quamobrem familia & domus Dauid, quæ Religionem refert, est *quasi domus Dei*. domus Regia, perpetua, excelsa, & sancta ; dignaque, in qua Deus cum Religiosis habitet, qui quasi Angeli sunt, si cum reliquis fidelibus conferantur. Non negamus tamen euenire posse : vt quemadmodum familia Dauid progressu temporum amisit regnum, eò quòd Regum peccata & populorum scelera adeò creuerunt, vt hac ratione puniri promeruerint & permiserit Deus Dominus noster, caprinos

Lib. 25 Moral. cap. Ruina aliorum, superborum humilitas.

Malitia facienti nocet.

o 2. *Reg.* 10. 14. *Psal.* 88 31.

p *Zach.* 12. 8

eos duci: ita etiam potest Prælatorum negligentia, & Religiosorum disciplinæ relaxatio in maiori familiæ parte ita excrescere, vt Dominus eam extinguat, sicut Ecclesia sancta aliquas Religiones extinxit. At Sapientia diuina nouit loco earum alias erigere, quæ numerum impleant septem eiusce lumnarum; & statum Religiosum cum varietate, quam diximus, conseruet. Quamuis rarissimè relaxatio ad tale extremum deueniat: nam vt plurimùm Dominus noster excitat aliquos viros exemplares qui instar columnæ minantem ruinam domum sustineant; reformentq; illam Religionem ad primum suum feruorem reducant. In quo locum habet, quod dixit Oseæ Propheta de q *domo Israel, quæ est vinea Domini: dabo*, inquit, *ei vinitores ex eodem loco*, qui eam colant; & possam eam *in valle Achor*, hoc est, tribulationis & pœnitentiæ, *ad aperiendam* siue concipiendam *spem* suæ reparationis, *& canet ibi* laudes meas, *iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies Ascensionis suæ de terra Ægypti*, resumendo Religiosa sua Exercitia cum eo feruore quem in suis habuit initijs.

Negligentia extinguit religiones.

q Isai. 5. 7. r Ose. 2. 15.

CAPVT V.

TRIBVS VOTIS, PAVPERTATIS, CASTITATIS, ET *Obedientiæ, in quibus Religionis Essentia consistit, holocaustum Deo offerri.*

QVONIAM Status Religiosus vt vidimus, vnus est, & multi: vnus quo ad substantiam trium votorum: multi quo ad varios fines & media, quæ habet in diuersis Institutis: operæ precium erit, vtrumque hoc generatim explicare, vt ex vtroque appareat excellentia & perfectio propria huius status. Cuius Essentia (teste S. Thoma) consistit in votis Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, tanquam in præcipuis instrumentis & medijs ascendendi ad Christianæ perfectionis celsitudinem consistentis in inflammato ac perfecto amore Dei super omnia. Quod probat idem Doctor Angelicus tribus præclarissimis rationibus, innitentibus tribus illis rebus, quas Religiosi in Statu suo obtinere contendunt. Prima res est, velociter & absque impedimento currere in via, stadioque perfectionis Euangelicæ: cuius magna impedimenta sunt Amor proprius, & inordinata rerum huius vitæ cupiditas: qua mortificata, expedita est via ascendendi cum facilitate ad culmen Sanctitatis: nam (vt sanctus Augustinus ait) cupiditatis imminutio est charitatis augmentum: cuius perfectio est ca-

Religio duplex.

2. 2. q. 186. a. 6. & 7.

Tria vota essentialia religionis sunt.

Lib. 83. qq. q. 26.

rens

tere omni cupiditate : pari enim passu amor proprius debilitatur, & corroboratur diuinus : qui tunc perfectus erit, cùm proprius omnino erit extinctus. Ex hac praua radice oriuntur tria illa impedimenta, quæ S. Ioannes vocat, a *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ*, & aliis nominibus eadem appellamus inordinatum amorem voluptatum sensualium, diuitiarum, & inanium honorum, ac propriæ libertatis : in quibus homines splendorem & amplitudinem suam collocant. Ex huiusmodi cupiditatibus retia texuntur, ac tenduntur laquei, quibus Sathanas irretit & illaqueat filios huius sæculi, ne Christum sequantur. Hæc inuitatos ad cœnã illam magnam, venire impediuerunt, adferentes ea, vt se à veniendo ad conuiuium, excusarent; & qui inuitati fuerũt ad nuptias, vocationem suam cõtempserunt, vt eisdem impedimentis vacarent. Et multi non ingrediuntur Sapientiæ diuinæ domum, eò quòd compedibus, suarumque cupiditatum catenis vincti teneantur: quæ etiamsi aureæ, aut argenteæ sint; non minus premunt ac detinent, quàm si essent ferreæ : potiùs maius adferunt impedimentum ob delectationem maiorem, quam vincto adferunt.

a 1. *Ioa* 2. 16 Retia quibus Dæmõ homines illaqueat,

§. 1.

Hæc Tria impedimenta remouentur per tria Religionis vota: votum enim *Castitatis*, repellit & mortificat sensuum voluptates, & concupiscentias carnis; *Paupertatis*, mortificat cupiditatem diuitiarum, quas oculi sequuntur; ac proinde mortificat etiam sæculares pompas, diuitiarum socias & comites; *Obedientiæ*, abnegat ac dissoluit omnem inordinationem propriæ nostræ libertatis, eiusque proprij iudicij, & voluntatis : qui sunt capitales Charitatis & Perfectionis hostes: & sic certaminis cãpus manet expeditus, & via facilis ad eam procurandam & obtinendam. Et ita re ipsa locum habet in Religiosis, quod S. Paulus dixit, apparuisse gratiam Dei Saluatoris nostri, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, a *sobriè, & iustè, & pie viuamus in hoc sæculo*. *Primum* enim faciunt per votum Castitatis, quod temperantiam & moderationem adfert circa res delectabiles. *Secundum* præstãt per votũ Paupertatis, quæ seruat Iustitiã, nulla alicui illata iniuria. *Tertiũ* faciunt per votum Obedientiæ, quæ pietatem Deo & Prælatis debitam seruat, in quibus omnibus virtutibus plus præstaur, quàm aliàs tenerẽtur. quãobrem licèt etiam illis (vt statim subijcit Apostolus) *expectare beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri* Iesv *Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum*. Quis autem est hic populus, nisi Christianus, cuius pars est populus Religiosorum? populus per excellentiam acceptabilis Deo: cuius finis est, quæ optima sunt in bonis actionibus amplecti, vt ampliùs Deum eisdem honoret.

Efficacia votorum Religiosorum.

a *Tit.* 2. 12.

2. Religiosi sæculum fugiant.

HINC secunda oritur ratio, ex eo, quod simul intendunt Religiosi, fugere scilicet sæculum, & anxiam solicitudinem, quam illud secum adfert, quæ turbat & inquietum reddit cor; & quasi vinctum tenet: ne vitia fugiat, ne familiaritati cum Deo, & virtutibus exercendis cum tranquillitate animi dat. Sæcularis hæc solicitudo tribus rebus potissimùm fouetur: quæ tria votorum vi & efficacitate facilè remouentur. Votum enim Castitatis, a

b 1. Co. 7. 32. xiam expellit solicitudinem, quam adfert status matrimonij, in gubernatione vxoris, filiorum & familiæ. quamobrem dixit Apostolus: b *volo vos sine solicitudine esse. vir* autem & vxor *soliciti sunt, quomodo* inuicem sibi *placeant*. qui autem sine vxore sunt & castitatem custodiunt, ea tantùm curant, quæ ad Deum spectant, vt ei placeant. c Nimiæ etiam curæ, quas adfert

c Lu. 8. 15. cum diuitiæ, earumque distributio, inquietum hominem reddunt, quas insinuauit ipse Saluator, cùm dixit: eam c *solicitudinem & diuitias esse spinas, quæ sementem Verbi Dei suffocant, ne fructum referat.* At votum Paupertatis has spinas, ab ipsa radice euellit; purgatamque relinquit cordis terram,

d ca. 21. 34. aptam ad fructum copiosum ferendum, quem Deus inspirat: vt ita operentur, quod Dominus ipse exhortando dixit: d *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa* Iudicij: *tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Sed maximè anxia solicitudo illa solet esse, quæ quisque habet in gubernatione sui ipsius, Actionum, & exercitiorum suorum, & ad res proprias constituendas homo plenus est ignorantijs, ex propriis passionibus ortis; ita vt vix medium attingat, quod adhibere in eis deberet. Hæc autem solicitudo, etiamsi maxima, deponitur per votum Obedientiæ, quo Religiosus omnẽ gubernationẽ sui ipsius tradit suis Prælatis; confidés diuinæ Prouidẽtiæ, quod per eos sit ipsum, gubernatura. Quare tribus prædictis votis explet & amplectitur S. Petri consilium, dicentis: e *omnem solicitudinem vestram proijcite in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis,* recipienti in se omnem

e 1. Pet. 5. 7. vestram solicitudinem, & curas: eò quòd vos, vt eidem cum maiori perfectione seruiatis, sponte eas deponitis ac mortificatis.

3. Religio holocaustũ dicitur.

VENIAMVS nunc ad tertiam rationem valde præclaram & præcipuam, ex eo fundatam, quòd status Religiosus (vt idem S. Doctor ait) sit quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se & sua offert Deo. de quo holocausto dixit Salomon: f *diuinam sapientiam*, cùm domum sibi ædificasset, & columnas septem excidisset: *immolasse victimas suas*, aut (vt habet textus Græcus) *victimam suam.* Nam quemadmodum in antiqua Ecclesia templum exstruxit & erexit altare, in quo varia sacrificia & animalium holocausta offerebantur: ita in domo Religionis præstantissima sacrificia & holocausta tribus hisce votis ei offerũtur; iuxta Prophetiã Psalmistæ dicẽtis: g *Introibo in domum tuã, &*

f Prou. 9. 2.

in ea *reddam tibi vota mea: & holocausta medullata offeram tibi, cũ incẽſo arietũ: offeã tibi boues cum hircis.* Pro cuius explicatione obſeruandum eſt: holocauſtum fuiſſe excellentiſſimum ſacrificium, quod in antiqua lege Deo offerebatur; & ab omni (vt Philo ait) proprietate & cupiditate expeditum: eò quòd qui illud offerebat, exueret ſe omnino Dominio ac vſu eius, quod offerebatur, ita vt nullam eius partem ſibi retineret. hoc enim intererat inter illud & reliqua communia ſacrificia. Nam illa in duas tresúe partes diſtribuebantur: vna dabatur Sacerdoti; altera offerenti; tertia igne conſumebatur ad honorem diuinæ maieſtatis: holocauſtum autem, totum & integrum cremabatur, id enim ſignificat nomen holocauſti, totum ſcilicet combuſtum. Hoc ſacrificij genere, offerebantur Deo tria terreſtrium animalium genera, quorum meminit Dauid in hoc Pſalmo: *arietes*, ſcilicet, *vituli*. ſiue *boues*, & *hirci*: eo quod Ægyptij & gentiles magni hæc animalia facerent, & tanquam Deos adorarent. In cuius execrandæ Idololatriæ deteſtationem voluit Deus D. N. ea mactari, ſibique in holocauſtum offerri, ad honorem veræ ſuæ diuinitatis ac maieſtatis. Ideoque Moyſes dixit Pharaoni, filios Iſrael non poſſe ſacrificium offerre Deo in Aegypto, h *nam ſi mactauerimus.* inquit, *ea quæ colunt Aegyptii coram eis, lapidibus nos obruent.* Hoc igitur quod populus hebræus carnaliter faciebat, facit Chriſtianus populus ſpiritualiter: cum i *offert* Deo (vt ait Sanctus Petrus) *hoſtias ſpirituales*, in quibus iugulat, & ſacrificat tria illa, quæ mundus amat & adorat: voluptates ſcilicet, diuitias, libertatem, ſiue ſplendorem, & magnificentiam, quæ per hircos, arietes, & armenta maiora vaccarum & vitulorum ſignificantur: quamuis aliter ea ſæculares, & aliter Religioſi viri offerant. Nam ſæculares (vt perpendit Sanctus Gregorius) offerunt trium rerum iſtarum ſacrificium commune; retentantes ſibi partem vnam; alteram tantùm Deo dantes. Voluptatum enim ſenſualium talem faciunt diuiſionem, vt illicitas iugulent, firmo animi decreto, nunquam eas admittendi: retinent tamen licitas, quæ ſunt in matrimonio: ideoque vt ſuprà dicebamus, coniugati ſunt diuiſi: dum partem vnam cogitationum ac deſideriorum ſuorũ ponunt in ſtudio placendi Deo; ſed alteram in mutuo deſiderio ſibi placendi. facultates etiam diuidunt: nam partem vnam tribuunt Deo, erogantes pauperibus Eleemoſynam; ſed partem alteram, quæ ſemper maior eſt, ſibi reſeruant, ad expenſas in ſuam familiam. Libertatem etiam & propriam voluntatem diuidunt: negantes illam, ne faciant aliquid contra præceptum; ſed eandem retinent circa ea, quæ ſunt tantùm ex conſilio: in his enim faciunt quod ſibi videtur.

Hoc Est ſacrificium commune, quod Iuſti in ſæculo offrunt; & ſufficit, vt aditus eis in cœlum pateat: at Religioſi non ſunt eo contenti; ſed holocau-

g *Pſ. 65. 13.*

Lib. de Victimis.

Vide Riber. l. 4. de Sacr. c. 1. & ſeq.

h *Exo. 8. 26*

i *1 Pet. 2. 5.*

Hom. 12. & 20. in Eze. D. Th. ſupr.

2.

Religiosi sibi seruant.

holocaustum offerunt ab omni proprietate & cupiditate liberum: dant eum Deo per tria illa vota tres prædictas res nihil earum sibi reseruantes. Nam votum Castitatis est quasi quoddam holocaustum, quo omnes sensuum luxuries iugulantur, tã illicitæ, quã licitæ, quæ sunt in matrimonio, abiecta spe redeundi ad potiendum eis: nam nec matrimonium potest esse ibi, nec post tale votum esset validum. Votum Paupertatis est alterum holocaustum, quo offerunt Deo omnes diuitias, nulla earum parte retenta: sed rerum, quæ à Prælatis conceduntur, ad vitam sustentandam, contenti sunt. Et qui cum vitiosa proprietate aliquam partem sibi reseruaret, sicut Ananias & Saphira: is non offerret Deo verum holocaustum: quemadmodum grauiter S. Basilius dixit cuidam Senatori, qui dum Religionem ingrederetur partem aliquam suarum facultatum in proprios vsus reseruauit: Senator, inquit, esse desijsti; & Monachum non fecisti. Qui enim non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest esse Christi discipulus in schola Religionis. Horum Obedientiæ est aliud holocaustum, in quo offeruntur Deo dictamina propriæ voluntatis & proprij Iudicij, propriæque libertatis exercitium: quia iugulatur, (vt ait S. Gregorius) & negatur in rebus omnibus quæ Dei voluntati & superiorum, qui loco eius præsunt, aduersantur, vel sunt contra perfectionem, quam institutum & Regulæ præscribunt. Quod S. Basilius dixit: eum, qui contra voluntatem Superioris vsurpat sibi aliquid eorum, quibus renunciauerat, iudicari latronem & Sacrilegum & hoc holocaustum est omnium trium perfectissimum: in eo enim offertur res pretiosissima, quam homo habet; iuxta id quod dixit Pontifex Ioannes XXII. magna quidem est Paupertas, sed maior integritas, sed maxima est Obedientia. Nam prima offert res externas; secunda ipsum corpus; tertia spiritum, animam: quæ præstantior est cæteris duobus: quare ex his tribus fit integrum & perfectissimum holocaustum, quo Religiosus offert Deo se ipsum totum, nihil sibi reseruans; sed totum diuino seruitio se consecrans: iuxta ea quæ dixit S. Gregorius: tunc censeri holocaustum, quando quis omnipotenti Deo offert, quæcunque habet; & quod nouit, omnia igne comburens ad honorem sui creatoris.

Li. 34 Mor. cap. 6. Serm. de Abdic. verb.

In extrau. de ver sign. S. Tho. 2. 2. q. 186. a. 7. Votum obedientiæ nobilissimum. In Eze. sup.

3.

SED quo ea igne comburet? neque enim absque mysterio in lege veteri iubebatur, nullũ sacrificiũ comburi, nisi igne sanctuarij, qui ardebat super altare Dei. Et quoniam k *Nadab & Abiu filii Aaron* alium *ignem* acceperunt, quẽ scriptura *alienum* appellat: *Egressus ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt:* vt sic cæteri monerentur, aliquam inde prunam accipere, vt ignem adderent ad sacrificium cremandum. Et quando holocaustum fiebat ex maioribus animalibus, qualia erant tria prædicta, magnus ignis erat necessarius, quamuis ad reliqua sacrificia minor sufficeret. Quis autem est ignis ille

k *Leui. 6. 12 & c. 10. 1.* Punitio Nadab & Abiu Filij Aaron.

burens holocaustum votorum, nisi ignis spiritus Sancti, & Amor ab ipso procedens? de quo igne dixit Christus D.N. *ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi vt accendatur?* hunc ignem accendit spiritus Sanctus in cordibus Iustorum, sed in aliquibus adeò est exiguus ob imperfectionē subiecti, vt non sufficiat, ad cōsumēdum holocaustū: vt apparet in sæcularibus, non habentibus tantum animi, vt omnia sua pro Christo relinquant; in alijs autē adeò est magnus, vt omnia comburat, efficiatq; vt nudi nudum Iesvm sequatur, oblatis his tribus votis: quæ propterea Dauid vocauit *holocausta medullata*. Medulla (ait S. Augustinus) est intima pars animalis, nam pellis operit carnem; caro ossa; os autem continet in se medullam. Ignis igitur holocausti omnia hæc consumit. Hunc ergo in modū tribus prædictis votis offerunter Deo non solùm facultates, voluptas, & voluntas propria; sed intima quoq; cordis, cogitationes, affectus, & intentiones: quia omnia hæc cōburit diuinus amor: vt homo nec cogitet, nec velit, aut quærat finem aliquem terrenum in hac oblatione; sed solum & purè Deum, dicens cum pijssimo Augustino: totum consumat ignis tuus, nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi facultates meæ sint tibi, corpus meum, voluntas mea tibi, omnes intentiones meæ sint tibi, ad gloriam & honorem tuum; & tantum, vt tibi placeam: cui offero cum sponsa m *omnia poma noua & vetera*, hoc est omnes fructus potentiarum mearum, antiquos & recentes; naturales, & supernaturales: vt in eis omnibus tu glorificeris. Hæc intentio pura, quæ instar medullæ est bonorum omnium operū, est preciosissima pars holocausti. Si enim offeras Deo omnia, quæ tria vota complectūtur; non autem puram adhibeas intentionem ipsi soli in his, quæ agis, placendi: talis oblatio non erit holocaustum, eò quòd Deo tradas tantùm exteriora, reseruans tibi interiora: ac proinde eum, non vt debes, honoras. siquidem (vt idem S. Augustinus ait) quisquis in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus, ideoque suum holocaustum offert non *igne sanctuarii*, sed *alieno*, hoc est igne inanis & mundani amoris, vt laudetur & honoretur ab hominibus: qui ignis omnia bona opera destruit, & proprijs meritis priuat, & inuadit ipsum offerentem, vt pereat, sicut Nadab & Abiu. Sed cùm oblatio hæc adeò sit excellens, tantisque expensis fiat: rarò euenit, vt non sit perfectum holocaustum propter ignem, quo spiritus Sanctus illud accendit per gratiam vocationis, vt postea videbimus.

l *Luc.* 12. 4.

Super Ps. 65

" "
" "
" "

m *Cant.* 7. 13.

Intentio bona requiritur in votis.

CAPVT VI.

VARIA SACRIFICIA, ET VOTA *offerri Deo in Religionibus.*

VLTERIVS adhuc progreditur excellentia vitæ Religiosæ in votis & sacrificijs: nam tota illa est perpetuum quoddam & continuum holocaustum, quo Religiosus se ipsum offert quotidie vsque ad mortem. Quemadmodum enim in lege veteri iubebatur a Deus noster offerri sibi quoddam *holocaustum*, quod *sempiternum* [illegible] *dicebatur, duos* scilicet *agnos anniculos immaculatos quotidie*: ita dicere licet feruentes Religiosos continuè offerre Deo D.N. duo holocausta: vnum corporis, alterum animæ, cum omnibus quæ ab eis fiunt actionibus. Nec (vt optimè S. Augustinus ad hoc propositum dixit) verum sacrificium est omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Et ipsemet Iustus [illegible] consecratus est, inquit, sacrificium, quatenus castigatur, vt aptum sit instrumentum diuini seruitij: ac proinde multò maius erit sacrificium animæ, quatenus tota diuini amoris igne accenditur, vt à sæculari vita exuta, reformata spirituali ad imaginem hominis noui, & vt vno verbo omnia dicantur: totum est sacrificij spiritualis genus, quod non excellenter inueniatur in Religiosa.

a *Num.* 28. 16

1.

NAM in ea offertur *primum* sacrificium, quod Dauid appellat, b *cor contritum & humiliatum*: quia amaris valde gemitibus deflentur admissa peccata, & præsens ipse torpor; pro quibus quotidie applicantur opera satisfactoria. Quo nomine status Religiosus (vt ait S. Thomas) adeò singularem habet excellentiam: vt nullum sit in hac vita pœnitentiæ genus illi par. Cuius signum est, quod propter nulla peccata etiam grauissima, possit aliquis ad eum statum suscipiendum obligari: cùm tamen obligari possit ad alia quæcumque uera iuxta peccatorum grauitatem.

b *Psal.* 50. 19.

Opus. de spirituali Perf. c. 10. & 21. *q.* 89. *a.* 3. *ad.* 3.

3.

Ex QVO fit, vt in Religione offeratur etiam *alterum* Sacrificium corporum, quod Apostolus appellat: c *Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium* Deo, in ea enim exercentur multæ asperitates, quæ premunt, & cruciant carnem, vt spiritui sit subiecta: exstirpando quemcumque vitæ carnalis saporem, vt spiritualis solus floreat: & hoc modo impletur eminenter, quod dixit Christus D. N. d *qui sequitur me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*; & illud Apostoli; e *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt vitijs & concupiscentijs*. Et ob hanc causam S. Chrysostom. Religiosos appellat crucifixos: eò quòd sint Christi crucifixi viuæ imagines. Floret quoq; in Religione *tertium* sacrificium, de quo dixit Deus in Psalmo; f *immola Deo sacrifi-*

c *Ro.* 12. 1.

d *Matt.* 16. 24.

e *Gal.* 5. 24.

Hom. 56. *ad populum.*

f *Ps.* 49. 14.

laudis: & redde altissimo vota tua. Sacrificiū laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendā illi salutare Dei, siue Saluatorem Deum: Quia non est aliud Religio, quā continuum quoddā sacrificium laudum Dei: est enim dedicata ad eum glorificandum hymnis, & canticis, iugiq; expletione votorum, ad ipsum honorandum editorum. Ideoq; Religio est via, qua Deus nobis manifestat Saluatorem, & salutem, quæ per eū nobis prouenit, cuius nos copiosè participem. Ex quo fit, vt etiam in Religione floreat *quartum* sacrificiū g *Incensi*, hoc est *orationis*: eleuantur enim corda, linguæ, & manus in cœlum: quia nullo die sanctum hoc exercitium intermittitur, eò quòd Deus placetur hoc sacrificio, quod Oseas appellat h *vitulos labiorum nostrorum*; in quo iugulantur distractiones, ac tepiditates, quæ orationis feruorem retundunt. His accedit *quintum* sacrificium, quod Dauid i *sacrificium Iustitiæ*, & sanctitatis votum: quo plenè satisfit obligationibus votorum & regularum: quia datur Deo, quod Dei est; & proximo, quòd est eius; sibi autem ipsi, quod propriū est status eius. Et ita satisfit sententiæ illi Ecclesiastici: k *sacrificium saluatare est attendere mandatis & discedere ab omni iniquitate*. Hęc omnia pulchrè complexus est Sanctus Ioannes Climachus, varias proponēs sancti huius status definitiones. Monachus, inquit, est ordo quidam & status Angelicus in corpore materiali & fragili: Monachus est, qui spiritu suo attendens soli Deo, orat in omni loco, tempore, & negotio: Monachus est perpetua quædam naturæ violētia, & sensuum vigilantissima custodia: Monachus est corpus castum, os purificatum, & animus diuinæ lucis radijs illustratus: Monachus est animus quidam afflictus & gemens, qui continua mortis memoria, siue vigilet siue dormiat, semper sese exercet. Hæc S. Ioannes Climachus quasi referens proprietatss eorum, qui spiritum illum habent, quem Monachi nomen significat.

21. & Psal. 145. 17.

g Ps. 140. 2.

h Ose. 14. 3.

i Psal 4. 6.

k Eccl. 35. 2.

Cap. 1.
" "
" "
" "
" "
" "

3.

Prædictis omnibus accedit alia Religionis excellentia nomine & titulo votorum: solet enim in varijs institutis specialia quædam vota, valde insignia Deo offerre, quibus tria illa substantialia, magis corroborentur, fulciantur, ac perficiantur. Nā aliquæ Religiones vouent perpetuam clausutam, quales sunt fœminarum, ad securiorem voti Castitatis custodiam: aliæ vouent perpetuam abstinentiam à carnibus; aliæ etiam à lacticinijs: aliæ redimendi captiuos, qui versantur in periculo excidendi à fide: quamuis pro tali Redemptione opus sit, eum, qui id vouit, manere in captiuitate. & in nostra Societate Iesv tribus illis votis addunt Professi quartum, specialis Obedientiæ summo Pontifici ad proficiscendum, quocunque ille mittere eos velit: siue ad fideles, siue ad infideles. Quibus quatuor votis, tanquam quatuor columnis nostrum innititur Institutum. Ad quorum maiorem firmitatem quatuor alia adduntur, vnum est, non relaxandi Paupertatē So-

cietatis Professæ, quæ neq; in communi, neq; in particulari proprium habet; nec vllũ accipit stipendiũ pro Missis, nec pro alijs ministerijs: alia deuntur non quærendi directè aut indirectè Præsturam vllam, aut dignitatem intra aut extra Societatẽ: neq; extra eam acceptandi, nisi ex obedientia eius, qui potest ad id sub pœna peccati obligare: quartũ denique, manifestandi superiori, si quid tale ab aliquo ex nostris quæri cognouerit. omnia vota sunt spiritualia sacrificia, quibus iugulantur, quæ homines amant magni faciunt: ex quibus omnibus holocaustum fit perfectissimum.

SED ne quis terreatur tot votis & sacrificijs, quæ & carni, & Spiritui pugnare videntur: attendat, non sine causa dictum esse à spiritu sancto, eandem pientiam diuinam l *immolasse* in domo sua *victimas* SVAS: vult enim, vt intelligamus, ipsam esse, quæ huiusmodi victimas instituerit, approbauerit, suaserit; & eandem illa offerre in ipsis Religiosis, & per ipsos, eosq; spiritu gratia adiuuare ad eadem offerenda: vt propterea, ipsius potiùs opus censetur, quàm nostrum; & potiorem locum in eisdem habere eius gratiam, quam nostram industriam. Quæ gratia non solùm adiuuat; sed, quod videmus valde difficile & ingratum, reddit facile & iucundum, est enim tanquam *Sal*, quo iuxta legem antiquam *condiebatur omne sacrificium*. & quemadmodum Sal cibum reddit sapidum, qui fuisset ex se insipidus; ita gratia, quæ propria est vocationis Religiosæ, spiritualem saporem adfert his sacrificijs, redditque iucundissima & suauissima offerenti ea Spiritu quo diximus: quomodo insipidum esse potest sacrificium & victima, quam diuina Sapientia, cuius est etiam ipse Sapor, SVAM appellat; nomen eius prodit & præterea eius dulcedinem; cum scientia, quæ ex tali fonte procedit, sapida sit, actiua, & præmium, quod statim & in promptu datur, dulcorabit, vt posthac debimus, quidquid in hoc mũdo est valde amarum. Sed non prætermittam aduertere, quod cum Deus iusserit Salem admisceri sacrificijs, simul prohibuerit n *quidquam mellis adoleri*: ad significandum, (vt ait S. Thomas) in nostris sacrificijs nihil esse debere, quod sensuum voluptatem, & carnis illecebras sapiat; neque in eis quærendum esse, quod est tantùm dulce & sapidum, & non quod vtile. Quamuis enim Sal saporem adferat & condimentũ; est tamen etiam mordax, & præseruat à corruptione. Nam quod Deo placet, ita recreat, vt & hominem reddat excitatiorem, eumq; præseruet à peccatis: & hanc mentem comitatur sacrificia ipsi accepta.

PRÆDICTIS hisce sacrificijs licet adiungere varietatem officiorum ac ministeriorũ, quæ sunt in his quibus Religionibus: alia quidẽ domestica & temporalia; alia spiritualia in bonũ proximorũ, excipiẽdo scilicet eorũ confessiones, cõcionãdo, varias scientias docendo, proficiscendo ad hæreticos aut infideles, ad Catholicam fidem dilatandam; aut ad fideles ad eandem con-

l *Prou. 9. 2.*

m *Leu. 2. 13.* Salis & gratiæ cõparatio.

Eccl. 6. 23. Sapientia doctrina secundũ nomẽ eius est eius.

n *Leui. 2. 11.*

12. q. 102. a. 5. ad. 14.

nandam,& simul cum charitate excitandam. In quibus ministerijs Religiosi offerunt Deo sacrificia Iustitiæ gratissima, cum multo sale sapientiæ ac discretionis;& per eadem fiunt ipsi o *Sal terræ & lux mundi*. Et interdum eò perueniunt,vt fiant holocaustum adeò perfectum, quò propriam vitam & sanguinem offerant, ad satisfaciendum statui & officio proprio. Et minimum(vt S.Basilius ait)sunt semper parati,ne officio suo desint,etiam si certum mortis immineat periculum,vt inferius apparebit.

o *Matt.5.13*

Reg.8.Fusiorum.

CAPVT VII.

Constitvtiones Et Leges Religionvm; *& earum Præstantia,& vtilitas.*

Ordinvm & Statuum varietas, quos Religio complectitur, præcipuè consistit in Constitutionum & Legum,quas habent, diuersitate, ad vota sua magis perficienda; in quibus etiam Institutum suum declarant, positum in proprio fine & medijs ad eum consequendum. Quæ omnia scripto proponuntur, vt facilius innotescant, & frequentius repetantur, ne tradantur obliuioni. Quamobrem etiamsi a *lex naturalis* (vt ait Apostolus) *scripta sit in cordibus* hominum;voluit tamen Deus D.N. vt electus eius populus eam haberet b *in tabulis lapideis scriptam digito Dei*,vt pluris à populo fieret.& Moysi præcepit c *scribere Deuteronomium*, in quo erant omnia præcepta & ceremoniæ legis veteris.Et quamuis lex noua,quæ est gratiæ d *scribenda* & imprimenda erat in tabulis *cordis* (vt dixit Ieremias) à præsentia Spiritus sancti illam distantis:voluit tamen Christus D.N post suam in cælos ascensionem,Euangelium sacrum à quatuor Euangelistis scribi; vt perpetua esset legis suæ, doctrinæ,& consiliorum apud homines memoria.

a *Rom.2.15*

b *Exo.31.18*

c *Deut.31.9.19.*

S Th.3.p.q.42 a.4.

d *Iere.31.33. Hebr.10.16*

Cur Euangelium sit scriptum

§. 1.

Ex His Accepit glorioſus Pater noſter S.Ignatius diuinâ quadam prudentiâ ſolidam occaſionem,& fundamentum ad ſcribendas ſuas Conſtitutiones, vt ipſe in earum prologo apertè aſſerit. Supponit enim internam Charitatis legem,quam Spiritus ſanctus ſcribere & in cordibus imprimere ſolet, eſſe præcipuum auxilium ad Religionis conſeruationem & perfectionem:eò quòd lex illa ſit verè viua, & efficax Inſtitutum viuum: à qua efficacitas procedit ad implendum, quæcunque leges ſcriptæ continent,vt poſtea apparebit. Statim tamen ſubijcit quatuor cauſas & motiua ſcribendi Conſtitutiones, omnibus Religionibus communes.

In Proœmio Conſtitutionum.

Scriptionis regularum motiua.

1. PRIMVM motiuum est: eò quòd Prouidentia diuina, suarum Creaturarum cooperationem exigat; & constituerit alios homines per alios iuuare, a *qui sint*, (vt ait Apostolus) *Dei adiutores* in opere nostræ salutis & perfectionis. a 1. *Cor* 3. 9. Et quoniam fundatores Religionum sunt instrumenta, quibus Deus vtitur ad iuuandos Religiosos, eorum Institutum profitentes: vult ipsa diuina prouidentia eos facere Constitutiones & leges, quæ media sint ad obtinendam perfectionem, ad quam sunt vocati. In quo sensu accipiendum est, quod Sapientia diuina dixit: b *per me legum Conditores iusta decernunt*: illi enim diuinæ Sapientiæ cooperantur, ad eas leges condendas, quas illa inspirat, & in lucem producunt, quæ DEVS ipse in æterna sua prouidentia constituta habebat, accommodantes ea fini propriæ suæ vocationis. b *Prou.* 8. 15.

2. SECVNDVM motiuum est, quod Vicarius Christi D. N. ita statuerit: cui diuina eius maiestas infallibilem dedit authoritatem, ad Religiones, earumque Leges & Statuta approbanda, ita vt (quemadmodum S. Thomas probat) non possit in eo quod præcipuum est earum errare, approbando, verbi gratia, votum aliquod, finem, aut medium prauum, cum enim hæ leges & Regulæ proponantur omnibus Ecclesiæ fidelibus, vt per eas dirigi & ad perfectionem progredi possint: si Pontifex in approbanda Regula erraret, exponeret totam Ecclesiam manifesto errandi periculo & magnum ei inferret damnum, præbens gregi suo venenatum in doctrina aut moribus pabulum. quod nulla ratione est admittendum; id enim esset contra Christi D. N. promissionem, fundantis Ecclesiam suam super sanctum Petrum eiusque successores, ita vt c *nec portæ inferi prævalere possent aduersus eam*, vt faciant eam fallam aliquam doctrinam, aut impias leges approbent in perniciem animarum. Quamobrem Summus Pontifex, cùm de Religione aliqua recens fundata agitur, exigit ab ijs, qui fundare illam cogitant, ut sibi scriptas res omnes substantiales sui Instituti; quæ sunt ferè tres, voti scilicet in ea edenda, finis proprius, quem spectant; & media principalia quæ ad eum obtinendum adhibent. Quibus omnibus benè examinatis, d *Spiritus sanctus, qui omnem docet veritatem* assistit ipsi Pontifici, ne aberret in eo quod approbat. *Opus. cõtra impugnat. Religio. c. 4.* Papa in confirmandis Religionibus non erat. c *Mat.* 16. 18. d *Ioa.* 16. 13.

3. TERTIVM motiuum est, exemplum priorum Sanctorum, quos DEVS constituit in Ecclesia tanquam exemplaria, quæ successores imitantur. Quibus, cùm eos induxit ad fundandas Religiones, etiam inspirauit, vt Constitutiones & Regulas præscriberent, quibus illæ gubernarentur, quod fecerunt SS. Basilius, Augustinus, Benedictus, Franciscus, & alij Religionum Patriarchæ.

4. HIS accedit *quartum* motiuum, ratio scilicet naturalis: quæ quòd sit lumen communicatum ab infinito e *vultus Dei lumine*, non decipitur. Hæc autem

autem dictat ac docet: (vt benè ostendit S. Thomas) omnes Respublicas indigere legibus, quibus gubernentur: & ad homines dirigendos in via virtutis, à vitijs retrahendos; & in pace, & amicitia conseruandos. Quamuis enim superiores, qui sunt lex viua, iuuare ad id possint: multò tamen melius esse probat Aristoteles: id fieri per scriptas leges, quæ exactiùs examinantur, diutius durant; nec subiectæ sunt mutationibus, & passionibus, quæ sæpè turbant iudicium aliquorum Prælatorũ, & Iudicum. Cum igitur: Respublica tam ciuilis, quàm Ecclesiastica proprijs legibus gubernetur: rectum quoque erit, Rempublicam Religiosam legibus gubernari, cum specialem illa perfectionem, & coniunctionem profiteatur, modo quodam vitæ ijs, qui in ea viuunt, communni.

c *Psal.* 4. 7. 1. 2. q. 95. a. 1

1. *Rhet.* c. 2. *D. Thomas supra ad* 1.

§. 2.

Hinc Licet incipere explicare particulares excellentias Constitutionum, & Regularum Religionis, ab Ecclesia approbatarum, quarum primus Author est ipsa diuina Sapientia, quæ cum hanc sibi domum ædificat, quemadmodum excidit columnas, & victimas suas immolat; ita a *proponit mensam suam & miscet vinum*: hoc est, illam instruit rebus necessarijs valdè splendidè. Nam quemadmodum fundatâ Ecclesiâ Hebræâ, posuit in ea mensam Scripturæ sacræ, testamenti sc, veteris; & fundatâ Ecclesiâ Christianâ posuit in ea testamentum nouum, præcipuè sacrorum Euangeliorum, vt suo loco dictum est, ita, cùm erigit domum sacræ Religionis ipsamet diuina Sapientia *proponit mensam* Constitutionum & Regularum ex Scriptura sacra, & sacris Euangelijs exceptarum, vt varijs spiritualibus cibis abundet ad sustentationem & oblectationem Religiosorum; & conseruationem, augmentum, & perfectionem sanctæ vitæ, quam profitentur. In hac mensa est b *panis vitæ & intellectus*, varia consilia ac documenta, quæ illa apponit, vt sacramenta frequententur, & spiritualia Exercitia Orationis, Lectionis, & aliarum virtutum. Est quoque preciosissimi vini copia: nam omnis eius doctrina eò tendit ac peruenit, vt affectus amoris Dei, & proximi valde inflammatos exciter. & est tanquam c *cellarium* quoque cœleste, *in quod* ipse cæli *Rex inducit* Religiosos, *vt in eis ordinet Charitatem*. Et propterea ipsa Religio vocatur Ordo: quia totum hominem interiorem & exteriorem ordinat, & componit, non coactè aut ex timore seruili, sed suauiter & ex amore filiali; erigit enim super omnes huius domus columnas vexillum Charitatis, quæ est proprium signum Religionis; & propter quam iudicatur & habetur domus Dei viui, & Schola Iesv Christi. Cuius d *discipuli dignoscuntur, si dilectionem habeant ad inuicem*. Quare huius domus habitatores nec fame, nec siti praua prementur, si delibare velint cibos, quos diuina Sapientia in hac sua mensa proposuit.

I.

a *Pro* 9. 2.

Tom. 1. *Tr.* 1 c. 7.

b *Eccl.* 15. 3

c *Cant.* 2. 4.

d *Ioan.* 13. 35

Sed

Sed quoniam non omnes possunt eisdem cibis & eodem modo præparatis vesci: constituit Sapientia diuina, vt quemadmodum sunt septem columnæ huius domus, variæque Religiones; ita vnaquæque propriam haberet mensam præparatam cibis aptis & accommodatis ad sustentationem eorum, qui in ea degunt.

2. NON est tamen existimandum, diuinam Sapientiam has leges & Regulas constituere eo tantùm generali modo, quo (vt Salomon dixit) principium est omnium bonarum legum, quæ sunt in omnibus huiusmodi Reipublicis: quatenus scilicet naturali lumine, & scientia, & experientia, adiuta etiam lumine fidei, docet ac dirigit ipsos Reges, & Legislatores in legibus condendis, ad rectam gubernationem: non inquam hoc tantùm generali modo sed singularem & maiorem fauorem ostendit erga fundatores Religionum, maiorem eis lucem præbens ad Regulas condendas: nam aut mittit aliquē Angelum, qui illos doceat, sicut misit ad S. Pachomium; aut ipsemet speciali reuelatione & interna inspiratione eas suggerit, quemadmodum inspirauit S. Francisco, reddente huius rei testimonium voce quadam cœlesti, dicente: Francisce, in hac Regula nihil est tuum: sed tota illa est mea. Et de Patre nostro S. Ignatio scimus, etiam eum per reuelationem, aut inspirationem Dei scripsisse res graues suarum Constitutionum: cum præcederent illustrationes & fauores cœlestes in contemplatione & oratione, quas præmittebat earum scriptioni. Et vniuersim quemadmodum *e Angelus* quidam, referens Christum D. N. e *dedit S. Ioanni Euangelistæ librum quendam*, in quo scriptum erat, quod erat prædicaturus; & statim iussit, librum ipsum deuorare, vt statim prædicaret; ita credendum est, Christum D. N. dare Fundatori Religionis librum Regularum, quas docere debeat; & iubere illum deuorare, & in animam suam transmittere, vt postea alijs eas prædicet: de quo capite nono videbimus.

Quomodo leges Religionum condantur. *Lib. 4. eius vitæ c. 2. & lib. 5. c. 1*

e Apoc. 10. 8

SED aliud quoque extremum est vitandum: ne scilicet existimemus, Sapientiam diuinam etiam ipsa verba dictasse, quibus Regulas ipsas scriberent; & minutissima quæque in ipsis contenta: id enim est proprium Scripturæ sacræ & eius Scriptorum. Satis itaq; est, quòd sententias & res maioris momenti reuelauerit: relinquens ipsorum bono iudicio & ratiocinationi ipsa verba, & res alias minutas, quæ cum eis miscentur. Eundem modum quo Dominus aliquis prudenti famulo suggerit substantiam rei, quam alteri debeat significare: remittens eius prudentiæ verba & modum eam significandi. Et hoc etiam modo eas approbat summus Pontifex, vt sic curæ sint, ac certæ. Nam reuelationes & inspirationes internæ, quas vir sancti nobis proponunt, apud nos non habent authoritatem & certitudinem infallibilem, donec illa approbet Ecclesia.

HINC

Hinc tertia oritur Excellentia Regulæ Religiosæ: quod sit certa ac secura via Perfectionis; qua securè & absque periculo peruenire liceat in cælum, nisi ad vnum aut alterum latus declinemus. Ita vt applicare liceat Religioni illud Isaiæ f *dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem: & non faciet amplius te vltra doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Panem arctum (ait S. Hieronymus) esse doctrinam Euangelicam, manentem in mensa Ecclesiæ Catholicæ: nam hæc doctrina fundatur in arcta via crucis & mortificationis; & est abbreuiata in illo præcepto amoris Dei & proximi. Eundem hunc panem & aquam valdè eminenter dat Dominus noster Religiosis in mensis Regularum suæ Religionis; & loquitur ad cor eorum, inspirans illis vt Regulas illas obseruent; ac dicens: hæc est via cœlestis, & semita perfectionis: ambulate per eam, non deflectentes, aut declinantes ab ea propter vllam vitæ huius prosperitatem, aut aduersitatem: illa enim deducet vos ad quietem æternam (Refert S. Gregorius) quando S. Benedictus obijt, duos Monachos vidisse eodem die in oratione viam quandam planam, rectam, & pulchrè exornatam, luminaribus valdè splendentibus refertam: quibus venerandus quidam senex dixit: hæc est via, per quam dilectus Dei benedictus ascendit in cœlum. Et S. Bernardus declarans hanc visionem, ait: hanc viam esse Regulã, quã S Benedictus instituit per cuius obseruantiã sanctus ille ascẽdit in cælũ; & ascendẽt cæteri, qui eandẽ seruauerint. Non. n. dubitare licet diuinâ potius inspiratione, quàm humanâ prudẽtiâ institutã fuisse Regulã, qua vir ille ad tantam peruenit sanctitatem; & in vita, & in morte tantam obtinuit gloriam. Idem autem dicere licet de quacunque alia Regula ab Ecclesia sancta approbata, quæ via est plana, recta, & præclararum virtutum, & consiliorum tapetibus exornata: & qui ambulauerit per eam, perueniet ad gloriosam finem, quem intendit,

3. Religio perfecta est ad cœlum via,

f Psa. 30 20

Ibidem. Panis arctus quid.

Secundo Dialog. cap. 37.

Homilia in Il. Ecce nos reliquimus omnia.

Hæc Excellentia fit excelsior ex adiuncta altera valdè præclara: in ipsis enim Regulis innotescit Religiosis sanctissima Dei g *voluntas in qua*, vt ait Dauid, *vita* nostra consistit, & cuius exequutio est sanctitas nostra; & requies temporalis & æterna. Quod sentiebat ille Propheta, qui dixit: h *Beati sumus Israël, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Hoc enim dicere voluit: non sumus beati ob nobilitatem maiorum nostrorum Patriarcharum, & Prophetarum, non ob illa prodigia quæ fecit, vt nos ex Ægypto educeret; & in hanc promissionis terram induceret; non ob diuitias & prosperitates hic nobis oblatas: sed quod ea nouerimus, quæ superiori nostro placent, vt ea expleamus: ex hoc enim omnis nostra felicitas pendet, beneficiũ hoc tale est (ait Dauid,) vt i *non fecerit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauerit*

4.

g Psal. 29. 6.

h Baru. 4. 4

i Ps. 147. 20.

uerit eis. erga ſolum Iſraël hac miſericordia eſt vſus, qui eſt ſummè miſer-
k Pſa.102.7. cors, k *notas faciens vias ſuas Moyſi filiis Iſrael voluntates ſuas.* & quid abeſt, q
quireret. Potiori autē iure id licet dicere de Chriſtianis, & adhuc ampli
Religioſis: quod ſimus beati nō ob nobilitatē, aut ſcientiam; nō ob alias
humanas amplitudines, & ornamenta; ſed quōd ſacrum Euangelium
Regulas noſtras clarè ac diſtinctè nouerimus, quæ Deo ſunt placita, vt
præſtantes, illi placeamus. Hic noſtræ felicitatis fons eſt, & in quo ipſa Re
l Pſal.16.4. Finis Religionis quis. gio eſt beatitudinis quædam imago; finisque præcipuus, propter quem
illam venimus, iuxta illud Dauidis; l *vnam petii a Domino, hanc requiram, vt*
inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, & permaneam in domo
cleſiæ militantis, & intra eam in domo ſacræ Religionis; ac denique in
mo Eccleſiæ triumphantis, à qua nunquam excidam: & omnem meam
tentionem, & vota mea in hanc rem ſolam dirigam. Sed hoc; ô Rex Sa
cte, cur tantopere deſideras? vt videam Voluptatem ſeu Voluntatem Do
mini. Quamuis enim duo hæc verba diuerſa ſint: eorum tamen ſenſus
idem: iuſtis enim idem eſt Dei voluntas, & eius voluptas. Nam explenti
m Eccl.23.37 Dei voluntatem, eius quoque voluptatem aſſequuntur. Nam in ea exequen
da eſt vera ſolidaq; voluptas, iuxta illud Eccleſiaſtici: m *nihil dulcius quam*
n Pſ.147.1. beneuolis oculis *reſpicere in mandatis Domini.*

HAS Excellentias, & alias non inferiores, vitæ Religioſæ, tanquam præ
ſentes reſpiciebat in ſpiritu idem Propheta Regius, cum diceret: n *Lauda Hie-*
ruſalem Dominum; lauda Deum tuum Sion, quoniā confortauit ſeras portarum tu-
arum: benedixit filiis tuis in te, qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.
quænā iſta eſt Ieruſalē, niſi Eccleſia ſancta? & quis mons, ſiue arx Sion, niſi
Religio ſacra, cuius filij ſunt Religioſi: in qua poſuit Deus portas, & ſeras ſo
lidiſſimis clauis affixas? Portæ ſunt Euangelica Paupertatis, & Caſtitatis, &
Obedientiæ conſilia, per quæ patet aditus, & aſcenditur ad perfectionem.
ſeræ ſunt ipſa vota, quibus illa confirmantur: ita vt non liceat exire ex domo
illa Religionis, in quam nos induxerunt. Claui ſunt ipſæ Regulæ, quæ con
ſtituuntur & adhibentur ad maiorem votorum ſoliditatem. Et hæc eſt alia
inſignis eius excellentia, quod confirment & corroborent Religioſos in
o Pſal.83.8 obſeruatione eius, quod promiſerunt, vt ſuæ promiſſionis fructum conſe
quantur. Ad quod certiùs obtinēdum, Supremus o *Legislator* ſuam impertitur
benedictionem, adiuuans eos ſpeciali gratia, vt *eant de virtute in virtutem* virtutem
donec ad ſupremum omnium culmen perueniant. Ex quo prouenit, vt om
nes *eorum fines circumdet* muro pacis, & mutuæ omnium inter ſe concordiæ
& amoris vinculo: ac proinde victoriam eis det de omnibus ſuis hoſtibus
donec eos pedibus eorum calcandos ſubijciat. Ne aūt ipſi deficiant, eos alit
ſelecto doctrinæ pane, & frequentia Sacramentorum, quibus eius abundā

uentia.

mensa. Et quamuis non desit illis p *nix & glacies, nebula* & pruina afflictionũ ac tentationum, quibus illi exercentur: ipse tamen Dominus ita eorum curam gerit, vt tepestiuè *emittat verbum suum* internæ illustrationis, & faciat, *spiritum* suum feruentis inspirationis *flare* vt omnia illa dissoluat, & *fluant aquæ* dans eis ampliorem notitiam viarum sanctitatis & perfectionis, ita vt verè dici possit: *Non fecit taliter omni nationi*, atque fecit ipsis Religiosis, q *quorum natio* est pura *Obedientia & dilectio*, ac propterea ei tantopere fauit, indulsit, & præ alijs omnibus eam protexit. r *Lauda* itaq; *Ierusalem Dominum*. qui te fecit, *lauda Deum tuum Sion*, qui te fundauit, & singulari amore cupit esse tuus, vt & tu sis ipsius. Felices qui per tuas ingrediuntur portas, tua amplectentes consilia, tuisque votis sese claudentes, & regulis corroborantes; liquidem in te benedictionem inuenerunt, pacem, saturitatem, de hostibus victoriam, & coronam gloriæ propter obtentas victorias.

p Psa. 142. 16.

q Eccl. 3. 1. r Psa. 147. 12.

Beati qui Deum sequuntur.

CAPVT VIII.

Proprietates Constitvtionvm Ac Regvlarvm *Religiosarum, in quibus suam ostendunt præstantiam & perfectionem.*

Veniamvs nunc ad vltimam Excellentiam, quam habere solet Regula Religionis approbatæ: in qua ordinariè inueniuntur conditiones & proprietates perfectæ legis humanæ, ciuilis, aut Ecclesiasticæ: de qua dicit S. Isidorus. quod debeat esse *honesta, iusta, possibilis secundùm naturam, loco temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, & manifesta.*

Lib. 5. Ethy. c 5. & 21. S. Tho. 1. 2. q 5. a. 3.

Primvm ita que Regulæ & Constitutiones Honestæ sunt & sanctæ: quia fluunt ex fonte sanctitatis, hoc est, ex Euangelio sancto; & inspirãtur à Sancto Sanctorum, ad communicandam suis electis sanctitatem. Eò autem sunt præstantiores, quò ordinant ac dirigunt res sanctiores, commendantes actus virtutum in gradibus excelsioribus, quales sunt purior intentio gloriæ Dei humilitas profundior in cõtemptibus, paupertas strictior, obediẽtia erga Superiores promptior, & maior inter æquales cõiunctio, euellendo radicitùs oẽs scopulos, & impedimẽta ad has virtutes perfectiùs exercẽdas.

I.

Secvndo, Leges sunt Ivstæ, hoc est, naturali rationi, quoad fieri potest, conformes; ita vt constet de earum Iustitia, & æquitate, absque iniuria tertij: cum enim gratia fundetur in natura; & homo ratione gubernetur: graviter fert id, quod ab ea degenerat, nisi fides diuina suppleat, quæ est super ipsã rationẽ humanã. Quamobrẽ dixit Dauid: a *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa desiderabilia super aurũ & lapidẽ preciosũ multũ*, & hominib. *dulciora super mel & fauũ*. Tales igitur esse debẽt humanæ leges, vt sint cõformes diuinis; ita vt nõ fundẽtur in rationib. tm̃ probabilibus, sed certis. Ratio enim

2.

a Psal. 18. 10 & Ps. 92. 5.

quæ vni est tantùm probabilis, alteri non est talis. Quoniam autem lex omnibus proponitur: necesse est inniti rationi, quæ omnibus probetur.

3. TERTIO leges esse debent POSSIBILES secundùm naturales vires hominum, ordinarijs gratiæ auxilijs præuentorum. Quare non sunt sicut intolerabile antiquæ legis iugum: de quo dixit S. Petrus, quod vix b *portare potuerunt*; sed sicut iugum suaue Euangelij, quod Christus D. N. c *suaue* appellat, & *onus leue*, dans leuamen & quietem defatigatis; ac proinde non habere hæ leges tantum rigorem, vt corpus destruant; sed quantum sufficit ad illud mortificandum, & spiritui subijciendum, iuxta finem intentum. Et quamuis in hac re sit varietas, vt plus, aut minùs mortificetur: etiamsi leges valde graues videantur: semper tamen sunt possibiles ac faciles ijs, quos Deus vult ad eas amplectendas: gratia enim vocationis addit vires ad eas ferendas. Quamobrem cum Religiosi S. Francisci de seueritate eius regulæ apud Papam conquererentur: cœlestis vox ei dixit: vt Religiosi illam iuxta finem seruarent: nam ego, inquit, noui vires hominis, & quas ego sum illi dans.

b *Act.* 15. 10.
c *Mat.* 11. 30.
Possibilitas regularis.

4. QVARTO sunt leges *conuenientes* secundùm circumstantias *loci* ac *temporis* præsentis. Nam diuina Prouidentia hæc omnia attendit in Religionum institutione; respiciés (vt suprà insinuauimus) ad præsentes Ecclesiæ necessitates; ita dirigens earum Instituta, & Regulas, vt accommodata essent ad illas necessitates reparandas; excitando eius virtutis Exercitia, quæ magis iterum aut in tali occasione maioris momenti esse videbantur. Ex quo efficitur non esse cótra decorú Religionis, quod tẽporis progressu aliqua eius Cóstitutio mutetur. Fieri. n. potest, vt, quod vno tempore expediebat nõ expediat alio: sicut etiam in aliquo loco opportunè seruatur aliqua ordinatio, quæ in alio non ita expediret. Et in ipsamet Ecclesia Catholica fuerunt huiusmodi mutationes in rebus satis grauibus. Nã in initio tolerabatur circũcisio, & observantia rerum aliquarum spectãntium ad antiquam legem: quæ tamẽ postea seuerissimè fuêre interdicta. Et fundata iam solidè lege noua, iubebantur quodã tẽpore, vt fideles omnibus cibis comestibilibus vescerentur, eò quod aliqui hæretici dicerent, quosdam cibos esse à dæmone: posteà, cessantibus istis hæreticorũ erroribus approbata fuit abstinẽtia à carnibus, certis diebus.

5. QVINTO, leges debent esse *necessariæ* & *vtiles*, vt iubeant quæ sunt ad finem necessaria: prohibeãt verò, quæ ei aduersantur: & confirment Euangelica de his præcepta; addant verò pœnas aliquas temporales, quæ ignauos ad earum obseruatione compescant. Ordinant præterea & constituunt, quæ necessarium: & vtile est ad illius Instituti perfectionem: ita vt neque in his constituendis deficiant: neque tamẽ sint nimiæ: nam etiam multitudo solet nocere, & adferre scrupulos & anxietates. Et hac ratione impletur quod Deus per Isaiam promisit, dicens: d *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia*

d *Isa.* 48. 17.

Bernar

bernari te in via qua ambulas. Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & Iustitia tua sicut gurgites maris.

DEN QVE leges siue Regulæ debent esse *manifestæ* & claræ: ne obscuritas, transgressionis occasionem adferat; nec quisquam se excuset ex ignorantia. propterea enim dicitur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos:* & eius *mandatum lucerna est, & lex lux*, illuminans & recta deducens. 6. e Psal. 18. 9. f Pro 6. 23.

HANC Constitutionum & Regularum proprietatem cum reliquis prædictis tanti fecit noster Pater S. Ignatius in suis constitutionibus conficiendis, vt in earum Proœmio hæc verba posuerit: Cũ constitutionum hic finis sit, vt vniuersum corpus Societatis, & particularia eius membra, ad sui conseruationem & incremẽtum ad gloriam Dei, & vniuersalis Ecclesiæ bonum iuuentur; præterquàm quod omnes, & singulæ earum per seipsas ad finem dictum accommodatæ sunt, tria alia in eis expeti possunt. *Primum*, vt plenæ sint; quò omnibus, quæ incidere possint, quantum fieri potest, prouideatur. *Alterũ*, vt perspicuæ sint; quò minus scrupulis detur occasio. *Tertiũ* vt breues sint, quantum plenitudinis, ac perspicuitatis ratio patitur; vt memoria retineri possint. Quæ tria, vt in ipso contextu Constitutionum exactiùs seruaret, voluit addere ipsemet declarationes aliquas, quæ supplerent quod ad plenitudinem & claritatem, propter breuitatem seruandam in eis deesset. Etsi omnibus talem seruauit dispositionem, vt satis appareat, eam non ab humana sed à diuina prouidentia sic fuisse directam; & cœlestem nostrum Magistrum Iesum manum apposuisse, vt socios suos doceret & instrueret, quidquid opus habebant, vt fideles ipsi essent. & in hac Societate perfecti.

Ex prædictis omnibus colligit S. Thomas, quod quamuis maior perfectio & excellentia Religionum desumatur præcipuè ex præclariori fine, ad quem tendunt: (quo nomine quę vitam contemplatiuam, vt finem suum respicit, excedit eam, quæ tendit ad actiuam; &, quæ, quod vtriusque est optimum, complectitur, vtramque excedit, vt supra est dictum) Religionum tamen, quæ eundem respiciunt finem, illa perfectior censetur, quæ Constitutiones, & Regulas, aliaque media habet magis proportionata, & efficacia ad eum consequendum, quia de prædictis sex conditionibus plus participat. Cuius rei aliqua indicia licet ostendere. *Primum* est, si media illa, & efficacia sint, & simul suauia: sic enim magis conformia sunt gubernationi diuinæ Sapientiæ: de qua dicitur, quod g *omnia disponat Fortiter & suauiter*. Ita vt fortitudo temperetur suauitate, ne sit seuera; & suauitati fortitudo coniungatur, ne sit remissior. Ex quo fit, illas Regulas esse perfectiores, quæ aptiùs coniungunt Exercitia Orationis & mortificationis, inde enim prouenit efficacitas & suauitas in reliquis mediis. Nam quemadmodum ignis & malleus aptant ferrum, (nam ignis illud mollefacit: malleus autem tundit & flectit) 2. z. q. 188. a. 6. Vnde sit excellentia Religionis. 1. g Sap. 8. 1. 2.

ita Oratio & mortificatio efficaciter & suauiter aptant & accommodant ipsa corda: oratio enim calore deuotionis ea emollit; mortificatio autem flectit vt suscipiant virtutum imagines. Et hoc nomine Religio assimilatur h *monti myrrhæ & colli thuris*, vt postea videbimus. Et quoniam Oratio mentalis efficacior ad hoc est vocali: ideo Religio illa censebitur hoc nomine perfectior: quæ locũ suũ vocali Orationi tribuens, regulas etiã & documenta tradit ad mentalem Orationem aptissima; præscribens tempus in quo illa exerceatur: vt meditatio & contemplatio recollecta & attenta rerum externarum cor emolliat, & animum addat ad amplectenda & opere exequenda reliqua suæ Professionis media. Et similiter quemadmodum mortificatio interior proprij iudicij & voluntatis, & appetitus nostri propensionum præstantior est, & vtilior externa mortificatione, quæ corpus affligit, ieiunijs, & alijs corporalibus asperitatibus: ita Religio illa inter eas, quæ eumdem respiciũt finẽ, perfectior erit, cuius Regulæ magis promouent internã mortificationem, quæ omnibus potest esse communis, & ad omnia est vtilis: cesso tamen suo loco mortificationi externæ: quæ (vt idem Angelicus Doctor asserit) non est melior quò est maior, sed quò magis est fini institutis proportionata. Cùm enim illa non sit verè aliud, quàm instrumentum perfectionis: ratio ipsa ac discretio dictet, non plus de ea sumendum esse, quam ad principalem finem intentum sufficiat; ne, si plus sumatur, potiùs impedat; &, si minus, etiam non iuuet.

h *Cant. 4. 6*

3. Mentalis oratio efficacior vocali.

4.

Art. 6. ad 3.

5. QVINTVM signum perfectionis in Regulis est, cùm ita res præcipuas Religionis attingunt, vt locum relinquãt Obedientiæ Superiorum, qui sit lex viua & animata: si enim Regula omnia constitueret, & attingeret; vellentque omnes eodem modo deducere: debiles subirent onus grauius, quã ferre possent; robustiores verò leuius, quàm opus haberẽt. Sed superioris discretio potest vtrumque; disponere ad omnium vtilitatem: si illi Regulæ relinquant, quid cum illis agere debeat, attenta varia dispositione & constitutione Subditorum. Quamuis nec tot res, eiusdem iudicio sint relinquendæ, vt videantur nimium. nam cùm magna sit varietas iudiciorum ac sensuum in varijs Superioribus: esset quoq; in gubernatione ipsa, & moribus contra uniformitatem, quam ordo Religiosus exigit; & contra finem, in quem ipsæ leges & Regulæ conscribuntur.

6. DENIQVE illa perfectior est Religio, quæ plura media, & quidem ea præstantiora & aptiora complectitur, ad finem, in quem tendit: nam in hoc magis assimilatur Ecclesiæ Catholicæ, complectenti omnem multitudinem operũ studiosorũ; & in vnoquoq; quod summũ est & perfectissimũ. Quare Religio illa, quæ tanquam finem propriũ habet, animas iuuare, eò erit perfectior, quò plura amplectetur ministeria, quibus illæ proficiant: docendo

S. Tho. sup.

scilicet omne genus personarum varias facultates & scientias; concionando apud fideles; disputando contra infideles; confessiones audiendo, & sacramenta administrando; visitandò carceres, Xenodochia, & alios infirmos, iuuando eos, vt piè moriantur, & alia similia præstando. Cùm enim Religio sit corpus quoddam mysticum, varia habens membra, sicut corpus ipsum humanum: potest varia ministeria ita exercere, vt vnum non impediat alterum facit enim ea per varios suos Religiosos; tribuens vnicuique Regulas præclaras, ad benè fungendum suis officijs. Ex quo fiet, vt totum corpus sit valdè perfectum cuius partes adeò sunt perfectæ in ea perfectione, quam cuiusque officium requirit. Nec propterea, qui ad aliquam Religionem vocantur, etiam minùs perfectam; vocationem suam negligere debent: cùm enim D. N. omnibus Religionibus prospiciat de subiectis & personis; sciatq; quid vnicuiq; magis expediat: illa Religio cuique est eligenda, ad quam Dei vocatio deducit, vt apparebit ex ijs, quæ postea dicemus.

CAPVT IX.

MIRABILIS ET STVPENDVS MODVS *quo Deus D. N. erigit Religiones, tribuens Fundatoribus eminenter spiritum & perfectionem illam, quam in suis Regulis descripserunt; & hac ratione alios inuitans ad eosdem sequendos.*

QVEMADMODVM Christus D. N. ædificauit domum & ciuitatem Ecclesiæ suæ super duodecim fundamenta, siue preciosissimos lapides fundamentales, qui (vt ait S. Ioannes) a *sunt duodecim Apostoli*, inter quos alijs præluxit S. Petrus, tanquã caput & b *petra* præcipua fundamentalis, *super quam ipse Christus suam fundauit Ecclesiã*. Per quos oẽs in virtute c *summi lapidis angularis qui est* ipsemet *Christus*, creuit (vt ait Apostolus) corpus hoc mysticũ, & progressum est hoc ædificiũ Conuersione innumerabilium hominum, qui eius doctrinã susceperunt: ita etiam ipse Saluator: qui præcipuus est fundator & fundamentum omnium Religionum, cùm recens vult aliquam erigere, vt plurimùm eam ædificat supra paucos aliquos viros, magni spiritûs & excellentis sanctitatis: quorũ vnum aliquem eligit tanquã præcipuũ; & caput reliquorũ. Quemadmodũ fecit in Religione Carthusianorum, quã fundauit super S. Brunum, & sex eius socios; & Minorũ super S. Franciscum & alios duodecim; & societatem Iesv super Patrem nostrum S. Ignatium, & nouem eius socios. Cui præcipuo fundatori eminentiùs inprimit spiritum, sanctitatem, & perfectionem

a *Apo.* 21. 14
b *Mat.* 6. 18.
c *Eph.* 2. 20.

propriam

Quomodo Religio creſcat.

propriam Inſtituti, quod debet profiteri: ita vt eius vita ſit inſtitutum quodam viuum, viuaque Regula ad exemplar aliorum; cui etiam inſpirat, vt ſum Inſtitutum eiusque conſtitutiones, & Regulas conſcribat, & ſic alios inuitet, qui ipſum ſequantur, aut comitentur, ſequendo ipſum Chriſtum in eam formam viuendi. Et hac ratione creſcit Religio; adeoque altè aſcendit vt liceat de ea dicere, quod eſt ſcriptum de Eſther: d *parvus fons crevit in fluvium, & in lucem ſolemq́, conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit.* Et reuera fons adeò paruus erat, atque fuit Religio S. Franciſci, & S. Dominici, & Societatis IESV in ſuis initijs: hic tamen fonticulus breui tempore creuit in flumen plurimarum aquarum, rigans totum fermè orbem terrarum: nam in variis prouincijs, & ciuitatibus plurimi Conuentus ſunt conditi, cum ingenti numero Religioſorum Sanctorum ac Sapientum, qui exemplo & doctrina ſua paſtum & potum ſpiritualem præbent fidelibus; & tanquam ſol illos illuminant, & accendunt, & influentias communicant vitæ æternæ. Et paruulus fuit vnuſquiſque horum Sanctorum fundatorum, quia ipſi in ſuis oculis ſe paruulos iudicabant; & in illis initijs ab alijs contemnebantur. Sed poſtea Dominus tanta eos ſapientia & ſanctitate repleuit, vt ſinguli eorum fuerint, ſint, & futuri ſint fluuius, lux, & ſol totius ſuæ Religionis. Nam exemplari ſua vita, & admirandis conſtitutionibus ac Regulis, quas conſcripſit, (quod tamen totum copioſè à Domino noſtro acceperat) irrigat, illuminat, viuificat, feruoremq́ue ſuis Religioſis impertit, & ſuam Religionem creſcere, ac per varias orbis partes dilatari facit.

d *Eſth. 10. 6*

§. I.

1. a *Ezec. 29. & 3. 31.*

MODVM, quo Deus D. N. in his omnibus progreditur, explicare licet per ea, quæ Ezechiel Propheta de ſe ipſo refert: *vidi*, inquit, & *ecce manus miſſa ad me* è cœlo, *in qua erat involutus liber: & expandit illum coram me, & dixit ad me: fili hominis comede volumen iſtud, & vadens loquere ad domum Iſrael. Et dixit ad me: venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto quod ego do tibi. & comedi illud: & factū eſt in ore meo ſicut mel dulce. Et dixit ad me: fili hominis, vade ad domum Iſrael, & loqueris verba mea ad eos.* Hiſce modum poſſumus intelligere, fundatorem cuiuſq; Religionis eſſe hunc filium hominis, quem appellamus hoc nomine, vt hinc tanquam filius Adami imbecillitatem ſuam agnoſcat; inde verò celſitudinem ſuæ vocationis, ad imitandum ſcilicet verbum diuinum incarnatum, qui ſe ipſum, etiamſi ſit filius Dei, appellat tamen filium hominis. Manus, quæ venit è cœlo, eſt inſpiratio, & Illuſtratio ſpiritus Sancti, qui in manu ſua portat librū quendam, in quo ſunt Regulæ propriæ Inſtituti eius. Inſpirat autem, eiq; explicat virtutes omnes, Exercitia & miniſteria, quæ profiteri debet. Et voce efficaci

huiusmodi vocationis, ei dicit: fili hominis, accipe de manu mea volumen istud, & comede vsque ad saturitatem. & viscera tua, omnes scilicet potentiæ interiores, memoria, intellectus, voluntas, & appetitus impleantur veritatibus & virtutibus, quæ in illo continentur, cum omni plenitudine, quã exigit professio, ad quam tendis. Comede, & immitte in cor tuum modum hũc paupertatis & obedientiæ; & reliqua Exercitia, quæ tibi ostendo. Postquam autem totum comederis, tibique vt proprium & familiare reddideris: vade per prouincias & loca Ecclesiæ meæ, & prædica eas fidelibus, & communica ijs, quos ego elegero, vt me tecum sequantur. Inspirationi & vocationi huic paruerunt Sancti Patriarchæ, & fundatores; & quisque suum comedit librum, & eminenter exsequutus est, quæ sui erant Instituti, in Exemplum totius mundi: tribuentes sibi honori, quod suum Ducem & Magistrũ imitarentur, b *qui* prius *cœpit facere*, quàm *docere*: cuius amore volumen illud factum est in ore eorũ sicut mel dulce: maxima enim sua oblectatione modum hunc vitæ sunt amplexi, dicentes cum Dauide: c *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*: & eadem cum maxima mea iucunditate alijs prædico, vt audiendis & amplectendis delectentur. Cum hac illi animi voluptate librum conscripserunt suarum Constitutionum & Regularum, excipientes illa ex propria experientia & virtutibus, quas Deus in ipsorum cordibus scripsit. Quas cum scriptas haberẽt, libro illo inuitabãt habentes aptitudinem & propensionem ad ipsos sequendos, dicentes eis: filij hominis accipite volumen istud, & comedite; amplectimini hoc Institutum, & in illo pergite, d *imitatores mei estote, sicut ego* filium hominis IESVM Christum imitatus sum in hac vitæ ratione, quam ipse mihi inspirauit.

SED melius adhuc rem hanc declarabimus alia re simili, quæ euenit S. Ioanni Euangelistæ, cùm vidisset Angelum fortem descendentem de cœlo, & habentem in manu sua libellum apertum, e *Audiui*, inquit, *vocem de cœlo loquentem mecum, & dicentem: vade, & accipe librum apertum de manu Angeli. & abij ad Angelum dicens ei, vt daret mihi librum, & dixit mihi: accipe librum, & devora illum. & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquã mel: & dixit mihi oportet te, prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Referebat hic Angelus (vt ait Beda, & supra est insinuatum) Christũ Seruatorem nostrum, in cuius manu est liber Legis Euangelicæ, & perfectionis, quam profitetur quælibet Religio. Non enim solùm infinita sua Sapientia eam comprehendit; sed eminẽtissimè illam habet in sacratissima sua anima expressiam, cum potestate eam cui voluerit communicandi. Sed vox cœlestis, quæ est diuina vocatio, loquitur ad cor eius, quem Deus in Fundatorem Religionis elegit; eique dicit: vade ad hunc magni consilij Angelum, & pete ab eo perfectionis librum, quem in manu sua habet, supplex orans, vt

Verba Christi alloquentis Fũdatores Religionũ.

b *Act.* 1. 1.

c *Ps.* 118. 103

d 1. *Cor.* 11. 1

2.

e *Apo.* 10. 8

Cap. 5.

eum tibi det apertum: aperiens scilicet tibi, quidquid facto opus est, vt perfectus euadas in ea vitæ ratione, qua ipse vult obsequium suum & gloriam te promoueri. Et hic Dominus, qui nihil aliud cupit, respondet ei, ipso potiùs opere, quàm verbis: *accipe librum, & deuora illum*, & immitte intra te ipsum, vt statim incipias prophetare, & alios excitare ad hunc vitæ modum propheticum & cœlestem, communicando illum omnibus nationibus & personis, quæ acceptare voluerint. Sed attende, quòd, licet *in ore tuo futurum sit dulce, sicut mel; faciet* tamen *amaricari ventrem tuum*, cùm erit digerendum. Nam licèt dulce sit ac iucundum, DEI illustrationes recipere & veritatem virtutes supernaturales cognoscere, ac de eisdem coram hominibus loqui vt ad perfectionem sectandam permoueantur: omnium tamen horum executio magnas secum adfert amaritudines, eò quòd multę sint persequutiones ac tentationes Dæmonum, sæculariũ, & falsorum fratrum contra nos. Non tamen propterea abijciendus est animus, siquidem liber tibi ad hoc traditus, vt eum promulges ad gloriam Dei, & bonum Ecclesiæ eius. Hæc omnia experti sunt Sanctus Benedictus, & Sanctus Franciscus, & noster Pater Sanctus Ignatius, & alij Patriarchæ: qui in suarum Religionum fundationibus, & earum Regulis conscribendis, graues difficultates & labores sustinuerunt. Sed idem Dominus, qui illos vocauit, librumq; eis dedit, auxilio eis fuit ad eũ promulgandũ, & homines adducendos, qui illum reciperent, non obstantibus tot mũdi huius contradictionibus. quod ipsi fundatores duplici via præstiterunt: tũ vita sua exemplari, & quodammodo prodigiosa, quæ mundum rapiebat in admirationem, & ad imitationem quodammodo impellebat: tum efficacitate suarum rationum, concurrente ipso Domino nostro cum illorum verbis & rationibus, ad multorum hominum voluntates permouendas, & ad ipsos fundatores imitandos alliciendas.

Dulcia non sine amaris.

QVAPROPTER dicere licet, Angelum illum, quem S. Ioannes vidit habentem in manu sua librum, esse nuncium & legatum ipsius Christi, & imaginem quandam quasi ad viuum cuiusque Fundatoris Religionum: in cuius manu Christus D.N. librum suarum Regularum posuit, vt omnibus traderetur, quos ipsemet Dominus ad id vocaret & eligeret, per vocem illam cœlestem, diuinam scilicet inspirationem. Non enim aliud est vocatio ad Religiosum Statum, quàm vox quædam, quæ auditur in corde hominum, & illis dicens: vade ad Angelum, & pete ab eo librum, quem habet in manu sua: hoc est, vade ad Sanctum Franciscum, aut S. Dominicũ, aut S. Ignatium, & ad eos, qui eorum locum tenent in terra, & pete ab eis, admitti te in ipsorum Religionem, datique tibi librum Regularum & Constitutionum apertum, beneque explicatum, vt eo vorato, & ad cor tuum transmisso possis in anima tua exprimere virtutes in ea perfectione, quæ in eis com-

netur. Et quemadmodum Sanctus Ioannes statim paruit cœlesti voci, accessitque ad Angelum, & petijt librum, & accepit: ita qui vocantur efficaci Dei vocatione, audiunt diuinum eius impulsum, & statim accedunt vt admitti in Religionem procurent; neque à petendo desistunt, donec Regularum librum accipiant; & seriò se offerant ad eum vorandum, & in sua viscera transmittendum. Sed aduertant tamen, quòd initio, durante sensibili diuinæ vocationis feruore; dulce sit quasi mel acceptare & amplecti quidquid Institutum illud continet, ita vt videatur ipsis suauis valde, ac iucunda obedientia, amabilis paupertas, dulcis Castitas, & valdè grata ipsa subiectio, & sui ipsorum abnegatio, vt ita imitentur ipsum Seruatorem: at progressu temporis, cum manus operi admouetur, gustusque ille sensibilis deficit, qui, dum liber erat recens, feruebat; incipiunt aliquæ amaritudines sentiri, quæ interiora spiritus vexant ob resistentiam & rebellionem ipsius carnis. Qui autem strenuè & fortiter perseuerat, sentit crescere spiritus calorem & feruorem, & igne diuini amoris accendi, quo totus liber facilè digeritur, eiusque amaritudo conuertitur in dulcedinem, ita vt valde sit iucundus ac suauis per reliquum vitæ tempus.

§. 2.

QVID AVTEM mirum est tantam hominum multitudinem confluere ad quamcunq; Religionem recens fundatam, cum vox Dei mittatur per Angelum quendam adeo admirabilem, qualé ipse S. Ioannes nobis depingit, cum sex stupendis proprietatibus: ait enim a *eum amictum fuisse nube & Iridem habuisse in capite, faciem fuisse vt solem, pedes tanquam columnas ignis & vocem eius tanquam leonis rugientis, & in manu sua habuisse libellum apertum*. Quid autem hoc totum est aliud, quàm effigies quædam, valde apta status Religiosi, eiusq; Fundatoris, & cuiuscunque exemplaris viri eũ profitentis; qui in vita sua fit tanquam Angelus ob eiusmodi Professionis celsitudinem. Nubes enim, quà est amictus est ipsa puritas: quæ oritur ex renunciatione rerum omnium terrenarum. Quemadmodum enim nubes sunt vapores subtiles, è terra eleuati, & ab ea fugientes in altum ascendentes. Ita perfectus Religiosus mundum fugit; & res omnes, quas in terra possidebat, deserens, eleuat se super se, ad quærendas res cœlestes. Hæc igitur renunciatio est eius amictus, & ornatus; & eodem tegit spiritum suum, quamuis corpus appareat nudũ. Cœlestis Iris tricolor, quam in capite habet, refert perfectam reconciliationẽ & amicitiã cũ Deo, ortã ex tribus votis Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ; quẽadmodũ enim b *Arcus ille fuit signũ* pacis & *fœderis*, quod Dominus iniit cũ Noë, quod *nõ essent futuræ vltra aquæ diluuii ad delendum vniuersã carnem*: ita tria vota, signa sunt perfectæ amicitiæ & fœderis, quod init Dominus noster cum Religioso, & pignus, quòd non mergetur diluuio peccato-

3.

a *Apo.* 10. 1.

1.

2. Iris quid denotet.

b *Gen.* 9. 13.

c Ps.102.4. rum,& calamitatum,quibus mundus inundat,sed c *coronabitur* (vt ait Dauid) *in misericordia & miserationibus.* modò ipse edicta vota, integrè seruet, colloc cans ea super caput suum tanquam rem maximè charam, & quam plurimi facia ciat,quàm cætera omnia,quæ sunt in terra.

3. FACIES sicut Sol,significat splendorem sanctitatis, & feruorem in omnibus virtutibus,speciatim in eis,quæ ad contemplatiuam vitam pertinent agendo familiariter cum Deo D.N. in oratione & contemplatione: hinc enim prouenit lumen diuinarum illustrationum,quæ spiritum transformat in similitudinem diuinã. Nam quemadmodum Christus D. N. d *dum oraret transfiguratus est, & resplenduit facies eius sicut Sol*: ita Religiosi,oratione,quam profitentur, obtinent felicem transfigurationem,splendentes sicut ipse heroicis vitæ suæ exemplis.

d Luc.9.29. Mat.17.2.

4. HINC prouenit,vt pedes sint sicut columnæ ignis: nam gressus quibus pergũt in Exercitijs vitæ actiuæ,& in operibus misericordiæ corporalibus & spiritualibus,sunt gressus fortes, constantes, & amore Dei, zeloq; reparandi proximorum necessitates,iuxta sua Instituta accensi: nec deficientes in huiusmodi operibus propter labores ac defatigationes, quæ in eis tolerantur. Et quemadmodum idem Angelus *pedem suum dextrum habebat super mare, sinistrum autem super terram*, vt ostenderet, se omnia complecti: ita charismata perfectorum Religiosorum, præcipuè eorũ, qui vitam mixtam profitentur,complectitur omnes homines, cupiens omnibus benefacere, & igne diuini amoris inflammare pergentes per vniuersam terram, & nauigantes per omnia maria,vt hunc ignem proijciant in omnes peccatores; subuenientes maiori cura & feruore,maximè indigentibus ac desertis: ac propterea dextrum pedẽ ponunt super mare,quod significat peccatores magis turbatos & inquietos,qui instar furiosi maris feruent in suis passionibus & improbitatibus,cuiusmodi sunt hæretici & gentiles: ad quorum conuersionem magna velocitate ita accurrunt: vt non negligant ponere sinistram pedem super terram;attendentes etiam adiuuandis reliquis fidelibus in solida ecclesiæ existentibus hoc est fundatis & innitentibus veræ fidei; sed indigentibus etiam subsidio,vt charitatis igne inflammentur.

5. AC propterea vox Angeli illius est tanquam *rugitus leonis*: nam interni sensu,quo afficiuntur propter Deum offensum, & iacturam animarum, prædicant magna vi & ingenti fortitudine incutientes hominibus timorẽ, proposita minis iræ Dei, Mortis, Iudicij,& Inferni: vt peccata deserentes, recurrant se ad misericordiam diuinam, vt eorum impetrent veniam: ad quam inuitat,& allicit eos signis arcus illius,siue Iridis,quam ipsi gestant super caput suum,constituentes se ipsos sæpè tanquam exemplum, quemadmodum faciebat S. Apostolus.

Tim.1.13.

DENIQVE habent illi in manu sua *librum* continentem ea, quæ alijs proponunt, manifestant enim omnibus hominibus librum Euangelicæ legis, ita tamen vt ipsi primi manum operi admouerint, vt nõ solũ verbo, sed exemplo etiam illos permouẽant: tunc enim vox erit tanquam rugitus leonis, fortis, & vtilis: quando simul liber legis ita est in manu, vt qui loquitur, etiã operetur; & qui prædicat, etiam exequatur. Sed habent etiam in manu propium sui Instituti librum, prædicantes illum omnibus aptis ad ipsos sequendos, vocantes & inuitantes eos, vt illum acceptent & amplectantur. 6.

QVIS igitur mirum, si multi audiant & sequantur hanc vocationem; quæ non hominis est, sed Angeli nomine Dei loquentis? quis nõ admiretur, permoueatur, & afficiatur ex amictu illo nubis ex corona, pulcherrimi illius arcus cœlestis, & splendore faciei tanquam Solis ex fortitudine pedum tanquam columnarum ignis? quem non terreat & pauere faciat vox, tanquam rugitus leonis? quem non alliciat manus tali libro exornata? & quomodo talia exempla cum verbis huiusmodi non sufficient ad commutanda corda? conijciamus oculos in historias præcipuarum Religionum Ecclesiæ, & inueniemus, eas hac via excreuisse, adferentes ingentem stuporem excellentiã, & præstantiã vitæ ac doctrinæ suæ, vt postea videbimus.

CAPVT X.

ADMIRANDVM CENTVPLI PRÆMIVM *Religioso Statui, ad eius conseruationem & augmentum, annexum: & quanta bona illud complectatur.*

QVM DEO D. N. nota sit hominum natura & propensio, qua valdè mouetur & allicitur ad laborem, ob mercedem & spem ingentis præmij: non satis habuit, quòd Religionis domum, varioq; eius ordines fundauerit cum ea amplitudine & splendore, quem diximus: Sed cupiens eius conseruationem & augmentum, & plurimos esse, qui afficerentur ad habitandum in ea, & viuendum absq; periculo ab ea recedendi: in vtrumq; hunc finem fecit in suo Euangelio insignem quandam promissionem ijs omnibus, qui propter ipsum renunciarent omnibus quæ haberent, ipsumq; in Perfectione sequerentur, quemadmodum Apostoli fecerant. Ac propterea admirabili sua prouidentia sciens, renunciationem omnium personarum & rerum huius mundi, & oblationem, perpetuamq; votorum ac legum Religiosarum obseruantiam, esse verè crucem, iugum, & onus ex se valdè graue; imò additamentum grauis oneris super crucem communem vitæ Christianæ: voluit aliquid pro-

Promissio Dei facta relinquentibus omnia propter eum,

mittere, quod quasi in promptu datum, iugum ipsum multum alleuiare in omnibus statibus verum esset, quod aliàs dixerat, a *tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Promissionem illam ita referunt tres Euangelistæ: b *amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam.* Hæc promissio est suauissima, & iucundissima tuba, quâ Christus Dominus homines vocat ad Religionem: cuius exsequutione pacatos & contentos retinet omnes in ea habitantes. Propter hanc promissionem (ait S. Bernardus) Ecclesiam clamare ad immortalem suum sponsum, ac dicere: c *propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Hæc, inquam, verba sunt, quæ persuadent hominibus contemptum huius mundi, & paupertatem voluntariam. Hæc implent claustra Religiosis, deserta Monachis, & Anachoretis; hæc Ægyptum spoliant, & pretiosissima quæque monilia eius auferunt. Hoc est verbum viuum & efficax, quod conuertit animas, & ad felicem veræ sanctitatis æmulationem prouocat: quia innititur fideli promissioni tanti præmij. Quam promissionem infallibiliter implebit, qui eam promisit: quia est infinitè verax, & potens: ideoque citiùs cœlum & terra transibunt, quam vel iota vnum, aut vnus apex desit eius promissioni. In qua duplex expressè promittit præmium: alterum futurum in æterna vita; alterum præsens, quod vocat centuplum, siue pro vno centum. Cum enim benè nouerit, plurimùm nos ad laborem excitari spe præmij præsentis: non satis esse existimauit, quod promitteret nobis in vita futura præmia, nisi etiam promitteret huius vitæ. Anima enim nostra duplicem habet statum: alterum in corpore mortali, & passibili; alterum post mortem, quia ipsa est æterna. In primo arat, & seminat, laborat, pugnat, vincit; altero colligit omnem suorum laborum fructum, & coronam recipit pro nam suarum victoriarum. Sed ne spiritus & corpus in laboribus præsentibus deficeret: opus erat, aliquos etiam fructus præsentes colligere. Et cum hic sæpius consequantur victorias: par erat, etiam hic aliquas recipere coronas & præmia, quibus animarentur ad progrediendum feliciter in istis pugnis. quamobrem in templo, quod vidit Ezechiel, depicti erant in monte d *Cherubini habentes duas facies, faciem scilicet hominis, & faciem leonis; & palmam vnam iuxta faciem hominis, & palmam alteram iuxta faciem leonis,* vt intelligeremus: tam spiritum quàm corpus recepturum duas palmas, vnam in aeterna vita, significatâ per manum dexteram; alteram in hac, significatam per sinistram. Nam (vt Salomon dixit) e *Sapientia diuina,* vt nos ad ipsam sequendam inuitaret; *habet in sinistra diuitias & gloriã,* quas nobis distribuat; in dex-

a Matt. 11. 29

b Ma. 19. 29 Mar. 10. 29 Luc. 18. 29 Tuba Christi.

In Declam. super hæc verba.

c Psal. 16. 4.

d Ezech. 41. 19.

e Prou. 3. 16.

cæna verò habet *longitudinem dierum* non solùm temporalium, sed æterno rum. Quemadmodum Apostolus expressit, dicens suo discipulo Thimotheo: *exercete ipsum ad pietatem, quæ ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*, dans vnicuique id, quo opus habet ad suam felicitatem. Quemadmodum enim Reges & magni Principes, præter magnum stipendium, quod suis Aulicis dant in fine anni; dant quoque ordinariam quotidie portionem, quâ vitam sustentent; quæ iuxta famuli qualitatem aut officij dignitatem, & amplitudinem Domini, cui ille seruit, augetur, nam & merces & ordinaria sustentatio apud Reges esse solent valdè splendida: ita etiam Rex cœlestis Religiosis, qui tanquam fideles serui, res omnes suas deseruerunt, vt expeditiùs illi seruirent, dat ingens stipendium in fine vitæ, hoc est, regnum æternum: pro ordinaria autem & quotidiana sustentatione tantam largitur donorum abundantiam, vt centuplo sit maior, quàm quod ipsi pro eius seruitio præstant.

1 Tim. 4. 8.

Regis terreni cũ cœlesti comparatio.

§. 1. *Centuplum illud complectitur omnium bonorum plenitudinem.*

VT Hvivs præmij magnitudo meliùs intelligatur, supponendum est, Deum D. N. cùm adeò sit diues, honori sibi tribuere, quòd seruos suos omni bonorum genere locupletet: quorum quædam sunt stabilia, alia mobilia; quædam, quæ dicuntur iuris perpetui, alia iuris tantùm ad vitam. Gratia & charitas cum reliquis virtutibus; & Spiritus sancti dona, eorumque augmenta & merita censentur bona stabilia, iurisque perpetui: eo enim desiderio ea tribuit Dominus, vt verè radices mittant in ipsam animam, in qua perpetuò durent, vsque ad ipsum cœlum, vbi erunt æterna cum excessu incomparabili. Deuotio autem sensibilis, lachrymarum teneritas, alijque dulces affectus, fauores, & gratiæ gratis datæ sunt instar bonorum mobilium, quæ tribuit Dominus, & aufert, quando ipsi placet, in maius Electorum suorum commodum. Bona etiam corporis sunt mobilia, multisque mutationibus subiecta: ac propterea censentur iura per vitam, quia cum ea finiuntur: quamuis ad eam cũ solatio conseruandam, sint necessaria. Ex omnibus his bonorum generibus componitur illud centuplum Religiosis promissum. Numerus enim centenarius, (qui est numerus perfectionis) significat (vt ait S. Augustinus) coniunctionem quandam omnium bonorum, quæ cor humanum desiderare potest, vt felix sit ac beatum, eo modo, quo hic esse potest. Et quoniam hæc bona sunt multa: possemus ea facilioris memoriæ causa ad septem præclarissima illa reducere, quæ Christus D. N. iussit nos petere in precatione Dominica,

Epist. 89. q. 4

Matt. 6. 9.

Primvm bonum est Sanctitas vitæ in ea Excellentia, vt per eam Dei nomen sanctificetur, cognoscatur, laudetur, & honoretur inter homi-

nes.

nes. *Secundum* est REGNVM DEI, quo regnat solus in nostris animabus Iustitia, pace, & gaudio in Spiritu S. & cum pignore, & spe Regnum ... num obtinendi, & quod simus ex felici numero prædestinatorum. *Tertium* est Perfecta VOLVNTATIS nostræ cum diuina CONFORMITAS, in omnibus quæ ipse constituit: eam exequentes in terra cum illa promptitudine & ... critate, qua impletur in cœlo. *Quartum* est PANIS, & quotidianum ... alimentum cum spirituali refectione, quem conferunt Sacramenta, Exercitia Orationis ac deuotionis, & consolationes diuinæ; & PANIS etiam ... narius ad corporis alimentũ in eo gradu, qui ad animæ bonũ expedit. *Quintũ* est Plenaria REMISSIO præcedentiũ peccatorũ, & facilitas in impetranda venia præsentium. *Sextum* est Victoria TENTATIONVM Dæmonis, Mundi & Carnis cum copiosis auxilijs ad triumphum de his hostibus reportandum. *Septimum* est PRÆSERVATIO malorum temporalium, quæ suffocant spiritum; & æternorum alterius vitæ cum certa spe, quòd non simus futuri ... infelici numero damnatorum. His septem præmijs satis benè completur illud centuplum; & perfectus Religiosus satis benè remuneratur.

In Mat. 19. Ex quo ante omnia deducitur, hoc præmium Centupli non fieri ... puè in bonis temporalibus, sed in spiritualibus: quæ (teste S. Hieronymo) ... tantum illa excedunt, quantum numerus centenarius excedit vnitatem. ... enim Deus honorem suum reputat, quod filios suos vili adeò præmio ... muneret, qualia sunt bona terrena; nec huiusmodi solutio aptè respondet ... occasioni & fini ipsius promissionis. Si enim Christus D. N. optabat, ... discipulos deserere omnia bona terrena, eò quòd illa magno essent impedimento sibi seruiendi cum perfectione, quid aliud fuisset dare illis Centuplum, plùs quàm relinquebant, nisi addere Centuplum plus impedimentum, quàm antea haberent? non deserunt Sancti (ait S. Gregorius) res terrenas, vt easdem in hoc mundo recipiant multiplicatas. Qui enim terram deserit cum desiderio terreno; non eam deserere, sed quærere censendum est. *Hom. 18 in Ezechiel.* Nihilominus tamen Saluator noster in hoc ipso suam liberalitatem erga Religiosos ostendit: reddẽs illis pro aliquibus rebus: quas deseruerunt centuplum in eodẽ genere; ea tamen ratione, vt id ipsis, nõ nocere, sed prodesse possit. *Collat. vlti Cap. vltimo* quemadmodũ pulchrè Cassianus perpendit, dicẽs: Religiosũ, p vna domum aut agro, quẽ deserit, plus quã centũ recipere; oẽs siquidẽ domus, & agri totius illius Religionis sunt ipsius; nõ quo ad Dominiũ, nã quod illud habeat exiguũ ei cõmodum adferret; posset q; plurimũ nocere; sed quo ad vsum & reparãdas eius necessitates. Quod si Religio nõ habeat annuos Reditus, habebit certè eleemosynas, q̃ nõ minoris fiũt, quã si agros haberet, vt sic reddat ei Dñs centuplũ, quã reliquerit. Impletur. n. in Religioso, q; dixit Apostolus *a 2. Cor. 6. 10* *nihil habẽtes & omnia possidẽtes*; & illud Sap. *Prou. 13. iuxta Lxx.* *viro fideli tot⁹ mũdus sũt eius diuitiæ.*

E

Et eodem modo, qui relinquit Patrem, aut tres fratres in sæculo, inuenit in Religione multa hominum centenaria, qui exhibēt ipsi officium Parentū, aut fratrum, multò exactius & perfectius, quam carnales, quos reliquerat. Quod apertè significauit Saluator cùm, dicens, discipulos suos accepturos centies tantum, nunc in hoc tempore, adiecit: b *domus, & fratres. & sorores, & matres, & filios, & agros.* b Mar. 10. 30.

Qvod si liceat (ait Cassianus) aliquid addere ijs; quæ dixit Saluator: etiam pro vno amico accipiunt Religiosi centum; & pro vno famulo etiam centum: omnes enim amici, & famuli Religionis, sunt ipsius. Immò quod pluris apud homines fit, pro paruo aliquo honore, quem reliquerunt in mundo, recipiunt centies maiorem, etiam non quærentes illum; & qui in mundo erant inferioris conditionis, eò ascendunt, vt ab ipsis Principibus in honore habeantur: nam & illos consulunt, & suspiciunt, ac reuerentur tanquam Angelos aut sicut ipsum Christum. Quemadmodum S. Basil perpendit, & post eum S. Ambr. qui id confirmat exemplo Moysis, qui potuit esse Rex Ægypti, & alter Pharao in eius regno: c *maiores tamen* (vt ait Apostolus) *diuitias æstimans thesauros Ægyptiorum, improperium Christi*, & contemnens terrenam potentiam, euasit multò potentior: factus non solùm Rex, sed etiam d *Deus Pharaonis*, quem Pharao timeret ac reuereretur. qua ratione Deus illi maiorem attulit honorem, quàm si domi suæ mansisset. Hæc pars est mercedis, & præmij, quam Christus D. N. dat seruis suis tanquam quid adiectitium: vt deponentes Religiosi huiusmodi rerum temporalium solicitudinem, omnem suam curam ponant in quærendis æternis. *Prologo in Ascetico serm. 8. in Psal. 118.* c Heb. 11. 26 d Exod. 7. 1. Moyses Deus Pharaonis.

§. 2. *Promissum centuplum esse Regnum Dei cum Iustitia, Pace & Gaudio in Spiritu Sancto.*

Cvm Centvplvm illud promissum sit in bonis spiritualibus cum ea plenitudine, quæ decet magnificum adeò largitorem, & pro obsequijs adeò insignibus, quæ præstant Religiosi: quid aliud illud erit, nisi a *Regnum Dei*, de quo S. Apostolus dixit, quod sit *Iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*? in cuius possessione beatitudo consistit huius vitæ. Nam liberalissimus Deus D. N. qui est ipsamet beatitudo per essentiam, eam promittit suis electis in vtroque sæculo: in futuro quidem in tota sua plenitudine, firmitate, & magnitudine; in præsenti autem tradit eius aliquam partem, quasi principium futuræ: cuius fiunt participes cum maiori excellentia, qui propter ipsum Deum rebus omnibus renunciant. Illis enim competit prima octo beatitudinum: b *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Non dixit: Erit, sed Est vt intelligant, quod qui se propter Christum pauperes faciunt, statim incipiant regnum a Rom. 14. 17 b Matt. 5. 3.

illud possidere, sibique persuadeant: cùm renuntiant rebus omnibus, se
amittere illas, sed commutare pro eo Regno, quod valet centies, imò cen-
ties millies plus; quàm illæ valebant: neque hanc commutationem fieri
solùm pro Regno obtinendo in altera vita; sed pro eo, quo statim incipiunt
frui cum perfecta sanctitate & iustitia, cum immensa pace, & gaudio Spi-
Homil. 19. in Ezech. ritus Sancti quod illam comitatur. Sanctitas perfecta (vt Sanctus Gre-
c *Matt. 13. 8* gorius ait) est prima pars huius centupli: sementis enim verbi Dei, quæ
in aliquibus c *fructum profert trigesimum, aut sexagesimum*: in insignioribus
sanctis & iustis profert *fructum centuplum*. Et hos, ait Theophylactus, esse
Religiosos, viuentes cum perfectione, quam status illorum exigit, sed pa-
Collat. 24. cap. vltim. & lætitia spiritualis (vt ait Cassianus & alij SS Patres) est proprium munus
& pecunia, in qua fit ista solutio: reddente Domino nostro centum pro
no, hoc est tantam gaudij abundantiam ob reiectas res omnes, vt excessu
centies gaudium, quod ex earundem possessione habuissemus, est enim
gaudium Spiritus sancti, in quo eminenter continentur gaudia & solatia
d *Apoc. 2. 17* rerum omnium. Quapropter iure optimo (vt ait Richardus de S. Victore)
assimilatur d *manna abscondito*, quod promittitur vincenti: quemadmodum
e *Sap. 19. 20* enim e *manna*, etiamsi vnicus esset cibus, *omne* tamen *delectamentum, & omnis saporis suauitatem in se habebat* iuxta palatum & voluntatem iustorum
qui illo vescebantur; ita vt non habentes panem, gustantes tamen ipsum
manna, saporem percipiebant panis; nec habentes carnes, nec pisces, aut
fructus alios: omnium tamen horum saporem, sumpto manna percipie-
bant. Deus enim eum ibi absconderat cum maiori dulcedine, & suauitate
quàm in ipsismet rebus. Ita etiam Euangelica perfectio secum adfert spi-
ritualem quandam lætitiam, complectentem in se lætitiam & suauitatem
bonorum temporalium, cum excessu inenarrabili: ita vt non habentes di-
uitias, idem tamen gaudium sentiamus, atque si illas possideremus; & re-
iectis honoribus ac dignitatibus sæculi, non careamus lætitia, quam in eis
habere potuissemus; & non habentes sensuales carnis voluptates, fruimur
voluptatibus spiritus, quæ ipsammet carnem etiam afficiunt. Idque totum
De Instituto Monastico cap. 7. cum tanto excessu, vt (quemadmodum ait Sanctus Basilius) centies simul
lætiores & hilariores cum nostra paupertate, quàm diuites cum suis diui-
tijs, & magis quieti ac pacati cum nostra vilitate, & abiectione, quàm sint
magni & excelsi cum sua amplitudine; & magis iucundi cum nostra Calli-
tate, quàm sint coniugati cum sua sensualitate; & magis contenti cum pau-
pere mensa, & amictu refecto, & cum ipsismet corporis doloribus, quàm
splendidi in sæculo manentes cum abundantia ac delitijs suorum ciborum
ac vestium. Et vt hac de re securi essemus, adiecit CHRISTVS Dominus
noster, apud Sanctum Marcum; se daturum illud centuplum f cum persecu-

tionibus.

rionibus, hoc est, in ipsis persequutionibus: in quibus tanto nos esset affecturus gaudio, vt id ipsum, quod horret caro, sit pars quædam illius centupli, quod nunc & in tempore hoc promittitur spiritui. Quam ob rem dixit Dauid: g *meliorem esse diem vnam in atriis Dei, super* decem *millia* extra illum. Quod si dies vna valet pro millibus: qui mundum deserit pro domino Deo, non solùm centum, sed mille pro vno accipiet, nec amittit (ait Sanctus Bernardus) bona, quæ deseruit, sed illa transfert ex carne ad spiritum; & commutat vnum pro centum, & centum pro multis millibus.

f *Mat.* 10. 39

g *Psal.* 83. 11.

Ad Fratres de Monte Dei.

Sed ampliorem excellentiam deprehendemus in hoc præmio, si respiciamus infinitam liberalitatem Regis, cuius est supremum hoc Regnum. Liceat mihi, ô Rex æterne, aliquid interrogare circa hanc rem. Quid tibi factum? Si renuntianti ex amore tui parentibus, fratribus, & alijs suis facultatibus centuplum tribuis: quantum daturus es deserenti seipsum: cùm hoc sit summum, quod potest deserere? si tantum offers deserenti externa, quid offeres deserenti propriam voluntatem, & omnes affectus, & propensiones internas? nam si graue est & molestum possessiones suas deserere: multò grauius est. deserere seipsum, cùm sit eadem Dominus; & si aliquid esse censetur, quod quis abneget quod habet; multò grauius erit abnegare quod est. Cùm igitur pauca relinquenti centuplum reddas, quid facies multa deserenti, sine quibus illa pauca parui facis, aut contemnis? Videor mihi audire diuinum responsum, dicens: h *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, & iuxta ea, quæ reliqueris, erit centuplum quod recipies. Nam cum parcis sum parcus; cum liberalibus liberalis; & cum profusis profusus: quod si mei amore teipsum deseruerit: ego meipsum tibi dabo; ego ipse ero centuplum, quod reddam pro ijs quæ reliquisti. Si deseruerit quidquid es, & quidquid habes, nihil quod tuum sit, tibi retinendo: ego tibi dabo quod sum, & quod habeo: ita vt nulla sit res mea, quatu non fruaris: omnia enim mea, erunt tua. Si ex corde reliqueris patrem tuum: ego ero pater tuus; si reliqueris agros & hæreditatem tuam, ego ero hæreditas tua; si reliqueris nuptias carnales: ego ero animæ tuæ sponsus; si fratres tuos & amicos deserueris: ego frater tuus, & amicus tuus ero; si tuam voluntatem, libertatem, & quod à creaturis sperare potes, deserueris: in me solo ista omnia cum excessu infinito inuenies. Ego denique sum Rex omnipotens huius Regni, quod est Iustitia, Pax, & Gaudium in Spiritu Sancto; dabo tibi Iustitiam, augens illam semper, donec ad debitam sibi perfectionem perueniat; dabo tibi *pacem, quæ exuperat omnem sensum*. & pugnabo pro te, vt

S. Greg. Homil. 38. in Euang.

h *Mat.* 7. 2.

eam non amittas: i *ego ante te ibo, & glorioſos terræ* hoſtes tuos *humiliabo*, j *Phil.* 4. 7. *Iſaiæ.* 45. 2. aperiam tibi theſauros cœleſtes, vt ex nunc delibare incipias bona, quæ tibi præparaui; dabo tibi gaudium ſpiritûs, & manna abſconditum: erit fiet, vt tædium tibi adferat, quidquid eſt in terra; & ego ipſe ero tuum gaudium, tuaque lætitia; & in me ſolo inuenies, quidquid ad ſolatium tuum & ſaturitatem optare potes. Hoc (ait Sanctus Ambroſius) eſt eminenter centuplum, quod promittitur, omnia, quæ poſſidebat, relinquenti: in quorum loco DEVS ipſe fit eius hæréditas & poſſeſſio. Quemadmodum enim DEVS præcepit filijs Aaron, & tribui Leui, dicens: k *in terra filiorum Iſrael nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael*: ita etiam Religioſi relinquentes omnia quæ poſſidebant in terra, accipiunt in poſſeſſionem & hæreditatem IESVM CHRISTVM ipſum, cuius amore illa reliquerunt; & ipſe recipit in ſe, quod velit curam eorum gerere, eosque tanquam rem ſuam protegere: dicitque illis ſicut Abrahamo: l *noli timere ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* ne doleas, quod terram tuam, cognationem, & domum Patris tui reliqueris, vt ad Religionis terram, quam tibi oſtendam, peruenires: nam ego te ſub protectione mea accipio, & ipſemet merces tua ero. Et quemadmodum ego ſum infinitè magnus, ita ero tibi merces magna nimis: m *quia neque oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus* in hac vita & futura *qui diligunt illum*, & ſeruiunt perfectè. O largitas immenſa, ô magnificentia infinita! fateor Domine, te ſeruis tuis largiri non ſolùm centum pro vno, ſed infinita centenaria: ſiquidem das te ipſum illis, in quo omnia magnalia cum infinitis exceſſibus ſunt collecta. O felices Religioſi, qui talem commutationem facere didiciſtis, commutantes, quod terrenum eſt pro cœleſti, quod eſt temporale pro æterno, finitum pro infinito; & creaturas pro creatore: qui erit vobis *omnia in omnibus*, ſi ſeriò ei ſeruieritis, illa omnia contemnendo.

k *Num.* 18. 20. Ieſus hæreditas Religioſorum.

l *Gen.* 15. 1.

m 1. *Cor.* 2. 9

In lib. de viris illuſt. Ord. Ciſterc. In magno ſpec. exemp. verbo Conuerſio Exempl. 12.

IN huius veritatis confirmationem liceret tot teſtes adducere, quot ſunt Religioſi Deo cum feruore ſpiritûs ſeruientes, & familiaritatem cum eo habentes in oratione, in qua (teſte S. Ioanne Climacho) in promptu habent centuplum, cum tam copioſis ſpiritualis gaudij inundationibus, vt in medijs ſuis tribulationibus & calamitatibus exiſtiment ſibi plenè iuxta hanc promiſſionem ſatisfactum. De quodam valde illuſtri viro, nomine Arnulpho, quem S. Bernardus conuertit, ſcribitur: quod cum graui quodam colicæ morbo premeretur adeò, vt extra ſe cõſtitueretur; ad ſe poſtea reuerſus experit ſubitò magno clamore dicere, vera ſũt omnia quæ dixiſti, ô bone Iesu: & cùm ſæpè eadem verba repeteret, interrogantibus Monachis, cur tale

verba

verba proferret, respondit: quoniam Dominus in sacro Euangelio dixit: quicunque pro eius amore renunciauerit omnibus cognatorum suorum affectibus; recipiet centuplum in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro. Ita enim ego experior nuncin me ipso; & fateor me nunc centuplũ ipsum in hac vita recipere. Ingens enim hic dolor, quo crucior, adeò mihi est dulcis, ob spem firmam mihi datam salutis meæ, vt nollem eam pro centuplo eorum, quæ in hoc mundo reliqui, commutare. Quod si ego tantus peccator tanto in meis calamitatibus afficior solatio: quantum accipiẽt viri perfecti, etiam tempore suæ lætitiæ? nam verè spirituale gaudium, quo afficior, centies millies superat mundanum gaudium, quo in mundo afficiebar. Hoc sanctus ille vir motus à Spiritu sancto, qui tantam ei lætitiam largiebatur. Et in hoc ipso die non desunt multi, qui seorsim sibi ipsis dicant, & fateantur hoc ipsum, ob gaudij plenitudinem, qua afficiuntur in possessione solius Dei, dicentes illud Dauidis: n *quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum? Deus cordis mei, & pars mea in æternum.* Quasi dicant: in te ipso solo habeo quidquid desidero: extra te igitur nihil volo. Quod si ignaui hoc ipsum in se non experiuntur; sibi ipsis, suæque ignauiæ in explendis suis votis, & Regulis seruandis id tribuant: quòd si id sentire cupiunt, incipiant cum nouo feruore iuxta suam vocationẽ viuere: promissa siquidem neminem excludit, & omnibus dicit Dauid: o *gustate & videte quoniam suauis est Dominus: Beatus vir qui sperat in eo*: cui sit gloria in æternum.

n Psa. 72. 25

o Psal. 33. 5.

CAPVT XI.

Ingvndos Fructvs Ex Vnione Religiosorvm, *& participationem bonorum operum eorum, partem esse prædicti illius centupli.*

NEcdvm Est finis recensendi multitudinem & magnitudinem bonorum, quæ complectitur centuplum à Christo D.N. Religiosis promissum. Voluit enim ipse, Regiam planè suam magnificentiam manifestare, ostendens clarissimis suis donis magnum suum erga illos studium, cuius typum habemus mirificè expressum in libro Canticorum, iucunda quadam similitudine: quæ talis est: a *Vinea fuit pacifico* Salomoni, *in ea* ciuitate *quæ habet populos* multos hoc est, in Ieruſa-

Typus Religiosorũ. a Cãt. 8. 11.

lem : *tradidit eam custodibus* & agricolis , qui eam colerent & custodirent. *vir* quilibet *affert pro fructu eius mille argenteos*. Sed nihilominus *vinea mea coram me est*, cuius curam ego gero, *mille tui sint pacifici, & ducenti hi, qui custodiunt fructus eius*. Vinea hæc est Ecclesia Catholica, ex ea præcipue parte *Ibidem.* (vt ait S. Gregorius) qua profitetur perfectionem Euangelicam & Religionem, sicut primi Christiani profitebantur; ideoq; dicere licet, intra eius tem Ierusalem, quæ est Ecclesia vniuersalis, & multos populos sine nationes, & hominum status complectitur, habere Regem pacificum Christum D. N. electam vineam suæ Religionis, cum regulis, votis, ac reliquis mediis quæ dirigunt ad obtinendam perfectionem Euangelicam. Hanc vineam tradit ipse Religiosis, quos vocationæ speciali vocat, vt eam colant, & custodient; vt sic perueniant ad perfectionem; & eorum Prælatis, quibus committit eius custodiam, & attentam curam. Quamuis non propterea ipse curam suam deponat: semper enim hæc vinea est in conspectu eius, qui ob amorem , quo eam prosequitur, valde oblectatur in eius custodia & cultura. Omnes hi conductores reddunt pro vinea & fructibus eius mille argenteos, quibus intelligit S. Greg. renuntiationem omnium rerum pretiosarum, quas in mundo possidebant, significatas per numerum millenarium *Ibidem.* & ipsum argentum : quas omnes tradunt pacifico Regi Christo Domino in eius pauperibus: exuunt se enim illis, vt cum maiori perfectione, & absque aliquo impedimento, melius ipsi possint seruire. Ac propterea mille argentei dicuntur pacifici; quod in eis abijciendis; & Christo ipsi tradendis pax & quies nostra consistat; & per eosdem obtineamus pacem, & amicitiam cum sanctis, qui nos recipient in æterna sua tabernacula. Sed superemus noster Rex tradit ducentos custodibus fructuum vineæ, dans eis premia duplicata, quæ pluris fiunt, quàm ducenta millia. Quid (ait S. Gregorius) per ducentos intelligimus, nisi duplicem retributionem; quam acquirimus, dum in hoc mundo perfectè pro Christo omnia terrena contemnimus; nam vnum centenarium nobis tradit in spiritualibus huius vitæ bonis: alterum verò multò glorioſius in bonis æternæ gloriæ. ita tamen vt constanter custodiamus fructus huius vineæ, opera scilicet propriæ vitæ religiosæ.

§. I.

INTER HOS fructus, qui etiam computantur tanquam pars centupli valde excellentia, & stupenda sunt bona, quibus Religiosi fruuntur, ob mutuam , quam colunt inter se vnionem, tanquam partes cuiusdam corporis mystici, ad imitationem corporis naturalis: cuius membra, eò quòd sint inter se vnita & coniuncta , omnia attendunt ad bonum cuiusque, & singula accipiunt aliquid boni ab omnibus; & tunc etiam bonum, quod

ab eis accipit, est centies maius, quàm deserat. Quod si quæras: quodnam hoc bonum sit? dico esse omne genus boni, quod Philosophi honestum, vtile, ac delectabile appellant, adiuuante Domino nostro, vt bonum illud, magnum habeat augmentum & perfectionem. Quemadmodum enim in ipso cœlo multitudo & varietas præmiorum, quæ sunt in beatis, auget præmium, & gloriam accidentalem omnium: quia vnusquisque valde gaudet ac delectatur ex bono omnium, quasi esset proprium; & possidet in altero, quod non habet in seipso, eò quod vnio charitatis omnes faciat, quasi vnum: ita (ait Sanctus Basilius) in Religione, vbi vnio charitatis valde floret: numerus Religiosorum, & varietas gratiarum, donorum, & talentorum, quæ in illis sunt, auget gaudium, & vtilitatem omnium: nam cum quisque fruitur proprio bono, & talentis à Deo sibi datis: etiam vtitur, & fruitur talentis aliorum; & quod in se aliquis non habet, id habet in suis fratribus; & quod per se ipsum præstare non potest, id præstat per alios. Et (vt Sanctus Augustinus ait) dum quis amat bonum, quod alij habent, amore facit illud suum. Si non potes tu ieiunare, aut vigilare: ama id in tuo fratre, & eius vigilia erit tua, & eius ieiunium tuum: & hac ratione vigilabis & ieiunabis cum eis. Adhæc Dominus noster distribuit gratias inter omnes, vt omnes benefaciant vnicuique: & ita vnusquisque fruatur omnibus. Quibusdam dedit talentum ad gubernandum, vt me gubernent; alijs dedit gratiam discretionis vt mihi benè consulant; alijs donum scientiæ, vt me doceant; alijs donum linguarum, vt mihi ad cor loquantur. Inter alios distribuit excellentiam virtutum: vt hic exemplo suo me doceat humilitatem; ille modestiam; alius patientiam: ita vt tanquam carbones accensi alij alios accendant. Nec sine causa Dominus noster (vt explicat Sanctus Bernardus, & fusiùs posteà dicemus) a *eos dicit esse similes gregi tonsarum*, scilicet ouium, quæ facilè sibi inuicem adhærescunt, vt mutuò incalescant: & simul dixit, esse *sicut dentes*, quia se mutuò valde ordinatè iuuant, ad cibum masticandum in vtilitatem omnium. nam singuli cum aliorum auxilio faciunt, quod nullus solus facere potuisset, vt propterea dicere liceat, vnum valere & posse, quantum centum: nam centum adiuuant vnum; & hac ratione Deus remunerat in centuplum, obsequium, quod quisque illi præstat. Ex his igitur corporalibus deprehendere possumus, quid in spiritualibus geratur: nam officia, quæ sunt omnibus distributa, adferunt singulis subsidium, in ipsa enim Religione habeo, qui meis morbis medeatur, qui consoletur, qui tristem visitet, qui tempore tentationum & periculorum manum mihi porrigat, qui rerum familiarium curam gerat, qui cibos coëmat, coquat, & condiat, mensam sternat, me ad eam vocet: & quod Principes, magnique Domini

Lib. de Cõstitut. Monast. c. 19.

Lib. I. Homil. 15.

»
»
»
«
«

a *Cant. 4. 2 Serm 63. in prauo Tract. 7. c. 10*

magnis

magnis expensis, magnoque labore in suis domibus habent: id in Religione habetur cum magna delectatione, propter vnionem charitatis, qua singuli alijs mutuò ministrant; eò quòd in eis Christum Dominum contemplarentur. Et (vt Sanctus Chrysostomus ait) omnes sunt eadem nobilitate nobiles; omnes serui, eodem genere seruitutis; omnes liberi, eiusdem libertatis; omnes eisdem diuitijs fruuntur, eodem honore, & eisdem delicijs: quia hæc omnia sunt omnibus communia: eò quòd sit quasi vna anima in multis corporibus; & vnus Spiritus Dei, in multis animabus, qui eas facit vnum secum & cum omnibus. Hæc omnia mirifice depinxit Regius Propheta dicens: b *Ecce quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum.* Hæc verba (ait S. Augustinus) esse vocem, qua primos Christianos ad vitam simul ducendam, tanquam eiusdem familiæ fratres excitarunt; estque tanta huius rei præstantia & magnitudo, vt ipse non posset Dauid sensum suum internum ea de re verbis explicare, recurrat ad affectus, dicens: ô quam est plena & abundans omni genere bonorum vita Religiosa, in qua Religiosi viuunt tanquam fratres vno spiritu inuncti cum ipso Christo! quæ autem lingua explicare poterit vnitiones illas quas hæc vnitio in se complectitur? virtutes enim omnium sese coniungunt, vt vnumquemq; sanctificent; omnium delitiæ conueniunt, vt illum lætificent; & omnium vtilitates & commoda, vt illi prosint; & ipse Christus D.N. cum suis Apostolis accedunt, vt singulos iuuent; & ipsemet Deus sanctissimam suam benedictionem adeò copiosam singulis impertit, vt valeat centuplum, plus quàm quisque illorum reliquit. Hoc pulcherrimè explicant duæ illæ similitudines, quibus Psalmista hic est vsus.

1. PRIMA est vnguenti precioſi, quo vngebatur caput summi Sacerdotis Aaron, fluebatque per eius maxillas & barbam vsq; ad oram vestimenti eius. Cùm enim hoc vnguentum conficeretur ex quatuor rebus valde odoriferis, *ex myrrha* scilicet *electa*, ex cinnamomo, ex casia, quæ est colotis similis guinei & ignei sicut cinnamomum, & ex calamo viridi, instar arundinis, quæ omnia oleo oliuarum miscebantur: ita (ait Glossa) perfectio Euangelica, quam vita Religiosa profitetur, complectitur coniunctionem omnium virtutum; & conflatur ex mortificatione, non quacunque sed selecta: scilicet pœnitentia & humilitate, quibus homo reputat se cinerem, quo se operit, & ex charitate accensa, & patientia vsque ad sanguinis proprij, si opus est, effusionem; & ex heroica fide & spe, quæ semper floret, crescitque influxu à Deo adueniente: quod totum miscetur oleo deuotionis, & lætitiæ spiritus

In Apolog. vitæ monast.

b *Psal.* 132. 1.

Ibidem.

Exod. 30. 23

Ibidem.

tualis in diuino officio; & cum operibus misericordiæ in bonum proximi. Harum virtutum coniunctio & Societas euellit radices discordiarum, tristitiarum ac tædiorum inter hominesadfert pacem, gaudium, magnumque spiritum; & quasi vnguentum flagrantissimum vngit caput & barbam, vsque ad oram vestimenti, nam (vt S. Augustinus ait) hoc vnguento vnxit se Christus D.N. caput totius Ecclesiæ; & ab eo descendit ad Apostolos, ipsi maximè coniunctos, & viros fortes ac imperterritos ad ipsum sequendum, & abijs fluit ad reliquos Religiosos, qui eos sequuti sunt, & succedent vsque ad finē mundi, in eadē Euangelica Professione; qui sunt preciosa valde vestis ipsius Christi, qua partem collo suo proximam exornat. Non enim dixit hic Dauid, vnguentum Aaronis descendisse, vsque ad oram vestimenti, quæ terram tangebat; sed ad oram capiti proximam. Nam sæculares sunt quasi vltima huius vestimenti Christi Domini ora, quæ res terrenas contingit, propter curas & solicitudines, quas gerunt rerum temporaliū: at Religiosi, qui simul & vniti viuunt, sunt (vt ait idem Sanctus) tanquā ora superior tunicæ, per quam caput ingreditur, manetque ipsi proxima: Christus enim D.N. incipit induere totam Ecclesiæ suæ vestem per eos, qui fraterna charitate sunt vnit; quibus sese coniungit, eosq; valde prope se collocat, ob Excellentiam perfectionis eorū quibus tantam pretiosi huius & fragrantis vnguenti abundantiam communicat, vt impleatur tota domus Religionis; à prælatis ipsis, qui sunt caput, vsq; ad reliquos omnes, fortes ac debiles, magnos & paruos: vt omnes concordes sint, læti, pleni deuotione cum vnione Spiritus sancti. Hoc vnguenti genere non licebat in lege veteri rem vllam vngi, quæ nō esset ad Sancta Sanctorum dedicata; nec vllus homo, qui nō esset de Sacerdotali genere Aaron: vt intelligeretur, vitam adeò preciosam & excellentem solùm conuenire Sacerdotibus spiritualibus, dedicatis & cōsecratis ad quærendam sanctitatem & perfectionem in supremo eius gradu.

Ita S. Augustinus & alij communiter.

2.

Hoc amplius declarat secunda similitudo, quam adducit Dauid de Rore cælesti cadente super duos montes valde fecundos & pulchros, *Hermon & Sion*. Quid enim montibus vtilius est aquâ, & rore cælesti, qui facit illos virescere, fructuosq; in magna copia & pulchritudine proferre: sine quo rore aridi planè essent, & inutiles? & qui sunt duo illi mōtes *Hermon & Sion*, nisi duæ partes, quas religiosæ perfectionis celsitudo habet? altera, quæ exercet opera vitæ actiuæ ad passiones domandas, & significatur per vocem *Hermon*, quæ significat Anathema, ac destructionem: repellit enim, destruit, & sea abijcit omne genus vitiorum, imperfectiones, & prauas omnes tristitias, quæ ab eis omnibus oriuntur, vt sese cum summa puritate dedicent Deo; altera, quæ opera exercet vitæ contemplatiuæ, & significatur per *Sion* montem Ierusalem, significatque speculam, eò quòd exurgat ad res æter-

Hermon & Sion mysticè quidi

nas contemplandas, suosque oculos figat in rebus cœlestibus, super vtrumque montem descendens ros cœlestis, reddit eos fœcundos sanctorum operũ; quibus ditat eos, qui coniuncti habitant in sancta fraternitate, porrigentes alter alteri monti mutuas manus; & alterius opera, alterius iuuant; & in maiori studio in alterius opera incumbunt, fouent eos, qui exercent opera alterius. Denique cùm Religio sit fratrum vnio, sacro adeò vnguento vncta; & rore adeò copioso irrorata, & tanquam mons adeò excelsus fœcundata: quid ad plenam ipsius perfectionem, bonamque fortunam superest, nisi vt ipsemet Deus largam suam benedictionem in illam mittat, in omnigenere bonorum cœlestium, quæ descendunt inde per Iesum Christum ad sanctificandum, exhilarandum, & commodandum ijs, qui adeò vniti viuunt, vt eorum vita adeò sit felix & fortunata, vt & per excellentiam vocari possit verè VITA: nam multorum, animis disiunctorum ac discordium vita, non vita censenda est, sed mors: de qua dicere meritò licet, ô quam malum, quam amarum, & graue est, eos qui per fidem & Baptismum sunt fratres, viuere inter se discordes, absque vnione & vinculo Charitatis. Nam omnes sunt singulorum cruciatus; & eorum vita est quædam inferni imago. Nam verbum illud MEVM & TVVM, quod S. Chrysostomus *frigidum* appellat, gelauerunt charitatem; & ita omnes contendunt, vt quisque sibi vsurpet, quodeniam alter habere vellet, in Religione autem verbum illud adeò frigidum exulat; non est *meum* neque *tuum*: quia omnia sunt communia, sicut inter fratres, qui necdum bonorum paternorum distributionem fecerunt: quod si qua est contentio, illam, ait S. Basilius, esse, vt quisq; virtutes rapiat, & habere contendat, quas videt in suo fratre: cui tamen nullam propterea fit iniuriam: quia non illi aufert, quod possidet; sed ad suum commodum conuertit, cum vtriusque voluptate: & sancta hac æmulatione omnes rapiunt, & nemini fit iniuria; sed vtilitas & bonum commune augetur.

Oratione de Sancto Philogonio. Tom. 3.

De Constit. Monast. c. 19

§. 2.

1. CVM PRÆDICTIS bonis alia etiam coniunguntur, quæ ad istum centuplum referuntur propter Communionem Sanctorum, qui sunt in Ecclesia, & in ipsa Religione inter se ipsos; & propter communionem, quã militans Ecclesia habet cum triumphante; & Religiosa Congregatio, quæ in terra versatur, cum ea, quæ est in cælo. Totum autem hoc valet allicit & impellit ad vocationem diuinam, quæ talem vitæ rationem inferat, audiendam. Et sic eminenter expletur quod dixit Dauid: a *particeps ego sum omnium timentium te: & custodientium mandata tua.* Participes, inquã, sumus Satisfactionum, Sacrificiorum, & Orationum, & aliorum operum bonorum, quæ reliqui faciunt: eò quòd membra sumus eiusdem corporis mystici, quod eodem Christi Domini spiritu informatur & viuit. Præterea

a *Ps. 118. 63.*

quod

quod in gratiam Religionum facit Ecclesia, quæ cùm sit Iesu Christi Sponsa, cœlestem suum sponsum imitatur, prosequens Religiosos singularibus fauoribus ac priuilegijs: quemadmodum Summi Pontifices à Spiritu sancto permoti fecerunt, concedentes eis ex communi thesauro nominatim, tot Indulgentias plenarias, tam in ipso ingressu Religionis, quàm in eiusdem progressu, & in ipsa hora mortis; vt volumen, in quo illa continentur, vocetur *Mare Magnum*: eò quòd immensas gratiarum aquas contineat, ad recreandos spiritus profitentium vitam adeò perfectam, quos centuplo ampius remunerat, quàm sæculares.

Indulgentiæ multæ Religionibus concessæ.

Veniamvs nunc ad speciales fructus, quos Religiosi colligunt ex Communione Sanctorum, eò quòd sint eiusdem Religionis membra: quãuis enim non sit communicatio in meritis gratiæ & gloriæ, quæ vnicuique datur tantùm secundùm eius opera: est tamen in multis alijs rebus ista communio nam propter merita & sanctitatẽ multorũ in ipsa Religione coniunctorũ benefacit Deus alijs, qui id per se ipsos non merebantur. Si.n b *decem iusti, qui inuenti fuissent in Sodoma*, satis fuisset, vt Dominus omnium illorum misertus, illis parceret, & *totam ciuitatem non deleret*: quantò magis sufficiet Congregatio tot Iustorum & feruentium, vt benè faciat etiam tepidioribus! Deinde nulla est Religio, in qua non offerantur Deo multa sacrificia & orationes pro eiusdem bono, & augmento: cùm autem Cõmunitatis ipsius bonum complectatur bonum particularium: id, quod in communi fit, etiam pro particularibus fit, & orationes tot Iustorum plurimùm possunt ad impetrandum pro omnibus. Propterea enim S. Iacobus Apostolus suasit, dicens: c *orate pro inuicem vt saluemini*, & ipse Christus Dominus dixit: d *se esse in medio eorum, qui in eius nomine essent congregati*, eorumque orationes auditurum. Et iniustus, qui per se non meretur exaudiri, si accedat ad orandum cum iustis, impetrat pro se, quod illi petunt. Et quamuis Rex Ioram impius esset, ac detestandus, quia tamẽ coniunxit se Regi Iosaphat, qui erat vir sanctus, impetrauit à Propheta Elisæo quod petebat, quamuis hic ipsi Iorã dixerit: e *viuit Dominus Exercituũ, quòd si non vultũ Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te nec respexissem*. Ad hæc magna est satisfactionũ Communio in vita & in morte: quæ liberalissimè applicantur per sacrificia & orationem. Et quoniam prolixum esset, referre, quid in omnibus Religionibus fiat, insinuabo solùm, quæ in nostra Societate geruntur datur: enim nobis centies, & millies plus ex isto thesauro, quàm ordinariè habuissemus in sæculo. Nam singulis mensibus, & singulis hebdomadis, omnes Sacerdotes offerunt certum numerum Sacrorum pro Societate; & singuli fratres Coadiutores certum numerum Coronarum & Orationum: qui cùm sint plurimi, fieri non potest, quin magna pars cedat singulis. Pro defunctis

2.

b *Gen.* 18.33

c *Iacob.* 5.16
d *Mat.* 18.19

c 4. *Re.* 3.14

etiam, omnes Sacerdotes vniuersæ Societatis singulis mensibus offerant vnum Sacrũ; Fratres verò vnã Coronam: quæ singulis septimanis erunt multa millia Sacrorum & Coronarum. Et quoniam ordinariè non morientur singulis septimanis nisi pauci, & interdum nulli: quam ingens thesaurus singulis obuenit vt breuissimo tempore ex purgatorio liberentur!

3. SED ex congregatione Sanctorum Religiosorum, qui versantur in terra, ascendamus ad illam, quæ est in Aula cœlesti: qui procul dubio non cessant orare pro fratribus suis, qui adhuc versantur in terra. Si enim Omias f 2. *Mach* 15.12. Ieremias iam f *defuncti multum orabant pro populo hebræo*: etiam Religionum fundatores & reliqui eiusdem familiæ, qui cum ipsis in cœlo sunt: orabunt pro Religioso populo suo. Et quemadmodum Deus D. N. magna beneficia largitus est filijs Abraham, Isaac, & Iacob ipsorum parentum intuitu, ita faciet Religiosis, propter intercessionem Patrum, qui sunt iam in cœlo securi de suo præmio, & soliciti de nostro periculo. Scribitur autem de quodam illorum, quòd, imminente morte, filios valde propterea tristes, consolatus, dixit: se plus posse illos iuuare mortuum, quàm in hoc exilio viuentem: nam se eam habere fiduciam, quòd plus posset in cœlo apud Deum obtinere, quam potuisset in terra. Quod si hinc transeamus ad totam curiam Ecclesiæ triumphantis, licebit certè sperare, eã singularibus fauoribus prosequi Religiones, sicut militans prosequitur: siquidem ex huius status vnica magna illius pars constat, & quidem in altioribus gloriæ thronis. Quis dubitet, quin ipsi Angeli in maiori numero accurrant ad propugnandos Religiosos, in suis pugnis & angustijs, ita vt, cum magna fiducia dicere possint quod Religiosus Elisæus dixit: g *plures nobiscum sunt, quam contra nos*: tam contra vnum hostem nos persequentem, sunt centum propugnatores. Siquidem, vt supra ex sancto Ambrosio retulimus: Status sanctior diligentiùs ab Angelis custoditur, & h *lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, de quo lectulo S. Bernardus ait, quòd sit Religio; quemadmodum enim homo post magnum aliquẽ laborem requiescit in lecto; ita in mũdi tumultibus delegati, cùm accedunt ad Religionem, inueniunt requiem, & ipse Christus, qui eis requiescit: quia lectus est vtriq; communis, ita etiam sponsa cum eo loquens, dixit: i *lectulus noster floridus*, floribus scilicet virtutum absque spinis curarum sæcularium, ne autem quies hæc interturbetur, magnam Deus adhibet custodum multitudinem.

g 4. *Reg.* 6.16

h *Cant.* 3 7

Serm. 45. *in Cant.* Religio lectulo Salomonis assimilatur i *Cant.* 1.16.

4. SED quid dicemus de Virgine Sacratissima, omnium Sanctorum Regina & fidelium omnium matre? quæ singulari procul dubio studio & amore proteget Religiones, ipsius etiam obsequio dedicatas? cuius intercessio apud filium adeò est potens vt sufficiat centum pro vno deuotis suis impetrare. Memento enim, quid fecerit in nuptijs Canæ Galilææ: in

quibus

quibus ob exiguum prandium sibi & filio exhibitum, impetrauit eisk *sex hydrias vini* pretiosissimi. Si igitur in domo nuptiarum carnalium id Virgo sanctissima fecit, quid faciet in Religione, in qua semper spirituales animarum cum Christo nuptiæ celebrantur? quibus & ipsa tanquam mater adest, & facit sine dubio impetrabit etiam centuplum ijs, qui relinquentes omnia, ex animo ipsius obsequio se mancipant.

k *Ioan. 2. 10.*

CAPVT XII.

PLENARIAM PRÆTERITORVM PECCATORVM *remissionem, & auxilia statui Religioso annexa, & pignus, cautionemque æternæ vitæ, partem esse promissi centupli.*

PRIMVS fauor, & quidem valdè magnus, est: quòd ipso die, quo Religiosi suam edunt professionem, aut substantialia sui status vota, concedat ipsis Deus plenariam omnium peccatorum remissionem, ita vt, si post dimissas culpas per pœnitentiæ Sacramentum debeant adhuc centum, aut mille annos grauissimarum pœnarum in purgatorio: in ipso momento indulgetur illis liberalissimè & plenariè etiam pœnarum illarum remissio, atque si eodem die, Baptismi Sacramentum sumerent. Religio enim est secundus Baptismus secundùm sententiam SS Hieronymi, Bernardi, Thomæ, & aliorum Patrum. Qui dicunt, quemadmodum in Baptismo, qui ianua est, qua intratur in Ecclesiam, conceditur integra remissio culparum & pœnarum, quæ propter eas debentur, eò quòd sit quædam spiritualis regeneratio; ob quam homo desinit esse quod erat, & incipit esse quod non erat, exuens veterem hominem, & renuncians Sathanæ, & pompis eius; vt induat hominē nouum, eiusque legem profiteatur, & imitetur virtutes: ita in professione, & votorum editione quæ ianua sunt ad ingressum in Religionem, vt fiat eius membrum; consequitur Religiosus plenam remissionem omnium pœnarum, quarum propter suas culpas esset alias reus: nam & hæc est secunda regeneratio spiritualis, per quam desinit ille esse quod erat in sæculo: abscindit enim radices & occasiones peccatorum, renunciat pompis huius mundi, & operibus carnis, vt vitam inchoet nouam, sequens perfectè Christum.

1. Religio secūdus baptismus. *S. Hie. Ep. 8 ad Demet. & 25. de morte Basillæ. S. Bern. li. de Præcep. & Dispens. S. Tho. 2-2. q. vl. a. 3. ad 3. & in 4. Sent. Dist. 4 q. 3. a. 3. q. 3. ad 3. S. Bonin Apollo. Paup. patr. 3. 1. resp. ad 3.*

Cùm igitur Religiosus nunc tradat Deo quidquid dare potest, & deser quidquid habet, & habere potest: etiam seipsum, vt ipsi Domino perfecti seruiat: credendum est, Deum ipsum remittere, quidquid ille rationeui præteritæ debebat. Et qui adeò est liberalis, vt centum reddat pro vno; ei in hoc casu remittet centum non soluenti nisi vnum; & contentus erit o quod offertur; quamuis supponamus, non æquiualere ipsi debito; quia igitur Deus singulare hoc priuilegium Professioni Religiosæ, quæ opus el adeò præstans & heroicum; vt Religiosus expeditis omnibus suis cum De rationibus præteritis, nouũ incipiat librũ, & vitã nouam, tali statu digna

HINC ortum habet secundus Dei erga Religionem fauor, vt Religios perfectionẽ in ea assequatur, quã intendit. quẽadmodũ. n. Baptismus præ gratiã qua sanctificatur anima, tribuit aliam, specialẽ ipsius propriã, hoc est inspirationũ & auxiliorum internorũ copiã, ad custodiendã legem Euangelicam, quã baptizatus in baptismo profitetur; & ad pugnandũ cõtra impugnantes tentationes, vt suo loco est dictũ: ita Religio ex speciali Domini nostri fauore, adfert secũ gratiã quandam, quam licet appellare vocationis propriam: quæ in eo consistit, vt Religiosis inspirationes, & interna cõsilia præbeat, quæ necessaria sunt ad vota sua implenda, ad custodiendas Regulas, & vincendos hostes, qui tentationibus eos impugnãt: ita vt cum suauitate possint perfectionem consequi, quam profitentur. Nam quò crescunt homini obligationes ad eam procurandam: eò etiam subsidia diuina crescũt: & cum ipsæ obligationes duplicantur etiam subsidia veniunt duplicata. Et hæc causa fuit, & motiuum, vt Christus Dominus noster duplicata præmia Religiosis polliceretur: quia scilicet bis moriuntur mundo, cum duplici obligatione ipsum Christum sequendi, eiusque perfectionem imitandi. Vna est ipsa cum reliquis Christianis communis, quæ oritur ex Sacramento Baptismi, altera est ipsorum propria, ex Baptismo suæ professionis. Et propter vtramque possumus etiam ipsos conferre (vt scribitur in libro Canticorum) a *gregibus* ouium *tonsarum, quæ ascendunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Et quid aliud sunt Religiosi, nisi greges ouiũ rationalium, audientiũ vocẽ Pastoris sui Christi Domini, vocatis eas, vt ipsum cum perfectione sequãtur. ipsi verò amore eius spoliant se sana omniũ bonorum temporaliũ, quæ possidebant; & ex corde suo expellũt affectũ inordinatum ad omnes res huius mundi. Et quemadmodum oues tonsæ remanent valde albæ, eò quod deposuerint superiorem lanæ partem, quæ solet esse sordida: ita Religiosi per omnium rerum renunciationem, & affectionum, quibus illis adhærebant, remanent puri, & candidi in spiritu, & intrant in secundum balneum, & baptismum Professionis & votorũ vnde prodeũt mundissimi, & liberi ab omnibus culpis & pœnis, sicut ex primo prodierant, vt dictũ est.

Tom. 1 Tra. 2. c. 1. § 4.

a *Cant. 4. 2.*

Religiosi greges ouium rationalium.

Similitudo ouis tonsæ & Religiosorum.

Exeun-

Exeuntes autẽ ascendunt ex lauacro, hoc est per gratiã vocationis ascendere incipiunt, & crescere ac progredi de virtute in virtutem, proferente vnoquoq; fructus duplicatos: dũ exercent opera, quæ sunt de præcepto, & quæ cadunt sub consilium; opera dilectionis & cultûs Dei, & amoris ac vtilitatis proximi: ita vt nullus eorum sit otiosus, *sterilis*, aut inutilis: & quemadmodum huiusmodi fructus duplicantur: ita etiam eorum præmia; & ita impletur quod scriptum est, b *in terra sua duplicia possidebunt*, ad modum primogenitorum, quibus lex iubebat dari inter fratres c *cuncta duplicia*. Et quoniam Religiosi sunt IESV Christi primogeniti, eò quòd Apostolorum & primorum Christianorum, qui fuerunt primitiæ spiritûs sancti, perfectionem imitentur, ideò vult Dominus noster duplicatam illos habere hæreditatem inter reliquos Iustos.

b *Isa.* 61.7.
c *Deu.* 21.17

VENIAMVS nunc ad vltimum & præstantissimum fauorem, qui mensuram implet cẽtupli ob speciale pignus & cautionem, quam Dominus noster dat Religiosis, quod sint æternam beatitudinem consequuturi, cum ea securitate, & certitudine, quæ potest in hac vita haberi in Religione, quam sunt professi. Inter hæc pignora demus primum locum octo illis, quæ Christus D.N. d *Beatitudines* appellauit; tribuendo vnicuique duplicatum præmium nam (vt S. Augustinus ait) omnes illæ continent aliquid quod datur in hac vita, tanquam pignus eius, quod plenius dabitur in gloria: quamuis enim in genere communes illæ sint omnibus Iustis, peculiari tamen modo competunt Religiosis. Religio enim est schola, vbi exercentur eminenter octo illæ beatitudines: *Paupertas* scilicet, quæ materia est primi voti Religiosi, cuius præmium est regnum prædictum. *Mundities* cordis cum *Castitate* corporis, & animæ, quæ materia est secundi voti, & ei promittitur Visio Dei: hic quidem per contemplationem cum obscuritate; & postea apertè facie ad faciem. *Fames & sitis Iustitiæ*, & illius cibi, qui materia est tertij voti, de quo dixit Saluator e *meus cibus est, vt faciam voluntatẽ eius, qui misit me*: Est enim tãta fames, vt non satietur, si sumat tantùm Obedientiam præceptorum: sed etiam appetat & sumat Obedientiam consiliorum. *Mansuetudo*, quæ iram, & vindictam ex Superbia ortas cohibet, redditque homines humanos & affabiles, ac Dominos terræ cordium humanorum. *Luctus* & lacrymæ ob culpas & miserias proprias, & aliorum: cuius præmium est solatium, cùm datur venia, & illæ miseriæ reparantur. *Misericordia* quæ subuenit, quantum potest, proximorum necessitatibus, quarum vnaquæque Religio aliquas suscipit reparandas. Esse *pacificum*; benefaciendo ijs, qui malè ipsis faciunt; studentes pacificare omnes cum DEO, sicut ipsi sunt cum eo in pace: ob quam causam digni sunt, qui sint filij DEI. Ac denique ferre tentationes, ac *persecutiones pati propter Iustitiam* & perfectionem, quam profitentur. nihil de ea

d *Mat.* 5.2.

Lib. 1. *de ser. Domin. in mon.*

Religio filio octo beatitudinem.

1.
2.
3.
e *Ioa.* 4.34.
4.
5.
6.
7.
8.

relaxan-

relaxantes propter illas: & ita præmium eorum est Regnum cœlorum. Itaque Religio has octo beatitudines ita excellenter colit, & exercet, patet centuplum, quod in hac vita promittitur, complecti omnia præmia; quatenus illis in hac vita frui licet, tanquam certis pignoribus, in alia consequendi, quod in illam differtur.

f Mat. 19. 26

SED EST adhuc specialis securitas, & pignus f *obtinendi vitam æternam*, quòd innititur peculiari promissioni, Christi D. N. dandi eam ijs, qui propter ipsum *renunciarent rebus omnibus*. cùm enim hæc promissio sit specialis & sub pacto & conditione, vt renuncietur omnibus, quæ quis possidet, & aliquid amplius in se complectitur, quàm generalis illa reddendi vitam æternam custodientibus eius mandata. neque hoc aliud est, quàm quòd illis detur quod pignus magis certum, & cautionem securitatis, quod obtinebunt vitam æternam. Quod si quæras: quale pignus & cautio hæc sit? respondeo: quidquid hactenus diximus de centuplo, quod datur in hac vita; & gratia propria vocationis Religiosæ, cum singulari Domini nostri auxilio ad custodienda mandata, & consilia; & perseuerandum in eius gratia vsque ad mortem: remouens eis peccandi occasiones; subueniens in tentationibus; frequenter eos visitans suis inspirationibus; vocans efficaciter ad pœnitentiam, si in aliquod peccatum labantur; excitans eos ad exercendas virtutes, & peculiarem habens de rebus eorum prouidentiam, vt supra est dictum. Et hinc apparet vocationem ad statum Religionis, & perseuerantiam in eo signum esse prædestinationis; quemadmodum S Laurentius Iustinianus in verbis affirmat: in humanis rebus & in hac peregrinatione nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cœlestis patriæ, quàm Monastica conuersatio, & congregatio diuino cultui dedicata. Supernis namque ciuibus, vna est mansio, vna gloria, communis lætitia, concors voluntas, mutua dilectio, & sempiterna securitas: quæ æquè in Congregationibus vniformiter degentibus reperitur: ita tamen, vt quod illi tenent in re, isti habeant in spe. Religio nim est cœlestis illius ciuitatis introitus. Iste nempe est locus, de quo ait Iacob, g *verè no est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli*. Securè sperat possit peregrinationem ad illam supernam intrare Ierusalem: quicunque in hac Iustorum Congregationem fuerit vocatus: magnum quippe Electionis indicium est, huius fraternitatis habere consortium. Hoc idem confirmat Sanctus Bernardus, dicens: Religionem (quā ipse cellam appellat.) esse viam quam cœlum; nam, quod Sancti in cœlo, id Religiosi faciunt in cella; & quo hac facilè ascenditur ad cœlum, & vix aut nunquam descenditur ad Infernum: non enim in ea perseuerat, nisi qui est prædestinatus ad cœlum. Et quo Religiosis lætitia quædam oritur, quæ non solùm centies, sed millies etiam superat eam, quam habuissent in possessione totius mundi: vt apparuit

Lib de Perf. Monast. Conuers. c. 7

g Gen. 28. 17.

Ad Frat. de monte Dei.

Religio quasi cœlum.

ruit in exemplo, quod capite decimo retulimus. Hoc enim sola spes sufficit adfetre illis tantam cordis lætitiam: de qua dixit Christus D.N. suis discipulis h *nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* h Luc. 10. 20

Prædictorum Conclusio.

HÆC SVMMA est Promissionum omnium, quibus Christus D. N. homines vocat, qui ipsum in statu perfectionis sequantur, sed quamuis multa de eis d xerimus, non potest tamen verus conceptus & opinio de earum pxæstantia & dulcedine haberi, donec ipsa experientia id doceat viuentes cum tanta puritate in Religione, vt eam degustare ac prælibare digni sint. Nam, vt rectè ait S. Laurentius Iustinianus: Nemo nisi externus percipere sufficit, quàm amabilia, quàm dulcia, quamùe preciosa sint, quæ largitur Deus ijs, qui pro ipsius amore suis, sibiq; renunciant. Renuncia illis seriò: & statim hæc experieris; Nã S. Petrus priùs dixit Magistro suo, i *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* & mox sequuta est promissio cẽtupli prædicti; vt intelligas te debere fidere fidei & verbo Dei & in hac fiducia renunciare omnibus, quæ possides: tunc enim dignus eris, qui excelsum hoc præmium accipias: iuxta illud Ecclesiastici: k *homo sensatus, credit legi Dei, & lex illi fidelis*: quia stat promissis ei, qui bona fide statuit eam custodire. *De Monast. Conu. cap. 2.* i Mat. 19. 27 k Eccl. 33. 3.

CONCLVDAMVS tandem rem hanc ijs, quæ S. Bernardus adfert, vt tepidis, & pusillanimibus sæcularibus silentium indicat, qui ex defectu fidei & confidentiæ dicunt; ostende mihi centuplum, quod promittis, & libens vniuersa relinquo. Vt quid (inquit) ostendam? fides enim non habet meritum: cui humana ratio præbet experimentum. An potiùs homini ostendenti, quàm veritati crederes promittenti? deficis scrutans scrutinio: nisi credideris, non intelliges. l *Manna absconditum est*: quod victori promittitur; & m *nouum nomen est*: quod nemo scit, nisi qui accipit. m *Datum optimum* est cẽtuplum hoc *de sursum descẽdit, a Patre luminum.* An nõ omnia possidet: cui omnia cooperantur in bonum? an non centuplum habet omnium, qui impletur spiritu Sancto? qui Christum habet in pectore? nisi quod longè plus, quàm centuplum est, visitatio Paracleti spiritus, & præsentia Christi. Hoc ergo centuplum n *adoptio filiorum Dei est*: libertas & primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria cõscientiæ, o *regnum Dei, quod intra nos est*: non vtique, p *esca* vel *potus: sed Justitia, & pax, & gaudium in spiritu Sancto*; gaudiũ sanè non modò in speglotiæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est *ignis, quem Christus venit mittere in terram*, & voluit vehementer *accendi*. Hæc est virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti crucem; Laurentium ridere carnifices; Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad Orationem, hæc est pax; quæ superat

l *Apo.* 21. 7. m *Iac.* 1. 17. n *Rom.* 8. 15 o *Luc.* 17. 21 p *Ro.* 14. 17 16. q *Luc.* 12. 49

omnem suam: sed & huic, quidquid sub sole placet, quidquid in mundo desiderabile cupiscitur, non poterit comparari. Hæc gratia deuotionis, & vnctio docet de omnibus: quã expertus nouit: inexpertus ignorat: quoniã nemo scit, nisi qui accipit, Hæc S. Bernardus, quæ omnia plurimũ conferunt ad hoc, vt Religiosi suũ statum magni faciant, vitamq; suã ita instituãt, vt copiosos huius fructus colligant, & promissis eis præmijs statim frui incipiant. Item cũ homines leuioribus promissis, minusq; certis magnos aggrediãtur labores: quum est, vt cum ad egregium hoc facinus à Deo vocantur, statim eius vocationi pareant; attendentes diligenter, per quænam media Deus illos deducat: quæ sunt procul dubio stupenda; vt in proximo tractatu apparebit, in quo reliquas felicissimi huius status excellentias prosequemur.

TRACTATVS QVARTVS.

DE SPECIALIBVS AD RELIGIOSVM STATVM AMPLECTENDVM VOCATIONIBVS; ET SVPPLENDIS MEDIIS QVIBVS DEVS eas dirigit.

CAPVT I.

AD DEVM PROPRIE SPECTARE, VOCARE ALIQVEM AD *Statum Religionis; eiusq; vocationem necessariam esse ad eum tuto adeundum.*

FVNDATA iam domo Religionis super lapides fundamentales, & columnas suas; paratis iam sacrificijs ac votis, [illegible] strata mensâ Regularum & Constitutionum, & reliqua ad leuamen & subsidium eorum, qui in ea sunt habituri necessarijs: ad Sapientiam diuinam, quæ eam fundauit, præcipuè pertinet (vt ait Salomon) a *vocare ad arcem*, & in ea habitent: nam ad fundatorem & Dominum domus spectat, opus suum promouere; & operam dare ne desit, qui velit eam inhabitare. Et quemadmodum ipse Saluator dixit: vir nobilis, b *qui facit cœnã* aliquam *magnã, mittere* solet *seruum suũ conuiuas inuitare, & vrgere*, vt veniant, ad potiendũ rebus omnibus præparatis. Et similiter c *Rex, qui facit nuptias filio suo, mittit seruos suos, vocare inuitatos ad nuptias.* Cũ igitur diuina Sapientia in sua domo Religionis præparauerit solenne cõuiuiũ, vt vidimus, & in ea faciat nuptias animarum cum Christo quæ profitentur Castitatẽ, & vitã Religiosam: ad eam

a *Prou. 9. 4.*

b *Luc. 14. 17*

c *Matt. 22. 2*

Septem-

Sapientiam pertinet: vocare, & inuitare multos, vt accedant ad fruendum tot bonis, quæ ipsis præparauit. Cumq; tanta sit Religiosorũ ordinũ varietas eidẽ Domino incumbit, vt omnibus prouideat de incolis: hos vocando ad hunc ordinẽ, illos ad illũ: vt hac ratione septẽ huius domus columnæ cõseruentur, per continuã Religiosorũ in singulis earũ successionẽ. Præterea tria in Statu Religioso sunt, quæ omnino exigũt vocationis diuinæ assistentiã & fauorem; nã ex vna parte, status ipse adeò est excelsus; ex altera valdè arduus ac difficilis; homo autẽ ex se adeò debilis & miser: vt nullus habiturus esset animũ, nec vires ad illũ amplectendũ; nisi ipsemet Deus illũ vocaret, suæq; inspirationis vi, & efficacitate pertraheret, iuxta illud, quod idẽ Christus Dominus dixit: d *nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eũ*; & iterum e *nõ omnes capiunt verbũ istud*, doctrinã scilicet Castitatis, *sed quibus datũ est*. quibus sententijs indicat, ad amplectendum hoc consilium, & reliquę vitę Religiosæ, necessariam esse gratiam cęlestis vocationis, pręuenientẽ industriam nostram; & excitantem nostrum torporem; & adiuuantem nostram imbecillitatem; & opus esse aliquo Dei pulsu, quo nostrum cor emolliatur; aliqua illustratione spiritus sancti, quã illustretur noster intellectus; & inspiratione aliqua, & impulsu eius, quo nostra voluntas accendatur, & eleuetur ad optãdam & procurandam rem adeò excelsam. Nam absq; tali subsidio quis tantum animi habebit, vt ex terra sua exeat, sicut Abraham; deserat suos parentes; & populi sui obliuiscatur? quis tantum pectoris robur habebit, vt renũciet diuitijs, & omni spei eas aliqua ratione acquirendi? quis reijciet carnis voluptates etiam per matrimonium licitas? & quis deniq; libertatem suam abijciet, vt Christum sequatur per viam adeò angustam: nisi Dominus ipse eum vocet, & ad eam amplectendã eligat? non enim sine causa dixit ipsemet Dominus suis Apostolis f *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. nisi enim electio hæc & vocatio è cœlo veniisset: non solùm Matthæus, qui diues erat; sed neq; pauperes piscatores in animum induxissent retia sua abijcere, vt possent sequi Saluatorem. Ac proinde Religiosi, quorum vita, teste S. Hieronymo, est apostolica: non poterunt hoc vitæ genus amplecti, nisi eadem ratione ad id electi & vocati: præcipuè ob ingentem difficultatem, quam secum adfert oblatio votorum, ob suam perpetuitatem. Quamobrem Sanctus Augustinus (cuius sententiam approbat Consilium Arausicanum) allegans locum ex Cantico Annæ matris Samuelis, dicentis: g *Dominus dans votũ vouenti* addit: neminem posse bene vouere; nisi qui à Deo accipit potestatẽ ad vouendũ: & concilium illud sic ait: nemo quicquã rectè Domino vouerit, nisi à Domino acceperit, quod vouet. h *Ego*, ait Dominus, *sum qui ascẽdere vos feci de terra Ægypti, vt possideretis terrã promissionis, & suscitaui de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenib⁹ vestris Nazaræos*. Nã Deus D. N. ex infinita sua misericordia;

d *Io. 6. 44.* e *Mat. 19. 11*

f *Ieu. 5. 16*

Ep. 8 ad Demet. & 34. ad Iulian. S. Ber. serm. de quadrup. debito. lib. 17 de Ciu. c. 4. Arausi. c. 12

g *1. Reg. 8 iuxta. Lxx.*

h *Amo. 2. 10*

dia, nullis hominum meritis, eos educit, quando vult, ex huius mundi Aegypto: quia ipsi proprijs viribus non potuissent à tali seruitute liberari: omnipotentia sua multos eligit ad Statum Religionis, quem dicebamus esse statum Prophetarum & Nazareorum, diuino obsequio specialibus vota consecratorum. Qui nisi ab ipso excitarentur, & iuuarentur, non possent excelsæ adeò vitæ sortem eligere. i *Reperit Elias Eliseum filium Saphat, arantem duodecim iugis boum; & misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait: osculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te. dixitq; ei Elias: vade, & reuertere:* QVOD *enim* MEVM ERAT FECI TIBI: vt quemadmodum ego sum Propheta Domini: tu mihi in eodem statu succedas. & ita Eliseus, exhibito suis conciuibus cõuiuio: eis valedixit; & *secutus est Eliam, & ministrabat ei.* Hunc ergo in modum Christus D.N. significatus (vt ait Glossa) per Eliam (quod significat: Deus Dominus) vocat ad Statum Religionis, colentes terram, & occupatos in rerum temporalium negotationibus: vt, omnibus relictis, ipsum sequantur in Paupertate & sanctitate. Sed qua ratione eos vocat? mittens pallium suum super eos; hoc est efficaciter illis inspirans desiderium induendi vestem ipsiusmet Christi, perfectionem scilicet eius imitationem, in Excellentissimo vitæ modo, quem ille habuit & in Paupertate, Castitate, & Obedientia, quibus ipse in hoc mundo vestitus incedebat. Statim autẽ atq; pallium illud, efficacitate cælestis suæ vocationis illos tangit deserunt patrẽ, & matrem, & reliqua omnia; & cum ingẽti quiete, & animi delectatione sequuntur ipsum Saluatorẽ. Qui ex magna sua liberalitate eis dicit, *quod meũ erat fecit tibi*, eò quod velim te mihi in statu perfectionis, quem ego, dum in mundo vixi, fui professus, succedere. Et quemadmodum Elias, cùm curru igneo raperetur in cœlum, dimisit idem pallium quod miserat super Eliseum, quando eum vocauit, vt ipsum sequeretur; & eodem k *Eliseus diuisit aquas Iordanis*, multaq; alia stupẽda fecit; eodemq; modo indutus incedebat, ita vt (quemadmodum ait S. Chrysostomus) ex tũc Eliseus videretur alter Elias; ita etiam, cũ Christus D.N. in cœlos ascendit, reliquos Apostolis, qui fuerũt primi Religiosi, palliũ, quo eos texerat; quando ad Apostolatũ vocauit: & reliquit hæredes Euãgelicæ suæ perfectionis, qua maiora mirabilia in mũdo sunt operati. Et oẽs, quos ad statũ Religionis vocat, similiter facit pallij huius hæredes: vt illud perpetuò ita induant, vt vnusquisque eorũ, ob perfectã imitationẽ, videatur alter Christus in terra. Si n. quicunq; Christianus, ait S. Greg. Nyssenus, debet esse alter Christus: quãtò magis Religiosus, qui amplius profitetur, induere le spiritu & insignibus eius, & similior ei esse in vita, vt alter sit Christus conari debet? sed hoc totum est meri huius Domini gratia. Nã quemadmodũ Eliseus nullã animũ habuisset ad eos deserẽda q̃ reliquit; nec desideriũ sequendi Eliam; nisi Deus misericordia sua

i 3. Reg. 19. 19.

k 4. Reg. 2. 14.

Hõ 2. ad po.

Ho. de perfecta forma hominis Christiani.

cor

cor eius ad id permouisset: ita nullus fidelium tantum pectoris robur haberet, vt omnia relinqueret, quò diuinum Eliam sequeretur: nisi ipsemet illum interni pulsibus vocaret; eiusq; cor euelleret ex inordinatis affectionibus, quibus ad res terrenas alligatum tenetur.

§. 1.

EX DICTIS facilè deducitur: vnum ex ijs, quæ plurimùm ad hoc referunt, vt aliquis Religionis statum amplectatur, illud esse, vt certus ac securus sit, se ad eum amplectendum vocari à Deo. Absque ea enim vocatione nullus debet præsumere talem statum aggredi: nam per se neque vires habebit, ad talia onera portanda; nec in eis ferendis perseuerare poterit. Magna res est (ait S. Laurentius Iustinianus) abnegare se & crucem quotidie tollere Obedientiæ Religiosæ, & sequi Christum. excedit siquidem humanas vires, atque paruitatis nostræ supereminet facultatem. Quamobrem nemo istius pugnæ ingrediatur stadium, nullusque abnegationem proprij arripere præsumat arbitrij: nisi sit præuentus à gratia, introrsus sit spiritus sancti deuotione nutritus, sanctisque afflatus desiderijs, & constantiæ dono roboratus: ne fortè cani ad vomitum redeunti efficiatur similis; &, vt olim insipiens mulier, vxor Lothi, salis vertatur in statuam; competatque illi sententia Saluatoris dicentis: a *nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quamobrem ad hoc non vocatus certamé, propriæ conscius infirmitatis, secedat humilis, miretur, veneretur que pugnantes aduersùs semetipsos, tanquam contra capitales hostes, vt perfectionem consequantur. Ipse autem curet diligenter facinora commissa deflere, totisque viribus desinat lethalia perpetrare delicta; atque diuinæ legis, & mandatorum Ecclesiæ, proprijque statûs sit obseruatione contentus. Memineritq; pollicitationis Domini dicentis: b *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, & alibi: c *bonũ est tibi debilem, vel claudũ ad vitam intrare, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Quasi dixerit: præstat in statu imperfecto mandata custodientem ad cælum peruenire: quàm volentem mandata seruare; & promittentem etiam consilia sequi omnia transgredi, ac propterea damnari. Hæc S. Laurentius Iustinianus. Propter eandem causam dixit etiam Saluator noster: eũ, d *qui velit turrim ædificare, prius: sedentem computare sumptus, qui necessarij sunt ad perficiendum*: si enim, *postquã posuerit fundamentum*, cessauerit, *omnes qui viderint, illudent ei*, dicentes, imprudenter *ipsum cœpisse quod consummare non potuit.* Talis autem est, qui non vocatus à Deo Religionem ingreditur ad perfectionis turrim ædificandum. Nam ad hoc ædificium perficiendum sumptus præbet diuina vocatio: eum qua & gratia venit, & fauor cælestis, ad huius statûs onera ferenda, necessarius, quod si vocatio desit, etiam sumptus deerunt; ac proinde ipsum

L. de Obed. cap. 26.

a Luc. 9. 62.

b Mat. 19. 17

c Cap 18. 8

d Lu. 14. 28

ædificium. Et *si Rex aliquis*, qui in suo Exercitu *decem millia* tantùm *habet* militum cum quibus *non poterit* hosti *resistere*, habenti *viginti millia*; ideoq; agit cum illo de aliqua pace & fœdere; ne, si ad congressum veniatur, ipse succumbat: etiam erit prudentiæ, vt non sentiens vi se vires & robur adhibendum tentationibus duplicatis; consurgentibus tum contra diuina præcepta, tum contra consilia Euangelica: contentus ille sit, quod resistat promissis, ad quod nunquam deest sufficiens facultas; sed non cogitet de secundis ad quas vincendas non habet vocationem: præstat autem bonam pacem inire, quàm perire in stulta pugna. Omnia hæc respondent ijs, quæ diximus *Tract. 1. c. 3.* secundo tomo, ad rectam electionem cuiusque status esse præmittenda: quamuis in electione huius adeò excelsi & perfecti, clariùs apparet & agnoscitur diuina vocatio: vt constabit, postquam retulerimus omnia media quæ vocatio ad id offert.

CAPVT II.

AD STATVM RELIGIOSVM VOCARI IVSTOS, *& peccatores, & personas omnium etatum, & statuum, qui sunt in Ecclesia.*

VAMVIS Christus D. N. vniuersim proponat omnibus fidelibus Euangelica cõsilia & vota Religionis, tanquam tutiora ac celsiora media ad regnũ cœlorum perueniendi: vocatione tamen speciali nõ omnes, sed eos solùm vocat quos in æterna sua sapientia ad id elegit. Religio enim non est necessaria, vt quis perueniat in cœlum: nam etiam multi Religiosi possunt in sæculo manentes saluari; & ita Religio est status perfectionis, vt etiam extra illam iusti possint esse perfecti. sed cum ipse Dominus prospiciat vniuersim omnibus Ecclesiæ ac Reipublicæ Christianæ partibus: altissimâ, & occultissimâ suâ prouidentiâ vocat homines ad omnes status: & interdum aliquos valde Iustos relinquit in sæculo in statu matrimonij, aut Continentiæ; tepidiores verò inde deducit ad statum Religionis. Nam non vocauit ad Apostolatum Nathanaelem, de quo dixerat *ecce verè Israelita, in quo dolus non est*, Iudam tamen fecit Apostolum, qui postea fuit proditor. Et sæpè concedit gratiam Martyrij alicui homini imperfecto, quam negat perfecto. Cuius rei non potest in hac vita reddi ratio, vt suo loco est dictum: solùm in genere scimus, quod dixit Salomon diuinam Sapientiam, vocando homines ad suam arcem, dixisse: *b Si quis est paruulus, veniat ad me. insipientibus autem loquutam esse: venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis: relinquite infantiam, & viuite.* In quibus verbis insinuatur varietas personarum, quæ vocantur ad Religionem. Verbum enim illud *paruulus* varias habet in diuina Scriptura

Religio nõ est necessaria simpliciter ad vitam æternam.

a *Ioa. 1. 47.*

Tom. 1. Tra. 1 cap. 3.

b *Pro. 9. 4.*

signi-

significationes. Aliquando enim significat peccatores, qui non ætate, sed prudentiâ & iudicio sunt paruuli: aliquando significat, humiles in suis scilicet oculis paruulos: aliquando etiam significat ætate paruulos. Et his omnibus modis potest hoc loco accipi.

PRIMVM enim certum est, Dominum nostrum vocare interdum Iustos ad Religionem, vt magis iustificentur & proficiant in sanctitate & perfectione, amplectentes eum statum, in quo plures sunt occasiones, ad eã perueniendi; vt apparuit in eo c *Adolescente*, qui *à iuuentute sua obseruauerat omnia mandata*, atque ita erat verè Iustus, vt asserit Sanctus Chrysostomus; & deducitur ex verbis S. Marci dicentis: d *Iesus intuitus eum, dilexit eum*: quia verum dicebat; sed adiecit ei Iesus. *vnum tibi deest, si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Iucundus ille Iesu intuitus, initium fuit vocationis, quâ Dominus illum ad vitam perfectiorem inuitauit, si optima illa occasione vti nouisset. 1.

c *Mat.* 19. 19

Homil. in Mat. 19.

d *Mar.* 10. 21

STD non solùm vocat Dominus ad Religionem viros Iustos, sed multos etiam peccatores, nam, vt bene perpendit S. Thomas ad amplectendum hunc Statum, in quo Euangelica consilia seruantur, non est necesse, vt quis in sæculo custodierit ipsa præcepta: nam Religio non est Schola virorum iam perfectorum, sed cupientium & contendentium, vt perfecti sint: sicut Vniuersitates non sunt Schola hominum iam Eruditorum, sed studiosorum, qui dant operam, vt Eruditi euadant. Et Sapientia diuina *insipientes*, hoc est, peccatores; & *paruulos*, id est, exigui Iudicij, vocauit in domum suam, monens, vt ignorantiâ & *infantia* deposita, discerent e *ambulare per viam prudentiæ*. Et ipse Christus D. N. non solùm S. Andream & alios Iustos; sed Matthæum quoq; publicanum & peccatorem ad suam vocauit Scholam: vt misericordiæ suæ thesauros ostenderet, deducendo hominem à peccato ad statum gratiæ; & simul à sæculo ad Statum Religiosum. Illud tamen est certum, quòd licet Iusti, & Peccatores ad Religionem vocentur vocatione ad id sufficiente: non tamen re ipsa ad eam accedere, nisi paruulos, hoc est, (vt S. Gregorius ait) humiles, sibiq; ipsis diffidentes: nam huius domûs ianua est valde angusta, nec capit superbos, & arrogantes, vt postea videbimus. 2.

2. 2. q. 189. a. 1.

e *Prou.* 9. 6.

Lib 17. *Moral.* c. 17.

§ 1.

EX Dictis inuestigare licet causas, ob quas Dominus noster etiam vocat ad Religionem parnulos in ætate, in quibus innocentia, & humilitas præualet. Ad quod melius intelligendum, supponendum est, quemadmodum Paterfamilias exit conducere operarios in vineam suam omnibus diei horis: ita Christus D. N. Pater familiæ Religiosæ, & electæ huius vineæ Dñs, ad eam vocat homines omnium ætatum: quosdam a *mane*, cùm vsus rationis incipit, & in tenera sunt ætate. rapiens illos ex sæculo, b *ne malitia* huius 3.

a *Mat.* 20. 1

b *Sap.* 4. 11.

mundi

mundi *mutet intellectum eorum: aut ne fictio,* & dolus filiorum huius sæculi de-
cipiat purã *illorum animã*. Alios vocat *hora tertia*, hoc est, in adolescentia, a
hora sexta, hoc est, in media ætate: cum magna vitæ suæ parte fuerunt obsc
& huius mundi miserias experti; vt tunc vocati, pluris faciant Religion
amplitudinem & præstantiam. Alios vocat *hora nona*, aut *vndecima*, h
est, in ætate virili, aut senectute, hoc est, ad finem vitæ: vt sic melius dis
nantur ad quietam & tranquillam mortem, quæ sit transitus ad æternam
tam. Cuius non alia potest ratio sufficiens reddi, quã Dei voluntas, & ipsi
diuinæ sapientiæ consiliũ, in ijs quæ sunt ex mera gratia, & non omnino ne
cessaria ad ingressum in gloriam. Quamuis autem magnum sit beneficium
vocari homines ad Religionem in quacunque ætate: negari tamen non p
test, multò maius esse si à tenera ætate vocentur: vt ita fruantur eo bon
quod Prophetauit Ieremias, cum dixit: c *bonum est viro, cum portauerit iugum*
ab adolescentia sua: iugum scilicet legis & perfectionis Euangelicæ, *sedeat*
silentio & solitarius in Religione, *leuans se* super se, hoc est, ad vitam huma
excelsiorem, qualis est Religiosa: quæ est vita Angelica. Cùm igitur non
possint iugum hoc portare, nisi Deus speciali vocatione id eis inspiret, &
vocet ad portandum: singularis procul dubio est fauor, quod à tenera ætat
tanta eos efficacitate vocet, vt statim portare incipiant. Hoc fauore prae-
quitur sæpè Dominus noster eos, quos elegit, vt in magnos sanctos euad
rent, tribuens illis ab ipsa tenera ætate talia perfectionis desideria, & inst
dum ipsis parentibus inspirat, vt illos ad huiusmodi vitæ rationem dedica
& consecrent; vt constat ex eo quod fecit d *Anna mater Samuelis, quæ ex Dei*
inspiratione *votum vouit: si Deus ipsi daret sexum virilem, se eum daturam Do-*
mino omnibus diebus vitæ eius, tanquam Nazareum: & ita postquam eũ ablactauit
adduxit adhuc infantulum ad templum, illumque tradidit Heli Sacerdoti
cunctis diebus occuparetur in seruitio Domini. Et sanctissima Virgo Do
mina nostra, triennis fuit à suis parentibus in templum præsentata: vbi vo
virginitatis se ipsam obstrinxit; & quasi fundamenta iecit vitæ Religios
quam profitentur Moniales in sua clausura, admittentes sæpius paruas pu
lulas secum educandas. Et S. Ioannes Baptista ab Anno quinto, ex diuina
spiratione, secedens in desertum, fundamenta iecit Eremiticæ ac Religios
vitæ: quam ex eiusdem Dei vocatione amplexi sunt à tenera ætate sanc
Paulus primus Eremita, Antonius, Hilarion, Bernardus, & alij multi. S
Sancti Hieronymus & Augustinus testantur, suis temporibus eremu
fuisse repleta personis omnis ætatis, puerulis, ac puellis, qui ab ipso lact
virginitatẽ imbiberent: ita vt nõ esset inter eos, qui dicere posset, sicut Ap
stolus: e *prius blasphemus fui & persecutor*. Idem asserit S. Ambrosius, dicens
omnem ætatem esse Christo perfectam: nec mirêre, inquit, in adolescente

c *Thre.3.27*

d *1. Re.1. 11. 24.*

Epist. ad Eustoch. cum de Virginit. Lib. de S. Virgin. c 36 c 1 Tim. 1612 Libr. 3. de Virgin.

lis professionem: cum legeris in paruulis passionem. Nam qui eos in infantia eligit, vt sint martyres; delectatur etiam eligere, vt sint Religiosi.

FVSIVS autem hoc declarauit Sanctus Basilius his verbis: cùm Dominus dicat: f *Sinite paruulos venire ad me, quoniam talium est regnum cœlorum.* & S. Paulus laudet Timotheum: g *qui ab infantia sacras litteras nouisset*: idémque alio in loco præcipiat: h *educandos esse filios in disciplina & correptione Domini*; prorsus ad eos, qui ad nos accedunt, admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum esse iudicamus, vel ipsius adeò teneræ, atque meantis. Vt videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostrapte sponte ipsi assumamus, & exemplo Iob parentes pupillorum simus. Qui autem sub parentibus sint, eos non sine ipsorum voluntate & consensu, sed ab ipsis ad nos adductos recipiamus: vt non demus occasionem, & notam euitemus, quasi puerulos admittamus. Hæc S. Basilius, & idem S. Benedictus in ipsa praxi seruauit. De quo refert S. Gregorius, multos nobiles Romanos ex Dei inspiratione obtulisse, suosque filios, vt in monasterio educarentur, tradidisse: vbi multi postea cum insigni vitæ exemplo permanserunt. Erant iqua Concilia statuerunt, ne ante perfectæ discretionis ætatem (quæ in viris est quatuordecim annorum, in fœminis autem duodecim) admitterentur in Monasterijs absque parentum consensu & facultate: qua tamen ætate expleta liceret eos absque huiusmodi facultate admittere tunc enim satis discretionis eos habere, vt discernerent, quid eligerent. Et nunquid (ait Sanctus Ambrosius) puella, quæ potest maritum eligere, non poterit Christum præferre? & qui potest vxorem eligere, non potest Religionem amplecti? Huc accedunt ingentes vtilitates ex eo prouenientes, quod quis virtutem ac perfectionem à tenera ætate exercere & amplecti incipiat: quarum vtilitatum summa posita est in primo tomo.

DEBET tamen in hac re moderationem conuenientem seruare, nam (vt ait S. Anselmus) cera, vt aptè sigilli formam recipiat, neque adeò mollis esse debet, atque si esset liquefacta; neque adeo dura, atque si esset lapis; sed mollitiei mediocritatem habere debet: ita etiam ad sigillum & perfectionis Christianæ, ac Religiosæ imaginem recipiendam, non adeò est apta ætas eorum, qui vel valde sunt parui, aut valde ætate adulti & senes. nam qui sunt quasi infantes, eam non agnoscunt, nec perficiunt; valde autem senes difficile sese ad eam accommodant: & neutri necessarias habent vires ad labores in vita Religiosa occurrentes superandos. Ac propterea in Societate nostra constitutum est, ne admittantur ante decimum quintum annum; neque vltra quinquagesimum. Ætas enim quindecim annorum, & totius iuuentutis est omnium optima; quando iudicium capax est & excitatum, ad apprehendendum quod intenditur; & corpus pollet

" " " "

viribus ad ferendum laborem; nec consuetudo adeò est radicata, vt non possit mutari. Quamobrem dixit Deus populo suo, se ex eius i *iuuenibus suscitare Nazareos*, quos nunc Religiosos vocamus. & in eo respexit Concilium Tridentinum, cùm constituit, professionem in quacunque Religione tam virorum quàm mulierum non debere fieri ante decimum sextum annum expletum; &, quæ ante fieret, esset nulla. Quamuis diuina vocatio non his ætatibus alligata: & quando illa cum efficacitate adest, omnis ætas bona: (seruatis interim Ecclesiæ sanctæ, ac Religionum ipsarum decretis) illa enim, puerorum intelligentiam illustrat, vt (quemadmodum dixit Dauid) k *super senes intelligant*; & senum cor emollit, vt molliores sint, magisque dociles, quàm pueri & iuuenes. Paulus magni Antonij discipulus viam perfectionis inchoauit valde senex: eò tamen peruenit, vt stupenda, & maiora quàm eius Magister, opera efficeret. Cum enim tardiùs viam illam ingressus esset, accelerauit gressu, vt æquè proficeret, atq; qui citius peruenissent. Sancti Placidus & Maurus, alijque Sancti Benedicti discipuli in parua admodùm ætate inceperunt: sed super seipsos sese eleuarunt ad senum sanctitatem. ex quo deprehenditur ignorantia & carnalitas aliquorũ huius temporis hæreticorum dicentium, nullos esse admittendos ad professionem Religiosam ante annum septuagesimum aut octuagesimum, quod attuli, vt intelligatur, quod & ipsi sentiebant, statum Religiosum esse bonum, vt quis in eo moriatur: ex quo facilè inferre potuissent, etiam ad vitam in eo ducendam esse bonum; esseque magnæ felicitatis in eo statu viuere, in quo optamus mori.

i *Amos* 2.11

Sess. 25. c. 15.

k *Psal.* 118. 100.

Vide Bellar. *supra* ca. 35.

§. 2.

VLTERIVS etiam progreditur Prouidentia diuina, ostendens, quanti faciat ipsam Religionem, dum ex reliquis omnibus Ecclesiasticis statibus tam sæcularis, quàm Ecclesiasticæ Reipublicæ homines ad eum vocat ac deducit: hoc enim apertum indicium est, statum Religiosum reliquos excedere in omnibus, aut certè in aliquo, quod sit magis ad id vt propriam quis perfectionem & salutem consequatur. Nunquam enim Deus ex aliquo statu quemquam vocat, aut educit, nisi ad alium perfectiorem, aut securiorem. & vt à seculari Republica initium faciamus liberis & solutis omissis, ex quibus prospicitur reliquis omnibus statibus; & ipsi Religioso in multo maiori numero, quàm ex alijs. Sumamus initium ab statu Coniugali: ex quo diuina vocatio aliquos deducit ad Religionem, ex quodam singulari priuilegio ei in Euangelica lege concesso. Nam & si matrimonium ex natura sua sit status perpetuus, & indissolubi-

Status hic alios omnes excedit

1.

sis: voluit tamen Deus, dissolui posse antequam inter ipsos coniuges per carnalem copulam consummeretur; si alter illorum Religionem ingrediatur, & professionem in ea emittat: ita vt alter liber omninò maneat: vt si velit, aliud matrimonium ineat. Quod tamen priuilegium non est alicui sacro ordini etiam Sacerdotio, aut alteri statui Ecclesiæ concessum: non enim dissoluitur matrimonium ratum per vllum alium Ecclesiæ statum, nisi per Religionem: qua Religiosus moritur mundo, vt Christo soli viuat. Cùm igitur mors corporalis alterius coniugis vinculum dissoluat carnale matrimonij etiam consummati: non mirum est, si matrimonij solum rati vinculum dissoluatur, spirituali ac ciuili morte, quæ fit in Professione Religiosa. Ideoque DEVS speciali vocatione multis huiusmodi coniugibus inspirauit, vt relictis suis sponsis, aut coniugibus, ante consummationem transirent ad statum Religiosum, vt in perpetua castitate illi seruirent. Ita fecerunt Sanctæ Tecla, Cæcilia, Euphrasia; Sancti Alexius, Leobardus, & duo amici Sancti Augustini, præter alios, quos referunt historiæ Sanctorum. Nec desunt Doctores qui dicant Sanctum Ioannnem Euangelistam fuisse sponsum in nuptijs in Cana Galilæa, quibus CHRISTVS Dominus noster interfuit quasi eas approbans, suáque præsentia maiorem eis adferens splendorem: Si enim illæ non fuissent licitæ, non ipse illis interfuisset. Sed vt intelligeretur, esse alium statum excelsiorem: initium dedit (vt ait Nicolaus Liranus) prædicto vitæ Religiosæ priuilegio, cùm ipsum sponsum vocauit ad perpetuam virginitatem, in Societate & schola sua seruandam. Et quamuis hæc historia non sit adeò certa; certissimum tamen est, CHRISTVM Dominum nostrum vocasse ad suum Apostolatum Sanctum Petrum, qui erat coniugatus, habebatque filios; vxore eius præbente consensum: vt sic initium daret vocationi multorum similium coniugum, quam facere cogitabat, educendo eos ad vitam Religiosam: vt carnales nuptias ex communi vtriusque consensu (sine quo non possunt se inuicem separare) in spiritualem continentiam in statu Religioso profitentium commutaret. Præclarissimum fuit exemplum Paulini, viri suo tempore nobilissimi, diuitis, ac sapientis: qui cum sancta sua coniuge Tharasia perpetuam seruauit castitatem in vita Religiosa. Sed nolo fuisse in antiquis exemplis recensendis, cum quotidie recentia videamus.

Ita definiuit Tridentinum sess. 24. Can. 6.

Bellar. supra S. Ambros. lib. 2. de virgin. S. Aug. lib. 8. Conf. c. 16. S. Greg. li. 3. Dialog. c. 14 Pallad. in hist. c. 8. de Amone, refert S. Hieronymum.

S. Hieron. epist. 3. vocat Monachum.

2.

VENIAMVS ad statum Principum, Regum, & Imperatorum, quem homines huius mundi tanti faciunt, & in eo constitutis inuident: eò quòd in eo simul sint opulentiæ, voluptates, ac deliciæ, honor, authoritas, & potestas, & quidquid mundani homines appetunt: & nihilominus voluit Dominus noster supernæ suæ

vocationis efficacitatem, ostendere, educendo multos ex eo statu ad Religiosum, deserentes regna imperia, & omnem amplitudinem ac diuitias quas in eo possidebant, & amplectentes Paupertatem, Obedientiam, & Subiectionem in vita Religiosa. Pater Hieronymus Platus in præclaro suo libro; quem de bono status Religiosi edidit, magnum quendam texit catalogum harum vocationum; in quo refert septem Cæsares, & quinque Imperatrices; quatuordecim Reges, ac decem Reginas, præter innumeram multitudinem filiorum & filiarum Regum, Ducum, Comitum, Marchionum, & personarum Illustrissimarum ac ditissimarum, quæ Dei vocatione, rebus omnibus renunciantes, amplexæ sunt statum Religiosum, quem Dominus noster tanquam instrumenta quædam accepit, quibus reipsa ostenderet rerum huius mundi vilitatem; & præstantiam, magnumque excessum, quo vita Religiosa illas excedit: quamuis hæc paupercula, despectaque videatur. Legeram (inquit Sanctus Bernardus) quod Sanctus Apostolus dixerat: *non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes vocat Deus.* at nunc præter Regulam, mira Dei potentia, talium conuertitur multitudo, vilescit gloria præsens; iuuentutis flos conculcatur; non reputatur generositas; Sapientia mundi, stultitia iudicatur; non acquiescitur carni & sanguini; parentum & charorum renunciatur affectibus; fauores & honores ac dignitates reputantur vt stercora, vt Christus lucri fiat. Quos ipse mundus propterea iudicat esse magnos, quod tantum animi & fortitudinis habuerint, vt res adeò magnas conculcarint. Iidem strenui viri opere pio confirmarunt veritatem sententiæ, quam S. Ioannes Chrysostomus præclara sua eloquentia affirmat, multisque rationibus ostendit Religionem, præstantiorē esse, magisq; glorioſam & amandā, quàm Regiā dignitatem: itaque dem tales viri tanta animi sui voluptate Regiæ dignitati renunciarint, vt Religionem profiterentur, in qua sunt Reges per excellentiam: vt qui seipsos regere sciant, possintque pugnare, ac vincere infensissimos hostes, suas illicet passiones; & regio quodam animo ponunt sub pedibus suis, quæ mundus collocat super suum caput, & viuunt in quiete & pace absq; timoribus & terroribus: quia nihil desiderant, & omnia contemnunt, quæ sunt in hac vita. Quare tragicus Seneca dixit: Rex est, qui nihil metuit: hoc sibi regnum quisque dat: nam cum cœlesti auxilio potest illud consequi; ita vt neque in vita, neque in morte timeat. Morietur enim securè, sciens, se ob contemptum temporale Regnum aliud sperare æternum & immensum, quod nunquam amittet.

Lib. 1. cap. 26 & 27.

2. Cor. 1. 26. Epist. 110.

L. 2. contra impugnato. Religion & serm. de cõparatio Regis & Monachi. Vide Platũ lib. 2. cap. 16

TRANSEAMVS nunc ad Rempublicam Ecclesiasticam, ex qua diuina vocatio innumeros viros ad Religiosam Rempublicam condendam, & amplificandam educit. Et olim Sacerdotes & Episcopi educebantur ex

ipsis Religionibus, in quibus iam perfecti euaserant : vt propria muni- *Iap. 2.*
feliciùs exercere possent, vt supra est dictum: postquam autem hi duo sta-
tus distincti fuerunt ac segregari : vt ostenderet Dominus noster Religio-
si status excellentiam, multos ex Sacerdotali statu vocauit ad Religionẽ am-
plectendam, vt in ea se magis perficerent. Sacerdotalis enim dignitas, quæ
Religiosæ Professioni alias præstat; cum huic coniungitur, plurimum pro-
fecit, ad sua ministeria perfectiùs obeunda. Quare etiamsi Sacerdotes Paro- 2.2.q.189.a.7
chi sint, & animarum curam gerant: sed quoniam non se obstringunt voto
illis attendendi, possunt, (vt S. Thomas probat) officium illud relinquere,
& ingredi quãcunque Religionem, etiam inter alias minùs perfectam, vt in
ea propriæ saluti & perfectioni attendant. Et ipsa Ecclesia potestatem eis 19 q. 2. c.
id facit, etiam Episcopo repugnante, quando ex instinctu Spiritus San- *sunt duæ le-*
cti ad perfectam adeò vitam adspirant. Alia tamen est ratio de ipsis Epi- *ges.*
scopis, quorum status est Religioso præstantior, vtpote virorum iam per *S. Thom. 2.2.*
fectorum, & qui speciali voto ad bonum animarum subditorum suorum *q. 185. a. 4.*
procurandum sese obstrinxerunt. Ac propterea non licet illis absque Sum-
mi Pontificis facultate, Episcopatui renunciare, & ad Religionem transire, C *nisi cum*
iuxta id quod Innocentius III. cuidam Episcopo scripsit: si pennas ha- *primum ex*
bes, quibus satagas in solitudinem auolare : ita tamen illæ strictæ sunt ne- *tra de re-*
xibus præceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione vo- *nunciatione*
latum. Sæpè tamen Dominus noster sancta sua vocatione dat Episcopis hu-
iusmodi alas, inspirans eis volatum hunc ad solitudinem status Religiosi,
tanquam securioris magisque collecti : præcipuè cùm adest aliquod im-
pedimentum ad proprium officium rectè peragendum. Qua ratione Re- *Vide Platũ*
ligiosam vitam hoc honore & ornamento afficit, non solùm educens ex ea *lib. 2. c. 27.*
innumeros & excellentes Episcopos ac Pontifices ad Ecclesiæ suæ bonum *& 29.*
& ornamentum; sed etiam eosdem reuocans, vt postquam aliquo tempo- Exempla
re bene suo munere sunt perfuncti, illud deserant; & redeant ad quietem, Pontifi-
quam in angulo Religionis prius habebant. Quod fecit Cælestinus V. qui cum & E-
electus ex Religione ad Summum Pontificatum, intra sex menses, illum piscopo-
resignans ac deserens, cum totius mundi stupore ad priorem suum statum rum.
est reuersus. Et S. Gregor. Nazianz. suum etiam deseruit Episcopatum, vt
sic optatam suam solitudinem se reciperet. Et multi alij idem fecerunt, oc-
cultãtes Episcopalem dignitatem, vt cum maiori humilitate in Religione vi-
nerent, alijsq; seruirent; fugiẽtes honorẽ, quem ipsorũ dignitas merebatur.

Denique diuina Prouidentia fauere voluit parti Religionum, exten- 4.
dens & amplificans illas per omnes totius Christianitatis nationes ac pro-
uincias, conuocans ex eis omnibus homines ad eas condendas, ne vlla esset
Christiana natio, quæ non esset particeps domus huius, quam ad suam glo-

riam ipse erexit. Et propter eandem causam voluit: fundatores Religionum esse nationum diuersarum. Nam SS. Benedictus, & Franciscus fuerunt natione Itali; SS. Brunus & Bernardus, Galli; SS. Dominicus & Ignarius, Hispani; & alij fuerunt aliarum nationum. Et ipsæ Religiones inceperunt etiam in diuersis Prouincijs: aliquæ in Italia; aliæ in Hispania, aut Gallia, aut Germania: vt omnes honorem hunc assequerentur illustrium adeò familiarum nobilitate & præstantia: & ita maiori inter se amore coniungerentur, dum hoc bonum aliæ ab alijs participarent.

CAPVT III.

DEVM DOMINVM NOSTRVM SENSIM PER *conciones & exhortationes Religiosorum, & præclara exempla, feruentesque eorum Orationes, vocare multos ad statum Religiosum.*

Tract. 1. c. 2. & 22. Vocatio Dei ad Religionem duplex.

VOCATIO ad statum Religiosum miram illam varietatem habet, quam posuimus in primo Tomo, habere vocationem ad ingressum in Ecclesiam, aut gratiæ statum. Alia enim est interna, quam Deus efficit per seipsum & suas illustrationes & inspirationes; alia est externa, quam facit per alios homines, quos assumpsit tanquam instrumenta ad eam faciendam: quales sunt Concionatores & Confessarij, alijque viri spirituales & feruentes. Quorum consilijs, bonis

Colla. 3. c. 4

Tract. 3. c. 9

que exemplis (vt ait Cassianus) alios ad Religionem vocat, non minori efficacitate, quàm cum id per seipsum facit. Inter hos viros primum locum (vt supra est dictum) obtinent ipsarum Religionum fundatores; & post eos viri valde exemplares, qui quasi earundem sunt columnæ. Nam quemadmodum Christus Dominus noster per seipsum vocauit duodecim Apostolos, & alios discipulos; sed per eos postea vocauit & conuertit reliquum mundum ad suam condendam Ecclesiam: ita etiam per seipsum vocationem speciali vocauit Religionum fundatores, addens eis numerum aliquem selectorum sociorum, quibus succedunt alij, per quos plures postea vocat ad familiam eam condendam & promouendam. Et hoc est quod Salomon dixit: a *Sapientiam* diuinam postquam domum suam ædificasset, *misisse ancillas suas, vt* multos *vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis*, quam enim primo domum appellauit, eam nunc ciuitatem appellat, arcem habentem & mu-

a *Prou. 9. 3.*

ros.

res. Quamuis enim Religio, quoad substantiam, vna sit, complectitur tamen quasi ciuitas quædam multas domos, & variorum Institutorum familias, circumdatas muris diuinæ protectionis, & votorum, & clausurarum suarum; & omnes arcem suam habent, celsitudinem scilicet Euangelicæ perfectionis, quam profitentur; ad quam conscendunt Religiosi vitæ præclarioris exempli, quos ancillas siue seruos appellat, (vt legunt Sancti Cyprianus & Augustinus) eò quod innitantur profundæ Humilitati, Obedientiæ, & Subiectioni. Et quemadmodum inter homines non omnes, qui alteri seruiunt, vocantur serui aut mancipia: sed ij tantùm, qui ita sunt perpetuo seruitio obstricti, vt nec fugere possint, nec seruitutem deserere: nec seruiunt vt mercedem lucrentur; nec sibi ipsis quicquam retinent; sed quæcunque habent, sunt Dominorum ipsorum: ita perfecti Religiosi, quamuis filiorum spiritu seruiant, ob castum & purum amorem, & non ob seruilem timorem; sunt tamen serui Dei & Iesu Christi, eò quod professionis suæ votis seipsos deuinxerunt perpetuo Dei seruitio, ita vt nec fugere possint; neque felicem hanc & ingenuam seruitutem deserere: nec seruiunt intuitu mercedis; sed ex obligatione, qua tenentur Domino, à quo conditi fuerunt ac redempti: & quæcunque suis laboribus lucrantur, cedunt in gloriam Domini ipsorum; & ad limites ciuitatis, ac domus Religionis, & Ecclesiæ eius terminos amplificandos. Neque in his proprio libitu aut voluntate diriguntur, sed voluntate ac directione Domini sui, illos mittentis & dirigentis. Ac propterea dicitur diuina *Sapientia* misisse ancillas suas, *vt vocarent ad arcem*. quorum verborum duplex est insignis ac præclarus sensus.

Religiosi serui domini.

ALTER est, quod seruos suos miserit, quasi legatos & nuncios ad vocandos & inuitandos homines, non solùm ad habitandum & manendum in ciuitate Ecclesiæ, sed etiam ad eius culmen conscendendum, profitentes Euangelicam perfectionem in Religione, quam illi inchoant.

Vide Iäsen. in illa verba: misit ad arcem vt vocarent.

ALTER tamen sensus est magis adhuc mysticus: quod ipsos seruos miserit, vt ipsam arcem & muros ciuitatis conscenderent, hoc est perfectionis celsitudinem, vt inde homines vocarent, qui ad eundem locum ascenderent, iuxta illam Isaiæ prophetiam, dicentis: b *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem*: c *quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem*. Tale enim est Saluatoris nostri consilium, vt primum perfectionis montem conscendant qui eius instrumenta sunt futuri ad eandem prædican-

b *Isai. 40. 9*

c *Cap 52. 7.*

dam;

dam; & homines vocandos, qui eam sequantur. Ac propterea, cùm ipse euangelicæ perfectionis legem voluit promulgare, d *ascendit in montem* excelsum, qui, S. Augustè teste, significabat eius doctrinæ celsitudinem: & simul conduxit suos discipulos, futuros postea eiusdem doctrinæ praedicatores. Huncigitur in modum etiam nunc cupit; antiquos Religiosos perfectionis, quam profitentur, sub limitatem conscendere; & alios postea vocari, qui in eadem ipsos imitentur.

d *Mat.* 5.

§. 1.

EX Qvo fit, vt cum alios ad se vocant (vt docet S. Thomas) non solùm non malè faciant, si debitâ prudentia & moderatione, absque violentia, aut fraude progrediantur: quin potiùs rem faciant Domino nostro gratissimam, impulsum sequentes Spiritus sancti, illos ad id impellentis, iuxta verbum illud Sancti Ioannis: a *qui audit, dicat, veni*: hoc est, qui Dei vocem audit, oret ipsum supplex, vt veniat ad regnandum in hominibus per gratiam; & inuitet alios ad eandem participandam; fruendumque bonis, quibus ipse gaudet. Quemadmodum Sanctus Andreas, statim atque Christum Dominum nostrum nouit, fratrem suum Petrum vocauit, & b *adduxit eum ad* IESVM: perfecta enim charitas non est inuidiosa, neque proprium tantùm quærit commodum; sed multorum, & præcipue fratrum suorum; & cupit, vt omnes ipsam comitentur in amando, quem ipsa amat; & amplectendum ac possidendum thesaurum, quem ipsa possidet. Et quis hominum, inueniens aurifodinam adeò copiosam, vt sufficere non solùm ad ipsum, sed etiam ad omnes suos cognatos & amicos diuitiados, non illis eandem statim ostenderet; vt cum ipso venientes aurum simul ex ea acciperent? & nominatim, si in ipsius lucrum & vtilitatem cederet, quod alij quoque thesaurum sibi ex ea compararent? Quid igitur mirum, quod qui Religionis thesaurum in campo aliàs absconditum inuenit, & immensum eius valorem agnouit; statum illum amicis & notis suis manifestet; vt ad eum possidendum accedant, & ita secum multos alios ad Religionem adducat, qui thesauris in ea existentibus fruantur? ita fecit Sanctus Bernardus, cùm à Deo ad Ordinem Cisterciensium vocaretur: non enim satis sibi esse existimans, quod solus ingrederetur, ex cognatis & amicis triginta socios collegit, quos secum ad eum deduxit; ac sensim vocauit omnes fratres suos, & multos alios ex diuersis prouincijs. Nam quemadmodum homines huius sæculi optant, post se relinquere filios, qui familiam suam conseruent; & ita, si illos relinquant, cum magna consolatione moriuntur: nam vt dixit Ecclesiasticus: etsi c *mortuus est Pater*, tamen *quasi non est mortuus. Similem enim reliquit post se*, in quo viuit eius memoria

1. 2. q. 189.

2 *Apoc.* 22. 17.

Alios secũ ad Religionem trahere quam bonum sit aliorum exemplis patet.

b *Ioan.* 1. 41

c *Eccl.* 30. 4.

ita etiam Religiosi sanctè desiderant, & studeant, spirituales filios post se relinquere, qui Religiosam suam familiam conseruent; & vlteriùs promoueant, quod ipsi inchoarunt, aut conseruarunt. Quos etiam ipse Deus ad id faciendum impellit: quemadmodum cùm voluit Eliam ex hoc mundo transferre, iussit vocare Elisæum, qui ei in statu prophetico succederet. qui, d *cum venisset ad Elisæum, misit pallium suum super illum*, quasi habitum Prophetæ ei traderet, dixitque ei: *quod meum erat feci tibi*, transmittens in te spiritum meum, qui Elisæus statim vocationi illi obtemperauit, & *secutus est Eliam* vt proximo capite retulimus. d 3 Reg. 19. 19

Sed quoniam nec verba nec rationes hominis etiam Sanctialiquid valent, nisi Deus cordis portam aperiat, vt eas audiat, & admittat, loquens scilicet etiam ipse sancta sua inspiratione: opus est, vt, qui alterum voluerit inducere & permouere ad sectandam perfectionem, eum in modum loquatur, quem Apostolus insinuauit, dicens: e *ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur*. *Sinceritas* tunc aderit, si rationes cum pura gloriæ Dei & boni animarum intentione adferantur, non admixtis respectibus terrenis, vanis, aut propriorum commodorum. Hæc enim vocatio non debet inniti (vt idem Apostolus dixit) f *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed spiritui & virtuti Dei*. Quare non debet proferri sermo cum aliquo passionis impetu, aut inordinato affectu qui solet esse cæcus, præceps ac temerarius; sed *ex Deo*, cum motione scilicet & inspiratione ipsius Dei: vt prodeat quasi à diuinæ sapientiæ instrumento; ad vocandos homines, qui in domo eius ipsi seruiant. Et quoniam inspiratio Dei, quieta est, & tranquilla, facitque vt sentiatur quod loquitur, magnam vim & efficacitatem verbis adfert. Et vt Apostolus dixit g *quinque* huiusmodi *verba* tali stylo prolata, præstant *decem millibus* alio spiritu prolatis: quia non stylus hominis loquentis sunt verba; sed ipsius Dei, qui per os hominis loquitur. Ad idem confert tertia conditio siue circumstantia, quam posuit Apostolus, vt scilicet sermo sit *coram Deo*: quasi sermo ipse fiat in eius præsentia: quem supplices oremus, vt ipse loquatur, nostrosque suppleat defectus. Nam cùm aliquis cogitur de negotio aliquo cum insigni viro loqui: is studet cum humilitate & subiectione loqui, petitque ab eo dirigi; & magna illius sapientia, suum suppleri defectum. Quare loqui coram Deo, est cum timore, ac diuinæ maiestatis reuerentia loqui: orando cum magna animi demissione, vt cùm sit præsens, dignetur verba illa in cor audientis immittere. Ac denique omnes rationes, quæ proponentur, sint de Christo Domino: vt, qui eas audit, permoueatur ad eius imitationem: qui præcipuus est Religiosæ vocationis finis, non flectendo voluntatem ad particularem aliquem, ipsum imitandi modum; sed eiusdem Saluato-

e 2. Cor. 2. 17 Sinceritas ad alios mouendos necessaria. f 1. Cor. 2. 4.

Inspiratio Dei quieta. g 1. Cor. 14. 19.

Loqui coram Deo quid sit.

ris prouidentiæ id relinquendo. Is enim feruentes suos prædicatores ita requitur, vt in cordibus audientium exactiùs repetat verba, quæ audierunt. Ac propterea Sapiens dixit: ipsam *diuinam Sapientiam*, cùm *misit ancillas suas vt vocarent ad arcem*, etiam per se h *loquutam esse insipientibus*, & internam vocatione illos vocasse. Et ipsemet Saluator dixit: sic esse regnum Dei quemadmodum si homo i *iaciat sementem in terram*, & dormiat; *& semen germinet, & increscat, dum nescit ille.* Diuina enim prouidentia curam suscipit sementis, daturque ipsum augmentum: quare vocanti incumbit tantùm sementem vocationis externo suo verbo iacere in corda audientium; & confidere diuinæ prouidentiæ, quod sit reliqua suppletura. Ita fecit quidam Religiosus Ordinis Sancti Dominici, qui cùm visitasset quendam virum læcularem mulris delitijs deditum; ei valedicens, dixit verba illa Isaiæ: *i subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*, & ita discessit, committens Domino nostro, vt illi sementi virtutem & efficacitatem daret. Quod ille fecit sufficiter: nam repetens ad cor eius viri eadem verba, adeò profundè illud penetrarunt, vt relictis omnibus, decreuerit ingredi Religionem.

h Prou. 9. 4.

i Marc. 4. 26.

Inspec. exempl. verbo Conuersio. exemp. 23. Plat. l. 3. c. 8.

i Isai. 14. 11.

§. 2.

SED QVONIAM hortari verbis & rationibus ad perfectionis statum amplectendum non semper est medium satis accommodatum & efficax ad omninò persuadendum: est aliud magis vniuersale, minusque suspectum, per exempla scilicet insignis sanctitatis, quæ ipsis oculis annuntur, quæ (vt in primo tomo est dictum) sunt Vocationis diuinæ media ad conuertendos peccatores, & iustos perficiendos: immò etiam ad vtrosque permouendos, vt Religiosum statum amplectantur. Sanctorum enim (vt ait Sanctus Gregorius) viua quædam lectio, non solùm perfectionis Euangelicæ; sed facilitatis quoque & iucunditatis, quæ sentitur in eius exercitio. Videntes enim alios homines similes nobis exercentes cum magna tranquillitate & iucunditate virtutes Religiosas: concipimus spem, quod & nos poterimus eadem exercere. Et tunc accedit Spiritus Sancti inspiratio, commutans cor timidum & ignauum in animosum; additque illi spiritum & animum, vt sese illis coniungat ad conuiuendum. Meminerimus congregationis filiorum Prophetarum, quam supra diximus fuisse illius temporis Religiosos, qui descendebant *ex excelso Dei* & ante eos præcedebant *psalterium & tympanum, & tubia & cythara, prophetantes & laudantes Deum* in illis instrumentis, quod videns Saul, cùm esset humilis, & paruus in oculis suis, *insiluit in eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum*, cum tanta omnium admiratione, vt dicerent

Tract 1. c. 12. & tract 4. c. 11.

Lib. 24. Mor. cap. 18.

a 1. Reg. 10. 5. 10.

In Duce spirit. tract 1. c. 9. § 4. aliàs ob causam hoc fuit explicatum.

Lib. simi-

ad inuicem: quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter Prophetas? quid autem totum illud fuit aliud, quàm imago quædam mutationis, quam diuina vocatio efficit per boni exempli Religiosos: quorum exercitia significantur per *Psalteria* decem chordarum: & per *tympana*, quæ conficiuntur ex pellibus mortuorum animalium; & per *cytharas*, quæ musicam reddunt valde suauem; & per *tibias*: quæ in exequijs inflabantur. Nam ferè omnes Religiones fundantur in diuinorum præceptorum & consiliorum obedientia, in mortificatione carnis, eiusque passionum ac sensuum; in laudibus Dei cum orationibus & canticis; & in ministerijs erga proximos, quorum miserijs illi compatiuntur. His adeò præclaris operibus, quæ multi simul cum animorum coniunctione, & magno spiritus feruore exercent efficitur cœlestem quandam harmoniam, quæ homines sæculares, illam videntes, valde ædificat, ac lætificat; & sæpè euenit vt repentè spiritus Domini in eos descendat, inspiretque, vt sanctæ adeò Congregationi sese coniungant; mutans eos in viros alios, vt desinant esse quod priùs erant; & incipiant esse quod non erant. Nam (vt Sanctus Gregorius perpendit, moralem huius historiæ sensum proponens) qui priùs erat carnalis, incipit esse spiritualis; qui tepidus valde esse solebat, incipit esse valde feruens; qui priùs effundebatur ad res externas, & negotijs sæcularibus ac prophanis totus extimmersus, repentè se videt ab eis expeditum, rebusque internis omninò intentum & addictum; temporalia omnia contemnentem & suspirantem æterna; ideoque, cùm seipsum aspicit, non agnoscit: quod videat se ita mutatum; obstupescit, cùm cogitat, quid fuerit, & quid iam sit; & quomodo possit adeò diuersus esse, quàm antea fuerit. Eodem etiam stupore tenentur, qui paulò ante eundem viderunt adeò longè distantem ab eo, qui nunc est; dicuntq; sibi mutuò, quænam res accidit huic viro, qui ab huiusmodi cogitationibus adeò remotus erat? heri inter homines sæculares versabatur, omnique vitiorum generi seruiebat; nunc autem eundem videmus inter Prophetas, recollectum inter Religiosos, occupari in exercitijs humilibus. Quid hoc rei? quis tantam attulit mutationem? quibus medijs & rationibus ad eam faciendam est inductus? à te Deus meus, sunt huiusmodi mutationes: b *hæc* verè *mutatio dexteræ excelsi*: quæ talem suggerit inspirationem, ac perficit vocationem, quæ tanquam medio vtitur exemplari Religiosorum perfectorum vita, qua homines sæculares verè in alios viros permutas! alij enim vitam suam mutant illecti rara & excellenti obedientia, quæ in aliquibus Religionibus præluceat; alij afficiuntur magis aspetitate & seueritate, quàm in alijs Religionibus vident; alij magis admirantur coniunctionem & charitatem mutuam & zelum proximorum animas iuuandi; alij trahuntur magis oratione, choro, & alijs diuini cultus

Lib. 4. Reg. c. 5.

b *Psal. 66. 11*

operibus: quisque tamen ex Dei vocatione eam Religionem eligit, in qua magis videt elucere, quod illi adfert maiorem admirationem; magisque excitat ad sectandam deuotionem. Stupenda fuit viri cuiusdam nobilissimi ditissimi vocatio, qui accedens ad monasterium Clareuallense, & ingressus Capitulum, in quo Monachi erant, vt ab eis peteret Orationes apud Deum, animaduertens ordinem; magnamque quietem, quam ibi seruabant, & vultus eorum quasi Angelicos, repentè sensit interius moueri, tantaque illi esse mutatum, vt statim decreuerit & constituerit, in sancta illa Societate permanere, nec ab ea amplius exire, nec quidem vt suis valediceret, aut de suis negotijs aliquid statueret.

Viri nobilis stupenda vocatio.

Diuina vocatione etiam discoli permouentur.

SED vlteriùs progrediuntur stupendæ mutationes in hoc diuinæ vocationis genere. Non enim pij tantùm, bonæque conscientiæ homines huiusmodi exemplis permouentur; sed etiam discoli valde in suis malis (qui tanquam hostes alios Religiosos persequuntur, sicut Saulus persequebatur Christianos) permutantur etiam cum eis, accedente spiritu Domini potenti sua vocatione, ad eos permutandos. Non fuit adeò durum, quod Saul cùm in suis oculis esset paruulus, mutaretur videns filios Prophetarum: sed illud meritò admirationem adfert, quòd idem ipse uenerit, cum infensus esset Dauidi, quem crudeliter persequebatur. Nam tunc (ait Scriptura diuina) c *misit Saul lictores, vt raperent Dauid*: qui cum *vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super* [illos] *factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cùm nunciatum esset Sauli, misit & alios nuncios: prophetarunt autem & illi, & rursum misit Saul tertios nuncios, qui & ipsi prophetarunt. Et vehementius tracundia Saul* voluit ipsemet ire ac Dauidem comprehendere, & cum *peruenisset ad locum*, vbi erant Prophetæ laudantes Deum, *factus est etiam super eum spiritus Domini, & exspoliauit ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecidit* (siue vt alius textus habet, cecinit) *nudus tota die illa & nocte.* O diuinæ Sapientiæ altitudinem! ô diuinæ vocationis efficacitatem! fugiens Dauid hostes suos, confugit ad filios Prophetarum sibi persuadens, se inter illos ob protectionem & curam, quam Deus illorum gerit, fore tutum; nec deceptus est; nihil enim tutius, quàm ex mundo fugere, & ad Religionem se recipere, in qua Deus noster peculiari sua prouidentia Religiosos protegit, & ab hostibus ac persequentibus tuetur. Sed quomodo eos tuetur? mittens scilicet illis sæpè cœlestis inspirationis suæ spiritum, quo ex inimicis reddit amicos; & ex persequentibus, imitatores perfectionis, quam antea persequebantur. Nam quamuis adeò sint duri & obstinati, sicut ipse Saul; diuina tamen gratia est potentior, & vel ipso adeò sanctæ Congregationis aspectu, ita illos permutat, vt

c 1. *Reg.* 19. 20.

Nihil tutius quam ad Religionem.

rtiet se prophanis suis vestibus exuant, induant verò *Ephod*, vestem scilicet Religiosam; & ita die ac nocte occupentur in laudibus Dei, cuius hæ sunt mutationes. Stupendus fuit casus, qui Sancto Bernardo euenit cum quodam homine cupiente peruerterequendam nouitium, & multa mala de Religiosis obloquentem: cui ipse prædixit, fore vt & ipse fieret Religiosus, qui valde propter hoc verbum iratus, respondit, se in hoc aduertere Sanctum Bernardum esse falsum Prophetam, vt qui nunquam esset visurus, quod prædicebat: Sed præualuit gratia & misericordia Domini, quæ breui post tempore ita illum permutauit memoria & recordatione exemplorum, quæ apud ipsos Religiosos viderat: vt decreuerit & constituerit illos imitari; & sæculari habitu deposito, Religiosum induere, & professionem amplecti reliquorum Religiosorum.

Casus memorabilis.

Lib 4. c. 3. vita eius.

§. 3.

EX His licet colligere, quam teneamur, qui sumus Religiosi, exemplarē adeò vitam instituere, vt valeat peccatores conuertere; ac tepidis, qui nobis se coniunxerint, adferre feruorem: nobis certò persuadentes, quod possimus bonis nostris exemplis, quæ sunt muti prædicatores, conuocare multos; qui, quam profitemur Religionē, promoueāt. Meminerimus, quando in publicum prodimus, debere nos instar filiorum Prophetarum; musitatis sanctorum operum instituti nostri instrumenta præferre, tanta quiete ac modestia, tanto ordine & feruore spiritus, vt omues aspicientes recreent, & alliciant; quibus tanquam tibijs vtatur Deus ad eos vocandos, quos ad nostrum Institutum prælegit. Ducamus honori quod ancillæ simus diuinæ Sapientiæ, & ascendamus ad Euangelicæ perfectionis arcem adeo perfectam, talem ducentes vitam, vt ipsamet clamet, vocetque homines, qui illam sequantur. & ita a *opera nostra coram hominibus* splendeant, vt *glorificent patrem nostrum qui in cœlis est*; & matrem nostram, ipsam scilicet Religionem. Propterea enim dixit Salomon: b *filium sapientem lætificare patrem; filium verò stultum mœstitiam esse matris suæ.* Ignaui enim Religiosi ac tepidi, à perfecta vita religiosa degenerantes, contristant matrem suam, hoc est, Religionem; & quod in ipsis est, eius opinionem apud alios imminuunt, & afficiunt iniuria; multisque filijs eam priuant, qui eandem potuissent exornare & amplificare: At feruentes & perfecti & ipsum Deum, & religionem lætificant, adducentes multos ad eam amplectendam; de quorum mutatione exultant Angeli, huius familiæ custodes; & iusti, qui eiusdem sunt membra. Qui alia quoque speciali obligatione tenentur ad iuuandam & promouendam Instituti sui conseruationem & amplificatio-

a *Mat. 5. 16.*

b *Pro. 10. 1.*

nem continuis suis ac feruentibus orationibus, quibus ieiunia etiam & alias pœnitentias adiungant. Orationes enim Religiosorum, media sunt quibus diuina prouidentia vtitur, ad vocandos homines, vt illos imitentur. Neque Oratio dat solùm verbis & exemplis Religiosorum efficaciam; sed ipsa etiam sola potens est hanc apud Deum vocationem impetrare. Et quamuis ipsi in Eremo versentur, nec habeant consuetudinem cum sæcularibus hominibus, neque ab eis videantur, (quales erant primi Monachi Cistercienses) poterũt tamẽ suis Orationibus à Deo obtinere, vt possint, tangatque multorum fidelium corda: vt ad suam familiam augendam & dilatandam, accedant. De Sancto Dominico scribitur quòd, petentibus suis Monachis, orauerit Deum, vt Magistrum quendam Reginaldum ad ipsius ordinem vocaret: &, cùm nec verbo cum eo hac de re actum esset, sequenti tamen die hora Primæ, venit Reginaldus, & petijt Ordinis illius habitum.

c *Luc.*11.9. promissio enim illa Saluatoris non habet limitem aut terminum: c *petite & dabitur vobis, Et* d *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, &* e *arbori huic: eradicare & transplantare in mare: obediet vobis.* Nam diuina Omnipotentia propter vestram Orationem, fidei adeoq; feruenti fiduciæ coniunctam, ita cor hominis, etiam profundissimas radices in mundo habens, tanget, vt ipsemet gaudens relinquat omnia, seque in ipsam Religionem transferat. Nec sine mysterio Dominus noster hanc f *fidem* comparat cum *grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus; sed cùm creuerit, maius est omnibus oleribus. & fit arbor, ita vt volucres cœli habitent in ramis eius.* Nam vnusquisque Religiosus deberet esse sicut illud granum: paruus quidem ob humilitatem; sed magnus & efficax ob spiritus feruorem: ita contendendo in perfectione crescere, vt multi sæculares ad ipsius Societatem accedant. Et cùm pro seipso orat, potest ac debet hoc titulo & nomine, inter alia petere humiliter, ita se perfectum ac feruentem fieri, vt multi alij per ipsum accedant, ad DEO magna cum perfectione seruiendum. Talis fuit sponsæ Oratio, dilecto suo dicentis: g *trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* quasi distinctiùs dixerit: trahe me, DEVS meus, tanta vi & efficacitate vt in tuo seruitio magno feruore curram: me enim sic currente, non solùm te sequar; sed meis Orationibus, colloquijs, & exemplis contendam, vt multi alij mecum simul currant, excitati & recreati odore præstantium donorum, quæ amplectentibus Euangelica consilia largiris.

f *Mat.*13.31.

g *Cant.*1.3.

CAPVT

CAPVT IV.

DOMINVM DEVM NOSTRVM AD RELIgiosum statum vocare, manifestando vocatis diuina sua luce duplex diluuium, culparum & pœnarum, quibus mundus inundat, & naufragium facit.

VM DIVINA VOCATIO, de qua nunc agimus, efficere intendat mutationem quandam spiritualem, educendo hominem ex loco periculoso, in quo versatur, ipso scilicet mundo; & trãsferendo ad locum tutiorem, hoc est ipsam Religionem, eum in modum quo Deus dixit Abrahamo: a *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Fit vt via duplici, quod intendit, consequatur. Aliquando enim luce sua supernaturali calamitates & pericula huius mundi nobis manifestat; aut in ea incidere permittit: vt ea horreamus & euitemus; aliquando bona & excellentias Religionis ostendit, aut etiam delibandas præbet; vt illam amemus & amplectamur, quamuis semper cùm horum vnum aperte manifestat, aliquid alterius ostendit, propter connexionem, quam hæc duo inter se habent. Quoniam autem homines efficaciùs moueri solent timore malorum, quæ oculis cernunt; quàm spe bonorum, quæ tantùm fide credunt: solet etiam diuina Vocatio incipere à manifestatione ingentium malorum huius mundi, non dico mundi, qua etiam infideles complectitur; sed quà est congregatio peccatorum: qui, etsi fidem teneant, effrenes tamen sunt ad delicias, diuitias, & honores mundanos: quorum tamen & miserias fusiùs indicauimus initio primi Tomi, quibus ea nunc addemus, quæ ad præsens faciunt institutum.

a Gen. 12. 1.

Tract. 1. ca. 1. & 6.

§. 1.

COGITEMVS itaque mundum hunc duplici diluuio submersum, altero culparum, altero pœnarum earundem. Quemadmodum enim in diebus Noe a *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*, hoc est maris, & *cataractæ cæli*, hoc est nubes, *apertæ, sunt*; factumque est diluuium magnum, quo

a Gen 7. 11.

omnes

omnes homines ob sua peccata perierunt ; paucis exceptis, qui D[ei] spiratione & mandato in arcam se receperunt. Ita licet existimare, fo[ntes] & flumina amoris proprij, hoc est, carnis propensiones, ruptas & com[mo]tas esse; & propter eas fuisse inferni portas apertas; vt exeuntes inde c[ae]nes ad homines tentandos, diluuio illos submergant innumerabilium p[e]catorũ; quod sequatur alterũ pœnarum, & miseriarum innumerabili[um] rum aliquas cœlum immittet; aliæ ab ipsamet effræni carne proueniet aliæ, quas ipsimet homines fouent ac promouent, dum alij alios perse[qu]tur. Propter quod Oseas Propheta gemens dixit: b *non est veritas: & n[on] misericordia, & non est scientia* DEI *in terra: maledictum, & mendacium, & h[o]cidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tet[i]git: propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & volucre cœli: sed & pisces maris congregabuntur*, & peribunt. Quibus ver[is] aptius exprimi potuerunt hæc diluuia, quæ fluctuum suorum multitud[ine] adeò furiosè mundum submergunt, vt fluctus vnus peccatorum alterum [se]quatur; & culparum abyssus, pœnarum conuocet abyssum, ob conta[gi]nem, quam inter se mutuò habent? nam si deest in mundo veritas, [ea] replebitur mendacijs ac falsitatibus; & si non est fidelitas, quid erit nisi [de]lationes, & fraudes? si non est misericordia, quid erit, nisi fouea miseriar[um]? si non est scientia DEI, quæ hominum intelligentias dirigat: omnes vias [ab]sque fræno, suosque sequentur appetitus; si mundus est diluuium m[u]murationum & furtorum: quis tutam habebit suam famam, & fortunam? [est] inundatio adulteriorum, & vltionum: quis tutus erit in domo sua, in [per]sona sua? si huius sanguinis fluctus alij alios sine intermissione sequ[en]tur: quis eos euadet? *Propter hoc* (ait Oseas) *lugebit terra*: si enim oculis [lu]gendum haberet, amarissimè lugeret damna, quæ hinc illi proueni[unt]. Luget ob maledictionem, quam DEVS ob Adami peccatum in eam pro[le]cit, luget ob supplicia, quæ de cœlo propter hominum peccata descend[unt]: luget ob diluuia, ignes, grandines, terræ motus, tremores, ariditates & [ex]custas, quæ fructus eius deuorant; luget solicitudinem & habitantium [de]fectum: eò quòd pestilentiæ, bella, iræ, & vltiones, ipsis feris crudelio[ri] ipsam desolarunt; luget denique eò quod eius habitatores sint infirm[i], [de]melici, & exhausti; & proximi vt pereant, quorum propria vita sanitat[em] lædunt, fortunas consumunt, honorem maculant, solatia diluunt, vitam [in]uiant, & mortis carnifici tradunt. Et inter ipsosmet cognatos, amicos, ac [do]mesticos (vt Micheas Propheta dicebat, & in alio loco explicuimus) [non] est pax, nulla fidelitas, sed discordia, & contentio, eò pernicios[ior], quò [ma]gis occultior.

b *Ose.* 4. 1.

Micheæ 7. 1.

Tom. 1. *Tract.* 1. c. 5.

Quæ dicta sunt ostendit Christus D. N. S. Anselmo proponens illi in quadam imaginaria visione ingentem fluuium, valdeque profundum, qui magno impetu fluebat, cuius aqua turbida omnino, & sordida erat, eò quòd it sordes & totius terræ cœnum in se reciperet. Adeoque vehemens erat impetus eius cursûs, vt secum raperet quotquot ad ripam inueniebat, viros, feminas, diuites, & pauperes, qui gaudebant se in tali aqua viuere, eaque tum adeò sordida oblectabantur. Stupefactus hac visione vir Sanctus, cupiebat eius significationem cognoscere; accepitque responsum, quod fluuius ille esset mundus: cuius sordidis delitijs aluntur, qui illum diligunt. Nam verè nihil aliud est miser hic mundus cum suis omnibus opulentijs, honorbus, ac delitijs; nisi furiosus quidam fluuius, celerrimè fluens, cuius *fluxus* (vt dixit Apostolus) celeriter *præterit*, transiens ab alijs ad alios; ita vt nullos habeat in suis bonis stabilitatem; in quo suo fluento siue fluxu colligit omnes sordes, cœnumque peccatorum, & miserias prædictas; suaque furia rapit, quotquot ad ripam inuenit: omnes enim illos trahit secum, qui affectu, ipsi approximant, & mundanorum conuersatione delectantur. Qui ideò sunt stupidi; vt, quò infaustis eius bonis potiantur, omnes etiam eius immunditias hauriant; (& vt habetur apud Iob) d *quasi aquam bibant iniquitatem*, & (vt ait Ieremias) saturantur, e *bibentes aquam turbidam* ex fluminibus *Ægypti & Syriæ*: quia eorum honoribus ac diuitijs aluntur, quamuis multis culpis & peccatis repleantur. Quod si quæras, quò tandem fluxus hic tendatur & perueniat? respondebo: peruenire ad os & ventrem maledicti Behemoth: de quo dixit DEVS quòd f *absorbebit fluuium, & non mirabitur*; & *habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius*. Quia non solùm infidelium flumen, sed etiam Iordanis improborum Christianorum influunt per os Dæmonis in maledictum eius ventrem, in quo est g *stagnũ ignis & sulphuris* horrendum. meritò autem eos conferimus cum Iordane, quod significat descensum, cuius aquæ velociter fluunt in mare mortuum, vbi & nomen Iordanis, & propriam dulcedinem amittit. O infelix munde, h *inimice crucis Christi*; *cuius Deus venter est, & gloria* inanis, fluisque festinanter ad tuas diuitias, honores, ac voluptates. Et quamuis videaris ascendere, potius descendis: tendis enim in ipsam mortem temporalem & æternam. Et corpus descendit ad sepulchrum: anima autem ad mare mortuum, hoc est, ad infernum, vbi ita nomen tuum amittes, vt nulla tui memoria superstit, tuaque dulcedo conuertetur in amaritudinem; gloria in confusionem; & gaudium in planctum sempiternum. O arca testamenti, Christe Iesv, qui ita diuisisti aquas Iordanis, vt i *aquæ descendentes starent in loco vno*, adinstar montis firmæ & *intumescentes*; *inferiores verò descenderent in mare*

lib. de similitud. cap. 185

c 1. Co. 7. 3.

d Iob. 15. 16. e Ierem. 2. 18.

f Iob. 40. 18

g Apo 20 18 S. Hiero. de locis Hebraicis.

h Phil. 3. 19

i Iosue 3. 16.

mortuum, contine quæso, gratiaque tua comprime vitiorum nostrorum fluenta, vt constantes in tuo seruitio maneamus; nec permittas sequi nos furentem improbi huius mundi fluxum, ne ad infelicem eius terminum perueniamus.

§. 2.

HÆ SVNT MISERIÆ, quæ mundum demergunt, quas Deus D. N. multis suis fidelibus manifestat, vt eas fugiant; seq; ad excelsum Religionis montem recipiant, in quo tutiores viuere possint: mittit enim lis cœlestis suæ lucis quendam radium, quo ipsorum periculum eis manifestat; simulque in eorum auribus potens quædam vox insonat, modum viam docens, quâ possint in tutum portum venire, & saluari dicens, illud cor illud Isaiæ: a *recedite, recedite, exite inde, pollutum eius nolite tangere: mundamini qui fertis vasa Domini. Quoniam non in tumultu exibitis, neque in fuga properabitis, præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israel.* Tendit eis, vt exeant, fugiant, & recedant ex malo mundo: ad significandam illa celeritatem ac velocitatem exeundi, & recedendi, quàm poterunt remotissimè: vt euadant tres eius laqueos diuitiarum, honorum, & voluptatum, cupiditatum, vanitatum, & sensualitatum; recedendo etiam ab impiorum societatibus, ne illorum culpas addiscant, ac proinde pœnarum fiant participes. Sicut vox illa de cœlo in Apocalypsi clamabat. b *exite de illa* (Babylone) *ne participes sitis delictorum eius, & ne de plagis eius accipiatis. Pollutum*, inquit, *nolite tangere*, quod polluat animas vestras: eò quòd elegerim vos vt portetis vasa Domini; & in domo mea seruiatis mihi, quam decet omnis puritas & sanctitas. c *Nolite* (inquit Apostolus quasi hunc locum declarans) *iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci cum tenebris? quæ autem conuentio Christi ad Belial? qui consensus templi Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei viui. Propter quod exite de medio eorum & separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios.* Si igitur desideratis esse filij lucis, amici IESV Christi, templa Dei viui: hanc vocationem diuinam audite, & filios tenebrarum fugite, amicos Sathanæ, & falsorum eius idolorum templa. Ne fugam hanc timeritis: *præcedet* enim *vos Dominus*, & recipiet, faciet que vobis viam planam, & superabit itineris illius difficultates. si Ægyptij vos insequentur: ille seriam illorum reprimet; si mare rubrum, horrenda scilicet impedimenta vobis occurrent: ille medium diuidet, vt siccis pedibus possitis ad solitudinem sacræ Religionis peruenire, & mare mortuum inferni euadere. Neque existimetis vos fugere tanquam victos; sed discedere tanquam victores: nam mundum pro Christi amore fugere, est ipsum mundum vincere.

a *Isai.52.11*

b *Apo.18.4*

c *2.Co.6.14*

non timiditatis hæc est fuga, sed magnæ fortitudinis indicium: ne pudeat (ait S. Ambrosius) sæculum fugere: nam peccatum fugere, vt Christum sequamini, res est insignis & gloriosa. *Li de Fuga saculi ca. 4.*

VERVM quidem est, has sententias & rationes pertinere etiam ad omnes electos, quos Deus vocat, vt ita mundum fugiant, ne eius improbitatibus se immisceant: sed multò aliter mundum fugiunt, qui ad Religionem se recipiunt; quàm Iusti extra eam manentes. Hi enim ita mundum fugiunt, vt valde prope ipsos mundanos adhuc hæreant cum periculo ad eorum factionem transeundi, in qua submergantur eodem diluuio, quo illi pereunt. Nam Matrimonij onera, diuitiæ, honores, & curæ sæculi illos post se trahunt, vt ament magnique faciant, quod ipse mundus magni æstimat: ex quo idolum sibi faciant cum iniuria Dei viuentis. At, qui Religionem ingrediuntur, valde procul à mundo fugiunt, & Societate ac moribus mundanorum: ideoque tutiores ab eo sunt, magisque expediti, ne eorum miseriarum participes fiant. Quemadmodum optime perpendit sanctus Gregorius Nissenus dicens: quemadmodum ingentia flumina, quæ inundatione solent proprium alueum exire, magnam faciunt stragem in ijs, qui prope habitant; nec tamen valde procul manentes attingunt; ita miser hic mundus solùm eos demergit, qui sponte ad ipsius accedunt fluenta, & prope ad ipsius fluctus perueniunt: qui verò ab eo recedunt, quieti viuunt ac tecuri. Quamobrem cum sæculari vitæ tanta malorum copia sit coniuncta; præstans remedium est, ab ea recedere: nam habitantes Sodomam non possunt eius flammas effugere; & qui à seruitute Pharaonis cupit liberari, exire debet ex Ægypto, & transire non mare rubrum, sed nigrum huius mundi; & cum Loth conscendere montem, & cum Israëlitis ingredi solitudinem sanctæ Religionis, hæc Nissenus. *Lib. de Virgin. cap 4.*

DISTINCTIVS tamen adhuc huius vocationis formam explicarunt Angeli, cum iusserunt Loth exire de Sodomis, ne ibi combureretur: *fuge*, inquiunt, *in omni circa Regione, sed in monte saluum te fac: ne & tu simul pereas.* Rogante autem ipso Loth, vt liceret sibi manere in quadam ciuitate parua quæ vocabatur Segor, Angeli annuerunt eius imbecillitati, sed cum exiuisset ex Sodomis, & vidisset horrendum ignem, quo illæ conflagrabant: non existimauit, satis se tutum esse in Segor; & ita ascendit in illum montem, ad quem Angeli prius ascendere iusserant. Hunc igitur in modum solet vocatio diuina nos inuitare, vt procul à Sodomis, ac deprauato hoc mundo recedamus; ascendamus verò ad montem Religionis, locum scilicet multò securiorem. Sed multi non statim tantum animi habent, vt procul adeò recedant, nec ad tantam perfectionis celsitudinem conscendunt, contenti remanere in *d Gen. 19. 17*

communi vitæ Christianæ planitie, & saluari in Segor, statu scilicet coniugali, & sæculari. At postea copiosiori cœlesti luce illustrati, periculum adesse intelligunt, si maneant in ciuitate Segor, quæ propè Sodomam est: eò quòd multæ ignis scintillæ ex Sodoma ad illos perueniunt: cùm scilicet horrenda temptationum cupiditatum incendia, sustineant, cum periculo in eis pereundi, quapropterea enim vocatur Segor: (quæ vox significat paruam ciuitatem; quia pauci sunt, qui purè in sæculo viuant, si cum ijs conferantur, qui in eodem pereunt & conflagrant:) quod periculum vt euadant, consilium mutant, & volunt in planitie illa manere, ne Sodomis sint vicini, sed primum Angelorum consilium, ac diuinam Vocationem amplectentes, ascendunt in montem statûs Religiosi & perfectionis Euangelicæ; in quo sint magis ab ignibus remoti, ac de sua salute securi. Quò enim fuerimus perfectiores: eò (ait Nissenus) erimus tutiores; & quò altiores erimus in sanctitate: eò erimus ab iniquitate remotiores; & quò magis à mundo segregati: eò erimus Deo proximiores; & quò magis occasiones & communicationem cum hominibus sæcularibus vitauerimus: eò erimus putiores & ab imitatione malorum illorum remotiores. Ac propterea Sanctus ille Propheta dicebat: e *quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, catus prænaricatorum, vnusquisq; sequatur proximum suum custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Diuersoria viatorum in solitudine sunt sacræ Religiones à mundi tumultu & strepitu segregatæ: in quo verè est congregatio adulterorum, & fasciculus proditorum contra DEVM, & traditorum contra proximum: quos omnes fugere debet, quicunque cupit esse perfectus, & cum S. Iob desiderat f *requiescere cum Regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Qui autem sunt hi Reges & Consules, nisi felicissimi huius Statûs fundatores? Reges enim sunt, eò quòd nouerunt seipsos regere, suasque passiones imperio rationis subijcere; & consules sunt, eò quòd optimum consilium amplexi sunt sequendi Euangelica consilia; & alijs suadent, vt eadem sequantur. Ac propterea ædificarunt domus suas in solitudine, sanctas scilicet Religiones; ad quas se recipiunt Religiosi, qui à sæculi periculis recedentes, eorum vestigia sequuntur; vt quietam vitam ducentes, certiorem sibi faciant ac tutiorem viam cœlestem, ascendentes spiritu super ipsas nubes, ne iterum per se descendant diluuia, quæ sæculares ac mundanos homines demergunt.

HINC fauor ille est, & studium singulare, quod promisit Dominus per Isaiam dicens: g *sustollam te super altitudines terræ*: Latet autem magnum mysterium in eo, quod non dixerit, *sustollam te* super terræ profunditates, sed *super* eius *altitudines*. Nam (vt Sanctus Gregorius aduertit) terra suas habet

Suprà.

c *Iere. 9. 2.*

f *Iob. 3. 14.*

g *Isa. 58. 14. Lib 31. Mo. cap. 9.*

habet fossas & profunditates, damna scilicet ac miserias temporales, super quas filij huius sæculi contendunt eleuari, ascendentes ad loca altiora dignitates scilicet & prosperitates terrenas; Deus verò sustollit Religiosos super vtrasque: efficiens vt corda sua figant in cœlum, & bona eius æterna: ne mundi huius miseriæ ipsis noceant, aut turbent; neque eiusdem splendores & prosperitates illos alliciant, ac decipiant. Sicut tempestates ac venti inferioris Regionis aëris, non lædunt manentem in monte aliquo excelso, qui sit illis superior. Sed quis tantum nobis animi adferet, vt fugiamus, aequeque altè volemus, nisi benevola ac iucunda vocatio huius Domini, qui h *Isai* 58. 11.
dixit se facturum promittit, cùm luce sua cœlesti h *animam* visitat, suisque diuitijs *splendoribus replet*; quibus illa agnoscit periculum, profunditatem, & *Lib. 2 Epi. 2*
celsitudinum terræ: ex quo animum assumit ascendendi super vtrasque? De hac luce ait Sanctus Cyprianus, quod sibi aperuerit huius mundi miserias, quas in prolixa quadam Epistola ad amicum suum Donatum refert, ad cuius finem subijcit. Quod hæc lux faciat hominem mundo, omnibusque eius rebus superiorem & collocet in quadam quieta & tranquilla vita, & cum æterna luce coniungat: ad quod non opus est precio pecuniario, nec Regum fauore, eò quòd sit gratuitum Domini donum; cuius liberalitas adeò est effusa & immensa; vt quemadmodum Sol suos mittit radios, & dies lucem, fons aquam, & nubes rorem: ita diuinus spiritus infundat sese in animas nostras, ad hos efficiendos effectus. Cuius auxilio agnoscentes nostrum Creatorem, efficimur Sole ipso altiores, & in omni terrena potestate excelsiores. Quamobrem instantissimè petenda ab eo est hæc lux, dicendo cum Dauide: i *illumina lucernam meam Domine Deus meus illumina tenebras meas*, vt verè te agnoscam, &, vt par est, tibi seruiam. k *Emitte de alto lucem tuam, & veritatem tuam, quæ me deducant in montem sanctum* perfectionis, *& in tabernacula* gloriæ tuæ. Amen.

i *Psal.* 7. 29.
k *Psal.* 42. 3.

CAPVT V.

QVI MISERANDA MVNDI HVIVS DILVVIA *experti non sufficiatori vocatione opus habent, vt illum deserant. Et quàm excelsum sit beneficium efficax hæc vocatio, & quæ ratione grata pro ea agenda.*

CVM CVLPARVM ac miseriarum diluuia prædicta non comprehenderunt aliquos in sæculo manentes; siue quòd parui adhuc sint ætatis; siue quod Deus ad breue aliquod tempus grauioribus culpis eos præseruauerit, & illis prosperitatem quam, bonorumque temporalium copiam concesserit: siquidem ista ea diuinis suis inspirationibus eos vocet, vt sæculum deserentes, vitam amplectantur Religiosam: magnam sentiunt difficultatem, huiusmodi vocationi obtemperandi. Tum enim cor habent diuitijs, alijsque bonis, quæ possident valde addictum: (quod autem quis multũ diligit, difficilè deserit) tum sibi persuadent, se per totam vitam posse in ea puritate perdurare, quam breui illo tempore tenuerunt. Cuius rei sufficiens indicium est, & testimonium a *Adolescens* ille, cuius aliàs fecimus mentionem, *qui a iuuentute sua omnia mandata custodierat*, b *erat q; diues valde*: quem cum Christus Dominus Noster ad se sequendum vocaret, *contristatus est valde*, nec aures præbuit vocationi. ex qua occasione conuersus Christus Dominus ad suos discipulos dixit: *facilius esse camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum*. Hæc sententia significans, vitam Euangelicã & perfectam, quam Religiones profitentur esse instar alicuius acûs: cuius culpa valde est acuta propter asperitates, quibus pungit ipsam carnẽ; sed & foramen est valde angustũ: nam c *porta vita* est valde *angusta*, quæ non capit tumentes & Superbos huius mũdi; nec diuites, se de suis diuitijs iactantes, ingredientes per eã inueniunt; nec nobiles, qui suæ nobilitati; nec Sapientes, qui suis sapientijs multũ tribuũt, & proprijs iudicijs credunt; nec qui se Iustos, & in mundi fluctibus tutos esse arbitrantur; sed qui verè sunt humiles, & in suis oculis paruuli, suisque viribus & industrijs diffidunt; timentq;, ne sæculi tẽpestatibus iactati pereant. Ac propterea recipere se volunt in tutũ Sacræ Religionis portũ, obedientes Dei vocationi, dicenti: d *si quis est parvulus veniat ad me*: bene autem dicit: *si quis est*: nam comparatione vocatorum, pauci sunt electi, qui diuinam sequantur vocationem: quia pauci se paruulos reputant & animum assumunt ad sequendam Saluatoris paruitatẽ. Qui (vt SS. Augustinus & Gregorius explicant) hoc in loco similem se fecit Camelo, cuius naturalem humilitatem & subiectionem fuit imitatus, dum se humiliauit, vt per angustum acûs foramen transiret, quod figura est eius passionis; in qua mul-

Varia sæcularium persuasio.

a *Ma.* 19 20
b *Luc.* 18. 23.

c *Mat.* 4. 14

d *Prou.* 9. 4.

Lib. 2. *de qq. Euan. c.* 47.
Lib 3. *Moral. c.* 17.

tis doloribus fuit pũctus, opprobrijs abiectus, & tanquã vermis calcatus: Vt se superbiam ac pertinaciã diuitum, ac potentiũ huius mundi confunderet. Ac propterea de se ipso dixit: faciliùs esse transire se tanquã Camelum per angustũ acûs foramen, quã aliquem Superborum; & arrogantiũ diuitum intrare in regnum cælorum, acceptando perfectionis Euangelicæ doctrinam; sanctæq; eius vitæ paupertatem & nuditatem sequendo. Nam si tres illi ad e *eam mutati*, venire recusarunt, ne ad breue tempus rerum vsu, quas possidebant, carerent: quantò magis restitissent vocationi, si dictum eis fuisset, vt earundem rerum Dominio in perpetuum rẽnunciarent.

e Luc. 14. 17

§. 1.

SED NE DISCIPVLI omnino de salute diffiderent horum diuitum, addecit statim: a *apud homines hoc impossibile est, apud Deũ autẽ omnia possibilia sunt*, insinuans (vt S. Greg. explicat:) esse opus rarũ & prodigiosum, quòd talis aliquis diues, ad ipsum perfectè sequendũ, permoueatur: omnipotentiæ aũt Dei id esse perfacile. si enim corpus suũ glorioſum adeò potuit subtile reddere, vt in minima hostiæ cõsecratæ parte integrũ poneret, quę per foramen acûs posset pertrãsire; & idẽ potest de camelo facere; etiã poterit diuitum & potentiũ huius mũdi corda, ita subtilia reddere, & à rebus quas possident exuere: vt possint per angustũ vitæ Religiosæ foramẽ trãsire, exuentes se rebus omnibus, vt possint ipsi seruire. Quãuis aũt extraordinaria suæ vocationis efficacitate possit in momẽto hãc efficere mutationẽ in ijs quos vocat, quẽadmodũ fecit cũ S. Matthæo: sed ordinariè hæc mirabilia facit paulatim, inspirationes & internos cordis tactus tãta efficacitate multiplicãs, vt iuncta quadã violentia corda mutet, & ex ipso mũdo euellat. Cuius rei iucũdam quandã imaginẽ habemus in ea ratione, quã vsus est ad Iustũ Loth è Sodomis educẽdũ. misit enim duos Angelos è cælo, qui iuberẽt, b *illũ* statim *cũ uxore & duabus filiabꝰ exire*; addẽtes, vt eos etiã moneret, quos iã in suos genetos elegerat, vt simul & illi exirẽt; eò quòd cõstituisset Deus, Ciuitatẽ illam delolare. Sed *generi*, quibus *visus est Loth, quasi ludẽs loqui*, ei nõ obediuerũt. Et ipsemet valde sentiebat exitũ illũ ex Sodomis, & ita cunctabatur exire. Quẽ tamẽ Angeli *cogebãt*, & vrgebãt, vt exiret; *dissimulãte autẽ illo, apprehenderunt manum eius*, & vi quasi *eũ eduxerũt*. magnã certè adfert admirationẽ sancti huiꝰ viri cunctatio, ac repugnãtia in exitu è Sodomis! Quod eius generi difficiles essent, nõ adeò erat mirũ: cũ in ea essẽt nati; haberẽtq; suos parẽtes & amicos, domũq; sua stabilia; ac tenerẽtur ẽt proprijs voluptatibus q̃ verò eos moneret, ac ciuitatis delolationẽ minabatur, erat quidã aduena: de cuius dictis, ac minis dubitare poterãt: an ex arte id faceret, vt sic deceptos secũ abduceret. Sed magnũ stupore adfert, q̃ cũ ipse c *Loth vir esset Iustus, & habitãs* (vt ait S. Petrus) *apud eos, qui de die in diem animam Iustam iniquis operibus cruciabant*;

b *Gen.* 19. 14

c 2. *Petr.* 2. 8

a *Mat.* 19. 26 *Luc.* 18 27. *Lib.* 4. *Moral.* c. 22.

& agnos-

& agnoscens eos, qui ipsum monebant, esse Angelos; & quod ipso Sodomitas *cæcitate percussissent a minimo vsq; ad maximũ, qui fores effringere nolebant, vt nec ostium inuenire possent*: nihilominus adeò illis esset graue, ciuitatem deserere; opusq; esset, vt Angeli, videntes nec verba nec rationes ad illum persuadendum sufficere, *per manum eum accipere* & quasi vi inde educere: sic illi tanta repugnantia? tantę morę, ac difficultas? certè non aliunde, quia dd *Gen.13.10* diues esset, & potens; multosq; haberet greges, qui in illis campis pascerentur; & ipse valde esset affectus ad illius terræ pulchritudinem, & fœcunditatem, quæ erat d *sicut paradisus Domini*. Quare etsi iustus esset; quia tamen addictum habebat, & quodammodo alligatum illis bonis, repugnanti tristabatur in eis deserendis; & re ipsa nunquam ea deseruisset, nisi Angeli, vt dictum est, illum coëgissent.

In ipsum igitur euenit aliquibus Iustis in sæculo manentibus, qui peccatoribus circumdati, & occasionibus ac periculis in grauia peccata labentibus afflicti: etiamsi Dei inspirationes audiant, & internos pulsus habeant, mundum deserendum, nisi perire cum ipsis mundanis velint: obsurdescunt tamen; &, quasi nihil tale audirent, dissimulant: eò quòd habentes cor illis iucundis huius vitæ bonis valde addictum, & parentes ac notos, suasque diuitias, delitiasq; nimis amantes: non habent animũ, res adeò sibi charas deserendi. Quamobrem Deus D. N. vtens interdum occultorum suorum meritorum rigore, eos permittit in mundo remanere, suasque propensiones sequi: quod fecit cũ illo e *Adolescente*, qui suarum diuitiarũ affectu tenebatur, quem nec secundò vocauit, neq; vrsit, vt rediret: sicut etiam nec Loth genros, vt è Sodomis exirent, coëgit; sed in ea perire permisit; nec tres illos inuitatos ad cœnam, iterũ inuitauit; sed in sua reliquit pertinacia. Sed aliquando tamen, licèt rarò extraordinaria vtitur misericordia, cogendo nũ violenter contra eorum voluntatem: sed valde suauiter & efficaciter, cũ tanta illustrationum ac cælestium inspirationũ inundantia, vt illi statuant deserere prius, quod tantoperè amant, tantiq; faciunt: vt nudi nudum Iesvm sequantur. Et fortè hoc mysterium insinuatur in eo facto Loth, ad quẽ duo Angeli de Sodomis venerunt, vt è Sodomis educerent, cũ ad id vel vnicus sufficisset: tanta huiusmodi homines ex tot mundi labyrinthis educendos, duplicatis assistibus auxilijs est opus. Et vt S. Ioannes Climachus aduertit: non sine causa ad totum populum Israël ex Aegypto deducendum, non sunt missi Angeli, sed duo homines Moyses & Aaron: ad educendum autem vel vnicam familiam, & quidẽ paruam, & quatuor tantùm personarum, è Sodomis venerunt Angeli: nec opus hoc solis hominibus fuit commissum, si enim spiritum intuiq; exitus inspiciamus, difficilior secundus hic fuit, quã primus: nam populus ille Israël in Aegypto valde opprimebatur, & à Pharaone tyranno

Quare duo Angeli ad Loth venerunt. *Gradu.1.*

tractabatur; quos ipsemet aduersitates & incommoda impellebant, vt ex tã ta miseria exirent. At Loth eiusq; familia abundabant, vt diximus, diuitijs & prosperitatibus: certũ est autem, multò faciliùs deserere mundũ eos, qui in eo aduersa & tribulationes patiuntur: quã qui prospera in eodẽ vtuntur fortuna. Nõ itaq; mirũ est, sufficere homines ad vocandũ pauperem & afflictũ; opus verò esse Angelis, ad efficaciter vocandum diuitẽ, ac delitijs deditum.

§. 2.

EX his, quæ in hoc & proximo capite sunt dicta, satis apparet, quantum sit beneficium, quòd Deus suos electos ita vocet, ad mundũ deserẽdum, vt vocationi pareant, priùs quam ipsius mũdi diluuia eos demergãt, & flammæ comburant. Nam hæ duæ similitudines valde produnt bona, quæ hoc beneficium complectitur. Quis dicet non fuisse insignem Dei fauorem erga Noë, cùm volens mundum diluuio perdere, iussit illum arcam fabricare, in qua *ipse & omnis eius domus saluaretur*? Quãuis enim arca illa, præcipuè fuerit vniuersalis Ecclesiæ figura, vt alio loco fusiùs ostendimus: potest tamen optimè applicari ad sacras Religiones, quarum vnaquæque est quasi vna aliqua arca, mandato & inspiratione Dei fabricata; qui eius fundatorem elegit tanquam alterum Noë qui *gratiam inuenit in eius oculis*, & per quẽ arcam cõstruxit Religionis, in qua ipse cum tota familia sua saluaretur: & à peccatorum diluuio, quod plurimos homines in sæculo demergit, defenderet. Singulari enim prouidentia eos in eadem arca includit, & in vnione & fraterna charitate cum magna pace & concordia conseruat, sustentans eos corporalibus & spiritualibus cibis, quos in ipsa arca habent. Et quamuis diluuij aquæ, hoc est peccata & miseriæ huius mundi eam deforis circumdent; non tamẽ ingrediuntur: quia b *includit eum Dominus deforis*, supplens, quod ipse Noë facere non potuit. peculiari enim sua protectione protegit ac tuetur intus existentes: si volunt vti ea clausura, votis ac Regulis, quibus in illo statu circumdati sunt & muniti. Et quemadmodum diluuij aquæ eleuauerunt arcam in sublime à terra, ita horum peccatorum ac miseriarum aspectus & afflictiones, quæ Religiosis ex eis proueniũt, efficiunt, vt ipsi à terra eleuentur, & spiritu procul à rebus his abiectis recedant, ascendentes ad contemplationem rerum cœlestium ac diuinarum; & sic securiùs nauigant absq; periculo illidendi nauim, aut in rupem aliquam impingendi in suæ nauigationis decursu. Quæ omnia bona illis eueniunt ex eo, quod Sapientia diuina, quæ arcam illam fabricauit, est eius gubernator c *per contemptibile lignum huius gubernans*, hoc est, per quandam vitæ rationem, quæ in hominum sæcularium oculis contemptibilis videtur: eò quòd fundetur in paupertate, humiliatione, & asperitate crucis: qua tamen ratione protegit ac defendit eos, qui illam amplectuntur: ne ipsius mundi miseriæ illos demergant.

a *Gen* 7.1. *In Dutc spirit. Ezra.* 2.6 12.

b *Vers.* 17.

c *Sap.* 10.4.

QVOD SI magnum fauorem ac ſtudium cenſetur feciſſe Deus Noë quòd à diluuio eũ liberarit: quis dicet non fuiſſe ingentẽ illum fauorem, quem oſtendit in ipſum Loth, ab incendio eum liberando? quamuis autem magnum fuerit beneficium, quòd eum à corporali incendio liberauit, quo Sodoma conflagrauit; multò fuit maius, quòd ab ſpirituali liberarit, vitiorum & carnalitatum, quibus animæ Sodomitarum, quibus ipſe cohabitabat, conflagrabant. Similem etiam fauorem oſtendit idem Dominus noſter Abrahamo, cum ei dixit: d *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr*, hoc eſt ab igne, *Chaldæorum*. Et quamuis aliqui dixerint: beneficium hoc fuiſſe, quod Deus miraculosè liberauerit Abrahamum ab igne, quem Chaldæi illi minabantur, *Vide Glo. ib.* ignem ipſum quaſi DEVM adoraret: magis tamen conſonum eſt, quòd ſcriptura ſacra ignem Chaldæorum appellet incentiua vitiorum, quæ inſtigabant Iuſtum illum combuſſiſſent, niſi eum Deus inde eduxiſſet, cùm ei dixit: e *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*. cui voci magna cum voluptate ille obtemperauit: quia ex alieno periculo proprium agnouit, & videns ſuos conciues eo igne conflagrare, timuit, ne & ipſe periret, niſi ſe ab eis ſubduceret. Conijce igitur oculos per ipſum mundum, & pensa, quot adoleſcentes ac Virgines, luxuriæ igne conflagrarint, quorum eis accendit perſuaſio, aut malum libidinoſorum exemplum, quibuſcum habitabant. aſpice quot nobiles; quot viri Eruditi, eò quod mundi leges ſectati, permiſerunt ſe ab igne iræ, aut ambitionis comburi: quem homines mundani, cum quibus ipſi verſabantur, accendebant, & fouebant. Perpende item: quot diuites iam ardent in inferno, cupientes vel vnicam aquæ guttam, ad refrigerandam ſuam linguam: nec ſit tamen qui eam illis præbeat, eò quòd non extinxerint ipſi ignem cupiditatum, qui in infelicibus eorum cordibus fuit in hac vita accenſus. Quod ſi te Deus vocat, vt mundum fugias, accipe exemplum ex alieno damno, priuſquàm illud ipſe experiaris. Neſto ſicut infelices illi irridentes Noë, quòd ſe in arcam reciperet; & Lothquod fugeret ex Sodomis; iudicantes iocos eſſe, pœnas, quas illi minabatur, & paulò poſt viderunt, ſe fuiſſe deluſos, cum aquis ſubmergerentur, & ignibus conflagrarent. Si enim tu diuinæ Vocationi reſiſtis, eosque irrides, qui audient fugere mundum, exiſtimans eos nimis rem exaggerare, cum id tibi dixerint, cùm minimè cogitauerit, inuenies te, ſicut illi, deluſum. Quod ſi Deus tantum in te contulit beneficium, vt ex huiuſmodi periculis eruerit: gratus pro bono beneficio illi age, dicens cum Dauide: f *niſi quia Dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos forte viuos deglutiſſent nos: cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Benedictus ſit Dominus, qui non dedit nos, in captionem dentibus eorum: quia anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*. Vt autẽ cum magno tuo ſolatio in vocatione tua perſeuera-

d *Gen.* 15. 7.

e *Gene.* 12. 1.

f *Pſal.* 123. 1.

repoſitis

tepossis attentius interdum perpende pericula, ex quibus te Deus eripuit, gaudens de securitate loci, in quo manes. Memento quod postquam Noë ingressus est arcam; nũquam exire inde voluit durãte diluuio; sed ipse totaq; familia eius, & omnia animalia vescebantur cibis, qui erant in arca: interdũ tamen suos emittebat exploratores, vt intelligeret, quid in mũdo fieret: misit autem g *columbam & coruum*, inter quos hoc interfuit, quòd *colũba, cũ nõ inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eũ in arcã; coruus* aũt cũ cadauera inuenisset, quibus fami suæ satisfaceret, *non est amplius ad eũ reuersus*. Hũc igitur in modũ, cũ tanto beneficio sis à Deo affectus, vt in arcã Religionis te induxerit: dãda tibi opera est, vt in ea semper maneas; (nã diluuiũ peccatorũ & miseriatũ, quę mundũ demergũt, semper durat) & occupes te in comedẽdis spiritualibus cibis, qui sunt in ea; & non alijs, vt sic spirituale animæ vitã cõserues, donec cõsequaris æternã. expedit tamẽ, interdũ mittere exploratores, qui videãt quid in mundo agatur, meditationes scilic. & cõsiderationes horrẽdi diluuij vitiorũ, quę nunquã in eo cessant; ita tamẽ, vt nõ corui animo exeas ad solatia quærẽda in rebus mundanis & sensualibus; sed spiritu colũbę, eadẽ meditãdo, eo modo quo dicebat Rex Ezechias: h *meditãdo vt colũba, animo* scilicet puro intẽtione sincera magnis gemitibus; deflẽdo perditionem tot animarũ; & periculum, in quo fuisti pereũdi cum illis. Si. n. hoc modo per meditationẽ exieris, nõ inuenies vbi affectus tui pes requiescat, neq; in diuitijs, neq; in honoribꝰ, nec in sensuũ voluptatibus: ideóq; magna cũ tua voluptate reuerteris in arcã, exultans ob gratiã & beneficium quo te Deus affecit, cõstituẽdo te intra illã: dicesq; cũ Dauide: i *hæc requies mea in sæculũ sæculi, hic habitabo quoniã elegi eam*. Quod si dicas, k *vxorẽ Loth* periisse, & *versã esse in statuã salis, eo quòd respexerit post se*, vt videret Sodomã cõflagrantem: Respondebo tibi, statim subiũxisse, ꝙ *Abrahã intuitus sit Sodomã & Gomorrã, vidit q, ascẽdentẽ fauillã de terra, quasi fornacis fumũ*: nec tamẽ propterea punitus fuit, sed potiùs illo aspectu Deo placuit: nõ. n. inordinato aliquo affectu, cõtra diuinũ præceptũ, Sodomam aspexit; sed animo humili & timente, agnoscens rectitudinem, & rigorẽ Iustitiæ diuinę in puniendis rebellibus peccatoribus; eiusdemq; misericordiæ magnitudinẽ in eruendis suis electis extali periculo: glorificans etiã ipsum, ob sibi collatũ beneficiũ, quo agnoscebat, se ab horrendis illis damnis fuisse præseruatum. DENIQVE ne illustre Noë exẽplũ prætereamus, audi quid S. Ambr. de Sancto illo Patriarcha ppẽdent: quòd cũ omnia fecisset ex mãdato ipsius Domini fabricauit. n. arcã, ingressus est in eã, ac cessãte diluuio ex mandato Domini inde exiuit: at statim aq; exiuit, nõ iussus neque monitus, l *obtulit Deo holocausta* in gratiarũ actionẽ ob acceptum ab eo beneficiũ quod à tãto periculo ipsum liberasset. Animus enim generosus & gratus, nõ debet exspectare donec debitũ gratitudinis ob

g *Gen.* 8. 7.

h *Isa.* 38. 14.

i *Psa.* 131. 14.
k *Gen.* 19. 26.

Lib. de Noë & Arc. c. 22.

l *Gene.* 8. 20.

nis ob acceptum beneficium, ab eo exigatur. Hæc enim mora indicium eſt non exiguæ ingratitudinis: ſed ſtatim, antequam gratiarum actio ab ipſo petatur, debet ipſe illam reddere optimo, quo poterit modo, quemadmodum fecit Noë, cuius holocauſtum adeò placuit Domino eò quòd proficiſceretur ex corde valde humili & grato: vt dixerit, *nequaquam vltra maledicam terræ propter homines, nec percuſſurum vltra* diluuio *omnem animam* viuentem *ſicut fecerat*. Offeras igitur & tu Deo ſacrificia continuatum laudũ, eò quòd à mundi diluuio te eduxerit: ſi enim in hac humili gratáque recognitione tanti beneficij perſeueraueris, iuuerit te ipſe Dominus, ne vnquam amplius aliquo diluuio offendaris.

CAPVT VI.

VOCATIONEM ALIQVANDO EX TENTATIONIBVS, lapſis & miſeriis temporalibus oriri; & quæ ratione illa felicem interdum habeat exitum.

ADMIRABILIS EST Sapientia diuina in ſuis conſilijs, ad vocandos & conuertendos filios hominum, eos præcipuè, qui proſperè, ventoq; ſecundo nauigant in hac vita. Quamuis enim interdum vocationis ſuæ efficacitatem coniungat cum ſuauitate interioris ſui tactus & impulſus: interdum tamen horrendos adhibet tactus exteriores: a *ſepiens* (vt ait Oſeas) *viam eorum ſpi-* a *Oſe. 2. 6.* quò puncti, & læſi oculos aperient: & quid ſibi expediat, animaduertent. Sic ſenſim aſperiora adhibet media, quæ aptiora ſint ad eorum pertinaciam vincendam: ita vt detectionem ſuæ deceptionis ex proprijs incommodis aduertant: permittens eos tangi; & experiri diluuium culparum; aut rerum temporalium infortunium.

I. SVNT enim inprimis aliqui ita naturali ſuæ conſtitutioni fidentes, ac Eleemoſynis, & alijs pijs operibus, quæ præſtant, aut facturos ſe exiſtimant, vt licèt Deus cæleſti luce pericula illis oſtendat, quibus in mundo manentes ſunt expoſiti, vt ſic eum deſerant: ipſi tamen occulta quadam Superbia tantum ſibi tribuunt: vt exiſtiment, etiamſi in ſæculo permaneant ſe illa pericula euaſuros; dicunt que illud Sancti Petri in nocte paſſionis Chriſti: *be-* b *Mat. 26. 33* *iamſi omnes ſcandalizati fuerint: ego nunquam ſcandalizabor*; & quamuis multi coniugati ac ſæculares dam̃nẽtur, ſe tamẽ ſaluandos: qui etiam in medio flumarũ ac diluuiorũ huius mundi ſciant, ſe præſeruare. Addunt q; multò eſſe glorioſius cõtra tẽtationes pugnare, quã illas fugere; & maioré eſſe honoris eſſe cũ c *Iob* bonum inter malos, quã bonũ eſſe inter bonos: ſic n. ſe ſplẽdere inter ſæculares, d *ſicut lilium inter ſpinas*, & e *lucere ſicut luminaria in medio tẽ-* c *Iob. 1. 1.* d *Cant. 2* e *Phil. 2. 15.*

ne prauæ ac peruersæ mundi. Quibus apparentibus rationibus à dæmone, & proprio suo spiritu decepti resistunt diuinæ Vocationi inspiranti securum Religionis statum.

2. 2. q. 189. Art. 1. ad 1.

Ex quo (vt S. Thomas benè perpēdit) prouenit, vt citiùs diuinam vocationē sequantur peccatores grauiter suis peccatis læsi & vulnerati; quā Iusti suæ innocentiæ multum tribuentes. Primi enim timent se damnandos, nisi mūdum deserant; secundi autem tantum sibi arrogant, vt etiam existiment, se facilè saluandos etiamsi mundum non deserant. Quod S. Doctor probat exemplo duorum illorum diuitum, quos Christus Dominus vocauit ad se; alterum in virtutibus, alterum in vitijs exercitatos: & qui in vitijs, f *Matthæus* scilicet, statim est ipsum sequutus; alter verò g *adolescens* ille, qui præcepta à iuuentute sua custodiuerat, restitit vocationi. Ideoq; Pharisæis qui in se tanquam iusti confidebant, dixit: h *amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in Regnū Dei*, quia consilia, quæ vos contemnitis, amplectūtur.

f *Mat.* 9.9.
g *ca.* 19. 22.
h *cap.* 21. 31.

§ 1.

VIDENS itaque Deus horum hominum arrogantiam, quâ ipsius Vocationi resistunt, volens illos humiliare & terrere, permittit vexari horrendis tentationibus; & interdum miserandis lapsibus: vt ipsa experientia agnoscant periculum sibi in mundo imminens, illudque celeriter fugiant. Quemadmodum de Loth dicebamus, qui securum se existimabat in *Segor*: quando autem incendia vidit Sodomorum, fumumque percepit, & sulphuris fœtorem: mente mutata, *ascendit in montem*: ita, qui priùs se tutos in sæculo existimabant, quando fumus hic fœtorque tentationum ac turbationum, ob ea quæ vident & audiunt inter ipsos sæculares, illos tangunt mentem mutant, & vocationi diuinæ obedientes, ascendunt ad montem sacræ Religionis, dicentes cum Dauide: b *cor meum conturbatū est in me, & formido mortis cecidit super me: timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ & dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam!* quasi quisque illorum dicat; vtinam Deus animum mihi & cordis fortitudinem daret, vt ad locum separatum ac tutum me reciperem: in quo defendar me à periculis, in quibus video me constitutum. Vix autem Dauid verba illa dixerat, cum Deus, qui periculum illud, ad bonum hoc desiderium excitandum, permiserat, dedit ei alas, quas cupiebat, vt voti fieret compos; quare statim addit: *ecce elongauis fugiens, & mansi in solitudine.* O felix volatus, qui hominem à terra eleuat! & beata fuga, quæ eundem procul à sæculo remouet; facitque *manere in solitudine* vitæ Religiosæ, vbi *saluum eum faciat à pusillanimitate spiritus*, quæ ipsum affligit; & *a tempestate* tentationum, quæ ipsum oppugnat.

b *Psal.* 54. 5.

2.

NE TAMEN tutum te esse existimes apparentiâ rationum, quas tuatibi sugge-

» suggerit arrogantia, vt in sæculo remaneas, audi S. Hieronymi ad eas re
» sionem. Nolo, inquit, in mundo certare cum spe talis victoriæ ne pe
» lo exponar eam aliquando amittendi; sed fugio. Nam si mansero, aut vin
» aut succumbam; cur igitur, quod certum est, deseram, & eligam quod
» dubium? si mortem euadere volumus id faciemus, aut armis pugnando, a
» pedibus fugiendo. Tu qui in mundo pugnas: vincere potes, ac vincit ego
» fugio, si in eo quod fugio non vinco: fugio tamen ne vincar. Non est tuu
» prope serpentẽ accũbere, ac dormire, nã etsi potest esse, q̃ me non mord
» potest tñ esse, q̃ aliquando mordeat; & quòd eius morsus sit lethalis. Tu
» igitur est ab eo, fugiendo, recedere; nã hæc fuga nõ infidelitatis, aut diffi
» tiæ; sed magnæ prudẽtiæ, & cautelæ indiciũ est. Nimiũ præceps est, ait S. C
Lib. de singularit. Clerico in initio prianus, qui transire cõtendit, vbi aliũ conspexerit cecidisse; & vehemen
infrenis, cui non incutitur timor, alio pereunte: aduersa est confidentia
» periculis vitam suam pro certo commendat: lubrica spes est, quæ inter
» menta peccati saluari se sperat. Incerta victoria est inter hostil a arma
» gnare. Et impossibilis liberatio est flammis circumdari, nec ardere. Qu
» Salomon non negat dicens: c *quis poterit abscondere in sinu suo ignem? aut ambu-*
c Pro 9. 27. *lare super prunas, vt non comburantur plantæ eius.* In hac parte expedit plus
» nè timere, quàm malè fidere; & vtiliùs est infirmum se homo agnoscat,
» fortis existat; quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. Magnæ pru
d Eccl 3. 27 tiæ est periculis non se gratis offerre: cùm scriptum sit: d *qui amat periculum*
peribit in illo: ille autem in hoc casu periculum amare censetur, qui Deo
spirante & speciali Vocatione, vt à mundo exeat vocante, id facere re
sat. Hæc enim inspiratio & vocatio indicium est, quod mundus sit ip
riculosus, ac propterea eum vocat, vt inde exeat. Non quòd status Relig
sus sit necessarius, vt ipse saluetur: sed, quòd multi adeò sint debiles, & p
candi occasiones, quas in mundo habent, adeo vehementes: vt difficil
saluentur, nisi diuinæ inspirationi obedientes, eas fugiant. In quo sensu
Lib. 2. ep 61. cipiendum est, quod sanctus Gregorius dixit Mauritio Cæsari, Damna
legem ab eo latam, quâ prohibebantur milites admitti ad Religione
quam ipse dicit esse iniustam, eo quod cœli portam insultis occludat, qui
possent nisi omnibus renuncient, salutem consequi, ob horrenda & co
tinua pericula, quæ ex eis proueniunt. Denique esto sit glorioſum, esse bo
num inter malos, & lilium inter spinas: (quod meritò conniti omnis debe
qui inter eos permanere q̃ gitur) hoc ipsum tamen est difficile, ac rarum
& periculo expositum, ne obtineatur ab eo; qui, vt omnia deserat, à D
vocatur; & ex vana sua arrogantia id facere recusat. præcipuè cùm, perfe
ctum esse inter Perfectos, non solùm sit facilius, sed etiam glorioſius: nam
alioquin adolescenti illi, qui inter homines sæculares bonus erat, non dix

fer

ſet Chriſtus D. N. *ſi vis perfectus eſſe, vende ſequere me.* Ex quo colligitur, valde temerarium eſſe, diuinæ vocationi, propter apparentes haſce rationes reſiſtere: cum ſit certum, alterum è duobus neceſſariò ſequuturum: aut quod Dominus Deus noſter talem relinquat in periculis mundi, ſicut reliquit illum adoleſcentem: quæ eſt valde horrenda punitio; aut permittat te adeò tentari, & à periculis imminentibus premi, vt ipſamet deceptionem hanc cum magno tui incommodo tibi detegant; detque vexatio intellectum, ad ſequendum & amplectendum, quod antea horrebas. c *Mat.* 19. 21

§. 2.

ALIA QVOQVE VIA vtitur Deus ad huius generis homines, de quibus agimus, vocando: quam Caſſianus neceſſitatis vocationem appellat: cùm ſcilicet huiuſmodi rebelles ſuis diuinis inſpirationibus, permittit affligi indigentiâ & miſerijs temporalibus, quæ repentè illos adoriantur; vt tædio quodam affecti, mundum ipſum deteſtentur ac deſerant. In quo valde ſplendet ipſa Dei illos vocantis ſapientia. Cùm enim eos videat adeò mundo addictos & affectos; & quòd ſponte nolint illum deſerere: permittit, eundem mundū ipſos deteſtari, & à ſe repellere; ita malè eos tractando, vt ipſa neceſſitas eum deſerendi excitet deſiderium. Et accedens in tali occaſione Deus inſpiratione ſua, facilè ab eis obtinet, quidquid vult. Cuius rei figura fuit; quod euenit a *viro* quidā *Ægyptio ſeruo viri Amalecitæ, quem eius Dominus reliquerat in agro, eò quòd egrotare capiſſet,* & ex itinere defatigatus, eum ſequi non potuiſſet, quem cùm inueniſſet Dauid; curauit ei cibum dari, *qui cum comediſſet, reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus eſt.* Eū igitur Dauid accepit itineris ducem, vt Amalecitas inſequeretur. Quid aliud (ait S. Greg.) puer hic Ægyptius ſignificat, niſi huius ſæculi amatores? qui diu nobiſque in eius ſeruitio occupantur, quærentes in ſuis omnibus operibus quidquid ille amat, & magni facit. In qua occupatione incidunt in morbū languorem ac defatigationem; permittente Deo Domino noſtro, (vt primo libro fuſius eſt dictum) eos incidere in euentus valde aduerſos; b *& ſequentes amatores ſuos* (vt dixit Oſeas) *non apprehendant eos,* eorumque conatus ſint irriti, donec ipſemet mundus eos deſerat, & tanquam inutiles ſibi, aut aduersantes, à ſe repellat. Et quid aliud eſt, permittere eos à Regum & Principum gratia excidere, aut dignitates & officia, quibus fungebantur, aut conantur obtinere, illis auferre, aut eos facultatibus, honore, aut fama, quâ gaudebant ſpoliare: niſi quod mundus eos à ſe repellit, aut in medio itineris, vt dicitur, illos deſerit, permittens eos in magnas deuenire calamitates; vt hac ratione fidelia illorum obſequia remuneret. Sed tunc opportunè accedit Deus noſter, renouans ac recētes mittens inſpirationes, quibus eos excitat, & deguſtandum præbens panem lacrymarum, vinumque compunctionis

Cellat. 3. c. 5.

21. *Re.* 30. 1

Li. 5. Mora. cap. 29.

Tract 1. c. 3.
b *Oſea 2. 7.*

ctionis,eos planè confortat,& re ipsa in suos adscribit socios, & militiæ religiosæ, ac perfectæ vitæ milites efficit : & interdum facit eos duces ad magnas expugnandas, instituens per eos bellum aduersùs ipsum mundum, quo eos deduxit, eò quòd nouerit ipse c *suscitare de puluere egenum, et de stercore erigere pauperem, & collocare eos inter principes populi sui*, suos scilicet Apostolos, vt hac ratione insignia sint Instrumenta, ad egregia in bonum animarum facinora aggredienda.

1. Reg. 2. 8.

Collat. 3. c. 5

Hoc perpendit benè Cassianus, dicens: hanc vocationem, quæ ab humani modi aliqua necessitate ducit originem etsi vilibus principijs inuitatur, tamen dè tamè prosperos sæpè fines habere. Nam ab ea viros aliquos incepisse, postea spiritu feruentissimi, & in omni virtute perfecti exstiterunt, & consimiles, qui optimo principio aggressi Domini famulatum, reliquo quoque vitam laudabili feruore spiritûs exegerunt; sicut è contra euenit, qui à perfecta vocatione inceperunt, tepefacti, ad vituperabilem finem deciderint. Ac proinde sicut illis nihil obfuit, quòd non suo viderentur arbitrio, sed necessitatis impulsione conuersi, quippe quibus hanc ipsam occasionem, qua compungerétur, Domini benignitas procurauit: ita etiam illis omninò nihil profuit, sublimiora habuisse conuersionis principia: qua non studuerunt, reliquam vitam termino congruo terminare. Quid enim profuit Iudæ, Apostolatus sublimissimum gradum eodem ordine, quo Petrus cæteríque Apostoli asciti sunt, voluntariè suscepisse; qui vocationis suæ pulclara principia, cupiditatis, ac Phylargiriæ pestifero fine cõsummans, vltro ad traditionem Domini crudelissimus parricida prorupit? aut quid obfuit Paulo, quod repẽtè cæcatus ad viã salutis velut inuitus videtur attractus: qui postea Dominú tanto animi feruore sectatus initium necessitatis voluntaria deuotione consummans, gloriosam tantis virtutibus viã comparabilem concluserit. Quod idẽ euenit Abbati Mosi: nihil enim ei defuit ad perfectæ beatitudinis meritũ, quod metu mortis, quæ ei propter homicidij crimen tentabatur, impulsus, ad Monasteriũ se recepit: quia ita necessitatẽ conuersionis arripuit, vt eam in voluntatem propria animi virtute conuertens, ad perfectionis summa peruenerit. Hæc Cassianus. Quæ innumeris insignium virorum exemplis licet confirmare qui mundum, aliqua necessitate compulsi fugientes, eò peruenerunt, vt fierent Ecclesiæ lumina, fundantes, tanquam Christi ipsius Duces, Religiones nouas; aut nouum splendorẽ priùs sanctis adferentes. Duo oculi siue lumina Eremiticæ vitæ fuerunt Paulus primus Eremita, & Magnus Arsenius; & vterq; vitæ suæ modum cœpit fugiendo persequutionem: alter quidem Decij, alter discipuli sui Arcadij. Sanctus Romoaldus fundator fuit insignis Religionis, cuius tamen vocatio originem habuit, eò quòd particeps aliquo modo fuisset mortis cuiusdam homi-

VALE

VALDE rogabat S. Bernardus Gerardum fratrem suum, vt mundum deseereret; sed nolente eo sanctas ipsius admonitiones audire, apponēs vir sanctus digitum suum ad eius latus, dixit: veniet tempus & quidem breui, quo hasta infixa in hoc latus viam aperiat, vt consilium, quod modò contemnis, ad cor tuū penetret. Et ita euenit. Intra paucos enim dies captus fuit ab hostibus suis, & idem latus hasta vulneratum. Quod vulnus vbi sensit, magnis clamoribus dicebat: monachus sum, monachus sum Cisterciensis: Et statim voto se obstrinxit; si DEVS ab illa captiuitate illum liberaret, se monachum futurum. Liberatus ergo, votum suum impleuit; & adeò insignis euasit Religiosus, qualem licet videre ex sermone, quem idem S. Bernardus eius fratre de felici eius vita & morte habuit. Huiusmodi exemplis abundāt historiæ sacrarum Religionum: quamuis non adeò sint necessaria humanarum historiarum exempla, cum adsit certissimum quoddam in historia diuina, vocationis scilicet prodigi: qui cum à magna sua prosperitate cecidisset, & suppecoperet ingentem c *famem*, qua cruciabatur, & in fame officium *pascendi porcos*, quod à mundo acceperat, redijt ad domum paternam; Et à patre benignè amplexu exceptus, vt maiores fauores ac beneuolentiam ipse experiretur, quàm frater eius maior, qui fideliter & constanter parenti seruiebat. Sic hoc intelligas quocumque; modo ad Dei domum accedas, etiā fugiēs lutum, hoc est carnis fœces: Christū Dominū tibi aduitum præbiturum, quia d *descendi de cœlo, vt faceret voluntatē Patris, qui misit eum*: cuius volūtas est, vt nemine ex iudat omnium, qui ad ipsum deducentur: etiāsi catenis ferreis vinciti, & à calamitatibus coacti deducantur. Nouit enim ipse gratiā suā commutare has catenas necessitatis in alias quæ sint charitatis eleuās sic venientium intentionem à terrenis ad cœlestia, & ab humanis ad diuina. Quamuis enim Christus D. N. libenter admittat venientes ad suam scholam, fugientes incōmoda & calamitates mundi: non tamē placet illi, quod veniant præcipuè ob temporales commoditates, quasi hoc in Religione quærant, vt suæ paupertati cōsulant, famē expleant, & honorificè viuant. Hoc enim nō esset mundū deserere, sed eundē secū adducere, eumq; Religionis habitu tegere ac vestire. Non est id sequi Christū nudū in cruce; sed quærere Christū, quē dā diuitem, & in quodā gloriæ throno collocatū, qualē sibi finxerat scriba ille, qui ea mente & intentione dixit ipsi Christo: e *Magister, sequar te quocunq; ieris*. cui statim Christus respondit; *vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*. Atq; si apertius ei dixisset; si me vis sequi, existimans me futurum Regem, teque in meo comitatu diuitem futurum, ac honorandum: valde erras. Ego enim tota vita mea adeò pauper sum futurus, vt nec locum proprium habeam, in quo caput meum reclinem. Qui hoc animo ad Religionem se conferunt, non ingrediuntur

In eius vita lib. 2. c. 3.

Serm. 26. in Cantica.

c *Luc. 15. 16.*

d *Ioan. 6. 38*

e *Matt. 8. 19*

Luc. 9. 57.

Tō. 1. Tra 2. cap. 5.

per portam recta, nisi mutent intentionem. Huius enim vitæ necessitates possunt quidem esse causæ, & veluti calcaria, vt quis mundum deserat, & ad Religionem recipiat: sed huius receptionis & ingressus finis principalis nō debet esse illarum necessitatum remedium quærere. Quare videns Christus D. N. multos ipsum sequi, quos pauerat in deserto: volens eorum intentionem ad excelsiorem finem dirigere, dixit: f *quæritis me, quia manducastis panibus, & saturati estis: operamini non cibū, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quē filius hominis dabit vobis.* Voluit enim eis Dominus dicere, nō debetis me sequi ob finē adeò leuem, & abiectū, atq; est cibus corporis, & quicunq; aliud temporale bonū; nā id totum est corruptibile: anima autem nostra est æterna, quæ propterea opus habet cibo non corruptibili, & bono æternis. Propter illa igitur laborate, illa quærite, & propter eadē me sequimini: nam ego copiosè vobis illa tradā: quāuis neq; reliqua illa temporalia bona, tanquam additamenta, tradere negligam. Deniq; ad nostrū propositum spectat, quod Plinius dixit de gemma, quā Euangelium g *pretiosam margaritam* vocat, estq; figura vitæ religiosæ. Nā quemadmodum gemma ex rore de celo descendente generatur, recepto in cōcha marina; & quò ros est copiosior, eò gemma maior euadit; qui si purus sit; illa est valde candida & pulchra: si autē ille turbidus est ob nubes & tonitrua; illa quoq; obscurior est ac deformis: ita etiā vita Religiosa generatur in anima, à cælesti diuinæ Vocationis aut inspirationis rore: quæ quò est efficacior, eò vita Religiosa solet esse perfectior. Quod si eadem vocatio pura sit, solumq; propter ipsum Deum & respectum cælestes: vita quæ incipitur, pura erit ac cæleſtis: si autem Vocatio ipsa turbata, ob admixtos fines aliquos terrenos, temporalium commoditatum, metus alicuius humani, aut impetus iræ, & choleræ: vita etit obscura & parum splendens; & interdum Religio ipsa erit inanis, & solo nomine talis: propterea multum refert, quòd vocatio sit cum prædicta puritate.

Li 9. ca. 33.
g Mat. 13. 46

CAPVT VII.

TIMOREM MORTIS, ET VLTIMAM VOCATIONEM *ad exitum ex hac mortali vita, esse medium valde efficax ad mundum hunc sine mora deserendum.*

QVONIAM MORS EST omnium miseriarum temporalium terribilissimus transitusq; ad mala, aut bona æterna; ideò memoria ac timor eius, præcipuè cum à morbo præsenti, aut alterius mortis exemplo foueatur, est efficacissimum Vocationis diuinæ medium, non solùm ad statum peccata deserendum, (vt in primo Tomo est dictum) sed etiam ad omninò renunciandum mundo, & statum Religiosum amplectendum. Quare Deus D. N. eos, qui ordinarijs & suauibus ipsius inspirationibus rebelles ac pertinaces se præbuerunt, vt plurimum solet huiusmodi terroribus deijcere, collocans

Tract 1. c. 14

eos in mortis periculo, aut cælesti sua luce ostendens eis tremēda illa, quæ in ea oc urrunt. Nā, (vt S. Hieronymus dixit) facilè deserit omnia, qui certò sibi persuadet, se breui mōriturum; & absque mora valedicit mundo, qui existimat se breui ad id fore cogendum; nec grauiter fert, à parentibus & amicis suis discedere, qui seriò cogitat, citò se eos deserturum; & qui firmiter credit, se intra paucos dies tremendam illam vocem auditurum, qua ad exeundum ex hoc mundo, & rebus omnibus visibilibus vocetur, ad rationem de suis operibus reddendam & præmium aut pœnam accipiendam, quam eidem fuerit promeritus: gaudebit procul dubio, mortem ipsam præuenire, huius separationis causam; & ingredietur Religionem, in qua, dum quis viuit, moritur: ne horrendos mortis timores damnaque persentiat.

Ex S. Ambrosio.

Ex quo fit, vt quēadmodum mors terrā cadaueribus mortuorum replet, sui cuiq; sepulchrū assignās: ita memoria ac timor eius deserta cōdidit Eremitis, & nūc Religiones replet Religiosis: quorū vita cū Votis suis est perfecta quædā mortis imitatio. (vt meditatione decima primæ partis est dictū) eōs. n. spōte sua eligūt, mori mūdo, ac tēpestiuè renunciare dominio, iuriq́ue dignitatū, matrimonijs; dignitatib. propriæq; libertati; priùs quàm ipsa mors hæc omnia illis auferat. quare se ipsos in Religione sepeliunt, vt cū Christo viuāt, sicut ipse vixit: imitātes in vita eū, q futurus est eorū Iudex in morte; & portātes crucē, quā ipse iussit portari, & in eadē moriētes, vt per eā ad paradisū ascendāt. Nā (vt S. Chryso. ait) crucē portare, nō est ipsū lignū humeris imponere; sed mortis semper meminisse, & ob oculos semper eā habere; talē vitā instituendo, quæ sit ipsius mortis imago; nec mortis cuiusuis, sed veræ mortis crucis, imitādo eū, qui in ea est mortuus, vt Sanctæ vitæ nobis exemplum præberet: ita vt perfectè nobis aptetur q Apost. dixit: a *mortui estis: & vita vestra est abscōdita cū Christo in Deo.* O mortē felicem, (ait S. Bernar.) quæ iustū à culpis mundū cōseruat, & quasi aduenā huius sæculi facit! Quare aūt mors illa est felix, nisi, quia necesse est, b *nō viuentē in se* ipso, *viuere in Christo*, & quasi eius socius sit in Deo ipso abscōditus. O dulcis Societas! ó securum latibulum! quis potest esse socius iucundior ipso Christo? & q latibulū securius ipso Deo! ó felices mortuos, quibus Christus tanquā socius cōiungitur & Deus tanquā sepulchrum, & intimus receſſus ipsos recipit! vbi autem illos excipit & c *abscondit* eos, nisi (vt dixit Dauid) *in abscōdito faciei suæ a conturbatione hominū?* & quid dico à cōturbatone hominum? imò nec cò pertingit solicita & anxia cōturbatio mortis, iudicij, aut inferni; neque horrendi dæmonū terrores: quia, dum viuerent, omnia hæc studiosè meditati sunt, ac ruminarūt, seq; ad eandē præpararunt, ita in Religione viuētes, sicut in ipsa mortis hora sunt revera futuri. Affectu. n. reliquerunt ipsi, quod ipsa poterat illis auferre; seque disposuerunt, vt pericula euaderent, in quæ illa potuisset

Hom. 5. ad Popul.

a Colo. 33. 1. Ser. 7. Quadragesima.

b Gal. 2. 20

c Psal. 30. 2

eos conijcere. Quid autem mirum, si mortem illi non timeant: qui spem
d *Phil.1.21. Vbi supra.* sua quotidie moriuntur, & morientes viuunt in suo sepulchro? & quoniam *viuere Christus est: mori* reputant *lucrum*, tanquã transitum ad regnandum a ipso. Ac propterea S. Chrysostomus dixit, *quotidie moritor, & mortem* Neque enim illa nocere tibi potest, si ita quotidie viuas, quasi dies illa
c *1.Co.15.55* vltima. Imò ridens eius triumphũ, vsurpare tibi licebit illud Apostoli: *ubi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* primus aculeus, qui è paradiso nos expulit, mortiq; subiecit, est peccatũ: post quẽ alij sũt aculei, passiones carnis, concupiscentiæ rerũ mundi, ac dæmonis tentationes, quæ nos stimulant, ac in miserandã animæ & corporis mortem præcipitant. Continuum mẽ eius memoria, sanctusq; eius timor vincit, hebetatq; oẽs horũ aculeos & gloriosam obtinet victoriã de ea, quæ prius nos vicerat; ac triumphat eadẽ virtute diuinæ Vocationis, quæ cœlesti sua luce ex veneno educit medicham, & antidotum; & ex ipso quem de hoste reportat, triumpho, armat
f *Tob.6.8.* mit ad eundẽ cum gloriosiori triumpho vincendum. Quemadmodum enim f *Tobias ex pisce mortuo, & exenterato,* iussu Angeli *fel* accepit, quo *parentum visum restituit*; & *cor, quo fugauit dæmonẽ*: ita exercendo meditationẽ circa dauera, cum diuinæ inspirationis auxilio, hauries vtilem tibi amaritudinem quæ deceptionẽ tuã tibi detegat; & animæ visum clarificet, talẽq; det affectum & cor adeo robustũ, vt dæmones fugere cogat, triũphumq; de illis reportet.

Quod si vnum ex his triumphis videre cupis, vt pugnare discas ac vincere
Ex Cæsario in li. de Exemplis. audi quid prudenti cuidam adolescenti, principis cuiusdã vnico filio acciderit, quẽ Deus hac via & ratione ad Religionis statum perduxit. Cui cum princeps parẽs conaretur persuadere, ne id faceret, cùm esset iuuenis, dives potens & magnarum ditionum hæres; & quòd in sæculo manẽs, posset, sicut alij similes fecissent, Deo seruire: Sed respõdit, se libẽter ipsius voluntati parerum, modò ipse subditos suos à quodã tributo liberaret, quod ipsi pendebant grauiter, n, valdeq; molestè ferrẽ, eos in tam seuera subiectione teneri. Interroganti autem parenti, quod nã illud esset tributum, vt illud auferret: respondit filius: tributum & onus illud esse, q æquè iuuenes ac senes morerẽtur, què diuites ac pauperes; æquè principes & nobiles, ac reliqui ciues & pegni: quod tributũ si auferatur, dicebat, se in sæculo remansurũ. Cum q; parens responderet: Deũ solũ illud auferre posse; intulit prud s adolescẽs: si nullus hominũ tributũ hoc potest remouere, nullus etiã impediet me ab eo fruamplectẽdo, ad quẽ Deus me vocat. Nam si ego etiã iuuenis, dives, ac p possum statim mori; volo statim incipere seruire Deo, cum ea perfectione ac seueritate quã desidero, vt mors paratum me, & Dei obsequio studen inueniat. Hoc filij responsum adeò cor parentis penetrauit; vt non solùm filij sui consilium: animiq; decretum approbauerit; sed ipse quoque cœlest

Ius

luci aditum præbens, eam veritatem adeò est benè assequutus, vt statuerit, eandem, quam filius, tenere viam.

Hi sunt diuinę vocationis triumphi, quos ipse per mortis memoriam reportat; quæ non solùm est vox ignauos excitans, & ad felicē Religionis statum impellens; sed etiam est offensiuum ac defensiuū telum contra hostes, contendentes ab ea homines deterrere. Eadē etiam vox est anchora firmos eos tenens, & constantes in medijs tempestatibus, quas caro & sanguis excitant, vt eos ad sæculum reuocent. Est etiam frænum continens furiosum cupiditatum huius mundi impetum, ne in abyssum Inferni eos præcipitet. Denique est aculeus instigans eos ad currendum magno feruore post Christum: vt perfectionis celsitudinem cōsequātur, antequam diei lux deficiat.

SVPEREST nunc ostendere, quid lux cœlestis in hoc vocationis modo manifestet. ad quod illud iacimus fundamentum, quod Deus in hora mortis omnes homines vocet vocatione aliquo modo illi simili, qua vocat aliquos ad mundum deserendum, & Religionem amplectendam: quamuis cum circumstantijs ac conditionibus magis horrendis ac tremendis: dicens in seuerissimo quodam sensu verba illa, quæ olim dixit Abrahamo, g *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terrā, quam mōstrabo tibi.* In quibus verbis tria licet valde horrenda perpendere, tanquam tria puncta vtilissimæ cuiusdam meditationis.

g Gen. 12. 1

Consideratio eorum, quæ in vltima mortis vocatione geruntur.

Punctum. 1

CONSIDERA inprimis, quid Deus D. N. iubeat te deserere, & vnde iubeat exire in illa difficili mortis hora. Primū enim iubet *egredi ex terra tua*; non solū ex ea parte in qua natus es; sed ex toto terræ orbe, ad quē nunquam ampliùs sis rediturus; nec vlla prorsus eius re ampliùs vsurus. Tibi enim non erunt ampliùs campi, nec horti, nec aulę; nō ciuitates, nec prouinciæ; nulla res iucūda, quæ oculos recreet; nullæ musicæ, quæ aures lætificent; nulli odores, aut sapores, qui olfactum aut gustatum oblectent; nullæ res blandę, aut suaues, quæ tactui recreationem aut delectationem adferāt. Hæc, inquam, omnia deserenda sunt tibi exeunti ex terra, in qua illa reperiuntur, ita vt nihil prorsus eorum tecum possis asportare: sed sicut nudus ingressus es terram, ita nudus exibis.

Quænam deserenda sint exeūti ex mundo.

DEINDE iubet, egredi ex *cognatione tua*, deserentem non solùm eos, qui tibi sunt sanguine iuncti; sed etiam totū genus humanum, absq; vlla spe ampius in mortali hac vita agendi; aut consuetudinem vllam habendi cum hominibus siue illi sint cognati, siue noti, amici, aut socij, quantumuis intimi & dilectissimi fuerint, siue bona, siue mala amicitia: soli enim exeundum tibi est, & soli absque vllo comitatu coram tuo iudice comparendum.

TERTIO iubet exire *ex domo Patris tui*, non solùm terreni, sed cuiuscun-

que in hac vita, etiã patris cœlestis: exeundũ enim tunc erit ex Ecclesia militãti, & ex domo Religionis, & ex omnibus eius monasterijs, siue Cõuentibus: ac proinde tibi nõ erit ampliùs Sacramentorum Ecclesiæ vsus, non communicandũ, non librorũ sacrorũ, aut piorũ; nec aliorũ mediorũ, quæ tibi in terra militanti ad salutẽ consequendã vsui esse poterant. Ac denique dicetur tibi: *egredere ex domo*, quã pater tuus carnalis tibi dedit, ex miserabili scilicet illo corpore, in quo anima tua per tot annos habitauit: neque diutiùs in ea licebit habitare: nã tota conuertetur in puluerẽ, ex Iudicis supremi sententia in prætorem lata cuius domus iubetur ad terram deijci, & sal desuper seminari.

Hæc omnia deserenda tibi sunt in illa hora; & quidem cum ingenti pena ac dolore, si amore inordinato ad malum aliquod affectus fuisti, aut nimia ignauia nõ fuisti vlus bono, cum potuisti. Quid igitur huic horæ, huius exitus vocationi, cũ ea, quæ nunc fit, ad exitũ adeò suauẽ ac iucundam, quod si hanc cũ magno spiritu amplecti, alterã illã reddet suauissimam? in hãc nõ amplecteris, & ex ea nõ exultabis? cur nõ cõplaceas tibi in relinquendis, quæcunq; in hac vita poteris; vt magna tua vtilitate in hora mortis factũ inuenias? ô dulcis IESV, qui nudus ex hoc mũdo exijsti, nudus mortem in cruce, separa quæso, à me vita, quod in hora mortis vellem omnino non quisse; vt nudus nunc crucem amplectar, & nudus in ea exspirem.

1. Punctum

SECVNDO est considerandus locus, ad quem vocaris, cùm dicit: *veniam ad terram, quam monstrabo tibi* & hic perpendes triplicẽ terrã quã Deus tibi post in hora mortis ostendere. Prima est cœlũ: quæ terra est viuentium, & bonorum possessio; in qua faciem illis suam ostendit, repletque æterno suo gaudio, & bonis omnibus, quæ possunt desideria cordis eorum explere ac saturare. Secunda est Infernus, terra mortuorum ac damnatorum carcer, tenebris plenus, ac miserijs, in qua terra, neque ordo est, neque requies, sed horrens confusio, & intolerabiles cruciatus. Hæ duæ sunt habitationes æternæ, ex quibus nullus, qui semel ingressus est exire potest; nec vllus est transitus ab vna ad alteram. Nam a *si ceciderit lignum ad Austrum* cœli, *aut ad Aquilonem*, Eccl. 11. 3. Inferni: *in quocunque loco ceciderit, ibi erit*. Tertia terra est Purgatorium, quod est, captiuorum ac debitorum carcer: in quo horrendis igneis pœnis detenti luunt peccatorum: vnde nõ priùs exire licebit; quàm vltimum quadrantem reddiderint. Vnam ex his tribus terris ostendet tibi Deus in mortis articulo; ante quem non poteris scire, quam tibi monstrabit; neque quæ sors tibi continget. ô quales angustias, & animi afflictiones tuus sentiet spiritus, cum viderit, b *securim ad radicem arboris iam positam, vt eam præscindat*, nescienti quam partẽ cadet post abscissionẽ! ô quomodo paupercula anima cruciatur constituta in dubio finis, quem eius exitus habebit. Cõscia enim sibi quod peccauerit; ignara tamẽ, an sua peccata sint dimissa: nouit, se dignã esse

b Luc. 3. 9.

quã

quæ repellatur,& nescit an sit nũc digna,quæ diligatur & admittatur. Quòd
b diuinam Vocationẽ in hac vita audiisti, & iuxta eam vitã tuam instituisti;
gaudebis,cũ secũ da illa vocatio aderit,propter spẽ conceptã, quod ostendet
ibi Deus felicẽ illam terram, de qua dicitur; c *in terra sua duplicia possidebunt.*
bit enim Deus Religiosis tanquã primogenitis suis duplicatũ gloriæ præ-
mium:alterũ eò quòd præcepta eius seruauerint; alterũ quòd Euãgelica cõ-
silia sint amplexi. Tunc audiet anima tua vltimã illam ac iucũdissimam vo-
cationẽ sponsi cœlestis,dicẽtis: d *Veni de Libano sponsa mea.veni de Libano,veni:*
coronaberis de capite Amana,de vertice Sanir Hermon,de cubilibus leonũ,de mõ-
tibus pardorum. Tet illam vocat ad coronam recipendã(vt ait Honorius)ob
triplicem renunciationem,quam fecit nõpè Dæmoni, Mundo, & sibiipsi:di-
uitijs delitijs,ac propriæ voluntati per tria vota,quæ edidit, Paupertatis, Ca-
stitatis,& Obedientiæ:quorũ fideli custodia facta est eius vita excelsa, pura,
candida &instar mõtis Libani(quod interpretatur cãdor)exaltata;pedibusq;
suis calcãs colles huius mũdi, Superbiã,scilicet ambitione, & Cupiditatem:
inquarũ cauernis occultãt se dæmones,qui tãquam leones,&Tigrides per-
sequuntur Iustos.ô quam felix erit anima tua,si nunc audiat diuinã vocatio-
nem,quæ ipsam inuitat ad vitam adeò excelsam siquidem tẽpus veniet, in
quo vocetur ad coronã adeò glorioſam recipiendã. Contra verò si ad voca-
tionem diuinam nunc obsurdescis, aut vitam tuam iuxta eam non instituis:
incredibilem tristitiam ac pœnam senties in vltima illa hora: cum intima
horrebit tibi tremenda illa sententia Dei per suum Prophetam dicentis: eò
quod e *in terra sanctorum iniqua gessit*,hoc est in Ecclesia, *non videbit gloriam*
Domini in terra Sanctorum,hoc est in paradiso. Quando mortalis morbus
te premet quàm libenter DEO dices illud Iob: f *dimitte me, vt planga pau-*
lulum dolorem siue peccatum *meum,antequam vadam, & non reuertar:ad terrã*
tenebrosam & opertam mortis caligine:terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra
mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quod si nosse velis re-
sponsum quod tunc habebis; audi quam rationem Dominus noster in vlti-
ma hac ad rationem accipiendam vocatione seruare soleat.

Quod maximè in vltima hac vocatione terret,est.quòd sit vnica tantùm,
repentina,& cum tãta efficacitate,vt nulla sit cõtra eã resistẽtia, nulla excu-
satio,nulla dilatio,aut mora,sicut in vocationibus,quæ in hac vita fiunt,esse
possunt. Quãuis enim precedere soleant pulsus aliqui morborũ,tanquã præ-
nuncij instantis rationis reddendæ:quando tamen constitutum efficacis &
infallibilis vocationis tempus adest, statim atque Deus ad iudicium te voca-
uerit:impossibile est,ei vocationi resistere;sed in momento,quod dicetur ti-
bi:*egredere de terra tua*,necesse est,te statim exire;&statim atq; sententia eius
certam designat, ad quam sis iturus:trahêris ad eam absque vlla resistentia;

aut

c *Isa.* 61. 7

d *Cant.*4.8

Vide Martinum delrio in eũ locum

e *Isa.*26.10

f *Iob.*10.21.

3. *Punctum.*

aut per Angelum ad cœlum, aut Purgatorium; aut per Dæmonem ad Infernum: idque totum in ictu oculi perficietur. Imò interdum euenit adeò repentè; vt, nulla morbi alicuius veluti citatione præcedente, in eodem momento, & fiat vocatio, & eius exsequutio.

g *Mat. 20.* QVOD vt melius intelligas, memento g *Patrem familias* duplicem adhibuisse *rarios* vineæ suæ vocationem adhibuisse: alteram, vt in ea laborarent, qui pius repetiuit, nam omnibus diei horis ad eos vocãdos exiuit; & qui cationi in vna hora restiterũt, in altera paruerunt: altera fuit vocatio, *rò esset factum*, vt rationes cum eis faceret; & laboris *mercedem redderet*. hac nec resistentia vlla fuit, nec dilatio: nec nisi semel est facta. Vnusquisque enim seorsim ad rationem reddendam in morte vocabitur; & postea omnes simul in fine mundi. Et qui primæ vocationi paruerunt, & in vinea Ecclesiæ aut Religionis, si ad eam fuerint vocati, laborarũt: accipient denariũ gloriæ; qui autem restiterint, volẽtes potius esse otiosi, quam facere quod Deus mittit ac iubet; vocabuntur ad rationem reddendã, sicut malus ille h vocatus non vt præmiũ accipiat, sed vt ob suam pertinaciam, & ignauiam puniatur.

h *Luc. 16.1* FORTE, vt otium & ignauiam tuam excuses, dices: hunc te animum habere, vt vocationem diuinam audias; non tamen *primo mane*, aut *hora* cùm satis sit, hora *nona*, aut *vndecima*: nam tũc te futurum adeò fer accipias denarium gloriæ eiusdem valoris cum ijs, qui multò citius runt. ô te ignauum atque infelicem, si deceptioni adeò manifestæ ris! quis te miserum securum faciet, quod volet Deus in ea hora cum ri efficacia vocare, quàm omnibus præcedentibus? aut vnde nosti, riturum te vocationi diuinæ: cum toties eidem restiteris? & quis dixit, exspectaturum Deum, vt breui illo tempore, sicut optas, labe possis? caue, ne vitam tuã ita expendas, vt cum Israëlitis dicas, i *manda, da; exspecta, reexspecta, expecta, reexspecta*; *modicum ibi, modicum ibi*. Quid aliud est, (ait Richardus de S. Victore) quàm hinc teneri desiderio, vt te vocet ac visitet; & multa committat ad ipsius obsequium spectantia verò, cùm re ipsa te vocat, dicere illi, vt parum expectet: nam te iussis pariturum? quòd si te vocet secundò, tu repetas, vt parum adhuc expectet; sic nunc parum, huius negotij causa differs, & iterum parum alterius occasione te excusans existimas, ad omnia fore tempus sufficiens; & satis esse, optimum Deo dare. Quòd si tam parum ciuiliter cum tanto Domino agis, non dignus es, à quo suam Deus manum retrahat; ac perseuerare permittat in eo modo agendi, & respondendi per totam vitam: cum autem iterum adxeris, vt parum adhuc expectet, re ipsa respondebit; se nolle: & abscindet pentè vitæ tuæ cursum, vocabitque ad rationem statim reddendam. Memento infelicis illius Chrysorij, de quo Sanctus Gregorius refert, quòd cum

i *Isa. 28.10. Li. 4. de Cõtempt. ca. 13.*

Lib. 4. Dial. cap. 38.

vitam suam in multis peccatis expendisse: quadam nocte horrendas vidisset visiones, & ingentibus clamoribus dixerit, inducias, vel vsque mane! inducias vel vsque mane! in quibus verbis miser expirauit, non obtentis petitis inducijs: quia noluit, ex multis priùs à Deo ipsi datis, fructum accipere. Quid existimas te facere, cùm trahis moras, ac differs DEI vocationi parere, nisi aliquot dierum inducias petere? sed si in ea petitione perstiteris, vt laxioni sensualique vitæ te tradas: eueniet tibi, vt aliquando petas, nec obtineas: eò quòd abusus fueris multis antea tibi concessis; sed potiùs tibi exprobrabit fauores, & beneficia in te collata, vt ad pœnitentiam, & vitam emendandam te prouocaret: obijcietque tibi illud Sapientiæ: k *vocauite & renuistis: extendi manum meam* ad iuuandum te, & *nec aspicere* quidem voluisti; consului quod tibi expediebat, & *despexisti omne consilium meum; increpaui*, quòd malè faceres, & *increpationes meas neglexisti*. Cùm igitur tu *inuocaueris me, non exaudiam: & si mane consurgas*, vt me quæras, *non inuenies me: oriuet enim in te repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruet. Comedes igitur fructus viæ tuæ*, ruditatis ac dilationis, *tuisq; consilijs saturaberis*, meritas luens pœnas, eò quòd *consilium meum despexeris*. Acquiesce igitur diuini huius consiliarij suasionibus; & stude opere illa exequi: dilatio enim executionis in causa esse solet, cur nunquam opere impleantur: ita vt qui vitæ mutationem de die in diem differt; priùs vitam finiat, quàm se emendet. Vnde Sanctus Augustinus ait: hæc res est, quæ multos occidit, cum dicunt, cras, cras; & subitò ostium claditur: remansit foris, cum voce cornina, quia non habuit gemitum columbinum. dum enim quotidie in crastinum differtur, quod Deus iubet, & ipsa vitæ mutatio: repentè veniente sponso, cœli porta occluditur, & fatuæ virgines remanent foris: quia defuit illis gemitus columbinus vt peccata sua deflerent, & volarent celeriter ad exequenda mandata Dei. Contempserunt spiritus Sancti consilium, qui quasi columba innocēs, quod maximè illis expediebat inspirauit; amplexi verò sunt consilium & suggestionem coruorum hoc est Dæmonum, qui suggerunt, & instigant ad differendum de die in diem; & ideo deceptos se esse deprehenderunt. O Deus æterne, cuius consilia cedunt in vtilitatem hominum, qui volunt ea sequi: aperi quæso aures nostras, vt illa audiamus, & cum omni celeritate expleamus, ita vt in hora mortis comedamus fructus eorum: & fruamur ipsa gloria, ad quam illa diriguntur. Amen.

k *Prou.1.24*

Deus non audit se non andicate m

Ser.16.de Verbis Dom. Tom.10.

CAPVT VIII.

DEVM VOCARE AD RELIGIONEM MANIFESTANDO eius bona præcipuè regnum Dei: quæ admirandis parabolis explicat.

QVAMVIS VOCATIO ad statum Religiosum, quæ luce sua pe[rfe]cta & miserias huius mundi detegit, valde penetret & in[flam]met hominum animos: multò tamen nobilior & excelsior est il[la] quæ stupendos thesauros, bonaq; spiritualia in hoc felici [sta]tu latentia manifestat. Nam (vt S. Bernard. suis Monachis dixit) qui in vocatione sua non solùm locum, vnde exiuit; sed etiam ad quem [per]ueniret cõsiderat; nec solùm quod deseruit, sed etiã quod accepit, benè perpendit, [et] prehendet secundam hanc misericordiam plurimùm excellere illam priorem. per secundam enim vocatur & eligitur à Deo, vt feliciter proficiat, [et] pergat & meritorum a *fructus* proferat, qui *permanent* in vitam æternam, [a] quod adeò certum est; vt licèt admitteremus, posse in sæculo vitam agere [et] que prædictis periculis; sit tamen omnino sufficiens valdeque præclarum [mo]tiuum ad eum deserendum, & Religionem amplectendam quòd in ea [fru]antur Religiosi bonis illis spiritualibus, quæ in ea habitantibus sunt [pro]missa. Quare, cùm lux cœlestis illa bona alicui manifestat, statim [ille] abstractus accedit, vt eam amplectatur, nulla vi humana valente eum re[tra]here. Quamobrem S. Laurentius Iustinianus dicere solebat: cons[ilium] Deum hominibus occultare gratiam Religionis; quia si eius felicitatem [ho]innotesceret: omnes ad eum properarent, vt tanto fruerentur thesauro. Neque censenda est hæc exaggeratio: nam Religiosa vita (vt in tertio [sta]tu est dictum) continet eminenter omnia spiritualia bona, in quibus [ho]uitæ huius beatitudo consistit, quam Apostolus vocat *Regnum Dei*, de quo [ei] dicit, quod sit *Iustitia, & pax, & gaudium in spiritu Sancto*. Quæ verba pa[ulò] lò fusius nunc ad hoc propositum explicabimus, in quibus Apostolus [bre]tangit quatuor, quæ regnum quoduis & multorum hominum commune [bo]rem reddunt felicem: quod scilicet in eo regno sit Iustitia, Sanctitas, [ver]que Religio; Pax item, & concordia inter eos omnes absque bellis, dissen[ti]onibus aut litibus, quæ illos perturbent, ac simul gaudium verũ, vt quili[bet] ijs quæ habet, sit contentus; habeat verò abundantiam eorum, quibus [in]get ad suã sustentationẽ & splatiũ; præ omnibus autẽ vt Regẽ quendã habe[mus] adeò Iustũ, Sapientẽ, ac Potentẽ. vt conseruare & augere eadẽ bona possit, [et] à quocunq; eadẽ deprædari, aut destruere conante, tueri, ac defendere. Hæc [om]nia enim totũ eminenter inuenitur in sacra Religione, quæ est regnum quodã[mo]do hominum ab ipso Deo selectorũ; in quo verè regnat Iustitia & sanctitas, [ver]

Serm. contra vitium ingrat.

a *Ioan.* 15. 16

In eius vita cap. 9.

b *Ro.* 14. 17 Omnia bona spiritualia habet.

ret pa[x]

ret pax & mutua vnio, abundat gaudiũ, & lætitia cordiũ: & Spiritus Sanctus qui cũ Patre & Filio vnus est Deus, ei assistit semper, tanquã Rex ad omnia hæc bona conseruanda & augẽda. Nec solùm voluit Apostolus dicere: gaudium illud esse in spiritu Sancto; sed etiã Iustitiam & pacem. nam in alio loco dixit: c *fructum spiritus esse Charitatem, & pacem, & gaudium.* Vocat autem fructum: nam, quemadmodum arbor fructus producit, nutrit & conseruat, vsque ad integram perfectionem, & simul producit folia quibus eos tegat, & quo potest modo tueatur: Ita spiritus Sanctus, fructus producit sanctitatis, & gaudij; eosque conseruat & vsque ad integram perfectionem auget ac promouet; suaque protectione eos protegit ac defendit: quorum tanta est dulcedo & suauitas, vt quidquid terra profert ad eam suauitatem collatum, tanquam nihil censeatur. Quamobrem Apostolus cum hæc duo inter se cõferret, ait: *regnum Dei non esse escam aut potum* terrestri similem, neque *gaudium* ac dulcedinem huius mundi; sed *Iustitiam, Pacem, & gaudium*, quæ de cœlo veniunt, & ab infinitæ dulcedinis fonte, spiritu Sancto scilicet, fluunt. Quare nisi ipse cœlesti sua illustratione dulcedinem illam manifestet, præbeatque delibandam; nullus poterit eam agnoscere, neque vt par est æstimare: quam tamen si copiosa sua luce detegat & ostendat: nullus erit, nisi valde sit durus ac pertinax, qui non omnia deserat, vt illam obtinere possit. præcipuè quòd luc illa cœlestis ita excellentiam ac dulcedinem huius Regni ostendat, vt simul det aliquid delibandum eius, quod in se continet, cum pace, gaudio, & admiratione, quam tunc communicat, eum in modum quo CHRISTVS Dominus noster cùm suæ crucis asperitatem prædicaret, dixit suis discipulis, vt eos animaret: d *aliquos* eorum *non gustaturos mortem, donec viderent regnum* Dei: quod regnum eis ostendit post octo ferè dies, cum transfiguratus est super montem excelsum coram tribus eorum. Cuius aspectu adeò Sanctus Petrus lætatus & contentus fuit, vt dixerit: e *Domine bonum est nos hic esse.* hunc in modum ijs, quos Deus noster vocat, vt cũ ipso excelsum montem ac supremum Euangelicæ perfectionis, vitæque Religiosæ, conscendant, solet cœlesti suo lumine pulchritudinem, suauitatem, & amplitudinem regni Dei in ea existentis manifestare: faciens, vt ipso aspectu aliquid experiantur plurimorum, quæ in ipsa continentur. Id autem sufficit, vt rerum huius mundi penitus obliti dicant: bonum est nos in hoc monte esse, & vitam agere stuique regno Dei *Iustitia, Pace, & Gaudio*: quæ in illa sunt.

Spiritus sanctus ei assistit.

a Gal. 5. 22.

d Luc. 9. 27 Matt. 6. 28.

e Mat. 17. 4

§. I.

SED APERIAMVS iam stupendos modos, quibus Deus noster regni huius amplitudinem ac Religionis thesauros suis manifestat electis, & incipiamus ab eleganti & iucunda illa imagine, quam spiritus Sanctus in Patriarcha illo Iacob nobis ob oculos posuit, de quo dixit Sapiẽs quod cũ

esset profugus iræ fratris sui a *ostenderit ei* diuina Sapientia *regnũ Dei*. Quæ euenit ei, cùm ambularet per locum quendam desertum solus, pauper, ac desertus, innixus baculo, quem gestabat. & b *cum venisset ad quendam locũ, lassatq; in eo requiescere post Solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco*, vix corporis oculos clauserat, cum Dei animæ oculos illi aperiens, regnum suum illi hoc modo ostendit: *Videns in somnis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlũ: Angelos quoq; Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus, Abrahã patris tui, & Deus Isaac: Terram in qua dormis tibi dabo & semini tuo. Et ero custos tuus quocunq; perrexeris. Cumq; euigilasset Iacob de somno, ait: verè Dominus est in loco isto & ego nesciebam. Pauensq; quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli:* & pro gratiarũ actione *votum vouit, se cunctorum, quæ Deus ipsi daret, decimas ei oblaturum.*

a *Sap.* 10. 10

b *Gen.* 28. 10

Iacob figura ad religionem vocatorum

Fuit Iacob eius q; in eo itinere euẽtus, eorum figura, quos Deus ad Religionis statum vocat. Qui primùm statuunt, Deo obedire, vt fratris sui Esau insidias euadant, hoc est, mundi fratris quidem secundùm naturam, sed hostis infestissimi ob eorum culpam, qui nihil aliud agit, quam illos vita gratiæ priuare, & ius primogenituræ, quod habent ad regnum cœlorum, illis eripere. Illi autem vt eius manus & persequutionẽ euadant, volunt sicut Iacob ille, paternam suam domum & omnes commoditates, quas in ea habere poterant, deserere: gaudentes potiùs pauperes cum Christo crucifixo viuere; quàm in medio hostis sibi adeò infensi, qui mille vijs conatur eorum sanguinẽ haurire. Vt autem hoc illi maiori cum suauitate & fortitudine præstare possint, manifestat illis Deus superna sua luce diuitias regni sui, & vitæ Religiosæ excellẽtias: quæ vita, vt Sancti dicunt, significatur per hanc mysticam Iacob scalam: non enim aliud est sacra Religio, quàm firma quædam, tuta & munda scala, qua ad cœlum ascenditur: quæ ex parte vna tangit terram, eò quòd innitatur cognitioni propriæ, & contẽptui sui ipsius, rerumq; omnium huius mundi: ex altera verò parte contingit cœlũ, cui Deus ipse innititur, eò quòd ad eius diuinitatis cognitionem, & amorem perfectum attingat, qui animam ipsam suo vnit Creatori. Huius scalæ gradus sunt Paupertas, Castitas, & Obedientia: & reliqua Religiosa Exercitia, Lectionis Meditationis, Orationis, & Contemplationis: per quos gradus ascendunt quasi Angeli ad cœlum, vt suam ibi familiaritatem & consuetudinem cum Deo suo habeant: inde verò descendunt ad terram, vt varijs ministerijs operam suam ponant in vtilitatem proximorum. Nec mirum hoc est, quod eos Angelos appellemus, quos in his exercitijs imitantur. Et quoniam quisque gaudet coniũgi sibi simili, fit vt Angeli de cœlo descendãt, & ascẽdãt etiam per eandem scalam. Et descendunt quidem, vt cum Religiosis conuersentur; eosque ad

S. Anto. 3. p. Tit. 16. c. 10. §. 11. Ber. & Laurentius Iust. infrà citandi.

San-

Sancta eorum exercitia excitent: ascendunt autem, vt eorum orationes Deo offerant, & impetrent quæ illi optant. Ne autem in hoc itinere deficiant, quod à fuga sæculi auspicantur: ipsemet Deus scalæ innixus benevolum suũ vultum eis ostendit, suumque favorem ac benevolentiam promittit, dicens: sicut dixit ipsi Iacob: ne timeas, etiamsi præ metu fugias, sisque solus, pauper ac à tuis notis & amicis desertus: nam ego Deus tuus omnipotens, ero protector tuus & custos in omni bono quod quæsieris: & cum tu dormis, vigilabo semper pro te. Ascende tutò per hanc scalam: ego enim illi innixus eam stabiliam, & firmabo. Ne dubites, perfectionis iter aggredi: nam ego subvenam tibi in eo; nõ es solus, cùm ego tecum sim; non es pauper, cùm ego sim divitiæ tuæ; non deerunt tibi parentes, cùm ego sim pater tuus: nõ eris absq; fratribus & veris amicis, siquidem Angeli mei fratres erunt & socij tui. Accede, & innitere baculo crucis meæ, cum qua tutus pertransibis Iordanem huius sæculi, & pervenies ad æternam meorum cælorum requiem. Hæc illustratio est cælestis, qua Deus intellectus eorum illuminat, quos vocat ad Religionem; suspensos quodammodo tenens ad breve aliquod tempus, in cõsiderandis rebus adeò magnis, & mirabilibus, quæ in ea splendẽt. Et quãdo ex dulci hoc somno euigilant, & circa ea quæ viderunt, reflexionem faciunt fatentur suam ignorantiam, in qua eo vsq; fuerunt; dicuntq; *vere Deus est in loco isto*, & in hac domo sanctæ Religionis, fauẽs eis singularibus gratijs & favoribus; & *ego nesciebam* nec credidissem, tanta in ea esse, atque ipsa experientia vidi. O quàm est admirandus ac venerandus locus iste Religionis, verè hæc est *domus Dei & porta cæli*: Domus recreationis, in qua Deus requiescit cum filijs hominum; & est porta, per quam filij hominum in gaudium sui Domini ingrediuntur. Et his bene perpensis, tenerè ad huius domus pulchritudinem affecti; & cupientes per hanc portam ingredi: offerunt Deo vota & promissa sua: non solùm, sicut Iacob, decimas eorum quæ possidebunt, sed quidquid possident, aut se possessuros sperant; & se ipsos cum suis rebus omnibus: eligentes cum summo gaudio viuere potiùs c *abiectos* & contẽptos *in domo Dei* quã valde esse diuites & honorati habitantes in aulis, & *tabernaculis* mundi & *peccatorum*. Magnaq; anxietate, ac desiderio, diuinæ Vocationi respondent illud Dauidis *Vnam petii a Domino, hanc* ex toto corde *requiram, vt inhabitem in domo Dei mei omnibus diebus vitæ meæ.* Quærant alij diuitiarum ac voluptatum abundantias, honores, prælaturas, sceptra ac dignitates; petant à Deo quidquid pro suo solatio voluerint: Ego rem vnam tantùm petere volo, & vnã tantùm quærere; hoc est, habitare in hac Domini Dei mei domo; ascendere per hanc perfectionis scalam, ingredi per hanc sanctitatis portam, vt nunquam inde exeam, donec in eius gloriæ domum ingrediar.

Deus hortatur incipientes.

c *Psa.* 83. 11.

§. 2.

DISTINCTIVS ADHVC explicauit Christus D. N. hanc Vocationis rationem duabus propositis parabolis, in quibus cælorum regnum comparat cum duabus rebus magnę in hoc mundo æstimationis & pretij: quas parabolas non toti plebi, sed priuatim suis discipulis dixit, sectatoribus Euangelicæ ac Religiosæ perfectionis, de qua in illis agebat.

a Mat. 13. 44

PRIMVM air, a *Simile est regnũ cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo abscõdit; & pra gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrũ illũ*, vt thesaurum simul cum agro possideat. Quis autem ager ille est, nisi status Religiosus? qui in specie externa vilis apparet, & contemptus, & in mundi oculis sterilis, asper, & inutilis: intus autem continet ipsum Regnũ cælorum, Iustitiam, Pacem, & Gaudium in Spiritu S. de quo idẽ Saluator dixit

b Lu. 17. 21.

b *Regnũ Dei intra vos est*. Per hunc agrum plurimi homines transeunt, quorum, exterius tantùm aspicientes, nihili faciunt; potiùs eum fugiunt quod in

c Psa. 30. 12.

c sinuauit Dauid dicens: *c qui videbãt me foras fugerunt a me: obliuioni datus sum tanquã mortuus a corde. Factus* sum *tanquã vas perditũ*, & inutile. Sed nõ deest aliquis homo, qui thesaurum illum, etiãsi valde in agro illo absconditũ, inueniat: Non quidẽ industriâ suâ, aut oculorũ acumine; sed quia Deus, cuius ille thesaurus ille est, cælesti suo lumine ita illum illustrauit, vt inuenire thesaurum posset. Tantoq; spirituali gaudio ex eo aspectu & inuentione afficitur: vt statim omnia, quæ habet, vendat; totiq; mundo renũciet: vt sacrũ Religionis agrũ sibi cõparet: quia tantus thesaurus non potest, nisi omnibus quæ habet, venditis, comparari: iuxta eiusdem Saluatoris sententiã dicentis:

d Luc. 14. 33

d *qui non renũciat omnibus, quæ possidet: nõ potest meus esse discipulus*. etiãsi enim plurima quis possideat, omnia tamẽ pauca censentur si ad agrũ tanti continentẽ thesaurũ cõferantur, ideoq; quidquid omnino habet, nulla parte sibi retẽta, ab eo exigitur: ipse verò magna animi sui voluptate id totum tradit, nihili faciens quidquid dederit: cùm aduertat, multò pluta sine comparatione, se recipere, iuxta illud Salomonis:

e Cant. 8. 7

e *si dederit homo omnem substantiã domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*. Et quid mirum quod eam reputet nihil, cùm ea cælestem quærat sapientiam? de qua idem Sapiens dixit,

f Sap. 7. 14.

f *quod enim thesaurus sit hominibus infinitus*: eius enim bonorum ac diuitiarum nõ est numerus, nec pondus: sufficit enim, quod secum habeat Christum D. N. in quo ait Apostolus esse

g Colo. 2. 3

g *omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei absconditos*. Qui renunciantibus ipsius amore thesauris temporalibus, maximam cœlestium suorum thesaurorum partem largitur. Nec vacat mysterio, quod Seruator noster non dixerit; hominem emisse thesaurum; sed agrum. Nam thesaurus nec emi potest, nec possideri, nisi cũ agro, in quo ille continetur. Quare si Deus ad perfectionis statum te vocat, manifestando thesaurum *sanctitatis, pacis, & gaudii*, in eo existentis; nõ poteris illum obtinere, nisi agrum ipsum emas,

Religiosum statum amplectendo: in quo per ipsius Religionis exercitia bene fodias, vt inæstimabilibus diuitijs in ea latentibus copiosiùs frui possis. Sed quoniam nouit ipse Dominus periculum, huic Vocationi imminens, si absq; causa & necessitate thesaurus ille manifestetur: ait hominem, qui thesaurum inuenit, eum *abscondisse*, hoc est quod viderat, & inuenerat occultasse, nec indicasse carni & sanguini, nec filijs huius sæculi, qui semper conantur, Vocationem Dei ad Religionem, impedire. Quare nullo eis dato signo, quod thesaurum inuenisset; ne impedire eum conarentur: dedit omnia, quæ habebat, vt bonum tutò possideret, quòd adeò diligebat, tantique faciebat.

Mox subiecit Christus D.N alteram parabolam, qua idem h *celorum regnũ* dixit esse *simile homini negotiatori quærenti bonas margaritas; & inuenta vna pretiosa, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eã* Nec sine causa in priori parabola nõ dicitur homo ille quæsiuisse thesaurum, sed inuenisse: insinuatur enim ex tempore & casu quodam fuisse illi ostensum. In posteriori autẽ, qui preciosam inuenit margaritam, anxiè & solicitè bonas margaritas quærebat: vtraque autem parabolâ indicantur duo hominum genera, quos Deus D.N. hoc vocationis modo ad Religiosum statum vocat; quosdã nihil omninò cogitantes de perfectione Christiana quærenda, eò quòd valdè sint negligentes in obsequio diuino; sed ipse Dominus, eorum commiseratione motus, repentè cælestis lucis radio eos illuminat, ac thesaurum ostẽdit ipsis alias valdè absconditum: in quo misericordiæ suæ magnitudinem erga eos manifestat, iuxta suã promissionẽ, qua dixit: *i inuentus sum a non quærentibus manifestatus sum his, qui me non interrogabant.* Alij tamen instar negotiatorum valdè anxiè quærunt bonas virtutum margaritas, quibus diuites euadant; & eo ipso sæculari statu pia opera exercent, optantes, Christianam perfectionem obtinere: quorum Christus D.N. videns pium conatum ac desiderium contribuenit; nouaque luce ostendit vnicam eamque preciosam Religionis margaritam, tantam eis communicans huius margaritæ opinionem, vt ventam quæcunque habent, quò eam sibi emere possint; idq; eò maiori conatu & solicitudine faciunt, quò clariùs aduertunt eius pulchritudinẽ & præstantiam. Primi vident thesaurum; sed in agro absconditum: quia non satis eam amplitudinem assequuntur; & exiguam habent dulcedinis eius expectationem: secundi aũt margaritam vident planè apertã, & extra suã conchã: experiũtur n. *Iustitiã, Pacem, & Gaudiũ*, vitæ verè Christianæ, accedit noua lux & experientia maioris abundantiæ & Excellentiæ quæ in ipsa est vita Religiosa, quæ (vt suprà cœpimus insinuare) valde eminẽter appellatur *vnica & pretiosa margarita. Margarita* est, eò q eius origo è cœlo sit, ex rore gratiæ cœlestis in concha recollectæ vitæ, recepto in medio turbatissimi maris huius mundi. *Ehemea*, quia nihil est in terra, quod possit cum illa conferri: k & *omne*

h *Mat.* 13. 45

Ro. 10. 20 *Isai.* 65. 1.

Ca. 6. ad fin Tyranni. Plinius lib. 9. c. 35.

k *Sap.* 7. 9.

aurum

aurum in comparatione illius est arena exigua. & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Est vnica, eò quòd vnione in rebus omnibus homo diligat, vniens corda ad summum illud bonum quærendum, de quodicit Saluator, l *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium.* Vita enim sæcularis etiam Iustorum multis rebus, quas habere desiderat, occupatur; & curis eas obtinendi turbatur. At vita Religiosa nil quærit, nisi vnicum finem; omnesq; Religiosos coniungit, vt per exequutionem eorundem mediorum, ad eum perueniant. cui pretiosæ margaritæ ob virtutum omnium margaritas coniungunt: omnes enim illas exercet, & omnes vicissim eandem exornant, eiusq; præstantiam & valorem extollunt. quēadmodum enim S. Ioannes dixit m *duodecim portas cali esse ex singulis margaritis sed singulas tamē margaritas ornatas esse duodecim aliis margaritis*: ita vnaquæq; religio est vna pretiosa margarita, propter vnitionem, qua ad eundem finem per eadem media tendunt; sed vnaquæq; tamen exornatur multitudine reliquarum margaritarum aliarum virtutum, quæ connectuntur seuenti n *charitate* quæ est *vinculum perfectionis* & ita omnes coniungit.

l Luc. 10. 41

m Apoc. 21. 21 Vide Ribeiram ibi.

PRÆCLARE S. Bernardus rem hanc totam explicuit in quodam sermone super hanc parabolam, dicens: quæ est ista pretiosa margarita? nonne Religio sancta, pura, & immaculata? in qua homo viuit purius, cadit rarius, iacet velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, mouetur fiduciùs, purgatur citius, præmiatur copiosius? O Religio gloriosa & mirabilis! Quæ mens cogitare, quis intellectus plenè cognoscere, quæ lingua humana te poterit sufficienter & dignè extollere? hæc est enim, fratres mei, quæ miserante Deo, peccata remittit, & reparat paradisum; quæ infirmum sanat hominem, & tristem exhilarat, vitam de interitu reuocat, fabricam reformat, viresque & gratiam abundantiorem refundit hæc repudiat auaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit nequitiam; cogitque hominem, Dei amore omnia libenter sufferre. O Religio virtutibus ornata & margarita præfulgida & Sole splendidior! quid noui de te referam? omnia enim ligata tu soluis, omnia soluta ligas: Omnia aduersa tu mitigas, omnia desperata tu animas. ô Religio rutilantior auro, Sole splendidior. Per te spiritu cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes Euangelizantur. Tu de superbis humiles facis: de gulosis sobrios, de crudelibus pios & sanctos; de iracundis mites; de luxuriosis pudicos; de inobedientibus obedientes; de otiosis facis in fraterna dilectione feruentes. O vita admirabilis! vallis plena virtutibus, paradisus delitiarum, habitaculum Dei, vita Angelorum, vita beata! tu scala Iacob, quæ animas perducis ad paradisum; tu via regia paradisi, quæ homines perducit ad patriam; tu stadium

n Colo. 3. 14 S. Bernard.

concer-

concertantium, luctatorumque bene currentium, & perducis ad altas coronas: O porta præclarissima, per quã in sanctam ciuitatem intratur: per quam regnum cœlorum rapitur & possidetur. Tu ducis ad æterna gaudia, & ad terram semper viuentium. O homo fuge homines: Religionem elige, & saluaberis. ingredimini sanctam hanc habitationem: ad quam vocat vos magni consilij Angelus, & illuminabit vos filios Dei per condignam satisfactionẽ. Hæc S. Bernardus, cuius conclusio fructus est prædictorum in hoc capite. Si enim hoc te Deus beneficio affecit, vt margaritæ huius preciosæ pulchritudinem, & ingens precium absconditi in agro theatri, & immensas diuitias huius Regni Dei, eius Iustitiæ, pacis & gaudij in spiritu sancto, tibi reuelare dignatus sit: statim debes obedire te per adeò iucundam viam vocanti, relinquens res omnes, vt bonum illud assequaris, quod tibi manifestat.

CAPVT IX.

VOCATIO DIVINA SOLET SANCTITATIS PACIS, & Gaudii inundationes quæ in Religione sunt, manifestare: vt homines ad eam ingrediendam permoueantur.

CVM LVX COELESTIS ijs, quos ad Religiosum statum vocat, aperire soleat excellentias & præstantiã, quas a *Regnum Dei* in se continet: opportunum erit, easdem hic explicare, ostendendo in particulari quod spectat ad *Iustitiam & Sanctitatem*, quam ipse status sectatur; & pacem, gaudiumque *in Spiritu sancto*, quod illum comitatur. Nam & ipsa diuina vocatio solet denuo communicari, ac valde corroborari lectione librorũ, in quibus huiusmodi excellentiæ sunt explicatæ. Quibus vt fides adhibeatur, hinc erit nosse: Spiritum sanctum esse huius Regni Regem ac gubernatorem, quod singulari cura & prouidentia gubernat, iuxta promissionem per Isaiã factam, quòd Religio ipsius gubernationi subiecta habitura esset b *Iustitiam* adeò abundantem, *sicut gurgites maris, & pacem* adeò copiosam. *sicut* ingens aliquod *flumen*. Quòd si ex vnius contrarij proprietatibus licet alterius qualitates cognoscere: licebit dicere, quod quemadmodum in mundo duplex est diluuium illum submergens: alterum peccatorum, alterum pœnarum, tribulationum ac miseriarum sicut in capite quarto est dictum: ita in Religione duplex aliud sit diluuium ijs, quæ in mundo sunt contraria: alterum Iustitiæ & Sanctitatis; alterum Pacis & Gaudij in Spiritu sancto. Aperta n. fuit diuinæ misericordiæ abyssus, & ipsius cœli portæ, aduentu filij Dei in mundum, qui c *consummatio abbreuiata*, ait Isaias, *inundabit Iustitiam*, pluui-

a *Roma.* 14. 7.

b *Isaiæ.* 48. 18.

c *cap.* 10. 22.

scilicet copiosissimam gratiarum ac donorum cœlestium: quod etiam David asseruit, dicens: d *orietur in diebus eius Iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*, eiusque mutabilitas cesset. Cùm igitur iam exploratum sit ex Saluatoris aduentum fuisse in mundo Iustitiam, & Pacem: cùm dicitur in diebus eius Iustitiam orituram, significat abundantiam & excellentiam Sanctitatis ac Pacis, quæ ex prædicatione Euangelij erat futura: vt apparuit in Ecclesia primæua in omnibus Christianis. Quæ si duratura est, donec auferatur luna, hoc est, quamdiu hic mundus perduraverit: splendebit excellentia hæc & abundantia in Religionibus, quas ipse Dominus sensim fundat, vt in eis conseruetur *Sanctitatis, Pacis, & Gaudii* dignitas & amplitudo quam ipse induxit in mundum.

d Psa. 71. 7.

§. I.

INITIVM igitur facientes à *Iustitia* & *Sanctitate*, quam præcipuè quærunt qui ad Religionem vocantur; & quæ verè prima est ac præcipua pars Regni Dei: (quamuis omnes Tractatus qui sequentur, ad eam dirigentur) breuiter nunc dicemus, eam consistere in tribus insignibus ac præclaris rebus, quas breuiter insinuauit Psalmista dicens: a *diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacē & persequere eam*. Et S. Apostolus, cùm dixit: b *finem præcepti esse charitatem, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Primum res, in qua *Sanctitas* & *Iustitia* consistit, est cordis puritas & mundities vt nullam habeat maculam grauioris aut leuioris culpæ, scienter saltem & aduertenter siue consultò admissę. *Secunda* est conscientiæ *bonitas*, cum tutum omnium ornamento, & bonorum operum, quæ ab eis emanant. *Iustitia* est, *firmitas*, & *constantia* in duabus rebus prioribus, ita vt non desertæ delitati, quam Deo debemus, sed in eius obsequio ad finem vsque perseueremus: & tũc, vt ait S. Thomas, propriè vocatur sanctitas: quæ eò erit maior, quò tres prædictas qualitates habuerit excellentiùs, quæ in Religiosa vita plurimùm splendent. Tria enim vota tendunt, vt supra est dictum, ad euellendas radicitùs peccandi occasiones, & sese addicendi continuato tutum Exercitio, quibus Dei honorem magis promoueãt: in qua re maximè conantur constantiam adhibere, quæ possit esse in hac vita, idque per obligationem, quam fecura adferunt vota; quæ perpetua est, & vsque ad mortem irreuocabilis. Sic enim Religiosi similes fiunt ipsi Domino dicenti: c *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*; & quemadmodum d *Seraphim clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ob infinitam excellentiam quam in omnibus tribus prædictis gradibus Sanctitatis habet: ita Religiosi per tria vota edita elevantur, vt ter sint Sancti, imitantes ipsum Dominum in eisdem gradibus Sanctitatis, in ea excellentia & abundantia virtutum, quam Euangelica perfectio commendat. in quibus locum habet illud Isaiæ, quod etiam Apostolus allegat: e *consummatio abbreuiata inundabit Iustitiam: consummationem enim*

a Psal. 33.

b 1. Timoth. 1. 5.

2. 2. q. 81. a. 8

c 1. Pet. 1. 16 Leuit. 11. 44 & c. 9. 2.

d Isai. 6. 3.

e Isa. 10. 22.

abbreuiationem suæ verbum breuiatũ Dominus Deus Exercituum faciet in medio omnis terræ; quia scilicet verbũ Dei, quod est vnigenitus eius filius, sese abbreuiaret, & constringeret induens carnem humanam; & in ea prædicaret legẽ ac doctrinam Euangelij abbreuiatam, & astrictam ad decem præcepta & cõsilia perfectæ charitatis: quæ quasi quoddam mare ad flumen exundans, ingens adferret diluuium Iustitiæ & Sanctitatis; & inundationes copiosissimas Castitatis, Paupertatis, Humilitatis, Patientiæ, ac Virtutum omnium in gradu valde excellenti & heroico. Omnes enim exundant in Religione, nõ contentæ actionibus præceptorum; sed addentes eas, quæ sunt de consilio, cum fame, & siti adeò insatiabili: vt nunquam sibi satis esse existiment; sed nouas rationes & inuentiones quærant, ad eas perfectiùs exequendas. Et quemadmodum Oseę dixit, quod priùs g *non esset veritas, nec misericordia, nec scientia Dei in terra; sed maledictum & mendacium, & homicidium & furtum inundauerant, & sanguis sanguinem tetigerat*. Ita nunc dicere licet: Deum habere in medio terræ paradisum Religionis, quæ illo diluuio non submergitur; sed potiùs in ea floret veritas, regnat misericordia; & vt Isaias dixit: h *scientia Domini repleta est terra, sicut aquæ maris operientes*: à cuius ordinario fluxu tanto feruore virtutes fluunt, vt vnus meritorum & sanctorum operum fluctus, alterum assequatur; vt locum habeat, quod S. Ioannes dixit, i *qui iustus est, iustificetur: & Sanctus sanctificetur adhuc*: Tot sunt autem, qui huic tertiæ Religione studeant, vt Isaias Proheta de Ecclesia ipsa dixerit: k *inundatio Camelorum operiet te*. Qui autem sunt hi Cameli, (ait Sanctus Hieronymus) nisi qui se ipsos rebus omnibus exuerunt, vt per angustum acûs foramen, quod est arcta perfectionis Euangelicæ porta, pertransirent: imitantes Dominum, qui hoc nomine, vt diximus, l *Camelo* se comparauit? Hi sunt cameli spirituales, qui magna cum obedientia & subiectione permittunt se onerari, quantum viribus suis ferre possunt; vt suo Creatori eum omni perfectione deseruiant. Suntque in Ecclesia tot huiusmodi spirituales Cameli, ob Religionum multitudinem, vt quasi aquæ diluuium eam vndique operiant; nec poterit iam dicere Propheta Micheas, m *quod pericrit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non sit; & qui optimus in eis, est quasi Paliurus: & querelus, quasi spina de sepe*, aut arbor spinis plena: in sacro enim hoc statu multi conantur Sancti esse eum excellentia, & constantia in Sanctitate; & esse arbores floridæ, & fructuosæ abundantes floribus bonorum desideriorum; & fructibus bonorum operum. Quod si quæ spinæ erumpant, eant operam, vt falce mortificationis eas abscindant, ac diuini amoris igne comburant. Cessent igitur, O Propheta sancte, querelæ tuæ; nec amplius dicas *væ mihi, quia factus sum sicut, qui colligit in Autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum*: nam in hac Religionis vinea non vnũ

f *Rom. 9. 27.*

g *Osee. 4. 1.*

h *Isaiæ. 11. 9*

i *Apoc. 22. 11.*

k *Isaiæ 60. 6 Ibidem.*

l *Mat. 19. 24 cap. 3.*

m *Micheæ. 7. 2.*

tantum, sed plurimos inuenies botros, eosq; dulcissimos, & fragrantes; sumes botro illi n *Cypri ex vineis Engaddi* collecto, qui est dilectus Ecclesiæ sponsus Christus Iesus, cuius vitam magna cum perfectione imitantur. Quod si *præcoquas ficus desiderat anima tua*: hic plurimas inuenies, easque immaturas, quæ in ætate tenera virtutem habent maturam, & sanctitatem perfectam. Et tu quoq; Sancte Propheta Isaia, qui eundē habebas sensum conuertendi planctum in gaudium: nam in medio mundani populi habet Deus alios sibi de selectum, cuius o *manus non sunt pollutæ sanguine*, sed Myrrha Mortificationis; *cuius labia non loquuntur mendacium*; sed veritatem; cuius cor non concipit dolorem, & parit iniustitiam: sed concipit timorem Dei, & parit spiritum salutis; *non rumpunt ova aspidum*, vt exeat *Regulus*: sed potius ea concalcant, ne cuiquam noceant; nō *texunt telas araneæ*, vt capiāt paruulos; sed fœtus euiscerant, vt eos foueant; non *repellunt veritatem*, neq; occultant Iustitiam, sed eam potiùs promulgant ac prædicant. Quicunque eorum à peccato abstinet, non deprædationis periculo est expositus, sed honori acquirendo dispositus; non odio & vexatione, sed amore & benedictione aliorum dignum se facit: quia nihil plus inter ipsos amatur, quàm virtus; nec in maiore honore habetur, quàm puritas; nec magis laudatur, quàm Sanctitas.

n *Cāt. 1. 14.*

o *Isa. 59. 3.*

§. II.

EX His Iustitiæ, & Sanctitatis inundationibus fluunt etiam immensæ a *pacis, quæ exsuperat omnem sensum*, & in hoc felici statu splendet animinet. nam, vt Isaias dixit: b *erit opus Iustitiæ pax, & cultus Iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Quæ promissio, etsi nō Christiano populo sit facta; congregatio tamen Religiosorum præ aliis omnibus eius sit particeps, vt quæ Iustitiæ perfectionem sectatur: ex qua oritur vt perfecta cum Deo suo pace fruatur, ponens in eo totam suam fiduciam; magnam etiam pacem secum habent, indicentes silentium agminibus earum passionum; & simul cum proximis suis, coniungentes se illis in vinculo charitatis. Hic illud impletur, quod est apud Iob c *cum lapidibus Regionis erit pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi; & scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* Qui sunt (ait S. Gregorius) Regionum lapides: nisi Apostolici, & perfecti viri, qui in Religionibus degunt? qui sunt quasi diuersæ Regiones & nationes Ecclesiæ. cum his viuis & electis lapidibus pactum & fœdus init, qui ex Dei inspiratione statuit, eius professionem sequi. Ex quo prouenit, quod *bestiæ terræ*, passiones scilicet bestiales & carnales tam cum eo pacem seruent, vt licèt latrent & rugiant; non tamen mordeant

a *Philip. 4. 7.*

b *Isai. 32. 7.*

c *Iob. 5. 23.*
Lib 6. Moral. cap. 16.

ant, aut lasionem aliquam adferant: quia Rex huius Regni, qui princeps est pacis, eas cohibet, ac regit: vt omnes eius ciues sint inter se concordes.

Hæc adeò copiosa pax ita est huius statûs propria, vt cum Sancto Basilio dicere possimus, fundatum esse à Deo ad eam pacem renouandam, quæ cum summa abundantia emicuit in aliquibus Ecclesiæ Statibus: quorum vnus fuit, quem primi Christiani tenuerunt. De quibus S. Lucas ait, d *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Cùm autem huiusmodi animorum coniũctio decursu temporis imminueretur, & charitas refrigesceret, paxq; illa turbaretur, eò quòd quisque attenderet ad ea, quæ essent propria: prospexit Dominus noster huic malo, constituens statum Religiosorum à communi illo, & vulgari Christianorum separatum: vt in eo seruaretur illa animorũ vnio & pax adeò excellens. Nam inter Religiosos nihil est alicuius proprium, sed omnia sunt communia in omnium vtilitatem & vsum: animi ipsi, corda, corpora, salus, vestes, cibus, labores, pugnæ, & coronæ: omnes eundem habent Deum, & eundé Patrem; omnes diligunt se tanquam amici & fratres Christi, & tanquam membra vnius corporis; suntque vno spiritu vniti per gratiam vnius & eiusdem vocationis. Ideoque optimè illis competit illud Apostoli: e *pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore.* nec alicubi dicet Micheas Propheta, *non esse fidelitatem, neque amicitiam, neque Verum veram inter Ducem & milites: inter Patrem & filios, inter fratres & amicos,* nam f *maximi hominis inimici sunt domestici eius:* in hoc enim statu horum contrarium eminenter resplendet. Nam Prælati subditos suos cum amore gubernant; & Subditi etiam cum amore suis se Prælatis subijciunt; filij obediunt Patribus spiritualibus, & hi solicitè attendunt ad illorum vtilitatem; fratres mutuò se ex corde diligunt: quia sunt fratres in Christo; amici mutuam sibi seruant fidelitatem, quia eorum amicitia fundatur in solo Deo: & domestici, nec vestigium ostendũt inimicitiæ aut rancoris: quia sunt domestici Dei, vera charitate coniuncti. Et hac ratione ait S. Basilius, renouari etiam hic pacem illam, quæ in statu Innocentiæ floruisset, in quo nullæ fuissent discordiæ: nũquam enim pax cum alijs læditur, aut amittitur, quin prius aliquis eam secum ipse lædat. tunc autem quisq; secum pacem habuisset, propter subiectionem omnimodam, quam virtute Iustitiæ originalis caro habuisset ad spiritum. Ita vt & bestiæ & feræ fuissent homini subiectæ. Hęc pax turbata fuit peccato Adami: ad quam reparandam Deus factus fuit homo; eamq; quasi testamento reliquit suis Apostolis, cùm omnibus in cœnaculo recollectis dixit: g *pacem relinquo vobis: pacem meã do vobis.* Cuius maximè participes sunt Religiosi Apostolicè viuentes in cœnaculo Sanctæ Religionis, quos propriæ Vocationis gratia pacificat, vnit charitas, continet

De Constit. Mona. c 19.

d *Act 4.32.*

e *Coloss 3.15*

f *Mich 7 6.*

g *Ioan. 14. 27.*

mortificatio, concordes facit paupertas, obedientia rectificat; vota & communia mutua auxilia stabiliunt, & perficiunt. Debilis enim à robusto iuuatur, infirmus à sano: quia vnius virtus & fortitudo supplet alterius debilitatem & infirmitatem: mutuam sibi operam instaurant seruorum sibi præstantes, nec propterea amittentes libertatem: quia non ex necessitate serui sunt, sed ex charitate, qua quidquid vnus potest & habet, est omnium; & quod omnes possunt, & habent, est singulorum: ideoque nulli quidquam deest, & omnes mutuam inter se concordiam seruant. Et quid Religio est aliud, nisi arca quædam Noë: in qua, cùm tot essent feræ; summa tamen erat Sanctitas, summa & honestas? ibi enim & à generationis actibus se omnes cõtinuerunt, & virtus Dei, ita omnes ipsi Noë subijciebat, vt ab eius manu, acciperent, quæ comederent; & propensionem continerent, quam aliàs habebant, vt aliarum carnibus vescerentur. Hic etiam expletur, quod Isaias de prodigiosa pace protulit futura in Ecclesia. h *Habitabit*, inquit *lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo, & ouis simul morabuntur*, leo enim & vrsus obliti carnis comedere, *quasi bos comedent paleas*. Diuinæ enim Vocationis vis, & efficacitas discordantium corda, & naturales constitutiones mentium repugnantes, mores aliàs omnino contrarias commutat, & ad vnionem & concordiam in Religione reuocat.

Genes. 7.

h *Isaiæ. 11.6*

Pugnam contra passiones habet.

i *Cant. 7. 1.*

Non quidem negamus, aliquam esse in Religione pugnam, quia vnusquisque cum suis passionibus bellum gerit: sed hoc nõ aufert ab eo veram pacem, sed auget potiùs, gaudio & exultatione victoriæ: vt liceat Religiosis applicare illud Canticorum: i *quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Sulamitis, quod interpretatur pacifica, est pacifici Salomonis sponsa, & refert Ecclesiam Catholicam, eiusque singularem partem, Religionem scilicet dilectissimam sponsam illius Regis, qui eminenter pacifici nomen promeretur. In ipsa autem Sulamite sunt chori & castra: chori cantorum, castra militum-nam Religiosi vera charitate coniuncti, simul Deum laudant; & contra propria vitia & passiones pugnãt, ita vt neque laus Dei propter illam pugnam impediatur: neque pugna propter laudem retardetur: sed potius altera alteram iuuat: quia pugnatur, vt Deus laudetur; & laudatur Deus, eò quòd pugnando victoriam obtineatur.

SED quoniam in terra (ait S. Basilius) non superest iam aliquid, cum qua Religiosæ vitę præstantiam & excellentiam conferamus: opus est ad cœlum confugere, & cœlestem illam Angelorum coniunctionem contemplari: quæ etsi in diuersas hierarchias & choros sint distincti, habeantque diuersos gradus Inferiorum & superiorum: tantam tamen habent pacem, vt neque maior minorem contemnat; neque minor subterfugiat debitam maiori subiectionem; & vnusquisque libentissimè alteri communicat, quod habet eo-

rum

rum enim thesauri sunt virtutes, ac diuitiæ cæleſtes: quæ neque pereunt, neque immi nuuntur, etiam si alijs cõmunicentur. Huius igitur Angelici ſtatus est imago quædam sacra Religio: in qua per eiusdem Dei gratiam vnio hæc fiert inter maiores, minores, & æquales; fundata in vera charitate & conformitate cum voluntate diuina: cui omnes seſe ſponte ſubijciunt, & hunc reputant maximum ſuum theſaurum: mutuo seſe iuuantes ad ſpirituales virtutum diuitias comparandas, & ſinguli rapientes prodigioſo quodam modo, quod alterius est; ita vt nihil auferant, nec vnquam iniuria fiat. Hæc apud S. Basilium: suntque experientiâ comprobata in Religionibus, quæ in horum Inſtitutorum obſeruantia florent: id quod præcipuum est ad eas amplectendas, motiuum: eò quòd pacis, huius & coniunctionis pulchritudo, magnetis inſtar hominum sæcularium corda ad se trahat. Ideoque Chriſtum D. N. cùm ſuos diſcipulos tanquam diuinæ huius vocationis miniſtros & inſtrumenta miſit, iuſſit; k *intrantes in domum, ſalutare eam dicentes: Pax huic domui*: vt sic afficerentur ad recipiendam Chriſtianam Religionem, quæ talem eis pacem offerebat: & ijs, qui ad eam ſuſcipiendam apti erant, (quos filios pacis appellat) hoc verbo præbebant eam interius delibandam: ſi sic omnino seſe dedentes, eam amplectebantur. Quod idem euenit in vocatione ad ſtatum Religioſum, vt in proximo capite apparebit.

k *Mat.* 10. 12 *Luca* 10. 6.

CAPVT X.

SPIRITVALE RELIGIONIS GAVDIVM, QVOD SOlet Deus delibandum præbere iis, quos ad eam vocat.

EX HAC IVSTITIA & pace, quæ florent in Religione, oritur gaudium & lætitia ſpiritualis, quæ propria est Regni Dei. Quæ adeò est copioſa: vt exundantis fluminis inſtar omnes humani cordis ſinus impleat; imò adeò ſuperefluat, vt non poſſit illam capere. quod Apoſtolus de seipſo dicebat: a *repletus sum conſolatione, & ſuperabundo gaudio*. Hic incipit degustari, quod dicebat Dauid: b *inebriabũtur ab vbertate domus tuæ: & torrẽte voluptatis tuæ potabis eos*. Rectè autẽ dicit: inebriabũtur. Quemadmodũ enim homo non inebriatur, quando solũ bibit, quod eius ſtomachus ferre poteſt; ſed cùm plus hauſit, quàm poſſit digerere: ita Deus tantã gaudij copiã præbet ſuis ſeruis, vt maneant ebrij, ſicut qui vltra præſcriptum limitem biberunt, apponentes os ad cæleſtium delitiarum torrentem. Et propterea in Scriptura vocatur Iubilus, qui (S. Gregorio teſte) est gaudium quoddam adeò ingens, vt nec verbis explicari, nec intra cor detineri poſſit, quin foras erumpant indicia eius magnitudinis: de quo dixit Dauid: c *beatus populus, qui ſcit iubilationem*, & expertus est gaudium (quod reliqua omnia excedit) in Deo ſuo, d *beatum dicit* mundus *populum cuius promptuaria plena ſunt, oues eius fœtoſæ, boues eorum craſſæ, cuius non ſit ruina materia*, ſed abſit renuorum militum caſtris ita propugnetur

a 2. *Cor.* 7. 4
b *Pſal.* 35. 9
Lib. 24. *Moral cap.* 5.
c *Pſal.* 88. 16
d *Pſa.* 143. 13

Lætitiæ huius excessus signum familiaritatis Dei.

gnetur,vt nullus hosti pateat transitus : talem, inquam, populum mundus dicat beatum, ego autem eum *populum beatum dicam,cuius Dominus Deus eius*;& eum,qui expertus est,quid sit in Domino gaudere& in eius obsequio præ gaudio exultare & salire.Hic enim lætitiæ excessus indicium magnum est magnæ cum Deo familiaritatis; in quo reliqua omnia habebit, quæ iucupletare ipsum,& protegere possunt. Talis est populus Religiosus,qui iudicio mundi est tanquam desertus & inhabitatus locus, & omni solatio nere vacuus.Sed valde decipitur:nam e *Dominus Deus*, vt Isaias dixit, *posuit desertum Sion,quasi deliciasi& solitudinem eius,quasi hortum Domini Gaudium & lætitia inuenietur in ea,gratiarum actio, & vox laudis*;Et vt omnia simul dicam, pro gaudio mundi datur ei gaudium in Spiritu sancto, ideò ita appellatum, quod ab ipso Spiritu sancto oriatur,qui perexcellentiam paracletus & consolator dicitur. Quod ostendit ipse, dum seruis suis tale solatium adfert, quod huius gaudij sit materia : cum quo si gaudium ex rebus huius mundi ortum conferatur,non est nisi vmbra quædam lætitiæ. Illud gaudium(ait S.Bernardus)est vnicum & verum quod prouenit non ab aliqua creatura, sed ab ipso Creatore:*quod* cum possederis,*nemo tollet a te*, cum quo omnis lætitia collata, tristitia est,omnis iucunditas, dolor ; quidquid dulce, amarum;quod pulchrum;turpe;& quidquid exhilarare potest,molestum est,& importunum;&,vt S.Chrysostomus ait,quod interest inter Angelos magna suauitate & concentu cantantes,& porcellos grunientes, se seq; in luto obspurcantes:hoc interest inter Religiosos, qui in rebus Dei sui delectantur & gaudent;& sæculares homines,qui exultant in rebus huius mundi.

Gaudium hoc optimum. *Epist.*114. *f Ioan.*16. 22.

*Homil.*89. *in Matt.*

Hoc ipsum melius adhuc intelligetur, si causas huius gaudij perpendimus, quod Spiritus sanctus Religiosis communicat, quas breuiter ad fontes reducemus,vnde illud promanat.

§. I.

I.

PRIMA CAVSA est, quod Religio cum tribus suis Castitatis,Paupertatis,& Obedientiæ votis,omnes remoueat occasiones innumerarum tristitiarum ac molestiarum,quas sustinent sæculares,quę(eodem Sancto Chrysostomo teste)adeò sunt graues & molestæ,vt nullus id satis asequi possit,præter ipsos,qui eas ferunt ac deuorant:idem enim est discrimen inter sæcularem & Religiosam vitam, quod inter mare tempestuosum, & portus tranquillitatē:nā etsi vita sæcularis aliqua habeat gaudia;sed illarum (vt ait S. Basilius) permixta sunt multò grauioribus molestijs ; & ipsum matrimonij delectationes facilè submerguntur & superantur ab immensis oneribus & molestijs,quas secum adfert.Quod si diuitiæ aliquam adferant lætitiam:solicitudo easdem comparandi:ac defendendi ab insidijs hostium plurimùm cruciat.à quibus omnibus expeditus est status Religiosus: quod

*Lib. de Virgin.c.*57. *Homil* 69. *in Matt.*

In Psal. 33.

si minu-

danis delicijs caret: hoc ipsum eum disponit ad ampliora Spiritus sancti gaudia accipienda. Nam (vt S. Gregorius ait) nō potest anima esse, sine aliqua vo luptate. Quod si ob Dei amorē terrenas delicias reijcit; mox recipit cælestes.

Hinc *Secunda* oritur huius gaudij causa, bona scilicet ac pura cōscientia a culpis & amaritudine libera. Nam quemadmodum in mundo nullus est crudelior & intolerabilior cruciatus, quàm sit malæ conscientiæ, quam Sapiens a *timidam, perturbatam*, suique ipsius carnificem appellat: ita nulla est magis cordialis lætitia, quàm sit bonæ cōscientię: b *de cuius testimonio* gloriabatur Apostolus, ob *simplicitatem & sinceritatem*, quam in ea animaduertebat. Et cùm vita Religiosa adeò studeat huic puritati comparandæ, & remouendis occasionibus in aliquas culpas incidendi: ideò magna afficitur lætitia ex bonorum operum exercitio. Nam (vt S. Leo Papa dicit) necesse est animam bonis Exercitijs exhilarari; & libenter id facere, ex quo scit, se post factū exhilarandam. Et quamuis non desit labor aliquis in operibus Religiosis eadem tamen (vt S. Chrysostomus ait) tot delicijs conscientiam replent, vt nulla possit lingua eas explicare: nihil enim suauius bonâ conscientiâ, & bona spe: cuius suauitas prouenit ab Spiritu sancto, à quo eius bonitas, puritasque procedit.

Ex duabus prædictis causis *tertia* oritur, quam S. Chrysostomus insinuauit, spes scilicet in Deo, & fiducia in gubernatione diuinæ Prouidentiæ, in cuius manus se proijcit Religiosus, confidens, quod ille sit ipsius rebus prospecturus. Ex quo magna ei securitas, & quies cum magna lætitia prouenit. Nam, vt Salomon ait: c *secura mens quasi iugè conuiuium*, in quo plurima sunt, quæ hominem exhilarent. Ac propterea d *non contristabit iustum quidquid ei acciderit*: testimonio enim bonæ conscientiæ omnem expellit tristitiam; & gaudio illo spei, quam repositam habet in omnipotente suo tutore ac reparatore: in quo e *Hypocrita* & mundanus homo, vt dicitur in Iob, *non poterit delectari*, nec animum habebit vt illum in auxilium sibi venire petat. f Si autem *cor nostrum* (ait S. Ioannes) *non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.*

Ex Qvo fit, vt oratio sit *quarta* huius lætitiæ cordis causa: Religiosi enim ob conscientiam suam bonam, audent cum Deo familiariter agere, & in Orationis Exercitia incumbere: in quibus diuina eius maiestas (vt ait Isaias) g *lætificat eos, qui ascenderunt in montem sanctum* perfectionis Euangelicæ; & habitant in domo Religionis, quæ est *domus Orationis*: ad quam exercendam Religio est dedicata. Ad eam accedit Spiritus sanctus, cuius donum est orare cum gemitibus inenarrabilibus; suaq; gaudia in tanta copia communicat, vt ipsas etiam lacrymas iucundas reddat, ac lætas. Nam (vt S. Augustinus ait) dulciores sunt orantibus lacrymæ, quàm sint cibi comedentibus.

In Iob. c. 20. in id aut poterit in Omnipotēte delectari.

2.

a *Sapien 17. 10.*
b *2 Cor. 1. 12.*

Serm 5. de eiunio 7. mensis Hom 6. ad populū.

3. fiducia in Deo causa gaudij.

c *Prou 15 15*
d *cap. 12. 21.*

e *Iob. 27.*

f *1. Ioa 3. 21*

4. Oratio causat gaudium cordis.

g *Isaiæ. 56.*

In Psal 127

S. Bernardus Sermo. 8. in Cătica

Quod si tam iucundum est flere cum Christo; quid erit eodem ipso frui, & ingredi in cellaria preciosorum eius vinorum; & ibi inebriari vino, quod lætificat cor hominis? quod præstat ipsa oratio.

§.

Hvc accedit *quinta* huius gaudij causa, coniunctio scilicet amoris & charitatis mutuæ inter ipsosmet Religiosos vnde prouenit, vt omnes quieti sint, ac contenti: solentes sese & adiuuantes mutuò. Vt propterea dixerit

h Psal. 132. 1

Dauid: h *quam bonum & quàm iucundum est habitare fratres in vnum.* Vbi autem fratres magis coniuncti viuunt, quàm in Religione? cuius vnio non carnis & sanguinis est; sed fructus Spiritus sancti, amore suo illos vnientis & cuius fraternitas est in Christo fundata in sanctitate vitæ, cui tanquam soror vera lætitia coniungitur. Si iucundum est multos habere fideles amicos; versari cum bonis; agere cum sapientibus; omnes amare, & ab omnibus amari: vbi hoc melius & exactius inuenitur quam in ipsa Religione? quando illa in suo feruore perseuerat, eò quòd sit Christus in medio eorum iucundam, ac lætam reddens seruorum suorum societatem.

6.

Denique accedit bona consuetudo, quæ in vita Religiosa facilè acquiritur. Et quoniam à diuina gratia adiuta conuertitur in naturam: maximam addit in agendo facilitatem, cum tanta animi lætitia, vt (teste Cassiano) grauissimum reputaret cruciatum, vel ad momentum à virtutibus recedere, aut vitijs aliquibus maculari. Prætereo nunc alias causas, quas postea afferemus; & solum addo: quòd quamuis non semper huiusmodi Spiritus sancti gaudia percipiantur in ea abundantia, quam diximus; vel ipsa tamen memoria, quod ea aliquando delibauerimus; aut spes eadem degustandi, lætificiat, ad cor magna lætitia replendum, dicendo cum sponsa: i *exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Hoc est, memores lætitiæ tuarum cælestium consolationum, quas filijs tuis soles indulgere, eosque ad vbera tua nutrire, quæ absque vlla comparatione sunt suauiora vino quorumcunque deliciarum ac voluptatum, quas mundus dare potest; & omnibus, quæ in ipso inueniuntur, quare non mirum est si vinum hoc effundamus, & fallacibus eius voluptatibus renunciemus; vt iucundissimo tuo lecto fruamur, quo soles Religiosos recreare & exhilarare.

Colla. 11. c. 9

i Cant. 1. 4.

§. II.

Ex His Qvæ diximus, colligere licet stupendum Prouidentiæ diuinæ consilium, in hoc genere Vocationis ad statum Religiosum. Videns enim aliquorum duritiem, ad credendam spiritualium huiusmodi gaudiorum magnitudinem: & difficultatem, ad quærendam Euangelicam perfectionem, ex qua gaudia illa proceduntur: eò quòd illi valde sint addicti, ac terrenis voluptatibus depraui: vtitur erga illos liberalitate & misericordia sua, prebens eis aliquam eorum guttam delibandam, vt mellis illius dul-

cedo

cedo oculos eis aperiat, sicut a *Ionathæ* filio Saulis, faciatque currere post Christum optantes dulcissimo vberum eius lacte satiari. Et quemadmodũ qui cupit vina sua vendere, non solùm curat publicè proclamari, sed etiam gratis delibandum offert, vt cùm gustatum placuerit, precio Iusto ematur: ita Dominus N. homines inuitat, vocatque vt ipsemet per Isaiam dixit: vt *b emant vinum & lac* Perfectionis Euangelicæ, gaudiaque & solatia quæ cũ illa sunt coniuncta: quos vt alliciat dat guttam aliquam huius vini, & modicum quid lactis delibandum: tanta autem tunc dulcedine afficiuntur, vt libenter renuncient rebus omnibus, quas possident; vt perfectionem tales fructus proferentem amplectantur. De S. Petro in Monte Thabor, ait S Augustinus: vnam stillam dulcedinis gustauit, & omnem aliam dulcedinem fastidiuit, adeoque progreditur Dei D. N. bonitas: vt etiam deprauatis hominibus non ratò hanc dulcedinem præbeat degustandam; vt eos ex mundo euellat, & ad suum trahat obsequium: libenter enim carnis delitijs renunciant, statim atque delibant spirituales: iuxta illud S. Bernardi: degustatâ Spiritus suauitate, omnis carnis dulcedo desipit. Hac via duxit Dominus nostrũ Saulí vocationem, cùm ex Equo deiectum in terram, per triduum detinuit non videntem, nec comedentem. Quo tempore (vt ait S. Thomas) eum rapuit ad tertium cælum; dedítque delibandas paradisi delitias, quibus adeò fuit bene dispositus, & oblectatus: vt statim atque ad se redijt, renunciauerit carni & Sanguini & Christi crucem sit amplexus.

a 1. Reg. 14. 27.

b Isai. 55. 1.

In Solilo-quijs cap. 12

S. Bernar-dus.

Lectio. 7. in 2. ad Corin.

Consilium hoc aperuit Deus Oseæ Prophetæ loquens de Ierusalem, cuius peccata prius retulerat: c *propter hoc* (inquit) *ecce ego lactabo eam & ducam ad solitudinem, & loquar ad cor eius* Quasi dixerit: quia anima hæc per Ierusalem significata, adeo est improba ac rebellis: nunc illam non puniam; sed indulgebo ei potiùs, præbens ei lac mearum consolationum degustandum: vt habens ipsa veniat mecum ad vitæ religiosæ solitudinem, vbi contubernalem ei me præbebo, & afflictum eius cor consolabor. Et quoniam verbũ *lactabo* etiam significat decipere, (quare LXX Interpretes verterunt *seducam eam*) in hoc ipso manifestat Deus consilij sui excellentiam: his enim consolationibus iucundè carnem nostram seducit; non solùm iudicio huius mũdi iudicantis, decipi eos, qui res omnes relinquentes, Christum Dominum nudum in cruce nudi sequuntur; sed etiam quòd caro, fugiens alias intrare per angustam perfectionis portam, crucemque tollere vitæ religiosæ: statim atque suauitatem spiritus degustat, ad hæc omnia magno cum animo se proijcit. Quoniam autem suauitas hæc, & iucunditas, quæ in ipso initio percipitur, solet ad certum aliquod tempus, maioris nostri profectus causa, cessare: caro tunc iudicat, se deceptam; quam tamen non pœnitet talis deceptionis ob spẽ adfuturæ ipsius Domini in ea solitudine visitationis; & quod

c Osee. 2. 14

idem Dominus consolationis verba ad ipsius cor loquetur, vt possit cum Dauide dicere: d *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

» Cùm igitur quæ hactenus diximus, ita verè se habeant: vellem pigros, ignauos interrogare quid eos retardet, quò minùs audiant statim diuinam vocationem? Ad vitam (ait S. Basilus) vocaris: cur vocantem refugis? Ad gentium donorum participationem inuitaris: cur ea cõtemnis? regnum eorum patet, qui te vocat fidelis est: vt, quod promittit, adimpleat; iter, cui auxilijs ab ipso præstitis, est facile: non opus est prolixo tempore, non expensis magnis, nec labore magno: quid igitur te retardat? cur times iugum subpere, sicut vitulus indomitus? attende, quòd sit suaue, nec premat cervicem, potiùs portantem alleuiat: suppone igitur ei collum, vt sis totus Christo subiectus: e *Gusta, & videbis, quam suauis sit Dominus*; & quàm dulcis sanctus eius. Mellis dulcedo non potest verbis explicari: degusta illud: & opere ipso cum experieris. f *Appropia & congregare* (vt ait Salomon) *in domum disciplinæ*, hoc est in sanctam religionem. Non multum temporis consumes in addiscenda scientia, quæ ibi traditur: & inuenies gratiam, solatium, ac dulcedinem pro anima tua, in hac vita, & in futura.

c Psal. 33. 9.

f Eccl. 51. 31.

CAPVT XI.

QVAM SIT CERTVM IMPVLSVS AC DESIDERIA religionis ex motiuis prædictis, esse Dei vocationes: & quænam consultatio sit adhibenda ad eadem executioni mandanda.

CVM hactenus omnia motiua proposuerimus: quæ diuina vocatio proponere solet, quos vocat ad religionis ingressum: operæpretium erit, iam constituere de certitudine, quæ in huiusmodi vocationibus esse potest, quòd sint verè Domini nostri; non verò ficti alicuius, aut fallacis spiritûs. Hinc enim (vt primo capite dictum est) vis ac ratio dependet in hoc statu vtiliter & fructuosè viuendi. In quo si quod dubium superet, impedit eum statum non priùs eligere quàm tale dubium deponatur, quemadmodum sanctus Laurentius Iustinianus prudenter admonet dicens: Vocatus ad certamen vitæ religiosæ, non repentè assensum præbeat; sed priùs certificari de ipsa vocatione conetur: vtrum à Deo sit infusa, an aliunde immissa. Non enim omni spiritui est credendum; neque cuncta desideria, quæ bona ex se esse censentur, sunt opere perficienda. a *Probate* (ait sanctus Ioannes) *spiritus si ex Deo sunt.* Nam status & nouæ institutionis inconsiderata mutatio, commendabilem rarò sortitur effectum; profectusque singulares maximâ in illo cum difficultate colligitur. Porrò si in illa status mutatione, quæ accuratissima consideratione & consilio peragitur, tentationum impugnationes, & spirituum immundorum non desunt insultus, & pericula

Lib. de Obedientia c. 6.

1. Ioan. 4

incum-

innumeratex ea, quæ præcipitanter ac inconsultè perficitur; quid poterit ratio nabiliter sperari? vocatus igitur ad statum religionis; cum prima sentit bona desideria, statim incipiat aliquid facere, vt eis cooperetur. Et quamuis non statim rebus omnibus huius mundi, & facultatibus suis nuntium remittat; absq; cunctatione tamen renunciet vitijs, & consuetudinibus malis. Perseuerante verò gratia, & incalescente desiderio, nec non ad cordis ostiũ pulsante Domino, patrum spiritualium interueniente consilio, sanctum diuinæ famulatus propositum aggrediatur: ea vtique intentione, eoque decreto, vt in eodem vsque ad vitæ terminum perdurare contendat.

Tria vocato perpendenda.

Hæc sunt sanctissimi huius Patriarchæ monita, valde experti in diuinis vocationibus discernendis. Quæ tamen, vt melius capiantur, aduertendum est tria in huiusmodi vocatione esse vocato diligenter perpẽdẽda. *Primum* est generale quoddam desiderium, sęculum & res omnes, quæ in eo sunt deserendi: vt Christi Domini nostri consilia in statu religioso amplectatur. *Secundum* est speciale desiderium, vnam potius quam alteram religionem admodi, Monachorum scilicet, aut Mendicantium, aut Clericorum. *Tertium* est particulares loci, temporis, & modi desiderium illud exequendi circumstantiæ: an scilicet in hac prouincia, an in hoc monasterio, an statim atque inspiratio diuina percipitur, aut post elapsum aliquod tempus.

1.

2.

3.

§. I.

Vocatio ad religionem in genere.

Quod ad primum attinet: non potest negari, aliqua desideria & proposita religionis prouenire à maligno spiritu: de qua re, qui ea sẽtit certus esse poterit, cum aduertit expressè, se prauo intentione, aut animo ficto ad eã tropendere. Quemadmodum refert S. Gregorius de Mago quodam, qui Iulius vocabatur, & habitum induit monachalem, vt artes suas magicas occultaret: & idem est de alijs, qui monasteria sunt ingressi animo deprædandi Ecclesiarum eorum thesauros. Tales etiam iudicantur illa monstra, qui voto paupertatis sese obligare student in aliqua militari religione, respicientes tamen tanquam finem principalem, vt Commendam aliquam in militari religione obtineant, ex qua aliquot millia ducatorum annua habeant, quibus sibi indulgere, & magno in honore haberi possint. Qui Scribam illum imitari censentur, qui dixit Christo Domino: *magister sequar te quocunque ieris*: persuadens sibi, hac via se diuitem futurum, & in magno honore haberi posse, vt supra diximus.

Lib. 1. Dialog. c. 4.

Cap. 8, 19.

Sed his monstris prætermissis, cæteri qui per tempus aliquod continuè religionis desideria sincerè, vt seruiant Deo, suasque animas saluent, in se sentiunt: certi ac securi esse possunt (vt expressè docet S. Thomas) tales inspirationes à diuino spiritu procedere, cuius est, (vt dixit Dauid) a *deducere*

2.2.q. vlti. a. vlt.

homines *in terram rectam*. Cùm igitur Religio sit terra sancta, & status sanctitatem omninò quærendam destinatus: Spiritus sancti erit opus proprium talia desideria inspirare, & per tales vias hominem deducere, quæ eam perducant. Deinde, cùm Dæmon sit huius mundi princeps: non est credendum eum instigare & impellere homines, vt mundo relicto, transeant ad partes & obsequium Iesu Christi, amplectentes eum statum, qui in omnibus ipsius Dæmonis desiderijs aduersetur: b *omne enim regnum in seipsum diuisum desolabitur*. Quod si vnus Dæmon alium loco pellat, non poterit eius regnum permanere. Quid autem aliud faceret Dæmon, qui hominem ad religionis statum instigaret nisi regnum suum diuidere; & bellum gerere cum ijs, qui in eo toti sunt positi, vt illud amplificent? quod nunquam ipse est facturus: ne seipsum impugnet in ea præcipuè re, quę non solùm bona est, sed etiam perpetua; & obstringit ad multa exercitia heroicæ sanctitatis perpetuò exercenda. Quod si quando (quod tamen rarissimum est) figurans se in Angelum lucis, vere ad Religionem instigaret: quamuis eius intentio sit peruersa, non nocebit nobis (vt ait Sanctus Thomas) talem instigationem sequi: cùm tendat ad rem adeò excellentem, ad quam etiam bonus Angelus, & ipsemet Deus impellere: cui meritò est fidendū, quòd illē hostis instigationē, in eiusdē detrimentum, nostram verò vtilitatem conuertet, ita vt breui pœniteat eum facti, & suggestionis suæ. Ad cuius veritatis confirmationem spectat rarus quidam casus, qui ad meam peruenit notitiam de quodam iuuene habente apud se Dæmonē quendā ex ijs quos familiares appellant, qui illū instigauit, vt certam quandā Religionē ingrederetur, inducens ad id persuadendū mille rationes, & cōmoda quæ illi essent euentura. In qua tamē re Dæmon non quærebat ipsius iuuenis bonū; sed eo vtebatur, tanquam instrumento, vt alios deciperet. Deprehensus autem fuit eius finis: cum iuuenis ex religiosorū consuetudine & familiaritate incepisset pietatem colere, Deoq; seriò seruire: cœpit enim Dæmon ei suadere, vt Religionem desereret; idq; maiori multò instantia, quam priùs adhibuerat ad persuadendum ingressum: & re ipsa id ab eo obtinuit.

b Luc. 11. 16.

1. *Vocatio per affectum. In Duce spiritu. Tract. 1. c. 22.*

SED vt exactiùs hoc adhuc intelligatur, perpendendū est, quòd inspiratio diuina, & interior ad Religionē amplectendā vocatio, duobus modis ad faciendū inuitat, & allicit. Primus est sculpendo in voluntate vehementem quēdā affectū Deo perfectè seruiēdi. Qui affectus omnia indicia secū affert quæ boni spiritūs inspirationes habere solēt. Nam mirum in modum eorum mutat cor, & à rebus huius sęculi illud euellēs, allicit ad cælestes; mortificat carnis & sanguinis propensiones; cupiditates bonorum fortunæ, delitiarum honoris, & libertatis; contrà verò viua accendit desideria paupertatis, castitatis, obedientiæ, ac humilitatis religiosæ; magnā adfert pacem conscientiæ,

cordis lætitiam, Spiritûs feruorem, magnan-q; animi fortitudinẽ & conatũ ad superandas oẽs difficultates, & impedimẽta occurrẽtia, in deserendo mũdo & Iesu Christi cruce amplectenda. Quæ omnia, impossibile est ab alio spiritu procedere, quam à Deo; cuius vox sonat vbi vult, & quidquid vult efficit. Quamuis autem huiusmodi affectui admisceantur aliqua desideria & respectus temporales; aut necessitas aliqua corporis difficultas, quæ ipsum affectum exstimularent; aut etiã aliquis maligni spiritus impulsus, indirectè eundem affectum promouentis: non tamen propterea opus illud definit esse Dei. Humani enim respectus & corporis afflictiones, ac Dæmonis mitigationes non sufficiunt, ad cor hac ratione immutandum: nisi Spiritus sancti impulsio interne illud exstimularet: & Patris omnipotentia vi quadam interna animã inducaret, ad sequendum Christum: vt supra est dictum. Cuius illud est bonum indicium ac testimonium: quod deficiente hac interna inspiratione ijs, qui in mundo versantur; quamuis adsint eædem rationes & necessitates: non tamen sufficiunt illorum corda permutanda, nec à rebus, quibus affectu adhærent, euellenda.

2. *Vocatio per rationes.*

Secundus modus, quo vocatio diuina ad religiosum statũ suscipiendum mouet, est cùm hominis intelligentiam illustrat, & rationibus efficacissimis conuincit, expedire ei illũ statũ amplecti: voluntatẽ interim relinquens aridã, & absq; tenera dulciq; affectione, ad amplectẽdũ quod intelligentia proponit, & ipsa ratio dictat: eò quòd grauẽ sentiat repugnantiam, & exequendi timore tentetur: exequitur tamen, & paret eũ in modũ, quo Loth è Sodomis exire fuit coactus, repugnante quidẽ omni suo appetitu & affectu; sed necessitate compulsus, quæ exire cogebat; ne cũ Sodomitis cælesti igne periret: & similiter sicut nauigãtes, vrgente tẽpestate, oẽs suas facultates & bona, quæ in naui habẽt, ad mare proijciunt, vt eã alleuient. Quãuis aũt modus hic vocationis nõ æquè sit suauis ac dulcis, atq; prior: est tamẽ in se certior ac securior, & ab omni suspicione, ꝙ malus spiritus partẽ aliq̃ in ea habeat, expeditus: tũ port. esse opponit, & pro viribus eã conatur impedire. Est etiã firmior ac stabilior: vtique nõ imitatur teneriorib⁹ affectib⁹, qui solẽt facilè pertransire, sed viuis efficacibus q; rationibus, quæ permanẽt sẽper; & veris solidisq; illis dictaminibus, *ex quo vanus fuit*, & super eã fũdat vitæ suæ ædificiũ. Ad hos solet esse mod⁹ hic magis meritori⁹ certiusq; charitatis & amoris in Deũ auctiũ, & testimoniũ: quam ablq; consolationibus sensibilibus offert homo quidquid habet, vt ei seruire, magisq; placere possit. Quemadmodũ etiã inter Martyres, illi valde eminẽt, qui ablq; huiusmodi sensibilib⁹ solatijs mortem toleraruit, suum imitãtes Ducem & Magistrum Iesum Christum D. N. qui ad mortẽ crucis obtulit sese prompta & constãti voluntate, sed omnibus teneris solatijs exuta; quæ alij Martyres in suis cruciatib⁹ copiosa habuerũt.

Hic modus priore certior.

c *Rom.* 1. 17

Exhis facilè apparet in quanto errore versentur ij, qui sibi persuadent, se non vocari à Deo ad statum religiosum, nisi tenera huiusmodi ac feruentia ad⁹ amplectẽdi desideria sentiãt: sicut magnus esset error, existimare, Deũ nõ vocare peccatores, vt cõuertãtur; nisi eũ tenera huius modi desideria, pœnitẽtiã pro suis peccatis agẽdi, ipsis largitur. Nã vox Dei interdũ liquefacit cor,

facitq; in ipsius amore feruere: interdum autem non eò vsque progredi, sed docet illud tantùm; animumque addit ad id obeundum, quod est opus obsequij: interdum omnes occurrentes difficultates expedit; interdum aliquas superandas relinquit: vt ipsis pugnantibus, naturæq; repugnantibus vincentibus meritum crescat. Nam qui Matthæum adeò efficaciter vocauit, vt magna cum sua voluptate res omnes suas reliquerit, instituerit quoque lennissimum d *conuiuium* in signum lætitiæ, quæ eas relinquebat: idem suos discipulos vocauit, qui cupiebant redire, & curam gerere e *parentum*, aut f *rebus domesticis* disponere, quos ipse exhortatus est, vt, huiusmodi affectibus depositis, superatisque omnibus, quæ occurrebant difficultatibus ipsum consequerentur. Qui autem in initijs frenuè pugnant, consequi solent solatia, consolationes suæ vocationis tunc temporis, cùm maximè illis est vtile: præmium autem, quod solis remis nauigare cœperunt, confidentes virtuti Dei: citiùs accipiunt centuplum, quàm alij, vt expansis velis, & secundo puppim vento prosperè progrediantur, suamque nauigationem feliciter expediant.

d Luc. 5 29.
e Mat. 8 21
f Luc. 9. 55

§. II.

Vocatio ad Particulares Religiones.

SED fortè quis dubitet: an eadem sit certitudo cuiusuis vocationis, & inspirationis ad Religionem particularem, ad quam sentit se propensum? sæpe enim euenit, vt inspiratio ad opera virtutis in genere sit, applicatio autem ad hæc vel illa particularia sit Dæmonis, aut proprij spiritus. Quare euenire posset, vt ipse Deus feruentia nobis inspiraret desideria Religionis; Dæmon autem instigaret ad minùs perfectam, aut imperfectam adeundam, in qua perfectionis feruor intepescat; aut eam ingrediendam, cuius Institutum constitutioni nostræ naturali magis repugnet, quàm vires nostras excedat: ne in eo perseueremus. Quod euenire, si desiderium & quærentem solitudinem, incitaret hostis ad eam Religionem amplectendam, quæ agit cum proximis; aut contrà, naturaliter propendentem ad agendum cum proximis impelleret ad eam Religionem, quæ prohibet solitudinem; & hominem alioqui debilem incitaret ad Religionem asperiorem, & seueriorem, quàm eius complexio ferre posset; & hominem fortem hementibus passionibus ex natura agitatum induceret ad Religionem molliorem, quàm eius necessitas exigat. Quamobrem optimè S. Thomas, quamuis necesse non sit, alios consulere ad examinandum & approbandum propositum suscipiendi statum religiosum: expedire tamen, ad illud examinandum, alios consulere: tam quoad ipsum modum executionis; quàm Religionis eligendæ; cum in vtroque subesse possit deceptio. Verum si

2.2. q. vlti. a. vlti.

men, quòd cùm inspiratio eodẽ tempore & eadem vi & efficacitate, altero è duobus prædictis modis ad statũ religiosum & in particulari aliqua Religione suscipiendũ, incitat, & impellit: verisimile valde est, vtrameq; partẽ ab eodem spiritu prouenire. Cùm enim ad ipsum Dominum nostrũ spectet, homines vocare ad Religiones; cognoscat autẽ cuiusuis hominis complexionẽ & facultatẽ ac talentum; ipsius prouidentiæ erit, vnũquẽq; ad eam Religionem inducere, quæ ei expedit. Cuius rei boni erit indiciũ, si & in genere, & in particulari illum statum simul inspiret. Et in eo casu non est, quòd quis hæreat & vereatur defectum virtũ suarum spiritualium: qui n. ipsum vocat; eas præbebit; neq; est hærendum, quòd Religio illa particularis sit alijs minùs perfecta; nõ enim vult Deus oẽs ad id q; perfectius est, vocare; & quamuis aliqua Religio sit imperfecta; erit tamẽ perfectior, quàm sit vita sæcularis. Nec tutũ erit, prætextu maioris perfectionis relinquere Dei vocationẽ: nam aut is nõ perseuerabit in perfectione, ad quã vocatus nõ est; aut non cũ tanto profectu. Et quemadmodũ S quidã Abbas dixit: præstat esse in professione minùs perfecta deuotũ, quã in perfectiori indeuotũ. Sæpe aliàs solet Dominus notos suos impulsus diuidere ita, vt Religionis desideria in genere inspiret, non tamen Religionis in particulari: & potiùs tam dubios nos circa secundum relinquit; quàm certos circa primum. Item aliquando inspirat rationes, quæ aliquo modo nos ad statum religiosum inducunt; non tamen omnino nostrum intellectum conuincunt: quia alia nobis pro contraria parte occurrunt; quæ nos reddũt omnino perplexos. Et aliquando ipsa desideria Religionis, quæ sentimus, adeò sunt debilia ac leuia, etiamsi sint diuturna: vt hæreamus, nec de eorum executione aliquid certi statuamus. In quibus casibus meritò adhibebimus documenta illa & regulas positas in primo tract. 2. tomi, & ad particularem hunc statum applicabimus. Inter quæ documentum maximi momenti est illud, quod S. Laurentius Iustinianus adfert: Vocati, inquit, ad mundi contemptum, & ad obedientiæ glorioſum conflictum, discernendorum spirituum regulam nequaquam contemnant: verùm neque ipsi eandem se habere confidant. Rara vtique virtus est, & paucissimis collatilis videlicet, vt arbitror, qui sunt corde humiles, mente puri atque tentationibus varijs diutissimè probati. Donum quidem Dei est, & à sancto precatum Spiritu: non minùs ad aliorum, quàm ad ipsorum recipientium vtilitatem. In rebus igitur arduis, & præsertim in renunciatione sæculi, & in arripienda institutione nouæ vitæ, nullus sibi in re propria credat: sed eorũ acquiescat consilio, qui ex diuturna colluctatione vitiorum, & adepta virtutum corona, (spiritũs in se nihilominus operante sapientia) discretione pollent, ac proximorum dilectione flammescunt, atque religiosorum morum grauitate clarescunt. Porro qui tales sunt, errare vix possunt: cùm videlicet

Apud Cassi. Collat. 19. cap. 3.

Cap. 5. Lib. de Obed. cap. 26. Cui gratia detur discernendi spiritus.

non nisi oratione præuia, & cõsiderata personarum qualitate, Spiritusq; sancti directione, sententiã suam proferant. Ipsi enim tanquam veri homines & sub paracleti disciplina eruditi, nolunt ex proprio sensu loqui; sed q̃ diuinæ iudicauerint esse placitũ voluntati: quam vtiq; exclusa affectione propria interuenientibus quoq; ignitis precibus, intelligere ac perscrutati conantur. Hoc quippe Propheta figuraliter expressit, cum dixit de quatuor illis sanctis animalibus: quòd a *cum fieret vox super firmamentũ, animalia submittebant alas suas*: vt videlicet perspicaciùs, atq; quietiùs internæ aspirationis affectum intelligere valerent; & iuxta eã loqui. Nam qui à semetipso loquitur, frequenter sententias proferendo præcipitat, & ipsos interrogantes errare facit. Quapropter oportet neophitũ & ad sæculi contemptum vocatum, seniorum se mancipare consilio: eorũ scilicet, qui sint opere & eruditione probati; qui nequaquã propriæ Religionis commoda, seu augmentum; sed animarum secra perquirant. Ipsis namq; cuncta sui cordis arcana patefaciant, ante deliberationẽ de se faciendã. Ipsis (inquã) referent corporis valetudinem, mentis constantiam, desideriorũ æstus, propositi perseuerantiã; & vniuersa quæ ad vtriusque hominis attinent qualitatem; quæ profectò consultorem prudentem, & idoneum minimè latere conueniunt. Hæc S. Laurentius Iustinianus.

a Ezech. 1. 25.

2. 2. q. 189. a. 10.

Ex his facilè deducitur, (vt S. Thomas benè aduertit) cùm circa hanc rerum mutationem dubia occurrunt: non esse consilium ab ijs petendum, qui potius sunt eam impedire: quales sunt parentes, cognati, & amici secundùm carnem. Nam vt S. Gregorius cuidam Venãtio, amicos suos consulenti vt religionem desereret, scripsit: de causa vitæ consilium à fautoribus mortis quæris: quibus non te, sed res tuas diligunt: nulla tibi, nisi quæ ad tempus placent, adquiuntur. Si consiliarium quæris, meipsum accede: nullus enim consiliarius potest esse fidelior, quam qui non res tuas, sed teipsum diligit. Ijs qui huiusmodi homines consulunt euenit, quod Christus Dominus noster dixit: *cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Cæci sunt ad præbendum consilium in rebus nostræ salutis ac perfectionis, qui amore tantùm carnis nos diligunt, valdeque sunt rebus terrenis addicti. Hic enim amor excæcat oculos animæ; nec patitur eos aliud videre, quam quòd est carni & sanguini plausibile. Si itaq; eos adhibemus consiliarios, nostrarumq; actionum duces: & illi & nos incidemus in profundam deceptionis viam in hoc mundo; & postea in ipsum infernum. Illi quidem, quòd male consuluerunt; nos autem, quòd eorum consilijs secuti fuerimus. Quare, qui desiderat has duas profundas foueas euitare: consiliarium accipiat non cæcum sed perspicuis oculis præditum, ad veritatem agnoscendam; & corde forti ad illam sequendam vllo respectu proferendam. Per huiusmodi enim consiliarios solet Dominus noster voluntatem suam ijs manifestare, qui eam inuenire optant.

b Mat. 15. 14.

TRACTA-

TRACTATVS V.

DE INGRESSV IN RELIGIONEM, TYRONVM EDVCATIONE, EORVM TENTATIONIBVS, AC PROBATIONIBVS; ET MODO AC RATIONE VOTA, ET PROFESSIONEM EMITTENDI.

CAPVT I.

DVPLEX INGRESSVS IN RELIGIONEM, ALTER *ad Probationem, alter per tria vota: & quænam vterque complectatur.*

CVM STATVS RELIGIONIS ADEO SIT EXCELSVS, difficilis, ac perpetuus, vt hactenus vidimus: statuit Ecclesia sancta: ne, vocati à Deo ad eum suscipiendum, statim, & quasi primo ipso aditu ingressi, perpetuò in eo absque alijs probationibus & circumstantijs permaneant; sed cum matura deliberatione & prudentia duplicem faciant ingressum: primum quasi ad probationem, induentes habitum Religionis: vt faciunt Tyrones, siue Nouitij: tum, vt ipsimet probent, & per aliquod tempus experiantur onus, quod suscipere cogitant: tum, vt ipsa Religio probet, & exactiùs eum agnoscat, quem est admissura. Et cùm vtrique parti erit in illo temporis spatio satisfactum; fiat alter ingressus, qui sit futurus perpetuus: quo alligatur, qui primum fecit ingressum, tribus substantialibus votis, *Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ*; in quibus Religionis essentiam consistere, superiùs diximus. Ac proinde hæc vota sunt ianua, ad verè ac perfectè Religionem ingrediendam: & eadem constituunt Christianum in statu religioso: sicut Baptismus est prima porta, qua intratur in Ecclesiam; & qui ingreditur, verè suscipit statum Christiani. Et quemadmodum Catechumeni, etiamsi omnia credant, quæ fides docet; & sponte sua custodiant omnes eius leges: non tamen sunt adhuc veri Christiani, donec baptizentur: per Baptismum autem fiunt membra corporis mystici Ecclesiæ Catholicæ: Ita, inquam, Nouitij, licet habitum Religionis gestent, easque Regulas omnes obseruent: non tamen sunt perfectè religiosi: sed id agunt, & in via versantur, vt tales sint: & tunc demum tales erunt, cùm Vota prædicta fecerint, aut Professionem: quibus incorporantur aut immittun-

Duplex religionis ingressus. Primus ad probationem.

tur in mysticum Religionis illius corpus: Et tunc plenè censetur complet ingressus in eam. Dixi: per vota, aut Professionem: eò quòd à pluribus Summis Pontificibus declaratum sit, eos, qui in societate Iesu, post elapsos duos annos probationis vota ediderint, etiamsi illa non sint solēnia esse vere Religiosos, & inhabiles ad matrimoniū contrahendū, quamdiu prædictis votis sunt obstricti: quamus eisdē superfit tertius perfectior ingressus per professionem solennē: vt ex eorundem Pontificū Bullis & Constitutionibus cōstat.

SED vt ad ea, quæ proposuimus, reuertamur: qui à Deo ad Religionē vocatur, voluntque diuinæ vocationi acquiescere: vtrumque hunc ingressum ordine suo debent procurare, petentes eos à Prælatis, ad quos spectat, vt admittere: vtentes verbis illis Dauidis: a *aperite mihi portas iustitiæ: ingressus eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam*, Portæ iustitiæ (in secundo tomo est dictum) sunt præcipua media, quæ Deus Dominus noster in sua Ecclesia constituit, ad perfectam Sanctitatem obtinendam. Quorum potissimum, est ipsa Religio, eiusque tria vota: quæ sunt porta perfectionis Euangelicæ. Et quamuis Dauid primùm *portas* appellauerit, ac innuans esse multas: postea tamē dixit *portam*, propter vnionē inter se mutuā, qua vnum statum Religionis efficiunt. Has portas Prælati Religionum aperiunt primùm sęcularibus, cùm eos habitu suæ Religionis induunt; deinde inter Nouitijs, elapso tēpore probationis, cùm eos ad emittenda vota, siue professionem admittunt. Ad ipsos tamen vocatos à Deo, spectat, instanter petere, vt sibi aperiantur, desiderantibus per eas ingredi, ad Deum perpetuò laudandum, suamque vitam totam in eius obsequio expendendā; non quomodocunque, sed valde eminenter. Ideò enim Dauid addidit: *iusti intrabunt per eam*. quamuis enim, antequam ingrediantur sint iusti: cupiunt tamen ingredi Religionem, vt iustificentur & sanctificentur adhuc. Est enim in hoc ipso Religio quasi templum illud, quod vidit Ezechiel; & habebat tres portas: ingrediendum atrium exterius; & vnam præterea pro ingressu ad partem interiorem. & cum Angelus b *metiretur* distantiam ab alijs *portis ad loanc*, inuenit esse *centum cubitorum*. Hunc in modum dicere licet: Religionem in primo suo ingressu, (qui spectat ad Tyrones) habere tres portas, tres scilicet ingenuas & nobiles renunciationes, quas facere constituunt, vt vocationi diuinæ obediant: quibus inniti debent, vt mox videbimus, tria vota: & quando ea emittunt, ingrediuntur per interiorem Religionis portam: per quem ingressum vniuntur intimè cum ipsa. Sed inter primum & secundum ingressum est mensura centum cubitorum, qui numerus (vt ait S. Gregorius) est perfectus: vt significetur iter perfectionis, quod conficere debēt à tempore quo Deus illos ad Religionem vocat, donec in eam per vota emittenda ingrediantur: magnum ostendētes animum pectusq; robustum in his quæ

a Psal. 117. 19. Tract. 1. c. 4

b Ezech. 10. 23.

Hom. 18. in Ezech.

rebus

rebus. *Primum*, vt omnibus tentationibus Dæmonis, mundi carnis, quibus eos conantur auertere, ne diuinę vocationi acquiescant, nec faciant primũ ingressum in Religionem; aut, si ingredientur, ne in ea perseuerent, nec ad secundum perueniant: His inquam tentationibus fortiter se opponant, ne resistant: licèt eædem durent etiam post Professionem, & vsq; ad finẽ vitę. 2. Quoniam etiam ipsi Prælati vocatos tentant, varijsq; modis probant, & exercent petentes Habitum, antequam illũ dent; & multò ampliùs, postquã dederunt, toto tempore tyrocinij, antequam ad secundum ingressum & Professionem eos admittant: debent ipsi magnam animi fortitudinem ac fidelitatem in his omnibus probationibus ostendere: vt fructum & vtilitatem 3. eius, sicut ex prioribus capiant. Et hinc tertium illud oritur, in quo debet valdè elucere; vt magno feruore ea omnia exerceant, quæ ad triũ votorum, & regularum obseruationem spectant: ad quæ postea se obligabunt. Hæc enim potissima omnium probatio. Hanc vltimò sequitur ipsa votorum 4. missio quam in tanta excellentia & perfectione facient, quantam excellens illèd oblatio iure suo exigit.

Qvatvor hæ res erunt tractatus huius argumentum, eo ordine quo sunt positæ. *A prima* igitur initium faciẽtes: eius figura, & quasi ad viuum imago præcessit in colloquio, quod Moyses & Aaron, nomine totius populi Hebræi, habuerunt cum Pharaone, & eius ministris, à quo captiuus teneba tur graviterq; premebatur cõficiendis lateribus. *Primum* autem, quod Pharaoni dixerunt, fuit: c *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus iter triũ dierũ in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis, aut gladius.* Hæc ratio est & idea quædã supernæ vocationis, qua Dominus noster electos suos inuitat, ad deserendum mundum, per Ægyptum significatũ in quo Dæmon tanquam alter Pharao, vult illos terrenis operibus semper occupari. Deus verò; cùm eos vocat, inspirat, vt accedãt ad sacræ Religionis solitudinem, in qua offerant sacrificia & holocausta trium votorum: postquam trium dierum iter confecerint, facientes in fine eorum tres stationes. quemadmodum Hebræi fecerunt, cum exiuerunt ex Ægypto. Quæ stationes ob oculos nobis proponunt tres insignes renunciationes, quas faciunt, qui Religionem ingrediuntur: sunt q́ue materia trium votorum, quæ ad finem tyrocinij offerunt.

c *Exod.* 5. 3. & 6. 3. 18. Deus electos inuitat.

Primi diei iter est renunciatio omnium personarum huius mundi, quas valdè diligunt & magni faciunt: quales sunt parentes, fratres, cognati, & amici. Renunciatio item iuris habendi eas personas, quæ mutuò valdè tenerè se diligunt, quales sunt cõiuges & filij: vt liceat ipsis in perpetua castitate viuere, exuentes radicitus ex corde inordinatum ad huiusmodi personas affectũ & mortificando omnem carnis & sensuum amorem erga eas. Id enim Deus

iubet nos facere, cùm dicit, sicut Abrahamo: d *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monstrauero tibi.* & illud Psalmi: e *audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum*: persuadentes nobis Religiosum (vt Sanctus Bernardus ait) debere esse sicut Melchisedech, de quo dixit Apostolus, quod fuerit e *sine Patre, sine matre, sine genealogia*: & consequenter neque vxorem habuit, neq; filios, neque cognatos in mundo: non quod verè non habuerit parentes & genealogiam; sed quòd nulla fit eorum mentio, aut memoria, quasi nihil horum habuerit: ita igitur Religiosus etsi parentes habeat, fratres & cognatos: ita tamen constitutus esse debet atq; si nihil horum haberet: eò quòd ex toto corde suo eorum obliuiscatur. Sed in hoc itinere magnæ angustiæ & anxietates tolerãtur. Nam propterea populus hæsit in f *Rameſſe*, quæ teste S. Hieronymo, erat ciuitas quædam in finibus Ægypti: quo receperant se Hebræi, vt citiùs fugerent: & ipsa vox significat commotionem turbatam, siue amaritudinem; ad insinuandam horrendam turbationem & amaritudinem, quæ oritur in corde, cùm ei hæc renunciatio facienda. Nam quemadmodum homo in morte corporis grauiter fert, deserere cognatos, & amicos, & quos tenerè amat: ita in hac ciuili morte plurimùm sentit hoc diuortium; grauesque sunt fluctus cogitationum, & sensuum spiritum oppugnantium, ac turbantium; donec diuina gratia adferat illi quietem, edito voto perpetuæ castitatis in vita à sæculo separata. Idem etiam prædixisse videtur ipsa vox *Rameſſes*, quæ simul significat tonitruum gaudij: eò quòd hæc renunciatio instar tonitrui initio terreat; sed postea magnum adferat gaudium; iuxta illud Saluatoris nostri: g *mulier cùm parit, tristitiam habet: quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium: quia natus est homo in mundum.* Ita qui vera & firma desideria, Christo Domino seruiendi, concepit: cùm ea opere sunt præstanda, quasi partûs doloribus cruciatur: eò quòd à suis dilectis recedat, & omnem erga eos affectum deponat: sed statim atque ferueuenter exequitur, ingenti afficitur gaudio: quasi nouus homo sit natus in mundo, in Christo renouatus, qui nouam instituat vitam, ipsius Christi vitæ similem.

SECVNDI diei iter & progressio, quàm diuina vocatio inspirat, est renũciatio rerum omnium temporalium, quas in mundo habebamus; & ipsarum iurisque eas recipiendi: vt possimus viuere in perpetua paupertate, non habentes domos, non agros, non possessiones; nec rem vllam, quæ nostra propria dici possit. Et tunc transitur cum Hebræis ad secundam stationem quæ h *Socboth*, quæ vox significat tentoria peregrinantium: sors enim & vita Religiosorum, est quasi iter agentium & peregrinorum: qui neque habent

d *Gen.* 12. 1. *Psal.* 4. 11. e *Hebr.* 7. 3.

f *Exod.* 12. 37.

Epist. ad Fabiol. de 42. mansionib. vide in tomo 1 Tract. 3. fol. 2.

g *Ioan.* 16. 21

2.

h *Exod.* 12. 37. *S. Bernar. Sermo. 9. de Resurrect. 1. Timot 6. 8.*

* neque

neque in itinere quærunt bona ſtabilia; ſed, vt Apoſtolus dixit: i *habentes alimenta & quibus tegantur, his contenti ſunt*; perguntque in ſuo itinere abſque vlla mora per ſemitam Euangelicorum conſiliorum, vſque ad ipſam æternam vitam, quæ eſt vera ipſorum patria. Quod ſi domum aliquam aut agros in hoc mundo habent, id illis eſt tanquam tentorium iter agentium, aut peregrinorum hoſpitium in quibus non hærent, niſi tanquam in tranſitu; & quamdiu præſcribit obedientia: ideoque ſtatim atque ipſa iubet, vt aliò ſe transferant, locum illum relinquunt. Nominatim autem Tyrones ſunt: quaſi peregrini in aliena terra: nam neque in mundo ſunt, quem iam deſeruerunt; neque in Religione, cui necdum ſunt per vota incorporati: ſed pergunt, vt Religionem ingrediantur, quæ eſt terra, quam Deus eis monſtrauit. Et quemadmodum qui ſemper vixit in ſua patria multo populo refecta; cum inde exit ſolus, & incipit per locum aliquem deſertum ambulare, ſentit naturaliter triſtitiam & affligitur, quòd ſe videat ſolum pauperem, & egenum rerum, quas priùs in magna copia habebat; & quòd cum ignotis hominibus ſibi ſit agendum: ita qui diſcedit ex ſæculo, in quo omnia reliquit, valde oppugnatur fluctibus triſtitiæ ac deſolationis, ob defectus rerũ, quos ſuſtinet corpus; & propter ſolitudinem, & auerſionem quam noua viuendi ratio ei adfert: ſed è veſtigio diuinæ vocationis accedit gratia, vt conſoletur triſtem, oſtendens ei, ſicut Patriarchæ k *Iacob* ſoli, ac egeno in medio ſolitudinis, regnum ipſum Dei: vt ſupra retulimus. Et ſic triſtitia vertitur in gaudium; ſolitudo in iucundam ſocietatem &, regio incognita in patriam propriam.

k *Geneſ.* 28. 10. & c. 32. 10.

Hinc Transitvs fit ad iter tertij diei, renunciationem ſcilicet ſui ipſius, propriæ libertatis, voluntatis, & iudicij: qua ſeipſum his omnibus ſpoliat, vt perfectiùs impleat Dei voluntatem; viuatque in perpetua Obedientia eorum, quos ipſe ſuo loco conſtituit. Et hæc eſt præſtantior multò renunciatio, qua peruenitur, ſicut Hebræi, in l *Etham*: quæ erat *in extremis finibus ſolitudinis*, & ſignificat: immaculatus ſeu *perfectus ero*. Hac tum renunciatione facta, & accedente obedientia, plena obtinetur perfectio Euangelica; ad quam diuina dirigit Vocatio: Nam non dicit: *ſum* perfectus; ſed *ero*: non enim propterea eſt perfectionem conſecutus, ſed efficax tantùm eſt propoſitum dandi operam, vt conſequatur: cùm, quod in ſe eſt, fecerit, quod opus erat, ad emittenda tria vota, ex quo incipit obligatio, perfectionem procurandi. Sed quia *Etham* (teſte Sancto Hieronymo) etiam ſignificat fortitudinem, & perfectionem: inſinuatur magna opus eſſe animi fortitudine, vt ad ſtationem illam perueniatur: eò quòd terribiles ſint hoſtes oppugnantes eos qui ex Ægypto exire volunt, & hanc trium dierum viam perage-

3.

l *Exod.* 13. 20. *Vide Riberam in id Oſea.* 6. 46. *Poſt duos dies viuificabimus nos.*

te, vt

re. vt statim apparebit ex ijs quæ fecit Pharao vt Hebræorum exitum impediret.

MVLTVM verò refert, aduertere: quod quemadmodum Hebræi nec sapientiam, nec fortitudinem per se ipsos habuissent, ad exequendum quæ vocatio diuina præscribebat; nec potuissent ex Ægypto exire nec Pharaonis resistere furori, nec trium illorum dierum iter ad solitudinem vsque perficere, nisi Moyses & Aaron eius frater duces eorum fuissent; qui pro eis loquerentur, qui eis consulerent, quæ facere deberent; qui consolarentur in difficultatibus ac periculis animos eis facerent; & in reliquis omnibus eis auxilio essent. Ita etiam, qui à Deo sunt ad Religionem vocati, non debent sibi tantum tribuere, quod per seipsos omnia implere possint, quæ vocatio Diuina eis inspirat, & committit: nec soli fortitudinem habebunt ad resistendum horrendis impugnationibus ac difficultatibus occurrentibus ipsa executione: nisi ab aliquo spirituali Patre adiuuentur, & quasi ab itineris Duce dirigantur, & excitentur in totius itineris progressu. Ante ipsum quidem ingressum vti debent opera sui Confessarij; aut eius, per quem illos vocauit: Post ipsum verò in Religionem ingressum, habet Deus in illa fratres duos, Moysen & Aaron, Ducum officio fungêtes: Prælatum scilicet, qui est proprius pastor, per Moysen significatus; & Tyronum Magister, aut Confessarius, aut is, cui ex officio incumbit cura rerum spiritualium: quæ significatur per sacerdotem Aaron. nam vterque valde inter se coniunctis animo conformes vigilant & attendunt gubernationi, profectui, & perfectioni eorum, qui sunt sibi commissi; & Nouitiorum nominatim, qui sunt plantæ teneriores: ideoque magis indigêtes adiutore. Qui propterea ad suos illos Duces ac directores in omnibus suis pressuris debent meritò recurrere: vt ipsis in quibuscunque tentationibus adsint, bene consulant, & in mororibus ac timoribus animos addant, & consolentur; ac in omnibus operibus & exercitationibus eos dirigant: & ipsi eorum directionem in omnibus prædictis vitæ perfectæ itineribus promptè sequantur, donec ad eius finem pertingant, seruantes omnia monita, quæ de his omnibus rebus in sequentibus capitibus tradentur.

Vide Tom. 1. tract. 2. c. 9. & Tract. 3. c. 8. In religione duo sunt Duces.

CAPVT

CAPVT II.

TENTATIONES QVIBVS DÆMON ET MVNDVS Oppugnant volentes ingredi Religionem; & ratio eas superandi. Ponitur quædam omnium earum summa.

QVI DECREVERVNT Diuinæ vocationi parêre, & Religionem ingredi, præmissis renunciationibus ac dierum itineribus prædictis, vt plurimùm transire debent per variarum tentationum & probatio, nem fornacem: in qua quidem à sex diuersis personis exercentur: quarum tres hostes sunt, & oppugnant, vt deijciant; aliæ tres amicæ sunt, quæ in ipsorum vtilitatem illos probant & exercent. De quibus ordine suo dicemus. Tres primi sunt Dæmon, qui dicitur Princeps huius mundi; ipsemet mundus, hoc est congregatio hominum mundanorum, qui magni faciunt & inanitramant res terrenas; ac deniq; caro & sanguis, parentes scilicet & cognati sanguine sibi iunctos secundùm carnem amant; qui omnes, carnis in eos propensione in suis affectibus permouentur: omnes autem sunt ministri & instrumenta præcipui tentatoris, hoc est Dæmonis. Cuius horrendæ tentationes in eos, qui constituerunt sequi diuinam vocationem, exstimulantem ipsos ad fugam sæculi; & vt se ad Sacræ Religionis solitudinem recipiant ad viuum valdeque exactè depictæ sunt in ijs, quæ Pharao fecit in populum Hebræum: cùm Moyses & Aaron ei manifestarunt Dei vocationem, quæ iubebat ire ad sacrificia sibi in deserto offerenda. Nam quemadmodum Tyrannus ille omnibus viribus conatus est exitum illum impedire multis adhibitis violentijs & rationibus dolo & astutia serpentinâ plenis. Ita etiam Sathan transfigurans se in Angelum lucis; omnia possibilia impedimenta apponit contra Religionis ingressum; nunc apertè, & manifestè; nunc rationibus apparentibus & pietatis alicuius magnæ prætextu, fraudes suas obtegendo. Cuius artes & astutias fusiùs declarauimus cum de eius tentationibus ageremus. Præmissis autem, quæ ibi attulimus, vt quæ omnibus Christianis sint communia: ea solùm hic afferemus, quæ spectant ad eos qui volunt esse Religiosi. Præmittimus autem non omnes eisdem pati tentationes; sed alios has, alios illas: omnium tamen subijciemus quandam summam: vt quisque possit suas agnoscere, & contra eas depugnare.

Tentat mundus carо, dæmon.

terme. 2. tract. 2.

(.·.)

§. I.

Qua ratione suffocetur vocatio Dei, cuius q; opinio immi. nuatur.

PRIMVM Pharao duabus Diabolicis artibus vsus est: altera vt Hebr obliuiscerentur, & cogitationes ac desideria deponerent, quæ con perant eundi ad offerenda sacrificia, altera verò ne veram existim reuelationem, quasi Deus ipse illis id iuberet; sed falsam ac fictam. Ad mum obtinendum, vocauit a *Præfectos operum & exactores populi*, prohib illis *vltra dare paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi,* inquit, *dant & colligant stipulas, & mensuram laterum, quam prius faciebant, impo super eos, nec minuetis quidquam: vacant enim, & idcirco vociferantur, dicentes mus & sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, & expleant ea, vt non quiescant verbis mendacibus*, quæ sunt summa & ficta deliria per Moy Quem vt pro tali haberent, vsus est Pharao secunda sua arte & astutia enim & prodigia, quæ Moyses adferebat; & adhibebat in testimonium, Deus exitum Hebræis imperaret: ipse conatus est obscurare, & opinio minuere. Quare adhibuit ipse suos Magos: qui similia facerent prodigi sic verum esse ostenderet, quod ipse dicebat.

a *Exod. 5. 6.*

HVNC IN MODVM Sathan capitalis hostis diuinæ vocationis contra eam duabus similibus vijs demergere & suffocare. Altera est, qua iubet liquos Dæmones suos ministros, ad tentandum circa res terrenas deli tos: vt vocatos à Deo opprimant negotijs & occupationibus terrenis, & casiones illis offerant, quibus à tali cogitatione auertantur; seque effund ad aliqua temporalia bona, etiam parui momenti, quærenda: vt his cogita onibus & curis implicati, obliuiscantur diuinæ vocationis; ac piorum a deriorum quæ conceperant. Et in eum finem suggerunt illis matrimo valde honorifica, hæreditates, aut possessiones, aut dignitates, & officia miles res alias, quæ omnes sunt quasi paleæ, & stipulæ vacuæ, & inanes bus conficiuntur, & coquuntur lateres peccatorum: sed cogitationes men ac desideria à tentatore suggesta, suffocare solent sementem diui vocationis, iuxta illud Christi Domini de semente; quæ cecidit inter spi b *hi sunt*, inquit, *qui audiunt, & a solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus euntes suffocantur.* Tales enim cogitationes, quæ illos huc illuc trahunt, quam spinæ sunt, quæ concepta pia desideria euanescere faciunt, nec fructum aliquem proferre.

Mouet vocatos ad terrena.

b *Luc. 8. 13 Mat. 13. 22.*

Sed qua ratione tales cogitationes suffocant diuinam vocationem? interdum quidem: quia illam ex memoria excludunt ita, vt ampliùs non vocabantur, eius non recordentur. semel enim immersi desiderijs bonorum terrenorum; non recordantur cœlestium, vt ea quærant. Interdum autem eandem suffocant modo alio magis pernicioso: quia scilicet non existimant verè esse vocationem & inspirationem Dei; sed quasi prauam imaginationem, siue apprehensionem, & scrupulum. Nouit enim Sathan, huiusmodi fraudes intexere: vt vocationum Diuinarum opinionem conceptam imminuat; suggestiones contrarias submittens cum tanta pace & tranquillitate; & tanta rationum, piorumque prætextuum apparatu, vt hæ videantur veræ vocationes; aliæ verò, quæ Dei sunt, videantur falsæ, & fallaces: c *ponentes*, vt ait Isaias, *tenebras lucem, & lucem tenebras.* Vocationis memoriam excludit.

c Isaiæ 5. 20

Contra Has Sathanæ artes & astutias pugnandum est strenuè vocatis ad Religionem, modis in præcedenti tractatu positis, persuasionibus sibi vocationem suam verè esse Dei, propter omnes rationes ibi positas.

Quam Veritatem vbi semel agnouerint, talemque esse certò sibi persuaserint: omnes tempestates contra eam exortas, tribuent merito suis hostibus, Dæmoni mundo & carni; conantibus ipsos vocatos inquietare, & à bono proposito deterrere. Sufficiet porrò ad refutandum, & confundendum tentatorem, aduertere: omnes eius maledictas suggestiones eò tendere vt quærantur paleæ, & conficiantur lateres: pungendo & lædendo ipsos quærentes, quasi spinæ: At vocationes & inspirationes Dei semper dirigi ad res solidas & præcelsas in vtilitatem animarum.

Id Quod Ipsemet Dominus per Ieremiam Prophetam apertè dicit: d *Propheta, qui habet somnium, narret somnium; & qui habet sermonem meum loquatur sermonem meum verè: quid paleis ad triticum? dicit Dominus.*

d Ier. 23. 28.

Nvnqvid *non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* Quasi dixerit: Dæmonis suggestiones sunt somnia; inspirationes autem meæ sunt veritates solidæ ac certæ: illæ sunt palea vacua; hæ solidum frumentum; meæ sunt ignis Charitatis liquefaciens animas; & malleus conterens, & mollefaciens duritiem cordium per dolorem peccatorum; Dæmonis, sunt quasi ignis cupiditatum, & malleus magis indurans quasi incudem quærendis rebus terrenis. Quid igitur hæ cum illis habent, quod quasi *separate pretiosum a vili*: nolite curas admittere ac de rebus perituris solliciti esse, quæ vos à vocatione diuina retardent *spiritum nolite extin-*

Dei vocatio ignis charitatis.

guere, nec scintillas bonorum desideriorum, quæ Deus vobis inspirauit,
1. Thes. 5. 14. uellite spinas in cordibus vestris prodeuntes ex Dæmonis suggestione,
comburite illas igne diuini amoris: vt vocationis diuinæ sementis cæ-
lum valde proferat fructum.

§. II.

Quod possit perfectio in ipso sæculo obtineri.

SVPERATA hac prima tentatione, altera exurgit valde laruata, vel
vocatis persuadere: illud præcipuum, ad quod vocatio diuina tendit,
posse in ipso mundo obtineri. Dicit enim, quod Pharao respondit Mo-
a Exod 8. 25 bræis: a *ite & sacrificate Deo vestro in terra hac:* & facite in Ægypto, quod de-
lebatis facere in deserto: nemo enim vos impediet. Quasi diceret: non ego
vos impedire quò minùs Deo vestro seruiatis; & sacrificia quæ cupitis offe-
ratis: sed seruite ei hic in sæculo, cùm possitis id satis bene facere: nec opus
est ad Religionum deserta confugere: cum in Ciuitatibus, & oppidis multæ
sint viæ & rationes ad cœlum perueniendi; & inter vestros cognatos & ami-
cos licet perfectionem assequi, quemadmodum multi sancti in sæculo re-
nentes, eam sunt assecuti. Cui fraudulentæ propositioni magno animo re-
spondent, qui deceptionem detexerunt, sicut Moyses: *non potest ita fieri: abo-
minationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: quod si immola-
rimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis lapidibus nos obruent.* Atq; si clarius ex-
xi[illegible] cùm Deus Dominus noster iusserit, nos ei seruire in statu perfectio-
ligionis: non possumus in sæculo remanere. Nam nõ expedit nobis in sæcu-
lo offerre Deo res abominabiles, quas mundus ei offert; nec ipse munus re-
cipietur; vt ea, quę cupimus, offeramus si mundum imitemur, peribimus: quod
si ei resistamus, lapidabit nos. Quare duplex in mundo, & quidem ingens
periculum nobis imminet. Alterum est: ne ipse nos post se trahat: vt eo mo-
do seruiamus Deo, quo sęculares homines seruiunt offerentes abominabiles
& horrenda sacrificia. nam si quæ bona opera faciunt, vanas illis immiscent
Ita explicat Abulensis. intentiones, & commoda temporalia; valdeque imperfecta, & cum multis
defectibus ea faciunt: nam tantum ex diuina lege accipiunt, quantum ad
suo mundano honore, & emolumento possunt; reliqua verò eiusdem legis
b Isai. 1. 13. c. 66 conculcant. Quamobrem iure optimo de illis dicit Dominus, quòd non
eorum b *sacrificia admittere*, & quod *incensum eorum sit ipsi abominatio*: manus
eorum *manus plenæ sunt sanguine, &c. vniuersa eorum iustitia: quasi pannus menstruata*, maculis scilicet peccatorum. Opera enim ex se iusta, in ipsis, ob cir-
cumstantias pravas, sunt detestanda: & qui inter eos remanet, periculo

*ponun-

ponitur, sequendi eorum vestigia, in offerendis Deo eiusmodi abominationibus. Hac itaque animati cõsideratione, liberrimè Dæmoni respondebimus, & magna cum admiratione dicemus: *num abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro?* & ita ei seruiemus, sicut seruiunt sæculares? si eorum criminum sumus participes: erimus procul dubio etiam pœnarũ. Quare nolumus nos periculo exponere, si in mundo remaneamus, imitandi eorum abominationes, & perdendi animas nostras contrahentes pestem destruentem eorum animas.

ET QVAMVIS ipse mundus non traheret nos post se; sed statuamus viuere in eo cum ea perfectione, qua optamus in Religione: tamen adhuc alterius periculo erimus expositi, vt nos lapident, videntes iugulari à nobis ea, quæ ipsi adorant; & abominationem existimant talem sacrificij modum. Nã illi adorant & venerantur diuitias, honores, ac voluptates: quia eorum Deus venter est, & gloria vana, & idolum est ipsa cupiditas. Quod si nos hæc omnia conculcemus, offerentes Deo nostro holocaustum Paupertatis, Castitatis & subiectionis; dantes nostras facultates pauperibus, reijcientes coniugia, amantes contemptus, condonantes iniurias; & omnibus mancipiorũ instar seruientes: quid mundani dicent, qui hæc omnia reputant abominanda? & quid facient nobis cognati, & noti nostri, qui id putant sibi ignominiosũ? lapidabunt nos multis murmurationibus, & querelis; tot nobis adferent molestias, & vexationes: vt non possimus cum ea quiete Deo nostro seruire, qua cupimus. Multò igitur melius est procul ab eis recedere, ne nos impediant; & recipere nos ad Religionem, in qua multos inueniemus, qui nobis faueant & iuuent. Bene expertus est hanc veritatem S. Franciscus glonolus, cum Deo cœpit seruire in paupertate: propter quod sæpius à parente ac domesticis fuit lapidatus; ita vt, nisi tanta subsidia habuisset è cœlo, non potuisset illis resistere. Sed statim atque ad vitam religiosam se recepit; conculcare cœpit pompas huius mundi: non pluris faciens eius lapides, quàm si d *parvulorum* fuissent *sagittæ*. Id quod intra ipsam Religionem est valde facile: quia summo tribuitur honori, contrario modo viuere, quam viuat ipse mundus; & consilium sequi S. Ambrosij dicentis: si optas seriò seruire Deo, quod refugit Ægyptius, hoc complectere. Ægyptius enim abominatur sanctitatem perfectam, & virtutem plenam: tu autem illa complectere: contra verò abominare, quæ his contraria mundus amplectitur; fuge, quod ille sequitur; & sequere, quod ille fugit: imitando Ducem tuum Christum Iesum: vt liceat tibi dicere, quod ipse dixit e *venit* ad me *Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*, quod ipsius sit.

d *Psal 63.8.*

Lib. 2. Ep. 4.

Virtus perfecta amplectenda.

e *Ioan. 14.*

§. III.

Ne procul à sæculo recedatur.

AVDIENS Pharao firmum animi decretum, ac resolutionem, quam Moyses illi responderat : quod non posset fieri in Ægypto, quod ipse Pharao proponebat: dixit ei secundò : a *ego dimittam vos, vt sacrificetis Domino Deo vestro in deserto: verùmtamen longius ne abeatis.* Quasi dixerit: vsque ad confinia deserti peruenietis, nec ad eius interiora progrediemini : volo enim vos in conspectu habere; ne omnino fugiatis, & me relinquatis. Hæc *tertia* est tentatio, qua Sathan aggreditur vocatos à Deo ad Religionem: cùm eos videt iam decreuisse, vocationi Diuinæ parêre. Vult enim (vt ait Origenes) eis persuadere, ne ad tertij diei iter perueniant; nec perfectionem illam assequantur, ad quam sunt vocati; sed vt maneant in confinijs mundi, & ipsi sæculo proximi. Intendit enim hoc ab eis obtinere, ne omnino ipsum conspectum & manus fugiant: vt sic faciat, eos aspicere retro, & ad sæculum redire. Aliquibus dicit: si velint Deo cum perfectione seruire, satis illis esse si statum Sacerdotij suscipiant; qui medius quodammodo est inter sæcularē & Religiosum; manere tamen in sæculo: in quo possunt offerre Deo sacrificia valde grata; & ita perfectionem obtinere, quam desiderant. Alijs dicit: si velint esse Religiosi, saltem ne id faciant in ea stricta Religione; ad quam propendent; sed in aliqua laxiori, aut Militari: vbi & Deo & mundo satisfacere possint, viuentes cum aliquo honore, & spe alicuius emolumenti: obtinentes aliquod Beneficium, aut Ecclesiasticam dignitatem; vt honori & commodo cognatorum & amicorum consulant. Alijs suadet: si cupiant omnino Religionem ingredi: ne procul & ad locum ad quem à Deo vocantur, recedant; sed id faciant in propria patria; vbi possent quotidiè suos parentes & cognatos videre, & cum eis conuersari. Intendit enim hac via vt aspectus rerum, quas relinquerunt, eas exstimulet; vt redeant, & easdem recipiant. Denique omnibus studet persuadere, vt quamuis mundum ipsum corpore relinquant; ne tamen Spiritu procul abscedant: sed retineāt saltem amorem & affectum ad res, quibus renunciauerant, & valde tardè in exercitijs perfectionis progrediantur. Nouit enim callidus hic aduersarius; eum, qui amorē tenerumq; affectum retinet ad ea, quæ reliquit: facilè ad eadem redire; & in initio conuersionis torpentem & ignauum; nec contendentem feruenter progredi; citò deficere. Nam (vt ait Sanctus Leo Papa) ibi periculum incipit retrocedendi: vbi desiderium cessat progrediendi.

OMNIBVS his pernicioſissimis hostis suggestionibus respondent prudentes, sicut Moyses, non verbis sed operibus: tacentes quidem, sed re ipsa

a *Exod. 8. 28.*

Hom. 5. in Exod.

Serm. 2. in quadragesima. Item S. Bernard. Epist. 253.

ipsa facientes, quod vocatio diuina illis suadet: & contendentes, quò possint remotius, ab Ægypto recedere; & tres itineris dies cum magna perfectione conficere; & ingredi ad interiora omnino solitudinis, vbi sua vota & sacrificia securiùs firmiusque Deo offerant in ea Religione, ad quam vocantur; & non in alia, nec in alio loco. Nec audiunt consilium Pharaonis, dicentis; b *ne longius abeatis*; sed Angelorum, qui dixerunt Loth, cùm è Sodomis eum eduxissent: *ne stes in omni circa regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas*, ascendens spiritu ad culmen perfectionis quam quæris: Et quemadmodum Dauid cum Deus illi dedisset alas columbæ: quas cupiebat, vt fugere posset, ac requiescere: statim subiecit: c *ecce elongaui fugiens: & mansi in solitudine*: ita qui à Spiritu sancto inspirationum alas, magnaque desideria acceperunt volandi ad res æternas, & in eis quiescendi: statim fugiunt mundū; & elōgant se ab eo, quantum possunt corpore, & multò amplius spiritu: quò se ipsos soli Deo creatori suo coniungant; relinquentes cor suum solitarium, & rebus omnibus creatis exutum: manent verò in solitudine vitæ religiosæ, in qua ad finem vsque vitæ perseuerant: eò quòd requiem & solatium habeant, quod optabant.

b *Genes.* 19. 17.

c *Psal.* 54. 8.

§. IV.

Ætatis, aut virium defectus.

SED vlteriùs progreditur Pharaonis malitia, & astutia: qui aduertens, priores suas artes, & rationes, quas attulerat, non sufficere, ad Hebræos retinendos: adiecit, ac dixit Moysi: a *ite tantùm viri; & sacrificate Domino*: sed maneant in Ægypto mulieres, & paruuli. Sed tertia est Sathanæ astutia, qua conatur aliquos debiles decipere, dicens eis: attendite, quòd status Religiosus solùm sit pro viris, personis scilicet fortibus, ac robustis, qui integra fruantur valetudine, & coroporis viribus polleant; nam debiles, iuuenes ac teneræ complexionis, quales vos estis: non expedit iter adeò asperum ac difficile inchoare; quia non euadent.

a *Exod.* 10. 11.

PRÆSTAT igitur in Ægypto remanere, vitamque tolerabilem ducere, suæ debilitati accommodatam. Item in deserto illo horrendæ sunt tentationes, ac pericula; quæ non possunt euadere, nisi viri animosi & valde exercitati: paruuli autem & non satis experti, tutiores sunt in sæculo, vbi pugnæ sunt mitiores. b *Si cum peditibus currens* (ait Ieremias) *laborasti*: *quomodo contendere poteris cum equis?* Cum igitur in terra tua, quæ est pacis, sis tutus: cur cogitas tumentes Iordanis fluctus pertransire? Vix præcepta diuina seruare potes: & audes cogitare

b *Iere.* 12. 5.

de ser-

de seruandis Euangelicis consilijs? vix poteris tentationes ferre castorũ coniugum in suo statu: & assumis tibi tantum, vt vincere velis pugnas & conflictus continentium & virginum? attende, quod Apostolus dixerit: c *melius esse nubere, quàm vri*; & saluari in statu imperfecto; quàm in valde perfecto perire. Hæ sunt Sathanæ astutiæ: cõtra quas prævalet vocatio diuina dicens cum Moyse: d *cum paruulis & senioribus exeundum esse* & pergendum in desertum: eò quòd esset *solennitas Dei* magna, qui volebat omnes ei solennitati interesse. Quæ figura fuit vocationis diuinæ ad statum religiosum; quæ non solùm viros robustos sed etiam virgines imbecilles vocat, & teneros e *pusillos*, vt supra est dictum. Et qui illos vocare dignatur potest, & vulas vires & fortitudinem eis conferre; vt in statu, ad quem vocantur, ipsum sequantur. Si vocaris: non est quod timeas: Sed fortianimo hosti respondere potes. Quid agis astute serpens, vt me decipias? si hæc profectio solis humanis viribus instituenda esset: etiam viri eis carent: si autem viribus cœlestibus peragenda, etiam imbecilles mulieres, & paruuli habere eas possunt. Quamnec eam aggrediar, eò quod sim iam vir; neque deseram, eò quod sim paruulus. Tutò sequi volo vocantem me: cuius vocatio paruulos efficit viros, tribuens debili corpori virilem animum; & vires Dei, corpori fictili ac debili. non timeo imbecillitatem meam: scriptum est enim: f *qui sperant in domino, mutabunt fortitudinem; assument pennas sicut aquilæ; current & non laborabunt; ambulabunt & non deficient.* Current, inquit, absque labore, non solùm æquè, atque pedites: sed etiam atque equites: imò vtrosque in suo cursu superabunt: quia alas aquilæ habebunt ad volandum tam altè, vt g *faciant voluntatem patris in terra, sicut fit in cœlo.* Si itaque possum in hoc cursu cum cœlestibus conferri: cur non possim cum terrenis? O callide serpens: cur mihi dicis, habiturum me pacem in patria mea? si enim fidem tibi adhibuero, vincar omnino, & succumbam sicut Adamus, licèt sim in ipso paradiso. Ih *quis* potest *Deo* vocanti *resistere*, & quietem *pacemque* aliquam *habere*? Pax mea tunc est: cùm obedio Deo, & tibi resisto: & sic etiam in medijs tentationum flammis non vrar. Qui enim tres pueros liberauit de camino ignis Babylonis: etiam me eripiet ab igne Luxuriæ: & qui præcipitis Iordanis fluxum continuit, vt electus eius populus sicco vestigio pertransiret: mihi etiam transitum præbebit vitæ religiosæ, quantumuis illa impugnetur, vt ad perfectionis culmen & ipsam æternam vitam perueniam.

c 1. Cor. 7. 9.
d Exod 10 9
e Matt. 19. 14. Mar. 10. 14.
f Isa. 40. 31
g Mat. 6. 10
h Iob. 9. 4.

(·.·)

§. V.

Cautionem aliquam in sæculo relinquendam quæ intrantes Religionem retrocedere faciat.

AVDIENS Pharao Moysis resolutionem, & firmum animi decretum, adiecit quartò; a *ite, sacrificate Domino: oues tantùm vestræ, & armenta remaneant: parvuli vestri eant vobiscum.* Qua arte intendebat illud Pharao, vt Hebræi redirent in Ægyptum: ne bona fortunæ, quæ in eo relinquerent, amitterent. Hac eâdem arte & astutiâ vtitur Sathan ad eos decipiendos quos videt certò statuisse, ingredi Religionem. Suadet enim, omnes suos greges, hoc est facultates in mundo relinquere, suis que amicis & cognatis tradere: tum vt eos huiusmodi bonis ditantes, carnalem suum amorẽ, quo adhuc eos prosequuntur, ostendant: tum, vt eadem bona sint aliquo modo indicium & pignus sui ad sæculum reditûs; cogitantes & confidẽtes, si redire voluerint, non defutura ipsis quibus se possint sustentare. Qui autem hasce hostis sui technas nouit: respondet sicut Moyses: omnes suos greges, se in desertum ducturum, magnos & paruos, ita vt b *non remaneat ex eo vngula*, hoc est nec minima pecudum: nam pro Sacrificio Deo offerendo omnes esse necessarias, quasi expressiùs diceret: sicut ego ipse ex mundo exeo; ita exire debet, quidquid intra & extra me est, quod ad me spectet. Et quemadmodum ego meipsum totum Deo trado; ita debeo omnes meas potentias, sensus, & affectus eidem tradere; omnesque simul possessiones & diuitias: vt nulla mihi superst spes easdem recipiendi. Nam: (vt S. Basilius ait) qui Deo seipsum tradit & consecrat, debet meritò omnia sua eidem tradere & consecrare: vt quod est accessorium sequatur, principale. Quomodo autem res suas Deo tradet: nisi pauperibus eas largiendo, in quibus ipse Christus est? ita enim ipse dixit cuidam probo adolescenti: *si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Non ait, vt sua quocunque modo relinquat: sed, vt à se illa alienet duplici via: Prima, iustitiæ, ea vendendo; secunda, misericordiæ, eleemosynam faciendo: vt sic spoliatio illa, & alienatio sit magis irreuocabilis; nec ipse appetat redire, vt stabilia bona si quæ iam essent in pauperum potestate, recipiat. Id faciebant primi Christiani, tanquam perfecti Religiosi; d *vendebant enim possessiones, & substantias suas, & adferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: & diuidebatur singulis prout cuique opus erat.* Aduerte autem (ait S. Hieronymus) Christum Dominum nostrum non dixisse viro illi, vt partem aliquam venderet; sed omnia, quæ haberet; eaque daret, non amicis, non cognatis, non notis; sed nihil tibi reserua, quasi tibi defuturum; & omnia d

a *Exod. 10 24.*

b *Ver. 26.*

Reg. 9. ex Basil.

c *Mat. 19. 21 Luc. 10. 22.*

d *Act. 2. 45. & c. 4. 34. In reg. Monach. c. de paupert.*

nia *da pauperibus*: f *faciens tibi amicos de Mammona iniquitatis, vt te recipiant æterna tabernacula.* Et tunc *veni & sequere me.* In pauperibus autem, quibus tua bona trades; non tam spectes, an sit sacerdos, an cognatus aut consanguineus: quàm an verè sit pauper, hoc enim nomine sunt ei tradenda. Et S. Ambrosius idem ampliùs explicat, docens modum in ea distributione seruandum. Bona, inquit, liberalitas est, cognatos nõ contemnere, quos nostra liqua necessitate constitutos: præstare, te illis in sua paupertate subuenire quam, nisi facias; cogere, vt cum rubore ab extraneis remedium tuæ miseriæ mendicent. Ita tamen vt cognati tui non existimment, se ex ijs rebus dimidos, quas tu habes pro pauperibus: non enim consecras te ipsum Deo, cognatos tuos diuites facias; sed vt æternam vitam tibi compares, fructu bonorum operum; tuaq; peccata redimas pretio misericordiæ. Dicent ista te: modicum esse, quod à te postulant. Sed scito, quòd spoliare te velint præmio tuæ eleemosynæ, tuæq; vitæ fructu. Ac præter hæc omnia, te accusant quòd eos non ditaueris, volentes æterno te præmio spoliare.

Lib. 1. offic. c. 30.

f *Luca, 16. 9.*

SED particulare mysterium in eo latet, quòd Moyses dixerit: quòd nolit vellet *remanere* in Ægypto nec *vngulam.* Forte propterea quòd vngula in sensu mystico, affectum significet ad res terrenas: solet autem Dæmon huiusmodi vngulas siue affectus arripere ad perdendas animas huiusmodi affectibus laborantes: in quo artificio ingenium sequitur Dan; de quo dixit Jacob quod f *fieret* sicut *Coluber Cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro*, hoc est spiritus noster, vt alias diximus. Quare deserentes Ægyptum, statuere apud se debent, ne vnum quidem vngulam, affectionem scilicet, ad rem quamcunq; huius mundi in eo relinquere: si enim Dæmon vel ex ea vngula eum liget; trahet ipsum ad locum, in quo res dilecta manet. Vbi enim thesaurus noster est, ibi & cor nostrum erit: corpus autem eò libenter tendit, vbi cor est alligatum.

f *Gen. 49. 7.*

Tomo 1. Tract. 2. c. 7.

§. VI.

Apertarum tentationum agmen.

DENIQVE Dæmon, cùm, videt, artes suas, & actutias frustrati apostolos quos Deus vocat; quia videt, celeriter eos mundum fugere: facit quod Pharao, cùm vidit Israëlitas discedere ex Ægypto. Nam a *iunxit populum suum, & currus, & Duces totius exercitus cum multis electis curribus, & persequitur filios Israel*: & facilè eos fuisset assecutus; nisi Deus prodigiose mare combruaperuisset, *vt graderentur filii Israel in medio Maris per siccum*: in quo posteà *omnes Ægyptios, & currus, & equites eorum, qui sequentes, ingressi fuerant mare, operuerunt aqua ita, vt neque vnus quidem superfuerit ex eis.* Hunc in modum Dæmon cum tota sua infernali potentia, omnes suas vires intendit in fugam

a *Exod. 14. 7.*

entes ab eius obsequio ad Religionis desertum: congregans innumerabiliũ tentationum agmina intra eorum corda: & impetu facto, reuocans illis in memoriam parentes, fratres, & cognatos, quibuscum in sæculo degebant; & imaginariam diuitiarum ac delitiarum apprehensionem; quibus priùs fruebantur; & ob oculos ponens spes illas dignitatum, honorũ, & amplitudinũ, quas priùs affectabant; & commouens corporis humores; cogit prodire fumantes sensuum passionum equos; & insanibus timoribus, grauissimis tristitijs, profundaque animi abiectione ac desperatione eos vexat; ac denique spiritalium vitiorum currus cum omnibus suis comitibus adornans, bellum infert: curribus inquam superbiæ, luxuriæ, auaritiæ; curribus gulæ, inuidiæ, &c. accedit. Et in eas *angustias eos* redigit: vt interdũ dicãt, quemadmodũ Israelitæ Moysi dixerunt: b *quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? melius erat seruire Ægyptijs, quam mori in solitudine.* Ita inquam hi dicunt: quis nos fecit ex mundo exire, & in tot redegit angustias? melius nobis fuisset ibi manere, & viuere etiam communi aliorum more: quàm hic inter tot mortis tentationes: cùm cogitassemus vitam perfectam obtinere. c *Si sic mihi futurum erat:* (ait Rebecca) *vt duo parvuli in vtero meo colliderentur; quid necesse fuit me concipere?* & ego, si tantam contradictionem & pugnam intra spiritũ meum toleraturus eram: cur Religionis desideria concepi? Sed in medijs hisce angustijs Deus non deserit suos: præcipuè, si ad Moysen accedant, suum scilicet Ducem, & spiritualem Magistrum, quem susceperunt. Qui Dei nomine dicere illis possit: d *Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquã vltra videbitis vsq; in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis,* dabitq; de eis victoriam. Ipse mare diuidet, vt cessent impedimenta, quæ transitum vestrum prohibent; & ad locum cutum fugere positis. Ipse procul remouebit amaritudinum mare, q̃ vos premit; & cor vestrum magna lætitia dilatabit: ille planum faciet iter, & expeditum inter vndas & fluctus turbati maris, ita vt non submergamini; sed muri instar vos protegat, atque defendat: ipse immensas tentationum aquas in vestros hostes cõuertet, vt in eis ipsi submergantur. In eisdem submergetur superbia, peribit luxuria, euanescet auaritia, inuidia descendet in profundum; nec amplius comparebit pigritia. Attendite, quod fidelis sit Deus, qui e *non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Nunc est nox, & afflictionis tempus: f *aduenient vigilia matutina, & respiciet Dominus super castra Ægyptiorum:* suaque virtute *interficiet exercitum eorum* planctus q; vester conuertetur in gaudium: vt canetis mille cantica lætitiæ: quia g *equum & ascensorem deiecit in mare;* h *& operuerunt aquæ currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis,* ita vt *nec vnus quidem superfuerit ex eis.*

b *Exod.* 14. 11.

c *Gen.* 25. 22.

d *Exod.* 14. 13.

e 1. *Cor.* 10. 13.

f *Exod.* 14. 24.

g *c.* 15. 1.

h *c.* 14. 27.

Hæc sunt stupenda, quæ Deus facit in gratiam seruorum suorum, mundum fugientium: non minùs glorioſa, quàm illa fuerunt, quæ fecit cum Israëlitis exeuntibus ex Ægypto. Nam vt S. Bernardus perpendit in illo enim pugnatum est contra carnem & sanguinem; sed in altero pugnatur: contra *principes & potestates ac Rectores tenebrarum harum*. Ibi populus exiuit ex Ægypto: hic exit ex sæculo; ibi submersus est Pharao: hic ipse Dæmon; ibi submersi sunt currus terreni Regis: hic desideria carnalia & mundana, quæ militant aduersùs spiritum; ibi maris fluctibus fuit obtenta victoria: hic obtinetur lacrymis; ibi erant fluctus maris; hìc sunt amaritudinis. Tantusque est Dæmonum tremor: cum talis aliqua anima ipsis se opponit: vt, sicut illi Ægyptij, clament: *fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*, qui in se recepit eorum protectionem. Et tunc impletur quod dixit sponsa in Deus in Canticis: k *equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea*. quasi dixerit: quemadmodum exercitum meorum seruorum exeuntem ex Ægypto eripui & propugnaui submergens in mari currus Pharaonis: ita eruam te, & protegam exeuntem ex mundo, submergens impetus ac tentationes, quibus te Dæmon oppugnat. Hæc arma sunt, quibus pugnandum est aduersùs nostrum hostem in quocunque eius conflictu: præmunientes nos magna in Deum fiducia, multa oratione, & patientia; reddentes omnium, quæ in nobis geruntur, rationem Superiori & Magistro nos in hac via dirigenti; & reliqua adhibentes media, quæ fusiùs proposuimus tractatu secundo tomi secundi.

Serm. 9. in Cant.

1 Ephes. 6. 12.

k Cant. 1. 9.

CAPVT III.

QVA RATIONE TENTATIONES VINCENDÆ SINT, quibus parentes, fratres, & cognati Diuinam ad Religionem amplectendam vocationem oppugnant.

EX reliquis tentationibus in proximo capite insinuatis, fusiùs hic agemus de ijs, quas excitant parentes, fratres, cognati, & reliqui, carnis & sanguinis titulo nobis aliquo modo iuncti. Quemadmodum enim primi fuerunt, & crudelissimi hostes, tentantes & persequentes in primeua Ecclesia, quos Deus ad fidem Christianam recipiendam vocabat: ita nunc ijdem crudelissimè oppugnant, quos Deus ipse ad Religionem vocat. Quorum feritatem delineauit S. Ioannes in quodam *equo rufo*, & in eo a *qui sedebat supra illum, cui datus est gladius magnus, vt sumeret pacem de terra*. Per quem rufum equum (vt alibi diximus) intellexit primos Christi Domini persecutores, cognatos scilicet, & carnis amicos; quorum operâ eritur sæuitia tanquam effrenibus equis, vt crudele bellum inferant sequẽtibus Christum, sicut ipse discipulis suis futurum prædixit: b *trademini à parentibus, & fratri-*

a Apoc. 6. 4.

Tomo 2. tract. 2.

b Lu. 21. 16.

bus, &

bus & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Ordinarium tamen bellum, quod illi nunc excitant in discedentes à se, vt Religionem amplectantur; fit acuto gladio linguarum, quas naturali amore acuunt, allegantes tenerrimis affectibus rationes multas, ne filij sui, aut fratres ipsos deserant. Adeoq; gladius acutus esse solet: vt penetret corda filiorum, qui iam erant Christo coniuncti: quam coniunctionem ita rescindũt, vt eos ad sæculum retrahant, vt sint ipsis solatio. Quamuis gladius ipse non æquè potens est, atque ipsemet audientis amor connaturalis & filiorum viscerib⁹ innatus erga suos parentes, & erga fratres, & cognatos: vt mutuò se diligant. est enim instar viscì ligantis corda, & ipsas personas se diligentes: ita vt grauissimè ferant ab inuicem separari. Et quoniam facilè affectus nostri post se trahunt rationes; & amoris tituli sunt valde potentes ad quiduis persuadendum; mutuò se amantibus: solet Sathan his medijs vti vt voti sui compos euadat. Quare, cum videt, se non posse per se ipsum solum, hominem superare: illum aggreditur per patrẽ, aut matrẽ, aut alium amicum, ponens in eorum ore verba, quibus hominem illum oppugnent: à quibus ea facilius audientur. Expendit hoc mirificè S. Gregorius, explicans Iob tentationes. Antiquus inquit, aduersarius non solùm per semetipsum, sed per eos etiam, qui nobis adhærent, statum laedere nostræ mentis inclinare. Cum enim cor nostrum sua persuasione non subruit; ad hoc nimirum per linguas nobis adhærentium, repit. Hinc enim scriptum est: c *à filijs tuis caue, & à domesticis tuis attende.* Et per Prophetam dicitur: d *Vnusquisque se à proximo suo custodiat; & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet;* & ipse Christus Dominus dixit: e *inimici hominis domestici eius*, qui ad partes infestissimi hostis transeunt. Callidus namque aduersarius, cùm à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos, qui ab illis valde diliguntur, exquirit; & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur: vt cum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat. Hac arte vsus Adamum per eius vxorem Euam deuicit, & è paradiso exclusit. Post damna igitur rerum, post funera pignorum, post vulnera scissurasque membrorum antiquus hostis linguam mouit vxoris. Quia enim aperto certamine superari se doluit, de ore coniugis iaculum quasi de insidijs intorsit; vt diceret: f *adhuc permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.* Ecce, tentando omnia illi abstulit; ecce tentando, mulierem reliquit: & viro callidè cuncta diripuit; sed multò callidius adiutricem suam mulierem reseruauit, quæ illi diceret, vt quid adhuc seruas tuam simplicitatem? cur non in tantis tribulationibus contra Deum insanieris? Hæc Sanctus Gregorius: quibus addere possumus; quod S. Augu-

Parentes & amici linguis pugnant.

Lib. 3. Moral. c. 0

c *Eccl. 23. 26*

d *Ierem. 9. 4*

e *Mat. 10. 36*

Adamus per Euam vincitur.

f *Iob. 2. 9.*

stinus ad idem propositum adfert: nihil, inquit, refert, quod Sathan matrem accipiat, aut sororem tanquam suum instrumentum: si per eas obtinet, quod per Euam fecit, Adamum decipiendo. Hæc enim species, & quasi umbra maternæ pietatis, effectus est g *foliorum ficus*, quibus primi nostri parentes sese texerunt, vtentes culpabili quadam pietate quæ lamentabili adeò ruinæ occasionem dedit. Hunc in modum cum Sathan impugnare constituit cor alicuius, à Deo ad Religionem vocati: tanquam instrumentum adhibet patrem, aut matrem, aut amicum aliquem valde sibi charum, quem tanquam scalam adhibet, vt ascendat & ingrediatur eius spiritum, bonaque eius desideria ac proposita deprædetur, quæ Deus illi inspirauit. Quod insinuans Oseas cum dixit; h *fur ingressus est, spolians latrunculus foris.* Furintus manens est inordinatus ad consanguineos affectus; latrunculi autem foris, sunt ipsi consanguinei. Cùm autem omnes simul conueniunt, Ducique suo Dæmoni sese adiungunt, quidquid boni in corde inueniunt, auferunt: nisi diligens custodia adhibeatur, & viriliter luctatis hisce latronibus resistatur: qui pietatis pallio tecti sanctitatem deprædantur,

g *Gen.* 3. 7.

h *Osea.* 7. 1.

§. I.

ADVERSVS omnes hos hostes pugnandum nobis est alio gladio & ima mea acutiori, quàm sit illorum: verbo scilicet Dei in sancto eius Euangelio scripto; & verbo interno, quod loquitur diuinum ipsum verbum ad corda eorum, quos sanctis suis inspirationibus vocat. De quo dixit Apostolus: a *viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Hoc verbo *primùm* facit Christus Dominus noster insignem illam diuisionem ac separationē; de quo dixit suis discipulis: b *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere sed gladium, & c separationem. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam & nurum aduersus socrum suam: nam inimici hominis domestici eius.* In qua sententia supponit Saluator aliquam pacem esse perniciosam, & bellum aliquod ac discordiam vtilem: sicut etiam contrà aliquam pax est bona, & aliqua discordia mala. Pernicioſa pax est, improborum ad iniquitatem concordia: tales enim coniungunt se Dæmoni: vt virtuti, & Euangelicæ perfectioni, eiusque sectatoribus bellum inferant: Huic pacis aduersatur discordia, quæ est inter probos & improbos; inter fideles & infideles; ac inter religiosos & sæculares: horum enim alij virtuti studeant, eamque colunt; alij verò vitia: alij Catholicā fidē amplectuntur; alij sectas & errores ipsi fidei contrarios: alij consilia amplectuntur Euangelica; alij laxiorem

a *Heb.* 4. 12. 1.

b *Matt.* 10. 34.

c *Luca.* 12. 51.

tenent

tenent viam, quæ suo palato magis arridet. cum igitur horum iudicia & mores re ipsa non conueniant: necesse est alios impugnare, & contradicere alijs: aut ab alijs, qui sibi aduersantur, recedere. Huiusmodi autē diuisionem ac discordiam appellat Christus Dominus noster gladium, cùm dixit: *non veni pacem* ponere *in terra*, hoc est in hominibus terrenis; quorū mores & vitæ ratio terrena sunt & non cœlestia. Potiùs enim veni legem quandam prædicare, ex qua bellum ac discordia necessariò sequatur inter homines etiam valde coniunctos, ac naturę vinculis colligatos. In vna enim eademque domo filij recipient Fidem, aut Euangelicæ perfectionis vocationem, quam patres non recipient; & famuli, non Domini, & filiæ, non autem matres; quamobrem alij se ab alijs separabunt: cùm aduerterint, impedimento sibi esse, quò minùs desideria sua pia & sancta explere; & vocationem, ad quam vocantur, sequi possint. Quare, si Deus te ad Religionem vocauit; pater verò tuus, aut mater sese tibi opponant: arripe statim gladium hunc Christi Domini, quo diuisionem facias tui ipsius ab illis; eosque magna cum celeritate desetas. Noli pacem cum illis habere: est enim pax perniciosa, quæ consentit cum parentibus in eo, quod est contra Dei voluntatem; sed potiùs indicito illis bellum: vt Christum Ducem tuum fideliter sequi possis.

2.

Domestici hominis inimici eius

PERPENDE, quod hic dicitur; *inimicos hominis esse domesticos eius*: quibus verbis moneris: hominem non quemuis, sed eum, cui Deus robur, & animi fortitudinem dedit ad vitam homine dignam, non verò bestijs similem ducendam: non habere maiores hostes, quam ipsos suos domesticos. Nam sub pallio amicitiæ, horrendam faciunt inimicitiam cùm illum à Dei sequela deterrent, & prohibent à tuta salutis via: vt secum illum habeant. Ne illos tanquam amicos respicias; sed tanquam hostes: & ita non adhibebis fidem rationibus illorum: inimicus enim non est dignus, cui fides adhibeatur. Nō attendas ipsius verbis, quasi tantùm ex ore ipsius prodeuntibus; sed quasi à Dæmone suggestis: vt te sicut alterum Adamum extrudat è paradiso, in quo Deus te collocauit: quare si eius verbis aures tuas occluseris; euades eius fraudes.

3.

d Matt. 18. Marc. 9. 43

ARRIPE etiam manu tua gladium illum verbi Dei: *si manus tua, aut oculus tuus scandalizat te, abscinde eam & erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est cum vno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Cuius sententiæ sensus est: si pater tuus, aut mater, aut cognatus aliquis, tibi alias valde charus, impedire te voluerint à sequenda vocatione diuina, recede ab illis: etiamsi, propterea quòd maximè illos diligas, ex ea separatione magno dolore afficiaris: & fleāt illi licèt: ac gemant, quod videant, se deseri; tu non moueris nec emolleseas. Nam (vt Sanctus Hieronymus ait) pietatis genus est in re tanti momenti esse crudelem

Epist ad Heliodorum.

lem. Infirmus libenter patitur abscindi sibi aliquod corporis membrum, si sciat nisi eo abscisso, se cum magnis cruciatibus moriturum; abscisso autem, sine molestiâ victurum. Est autem magna Chyurgi pietas: quòd cùm ita expedit, crudelem se exhibeat in eo membro abscindendo. Tu ipse es infirmus, esseque debes Chyrurgus, quem Deus iubet abscindere & separare à te eum, à quo scandalum accipis: nam alioquin te cum eadem persona moriturum, ac ad terram mortuorum, hoc est ad infernum descensurum, cuius habitatores non seruant naturæ leges: nam parentes maledicunt filijs, & filij parentibus; fratres mutuo se odio prosequuntur; & amici mutuò se non agnoscunt; & aliorum amicitia, quibus est continuus cruciatus. Ibi interminabilem tibi adferet dolorem oculus, quem non eruisti; & æternis lacrymis deflebis falsam commiserationem, qua erga te ipsum vsus fuisti; & ipsa manus, aut pes, quem non abscidisti, conuertetur contra te; & crudeliter vlciscetur, quòd tu non fueris crudelis in eis abscindendis, quando fuit opus. Iure enim optimo, volenti potiùs cum duobus oculis aut manibus duobus ad infernum descendere; quàm vnum eruere vel abscindere, hoc euenierit vterque illic contra ipsum conuertatur; sintque eius carnifices, qui Deum ipsorum causa deseruit.

4. CVM igitur certò noueris, gladium mortis, hanc diuisionem, cùm tu minimè cogitaueris, facturum: fac tu illam nunc, cùm te Deus vocat: & esto fidelis & constans in ea; neque ad tuorum parentum clamores vlla ratione attendas: si enim aures eis præbueris, morsque ex tempore superueniat, summè dolebis, te inter eos mori. Audi illud Sancti Bernardi ad quendam adolescentem, qui huiusmodi parentum clamoribus locum dederat. *Epist. 104.*

" quomodo, inquit, viuere potes, vbi mori non audes? si ægrè feres accidere tibi mortem inter cognatos tuos propter occasiones peccandi, quæ tibi occurrunt; si diuinæ vocationi non acquiescas; cur non tempestiuè de fugis, & statuis in eo loco viuere, vbi cuperes mori? nullus est securus locus ad vitam hanc ducendam, quam qui securissimus est ad moriendum. Christus Dominus crucem sibi elegit ad moriendum, in ea: ideoque vitam suam in cruce duxit. In cruce viuitur vtiliter, & morimur securè. Sacra Religio est vita crucis, & propterea Deus te vocat ad viuendum in ea, vt in eadem cruce moriaris, quæ tutissimus est ad vitam æternam transitus. Cum Christus Dominus noster in cruce penderet, noluit ex ea descendere: etiamsi Scribæ & Pharisæi à Dæmone instigati id peterent, dicentes; e *Descendat nunc de cruce & credimus ei.* Et licèt f *mater* eius sanctissima, alijque cognati & amici adessent, amarè flentes, eò quòd eum mortis angustijs constitutum viderent: non tamen propterea crucem

e *Mat. 27. 42* f *Ioan. 19. 25*

deseruit,

deseruit, donec in ea exspiraret vt hoc te doceret exẽplo: nõ esse religiosam vitam deserendam, ob aliquã hominum persuasionẽ, etiã specie aliqua Religionis obductam; nec ob teneritudinem & lacrymas parentũ, & consanguineorum: etiamsi totam suã consolationẽ & solatium in eo ponant, vt te apud se habeant, ea pietatis specie ducti, quòd tuum etiam quærant solatiũ.

6.

COGITA supremum hunc magistrum tibi dicere: g *qui amat patrem, aut matrem plus quã me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Quando igitur pater aut mater tua persuadere conantur, vt propter amorem, quo illis es obstrictus, vocationem tuam deseras: ancipiti huius gladij sententia debes illis resistere; magis enim es obstrictus Christo Domino, qui Deus tuus, ac Redemptor est; quàm illis, & cuicunque alteri. Lex humanæ ac diuinæ amicitiæ talem in amore ordinem constituit, vt plus teneatur quis amare maiorẽ benefactorẽ, nobisq; magis coniunctũ: ac propterea plus diligẽdi sunt parẽres, quã fratres. Quis igitur maior est benefactor tuus, quã ipse Deus? quis plura pro te præstitit, quã Christus? quis magis tibi cõiunctus, quã cælestis tuus Pater? in cuius cõparatione carnales parentes non sunt hoc nomine digni. Supremus hic Pater corpus tibi dedit & animam; estque tibi perpetuò coniunctus, vt ea conseruet, tecumque cooperetur. Parentes autem tui, quid tibi præter corporis particulam dederunt? sed neque eam sine ipso Deo dare potuissent: qui præcipuè cum illis fuit cooperatus. Æquum igitur est, non deserere Patrem tuum cœlestem, cùm te ad suum obsequium vocauit: ob amorem carnalis patris, qui te vocat, vt apud ipsum maneas. Si opus fuisset (ait S. Augustinus) vitam tuam exponere tanquam Martyrem pro Dei honore: id meritò facere deberes, etiam parentibus carnalibus hoc nomine relictis: Rationi igitur valde erit consentaneum, vt ad eius te obsequium offeras in vita Religiosa, cum hoc generoso modo moriendi huic mundo: etiamsi ad id faciendum opus sit tuorum parentum desideria & affectus conculcare. Hanc rationem strenua illa virago Machabæorum mater septem suis filijs proposuit, vt animos eis adderet, ad nihili faciendum, quod ipsam relinquerent; sed pro custodia legis Dei mortẽ oppeterẽt: h *Ego* inquit, *spiritum & animam non donaui vobis & vitam & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mũdi creator, qui formauit hominis natiuitatem.* Et cum vltimo filio loquens tenerrima hæc verba, vt animum illi adderet, protulit: *fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto, nate, vt aspicias ad cælum & terram; & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas: quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, vt non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps suscipe mortem,* pro eius amore, *vt in illa miseratione, cum fratribus tuis te reciptam.* Hęc sancta illa mater dixit, vt Christi a-

g *Mat.* 10. 37

Epist. 38.

h . *Mat.* 7 22.

8. nas matres doceret, quàm debeant libenter videre, se à filijs deseri: vt quæ potiori iure tenentur præstent, Deoque vocanti pareant. Nam lex obedientiæ hoc exigit vt nunquam inferiori Prælato obediatur, cùm Superior præcipit contrarium. Nec bona esset obedientia, si quis gubernatori obediret præcipienti aliquid contra Regis mandatum. Ac propterea S. Petrus dixit: *obedire oportet Deo magis, quã hominibus*: Imò ipsosmet suos hostes, iudices esse voluit huius veritatis. Dixit enim: *k si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum iudicate.* Hoc igitur idem dicere licebit patri tuo, aut matri petentibus aut iubentibus, ne eos deseras; aut, si recessisti, vt redeas: constituendo illos causæ tuæ iudices, modo in veritate & absq; affectu inordinato iudicent. Non enim adeò erunt ignorantes, infideles, aut ingrati Deo suo: dicant creaturæ potiùs obediendum esse, quàm creatori, à quo creatura accepit imperandi; sed cum conditione: ne imperet contra id, quod creatori constitutum. Quod si adhuc molesti esse pergant in petitione sua iniusta: non oportet illis obedire; sed eos odisse: propterea. n. dixit Christus: l *si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Cùm igitur ad Christi scholam accesseris, eumque sequi statueris: habeas odio tuum patrem, & matrem, & omnes tuos cognatos: quatenus ipsius Christi votis aduersantur: siquidem absque sancto huiusmodi odio, non poteris eius esse discipulus. Et quomodo poterunt meritò conqueri, quòd illos hoc nomine oderis: cum idem Christus iubeat teipsum, vitamque tuam odisse: quando vt ei obedias, eam exponere fuerit necesse? Præcipuè cum (vt S. Augustinus expendit) tale odium sit maior amor; & hæc iactura, maius lucrum tuum, & ipsorum, si eo vti sciant. Nam vt ipse Saluator dixit: m *qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eã.* Ideoq; dicere licet: eum, qui suos parentes & cognatos inordinatè diligit perditurum eos in æternum; & perdentem eos in hoc mundo, eosque pro Christo deserentem: inuenturum eos in æterna vita. Nam, nisi hic eos deserat, cùm Deus id faciendum præcipit; ideoq; ipse perit: nunquã amplius eos diliget, nec amicitiã vllã cũ eis habebit: nã qui in inferno sunt, oẽs oderunt. si autẽ hic eos deseret, in cælo inueniet: aut recipiet pro eis alios parentes & fratres incõparabiliter meliores ijs, quos deseruit: aut frnendo Deo simul eum eis: existens ipse, propter sanctã suã vitam, causa, cur & ipsius parẽtes ibi inuentur, & æternam vitam cõsequantur. Et tunc gaudium erit plenum. Nam in patria illa cælesti etiam naturæ leges excellunt, accedentibus ornamentis gratiæ, & gloriæ. Pater est gaudium & solatium filij & filius corona sui patris: Fratres & amici fraternitatem & amicitiam cum omni excellentia conseruant: & horum societas, est perpetua aliorum lætitia. Hac spe adeò ere-

i *Act.* 5. 29
k *Cap.* 4. 19

l *Luc.* 14. 26

Omnia odio habeat vocatus.

9. *Epist.* 38.
m *Ioa.* 12. 25

10.

ncura

nẽ licebit parẽtibus tuis dicere: vt placeat ipsis, te eorũ domũ pro Dei viui domo cõmutare; in qua ei perfectè seruias, & æternas habitationes pro ipsis impetres.

§. 2.

IMPONAMVS iam finem, explicando ampliùs omnes hasce rationes mirifica illa ratiocinatione, quam S. Bernardus nomine cuiusdam filij, qui parentes suos, vt Deo in Religione seruiret, deseruerat: quamuis illi repugnarent. Sic ergo loquitur: Sola causa, quare nõ liceat obedire parentibus Deus est. Ipse enim dicit. a *Qui amat patrem & matrem plus quam me: non est me dignus.* Si me verè vt bonj, & pij parentes diligitis; si veram, si fidelem erga filium pietatem habetis: quid me patri omnium Deo placere satagentem inquietatis: & ab eius seruitio, cui seruire, regnare est: retrahere attentatis? Verè nunc cognosco, quia *inimici hominis domestici eius.* In hoc vobis obedire non debeo; in hoc vos non agnosco parentes; sed hostes. b *Si diligeretis me, gauderetis vtique: quia vado ad* meum atque vestrum; immò vniuersorum *patrem.* Alioquin quid mihi & vobis? Quid à vobis habeo: nisi peccatum & miseriam? hoc solum quod gesto corruptibile corpus, de vestro me habere fateor; & agnosco. Non sufficit vobis, quòd me in hanc sæculi miseriam miseri miserum induxistis? quod in peccato vestro, & peccatores peccatorem genuistis? quòd in peccatõ natum, de peccato nutristis; nisi etiam inuidendo mihi misericordiam quam consecutus sum ab eo, qui non vult mortem peccatoris; filium insuper gehennæ faciatis. ô durum patrem; ô sæuam matrem, ô parentes crudeles, & impios! imò non parentes, sed peremptores: quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filij est, qui me malunt pereũ meis, quam regnare sine eis. Qui me rursùs ad naufragium; vnde tandem nudus euasi: rursus ad ignem, vnde vix semiustus exiui: rursus ad latrones, à quibus semiuiuus relictus sum; sed miserante Samaritano iã aliquantulũ conualui: reuocare conãtur. & militẽ Christi propè iã rapto cælo triũphantẽ: quod non in me glorior: sed in eo, qui vicit mundũ: ab ipso iã introitu gloriæ: tanquam canem ad vomitũ: tanquam suem ad lutũ: ad sæculũ reducere moliuntur. Mira abusio. Domus ardet: ignis instar à tergo: & fugiẽti prohibetur egredi: euadenti suadetur regredi? Et hæc ab his, qui in incendio positi sunt; & obstinatissima dementia, ac dementissima obstinatione fugere periculũ nolunt? Proh furor! Si vos contemnitis mortẽ vestram cur etiã appetitis meã? si inquã negligitis salutem vestrã: quid iuuat etiã persequi meã? Quare vos nõ potiùs sequimini me fugientẽ: vt nõ ardeatis? An hoc est vestri cruciatus leuamen, si me etiã perimatis; & hoc solũ timetis: ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatiũ præstare poterit? Quæ inquã cõsolatio dãnatis socios habere suæ dãnationis? Quodve remediũ moriẽtibus: aliosvidere moriẽtes: Nõ hoc mihi persuadet diues ille qui in tormẽtis desperatus

a *Epist. 112.* a *Mat. 10. 36 37.* b *Ioa. 14. 28*

de sui liberatione: rogabat nũciari fratribus suis: ne & ipsi venirẽt in locũ undè tormentorũ; timens procul dubio ex suorũ cruciatu augeri suũ? Quid ergo? ibo & cõsolabor lugentẽ matrẽ meã, mea ad tempus visitatione, vt in æternum lugeam & me & ipsam sine cõsolatione? Ibo inquam & satisfaciã patri meo irascenti: pro mei ad tempus absentia: consolandus & ipse ab ipso de eius præsentia: vt postmodum & quisq; pro se, & vtrìq; pro altero inconsolabili desolemur tristitia? Enpotiùs exemplo Apostoli non acquiescens carni & sanguini: vocem audiã Domini iubentis. c *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*: Et cantabo cum Dauide: d *Renuit consolari anima mea*: Et cum Ieremia: e *Diem hominis non concupiui, Domine tu scis*: Quid enim? f *Funes ceciderunt mihi in præclaris*: & cœlestis hæreditas præclara est mihi: & terrena adhuc latur promissio: blanditur consolatio carnis? Gustato spiritu, necesse est desipere carnem. Affectãti cœlestia, terrena non sapiunt. Æternis inhianti fastidio sunt transitoria. Desinite igitur parentes mei; desinite & vos frustra plorãdo affligere; & me gratis reuocãdo inquietare: ne si si adieceritis nũcium vltrà mittere pro me: plus me elõgare cogatis. Si autẽ dimittitis: Claram Vallem in perpetuũ nõ dimittã. g *Hæc requies mea in sæculũ sæculi: hic habitabo quoniã elegi eã*. Ibi pro meis atq; vestris peccatis iugiter orabo ibi precibus assiduis quod & vos cupitis, impetrabo, si potero: vt qui eius amore hoc modico tempore ab inuicẽ separamur: in alio sæculo simul felici & inseparabili societate in eius amore viuamus: per omnia sæcula sæculorum: Amẽ.

c *Mat.* 8 12.
d *Psa.* 76. 3.
e *Iere.* 17 18
f *Psal.* 15. 6.
g *Psa.* 131, 14

NEQVE ob ea, quę hactenus diximus, naturalem obligationem negamus aut tollimus, qua filij obstringuntur ad non deserendos parentes, vt se ad Religionem conferant: quando scilicet, ad subueniendum valde grauibus eorum necessitatibus opus est illis adesse; in huiusmodi enim casibus ipsemet Deus iubet eos non deserere; sed eis adesse, & subuenire. Desideria igitur, quæ tales sentiunt ad Religionem, etiamsi valde sint feruentia, & ab ipso Deo communicata non sunt, vt statim, neglectis parentibus, executioni mandentur; sed vt meritum ex eis maius acquirant: sicut etiam solet in eundem finem desiderta feruentia Martyrij, aut maiores quàm possint eleemosynas faciendi, communicare. Nam in oculis Dei voluntas adeò vehemens & resoluta pro ipso opere reputatur: cùm eam exequendi facultas deest, ac possibilitas. Extra hos autem casus, non sunt parentum audiendæ preces & rationes; quia idem Dominus vult non audiri, vtpote ipsius inspirationibus, quę in ipsius gloriam, nostrumque commodum diriguntur, aduersantes. Sed quoniam tentatio hæc solet etiam post emissam in Religione Professionem reuirescere; non tam vt retrocedamus, aç Professionem deseramus; quàm vt in ea langueamus, aliaque grauissima incommoda subeamus; ponemus in Tractatu septimo specialia ad eam euincendam remedia.

CAPVT

CAPVT IV.

Qva Ratione Prælati Ac Tyronvm Magistri Probare possint petentes habitum Religionis, curæq; suæ commissos: & quinam harum probationum sint fructus.

QVi diuinas scripturas attentiùs leget, inueniet (vt S. Bonaventura aduertit) nos solùm tentari nos à Dæmone, mundo, & carne; sed etiam ab ipsomet Deo, eiusq; ministris; & vnumquemque à seipso: licèt ad fines, & per media, & modos valde diuersos. Nam alium tentare (vt S Thomas ait) propriè est, aliquid dicere, aut facere, ad deprehendendam virtutem, scientiâ, discretionem, vires, intentiones & animi decreta, quæ in eo latent. Qui tentat autem, id facit aliquando, quia ignorat: tentatione autem quærit, id cognoscere, eum in modum, quo magistri examen instituunt eorum, qui gradum aliquem in literis susceperi sunt: vt eorum sufficientiam cognoscant; ac propterea talia examina appellantur tentatiuæ. Aliquando autem tentat, etiamsi nouerit, quid lateat: quia tentatione intendit, manifestari alijs, quod non sciebant. Quamuis autem hic proprius sit finis tentationis: solet tamen ad alios valde diuersos ordinari, iuxta tentantium varietatem. Tres enim primi tentatores, cùm sint hostes nostri: tentationem dirigunt in detrimentum nostrum, & per media mala. Dæmon enim quærit nos decipere; mundus, vt eius leges seruemus; caro autem, vt ipsi indulgeamus. Alij verò tres, quoniam amicorum officium semper faciunt, ad sanctos fines, & per bona media tendunt: vt paulatim explicabitur.

In Centil p 1. Sect. 7.

In Catena in id Ioan. 9 Tentans eum.

1. p. q 114. 3. 2. 2. q. 97. a. 1.

Primvm Ecclesiæ ac Religionum Prælati, ac Tyronum Magistri, & reliqui specialem curam aliquarum animarum habentes, possunt ac debent tentare, & experiri ac probare curæ suæ commissos; vt plenè illos cognoscèntes, rectè eos gubernent: proferendo his probationibus in lucem propensiones, virtutes aut vitia, & proposita, quæ habent in ijs omnibus, quæ faciunt ac dicunt. Experientia enim nos docet, sæpe illa occultari cum aliqua fictione ac deceptione. Hac arte vsus est Episcopus ille, quem Christus Dominus laudat in Apocalypsi, dicens: *a tentasti eos: qui se dicunt Apostolos esse, & nõ sunt: & inuenisti eos mendaces.* Disputabat enim cum eis, & argumentis ac rationibus allatis cogebat eos dicere, aut facere aliquid: in quo deprehendebantur esse ficti Apostoli, & lupi ouium pellibus tecti. Eodem modo S. quidam Abbas, (vt refert Cassianus) cupiens scire, an quidam Monachus, qui multa

a *Apoc. 2. 2.*

Col. 18. c. 12.

mala de seipso dicebat, adeò esset humilis, vt præ se ferebat: tentauit eius spiritum, studio dicens illi aliqua verba in contemptum. Qui Monachus vehementer subtristi, alijsq; indicijs ostendit, humilitatem suam esse fictam. Hâc ergo ratione Ecclesiæ Prælati tenentur probare & examinare vocationes petentium. *Tract. 2. c. 4.* crum baptisma (vt in primo tomo latiùs est dictum:) & Religionum Patroni, ac Tyronum Magistri tenentur probare, tentare, & examinare petentium habitum Religionis; ac Tyrones ipsos, qui cupiunt in eam admitti per votum professionem. Idque facere oportet, non solùm ob hypocrisim, & fictionem; quæ in hoc negotio aliquando immiscentur, vt dictum est: sed etiam quòd non omnia desideria, quæ bona videntur, sunt vocationis Dei ad Religionem: cùm etiam de otiosis ac pigris dicatur, quod b *tota die concupiscant ac desiderent*: nam, quamuis videantur feruentes, breui frigent: eò quòd rum sint firmi. Expedit etiam probari antequam admittantur, eo modo quo Dux ille Gedeon, in cuius exercitu fuerunt tria militum genera. Alij nim ex pusillanimitate noluerunt ad bellum ire; alij iuerunt quidem, cùm probarentur, fuerunt dimissi: eò quòd ad aquam bibendam corpora curuarent, & genua flecterent in terra; alij denique & ire voluerunt, & probationem fuerunt admissi: eò quòd aquam stantes biberent, c manum *ad os proijcientes*. Ita etiam inter fideles sunt tria genera hominum: nam quidam nullum habent animum ad statum perfectionis: aut quòd eius difficultates perhorrescant; aut quòd reuerâ vocationem non habeant ad eum suscipiendum; ideoque remanent in sæculo. Alij videntur animum habere & voluntatem, dum se ad vitæ perfectæ pugnas offerunt: sed, cùm probantur & examinantur, ab huius militiæ ducibus non admittuntur: quia aduertunt eos velle Euangelicæ doctrinæ aquam bibere, seipsos incuruantes & genua flectentes: hoc est habentes affectus nimios, vt supra diximus, ad res terrenas, ac sensuum delicias: quas scientes ac volentes, magnaq; delectatione & inclinatione sectantur.

b *Pro. 21, 25 iuxta Lxx interpret.*

c *Iudi. 7. 7. De hu fusius actum Tom. 1. Tra 2. c. 3.*

Tra. 2. c. 14.

QVOD indicium est, eos non esse à Deo vocatos ad statum perfectionis. Diuina enim vocatio fel & amaritudinem ponit in huiusmodi rebus terrenis: ideoque desiderium ingerit eas deserendi & sese ab eis expedi: & ad minimum facit, vt spiritus contra carnem pugnet; nec patiatur studio & consultò delitijs mundi delectari; nec se prosternere ad id, quod adeò remotum à perfecta vita, quam ipse assequi intendit. Sed alij tamen sunt, qui, ad insigne hoc facinus sese offerentes, admittuntur: cùm enim probantur, bonum sui specimen, rerum que suarum rationem præbent, aquam stando bibentes, & manu ad os proijcientes: hoc est (vt Sanctus Gregorius ait) manum operi admouentes, ad exequendum quod Christus Dominus noster in suo Euangelio præscribit; seipsos ad constantiam in eo

Lib. 30. moral. c. 31.

exhi

stimulantes; nec se ad res terrenas incuruantes; nec de rebus huius sæculi aliquid superflui accipientes, vt carni suæ indulgeant; sed quod necessarium est ad vitam sustentandam: hoc enim totum est indicium vocationis diuinæ ad pugnas spiritus in statu perfecto. Et quemadmodum credibile est, Deum Dominum nostrum inspirasse trecentis illis militibus, quos ad pugnã contra Madianitas elegerat, modum illum aquã bibendi; ita etiam ijs, quos ad Religionem vocat, ea inspirat, quæ cùm probantur; facere debeant: vt ea sint bonæ suæ vocationis indicia. Et ipsismet Magistris ac Ducibus, sicut Gedeoni, inspirat ea, in quibus probari eos debeant: vt benè cognoscant.

Quid vocatis agendum Deus inspirat.

§. 1. *Variæ probationes, quæ sunt in vsu in Religionibus.*

IN HVNC finem valdè fuerunt in vsu in Religionibus huiusmodi probationes, & experientiæ in materia Obedientiæ, Humilitatis, & Patientiæ: qui sunt tres lapides Lidii, ad deprehendendam veritatem, & firmitatem earum vocationum; & constantiam animique fortitudinem petentium in eas admitti. Olim (vt ait Cassianus) petentem ingressum in monasterium, rebebant per decem, & aliquando plures dies, iacere ad portam, petentem humiliter, admitti: quem Monachi studio contemnebant, verbaq; iniuriosa obijciebant, reijcientes illum tanquam hominem qui non zelo Religionis, sed aliqua necessitate compulsus ad monasterium accederet. Et hoc modo eius constantiam probabant, & examinabant: & agnoscebant vocatum à Deo esse, qui in his tentationibus fidelis esset, easque cum humilitate, & patientia toleraret. Vt autem finis, in quem huiusmodi probationes fierent, cognosceretur, adfert idem Cassianus quendam sermonem à Pinufio Abbate habitum ad quendam Nouitium, in quo omnium, quæ cum illo acta essent rationem reddidit.

Lib. 4. c. 3.

Lib. 4. c. 32. & 33.

NOSTI, ait, quot diebus pro foribus excubans, hodie sis receptus. Cuius difficultatis causam primitùs debes agnoscere. Poterit enim tibi in hac via, quam ingredi concupiscis, multum conferre, si ratione eius agnita, ad Christi seruitium consequenter, ac sicut oportet, accesseris. sicut namque immensa gloria fidelites seruientibus Deo, ac secundùm Institutionis huius Regulam ei cohærentibus repromittitur in futurum; ita pœnæ grauissimæ præparantur his, qui tepidè eam negligenterque fuerint executi; & secundùm hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse credantur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint. Melius est enim secundùm scripturæ sententiam, non vouere quenquam, quàm vouere & non reddere: Et, maledictus qui facit opus Dei negligenter. Ideò igitur à nobis diutissimè refutatus es, non quia tuam vel omnium salutem non toto desiderio cupiamus amplecti; & his, qui ad Christum cupiunt conuerti, etsi procul occurrere non optemus; sed ne temerè recipiêtes, & nos apud Deũ

leuita-

» leuitatis; & temetipsum reum grauioris supplicij faceremus, si ad præsens b
» cilè susceptus, nec pondus Professionis huius intelligens, vel destitutor pol
hæc, vel tepidus extitisses. Hæc Sanctus ille Abbas, docens nos, has & alia
quas Probationes, quæ cum Nouitijs fiunt toto tempore professionem pra
cedente, ad duplicem præcipuum finem dirigi: alterum ex parte eius, q
Religionem petit, vt onus sibi per totam vitam portandum nouerit; & re
periatur, habeatne sufficientes vires ad illud portandum, & tentatoribus
sistendum, qui vsque ad mortem non desinent illi esse molesti. Propter
Luc. 14. 28. siquidem Saluator noster dixit: *eum qui velit turrim ædificare, prius sedens*
computare sumptus, qui necessarij sint, si habeat ad perficiendū: & qui turum
mittere bellum cum decem tantū millibus, cum eo qui cū viginti millibus ven
Tom 1. Tra. 2. 6. 3. & 4. *se, prius cogitare*, an ita possit victoriam obtinere. Quod fusiùs explicamus
in tractatu de Sacramento Baptismi. Et quamuis multum in eum finem
uet legere, beneque intelligere Regulas & Cōstitutiones; & nosse omnia
nera Religionis, quam intendit, vt in eodem loco est dictum: hoc tamen
sufficit: nisi aliquo etiam tempore earum seueritatem experiatur; alias
subeat probationes, quæ deceptionem ipsi detegant de viribus & facultat
bus, quibus ad eas obseruandas pollet. Alter finis est ex parte ipsiusmet
ligionis, cuius partes agunt Prælati, & Tyronum Magistri: vt ex ijs pro
tionibus plenè illi agnoscant eum, qui petit Religionem, examinantes &
ipsa deprehendentes non solùm veritatem vocationis eius, & firmitatem
ea; sed eiusdem quoque aptitudinem, dotes, ac talenta, quæ habet, ad exerc
tia vitæ religiosæ. Quemadmodum autem ipsa Instituta sunt diuersa; ita
bent probationes esse diuersæ, & varium tempus durationis earum. Qu
nim Institutum extensiorem habet finem, ac munia ex se præstantiora, di
ciliora, ac periculosiora; propterea quòd se extendant ad agendum cum
imis in rebus ad ipsorum animas spectātibus: eò necesse est maiores ac di
turniores probationes habere: vt exactiùs deprehendatur ingenium, & i
1. Re. 10. Fus Li. 4. c. 3. & sequentib. cultas, quam habet, qui tale institutum sectari velit. Et quamuis olim (vt
ducitur ex S. Basilio & Cassiano) non erat præscriptum tempus certum
huiusmodi probationes, neque ad illarum qualitatem: nunc tamen
lud præscripserunt Fundatores sacrarum Religionum, tam Monachorum
quàm Mēdicantium, aut Clericorum. Ex quibus duo tantùm adferam exe
pla. Alterum glorioſi Patriarchæ S. Benedicti, qui in sua Regula tres gra
constituit probationum pro ijs, qui ipsius Religionem amplecti vellent.

PRIMVS erat, vt ad monasterij portas per quatuor aut quinque dies
tinerentur: vt obseruaretur, an patienti & constanti animo dilationem
rent, & iniurias, quæ in eos dicebantur. *Secundus* erat, vt per duos alios
Turrecre. Tract. 124. ses in monasterij hospitio detinerentur, commissa cuidam ex senior

rum cura, qui illos probaret, & exerceret, examinans qua ratione illi Deum quærerent, & qua attentione & solicitudine cõmissa sibi opera perficerent: & quantam ostenderent promptitudinem ad obediendum; & constantiam in tolerandis contemptibus. Quam probationem si bene peregissent: ad *tertiam* accedebatur, quæ erat cum cæteris. Nouitijs per decem menses: in quibus probabantur, & exercebantur sicut hũc fit in reliquis Religionibus spatio vnius anni. Quod tempus ita est decreto S. Concilij Tridentini constitutum, vt neque minui possit, neque extendi: sed vt illo anno finito, aut Professionem edant, aut dimittantur. Quamuis ab hac generali Regula idem Concilium excepit minimam nostram Societatem, vt obseruari in ea posset, quod eius habet Institutum à sancta Sede Apostolica approbatum. In quo Patriarcha noster S. Ignatius designauit tres alias Probationes, quamuis cum aliquo discrimine ac limite in temporibus & exercitijs: id postulante celsitudine finis ipsius, & excellentia, ac difficultate eius ministerium erga proximos.

Sess. 25. c. 16

Const p. 1 c. 4.

Prima probatio est per duodecim, aut viginti dies, aut plures si opus fuerit manere seorsim tanquam hospites in loco aliquo, à reliquorum conuictu diligenter separato. vbi examinantur, & probantur, & traduntur illis Regulæ, ac declarantur ea, quæ sunt difficiliora: vt animum suum aperiant ad eas obseruandas. *Secunda* Probatio duos integros annos durat. Neq; id recens est, sed antiquum ex decreto S. Gregorij Papæ, hanc reddentis rationem: quòd si graue est ignotos admittere ad obsequium hominum; quantò erit grauius eos admittere ad obsequium Dei in monasteria: nisi priùs bene probatos? Et quando Religionis habitum illi petebant, qui fuerant milites, constituit eos per triennium esse probandos. Idem etiam constituit Bonifacius Papa, quando petentes Religionem, non erãt satis noti, quemadmodum refert Gratianus in decreto. Et Concilium Aurelianense quintum idem constituit pro omnibus Monialibus. Et vniuersim in Regula, quam Angelus tradidit S. Pachomio, (vt refert Palladius) constitutum erat, neminem esse admittendum, nisi per trium annorum spatium bene esset probatus & exercitatus. Et hoc ipso spiritu S. noster Patriarcha tertium adiecit annum Probationis ante professionem publicam, aut solennem, finitis iam studijs: in quo repararetur iactura spiritus, quæ in eis euenisset. Et in eisdem tribus temporibus præscripsit sex insignes Probationes & experientias inter alias, ad cognoscenda & exercenda suorum Religiosorum talenta. Per mensem scilicet spiritualibus Exercitijs Orationis, Meditationis, & Examinis conscientiæ vacare; & facere totius vitæ præteritæ Confessionem generalem; per mensem item pauperibus in Xenodochijs ministrare; tertiùm peregrinari pedites emendicando eleemosynam: vt sic assuefiant pauperum

Lib 8. ep. 23 19 q. 1 c. Monast Li. 2. epi. 11.

Dist 51. c. fin 17 q 2 c 31 quia in trist c 58 Nicephor. li. 9. c. 14.

In Examin c 4.

rum incommoditates tolerare; diutiùs verò exercere officia humilia, & contemptibilia domestica, qualia sunt seruire in culina: ac denique pueros ac rudes Christianam doctrinam docere; & suo tempore alia altiora ministeria præstare, quando sunt Sacerdotes, & ad ea præstanda talenti habent. Hac enim ratione omnia experiuntur quæ in decursu vitæ sunt obituri: & tum ipsi aduertunt, ad quid præstandum maiorem sentiant facultatem; tum ipsa Societas maiorem ipsorum notitiam acquirit, sibique satisfacit. Neque tres anni censendi sunt tempus longum, ad has Probationes: cum (vt infra dicetur) *Nabuchodonosor Rex tres annos constituerit, vt nutrirentur, &* Daniel. 15. infra 6. 10. *instituerentur pueri qui postea starent in conspectu ipsius.* Et Christus Dominus noster deduxit secum Apostolos & septuaginta duos discipulos per triennium: quod tempus fuit quasi tyrocinium eorum in ipsius schola; & eo tempore eos probauit, & instituit missiones per confinia, & sensim illos instituebat in ijs, quæ post aduentum Spiritus Sancti (quæ fuit quasi Professio eorum solennis) essent facturi.

§. 2. *Varij fines & commoda harum Probationum.*

EX DICTIS licet cognoscere varios fines, ad quos hæ Probationes diriguntur; & commoda, quæ ex eis proueniunt. *Primus* finis paulò ante insinuatus: ad excludendos scilicet à Religione suscipienda eos, qui non sunt ad illam apti; admittendos verò ac retinendos aptos & sufficientia habentes talenta; Quorum vtrumque est valde necessarium: nam æquè noceret, admittere ac retinere verè non vocatos, nec dotes requisitas habentes pro Religione; atque eas habentes excludere. Cum dixerit Saluator noster: a *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum, qui venit ad me, non* a Ioan. 6. 37. *eiciam foras.* Neq; tamen contra hanc Christi sententiam fit, cùm excludantur aliqui habentes vera Religionis desideria inspirata; si tamen aliunde animes & talenta necessaria illis desint, aut impedimentum aliquod habeant naturale aut morale, ex ipsorum culpa, aut sine ea: propter quod fiant inhabiles ad Religionem. Nam huiusmodi desideria, vt supra est dictum, solùm illis communicantur, vt cupientes & quærentes rem adeò piam & gloriosam, meritum suum promoueant. Nam & ipsemet Saluator huius rei nobis dedit exemplum: cùm à sua schola reiecit non solùm scribam illum, qui non ex Ca. 3. ad finem. recto fine & intentione dicebat ei: b *sequar te quocunque ieris*; sed etiam hominem illum, à quo c *Dæmonum Legione* eiecerat: *qui neq; vestimento induebatur, neq;* b Luc. 9. 57. c ca. 8. 38. *in domo manebat, sed in monumentis, & cum catenis vinciebatur, & compedibus ruptis vinculis agebatur a Dæmonio in deserta*: hunc inquam, etsi pia ac rectissima intentione ac desiderio *rogaret, vt cum ipso* Christo *esset*: d *dimisit tamen eum Iesus, dicens: redi in domum tuam & narra, quanta tibi fecit Deus.* Et quamuis Christus Dominus noster multas ad id causas, quas sancti adferunt, habuerit, nam d Mar. 5. 19. Non admisit eum.

tamen esse potuit hæc: vt nos doceret: aliquos habentes bona desideria, eum in schola Religionis sequendi, posse tamen non admitti, eò quòd aliquibus defectibus laborarint, propter quos non expedit, eos in tali schola versari; & præstat, eos Deo in sæculo seruire.

Gradus A.

Transeamvs nunc ad alios fines & commoda valde honorifica & gloriosa, quæ per huiusmodi Probationes quæri, & obtineri possunt: quarum summam refert S. Ioannes Climacus, sicut acceperat à S. quodam Abbate: Attende inquit pater: quemadmodum crudelitatis esset, esurienti paruulo panem ex ore extrahere: ita ingens detrimentum adfert spiritualis Pater, cui regendarum animarum cura incumbit, nisi solicitè curet, dare semper illis occasiones, in quibus coronas omnes sibi comparent, quas iuxta vires suas obtinere possunt; etiamsi ad id opus sit, ignominias, & contemptus adhibere; & præcepta proponere rerum asperarum, abiectarum, & quæ pœnam aliquam inferant. Priuat enim eos tribus ingentibus commodis: magno scilicet augmento virtutum ac meritorum, quæ his probationibus sibi compararent; & profectu ac vtilitate, quam remissioribus alijs adferrent heroicis suis exemplis; & feruore constantiaque, quam in virtutibus sensim acquirerent. Nam hoc modo tentationum remoto, solent illi fieri negligentiores, ac desides, existimantes, se iam esse perfectos. Quemadmodum enim pinguis ac fœcundus ager, qui solet copiosos fructus proferre: si ordinaria ei cultura & irrigatio desit, facilè euadit sterilis, & vepres, spinasque producit: ita qui talenta habent ad magnas virtutes exercendas; si hoc exercitium & subsidium gubernatoris eis desit: facilè in multas culpas, & imperfectiones labuntur. Neque est cur ex pusillanimitate ab eis, hac ratione, tentandis retardetur: quasi vereatur, ne in huiusmodi tentationibus illi deficiant. Si enim illæ prudenter & cum amoris spiritu adhibeantur subditiq, ipsi habeant verum in virtute proficiendi desiderium: nunquam suum deserent pastorem, memores sententiæ illius Apostoli, qua dixit: *e nihil posse ipsum separare a charitate, quæ est in Christo Iesu.*

e Rom. 8. 35

Ad Hæc, feruentes suumque profectum zelantes, solent ipsosmet suos Prælatos, & Magistros vrgere, vt ipsos tentent, probentque in rebus maioribus: ne commodis huiusmodi priuentur: Eum in modum, quo Daniel eiusq; socij cupientes seueriorem quandam seruare abstinentiam, quàm eorum Præpositus admittebat, dixerunt ei: *f tenta nos seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum: & contemplare vultus nostros: & ipsa experientia disces eos meliores & corpulentiores esse præ omnibus pueris, qui vescuntur cibo regio.*

f Dan. 1. 12.

Et idem Sanctus Ioannes Climacus refert de quodam viro cui nomen Isidorus, petente ab Abbate habitum Religionis: cui Abbas dixit: si

Supra.

reuerâ Christi iugum tollere decreuisti, volo, vt ante omnia, te obedientiæ laboribus exerceas. Cui ille: sicut fabro ferrum subiectum est: ita & ego me ipsum obedientiæ tuæ expono; vt, quod libuerit tibi, mecum agas.

Ex Cassi. l. 4. c. 24.

IN hunc finem Patres antiqui seuerioribus vtebantur Probationibus. Interdum enim asperiùs subditos, etiam innocentes reprehendebant; quærentes ad id apparentem aliquam occasionem. Interdum ob leuissimas quasdam culpas, consultò imponebant graues pœnitentias, iniungentes nunc opera, quæ videbantur non satis ad rem; nunc, quæ illorum vires excederent: quæ cum subditi aggrederentur, ipsi eos reprehendebant, aut tanquam inordinate notabant, quòd ea fuissent aggressi. Aliquando illis negabant, quæ petebant, etiã cũ rationi consentanea viderẽtur, aut illos permittebãt diu stare, aut sedere, expectantes responsum; quod tamẽ ipsi non dabant, imò nec verbum eis loquebantur. His probationibus faciebant superiores, vt subditi crescerẽt in humilitate, & Patiẽtia; in Obediẽtia & abnegatione proprij iudicij, ac voluntatis: & sequebantur ex eis felices affectus; eò quòd Prælati, vtpote patri valdè prudẽtes, metiebantur tẽtationes; easq; ad subditorum capacitatem accõmodabant: vt tam ab ipsis, quàm à reliquis aspicientibus, exemplo haberẽtur, approbarẽtur. In hunc finem multos casus referunt Cassianus & S. Ioannes Climacus: Qui inter alia refert vnum de quodam Monacho, qui vocabatur Abbacirus, qui valde fuit probatus, & exercitatus à Patribus: & in hora mortis dixit omnibus adstãtibus: gratias ago Domino, & vobis Patres, quod me ad salutem meam tentastis: hac enim ex causa immunis à tentatione Dæmonum hactenus mansi. Et hoc ipsum est aliud ingẽs commodum; quod ex his Probationibus prouenit; illæ enim impediũt tentationes Dæmonum: siquidem quòd nõ audeãt illos tẽtare, quos vidẽt adeò strenuos in illis pugnis, quas suis superioribus habẽt, siue quòd Christus Dominus noster non permittat illis, vt tales milites aggrediantur: quia contẽtus est labore illo tolerandi tales Probationes; ex quibus eadẽ colligũt vtilitates, quæ ex tẽtationibus hostium nostrorum accipi solẽt; aut deniq; quòd qui probantur; adeò occupantur in tolerandis conflictibus cum hominibus: vt non sese effundant ad alia cogitãda, quæ ipsis adferãt tẽtationes. Quẽadmodum euenit cuidam Monacho valde tẽtato, & afflicto à spiritu fornicationis: & cum eius Abbas cerneret, eum non proficere, adhibitis ab ipso remedijs, iussit occultè vt reliqui Monachi iniurijs & oneribus valde molestis ac grauibus eũ persequerentur, & affligerent. His igitur pugnis ab hominibus prouenientibus, euanuerunt illæ, quas cum carne propria & Dæmonibus habebat. Denique huiusmodi Probationes, quasi experientiæ sunt, quæ docent, exercent, & aptos reddunt milites CHRISTI tempore pacis: vt, cum Dominus permiserit Dæmone & mundo eos oppugnari, dexteri sint in pugnando. Neque deceat

Lib. 4. c. 23. Gradu. 4. Commodatalis probationum.

Tom. 2. Tra 2. c. 2.

stre-

strenuos spiritualis huius militiæ Duces in his experientijs incurios esse, præcipuè cum Tyronibus; sed in hac arte decet eos imitari, quod Dominus noster cum suis seruat electis, similibus eos exercens Probationibus: vt proximo capite dicetur.

CAPVT V.

RATIO QVA DEVS DOMINVS NOSTER *ob excelsos valdeq; vtiles fines, iustos viros tentat, ac probat: simul docens Prælatos eandem rationem suos subditos exercendi.*

DOMINVS etiam noster per seipsum solet Electos suos tentare, ac probare in magnum ipsorum bonum, & ob magnæ suæ gloriæ fines Quamuis quod ipse sit sapientia infinita, noueritque a *quid sit in homine*: non tentat, vt nouam habeat eius notitiam aut experientiam; sed vt alij, qui id ignorant, eiusdem rei conscij fiant. Quare S. Ioannes referens, Christum Dominum nostrum, volentem cibare quinque hominum millia in deserto: interrogasse Philippum: b *vnde ememus panes vt manducent hi?* addit: *hoc autem dicebat tentans eum: Ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Ea enim interrogatione volebat, ipsum, paruam suam fidem prodere. Deinde, cùm idem Dominus sit summa bonitas, non potest tentare impellendo ad aliquid mali, aut ob finem malum. Et in hoc sensu dixit S. Iacobus Apostolus: c *Deum non esse tentatorem malorum: & ipsum neminem tentare*, impellendo scilicet ad aliquid mali. Quod si huiusmodi d *tentationes* in Scriptura sacta ipsi attribuuntur: id fit, quia iustè illas permittit, vt fidelitas, & amor noster erga ipsum manifesterur, vt suo loco est dictum. Sed præter hæc tentat etiam iustos per seipsum in rebus bonis, sed valde asperis ac difficilibus; dirigens eas magna sua prouidentia ad fines magis præcipuos, quos proximo capite insinuauimus. Quorum summam Sapiens posuit cùm dixit: e *Deus tentauit illos & inuenit illos dignos se, Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Sunt enim huiusmodi tentationes ij, quasi caminus, ex quo prodeũt à culpis & imperfectionibus magis purificati elegantiores & in omnibus virtutibus splendidiores. Eædem sunt etiam quasi ignis, quo suo Creatori perfectissimum sui ipsorum holocaustũ offerunt consumentes propriam voluntatem, honorem salutem, ac vitam; nihil proprij sibi reseruantes; qui splendore auri accensæ charitatis suæ, & grauissimo sui holocausti odore recreant, & corroborant, rapiuntq; in admirationem fideles; & exstimulant ad glorificandum Deum, qui tales eis dedit virtutes & animum spiritumq; accipiunt ad eas imitandas. Illi autem

a *Ioan. 2. 25*

b *Ioan. 6. 6.*

c *Iacob. 1. 13*

d *Deuter. 8. 3. & c. 13. Tom. 2. Tra. 2. c. 2.*

e *Sapien. 3. 5*

Similitudines.

iusti, qui huiusmodi Probationes ac tentationes experti non sunt; his omnibus carent; &, vt plurimùm, sunt tepidi, ignaui, & imperfecti: qui parum Deum honorant; nec Deus magno sibi tribuit honori, quod illi tales sint. Quando autem iusti feliciter tentationes illas sustinuerunt, *sunt digni Dei*, hoc est, sunt serui digni, qui tanto Domino famulentur; filij digni Patre adeò Potente, qui dignatur, imò honorem suum reputat, quòd illos in suo seruitio habeat; agatq; cum illis familiariter, sed cum magnus Deus noster infinita sua sapientia notas habeat inclinationes & talenta hominum; & in quæ maximè diligunt, & maximi faciunt: cùm vult illos probare, tangit illos viuum in re, quæ plurimùm illos mortificabit, & profectum eis adferet. Ac propterea Dei Probationes sunt multò efficaciores ad sanctitatem, quam sint prælatorum & Patrum spiritualium: vt ex subijciendis exemplis constabit. Tria igitur ait S. Gregorius esse potissima, magisque ordinaria, in quibus Deus Dominus noster suos tentat, ac probat.

Lib. 28. mo. 1.

PRIMVM est, quod iubet aliqua valde difficilia: vt eorum obedientiam probet & augeat. Hoc modo ait Scriptura, quòd Deus tentauerit Abraham, dicens ei: f *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & offer eum in holocaustum super vnũ montiũ, quem monstrauero tibi.* Quamuis autem satis fuisset ei dicere: offer mihi Isaac voluit tamen (vt perpendit Origenes) tot verborum nera exprimere, quæ præcepti difficultatem augerent: vt ipsa tentatio multò esset maior: cumq; ille fidelem se, & promptum in probatione exhiberet, statuens mox exequi, quod illi Deus imperabat; &, quod in se fuit, operefi fuisset executus: nisi Angelus prohibuisset; & tunc illi dixit: *Nunc cognoui* (hoc est, nunc mundo manifestaui) *quod timeas Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Et quamuis Abrahã nõ obtulerit corporale filij sui holocaustum: vterque tamen spiritualiter ingressi sunt in fornacem & ignem grauissimæ huius tentationis; & obtulerunt perfectissimum sui ipsorum holocaustum, consumentes & mortificantes propter iudicium & voluntatem honoris & vitæ amorem; & quidquid pretiosum in terra habebant. Et in hac tentatione profecerunt, vt in hodiernũ vsq; diem supra aurum respiciant ad exemplum totius mundi. Sed aduertit S. Ambrosius: Deum duobus modis exercere iustos: primùm, dum res graues & asperas iubet, vt ipsa mandatum expleant: quemadmodum ipsum Abraham iussit, g *egredi de terra sua, & de cognatione sua, ac de domo patris sui.* Explicauit autẽ hæc in particulari; (quamuis satis fuisset exprimere *terram eius*) vt præceptum grauius et difficilius appareret. Et hoc (ait) appellatur, probare iustum. Aliquando tamen eadem iubet, non ea intentione, vt opere impleant; sed vt, quod in ipsis est ad ea implenda se offerant: Et hoc propriè dicitur, tentare. *Veris probatur quis; tentatio autem sæpe compositu & fictis.* Has etiã Probationes (vt S. Augu-

f Gen. 22. 2.

Homil. 8. in Genes.

Lib. 1. de Abraham c. 8

g Gen. 12. 1.

Probationis fines.

aduerti

aduertit dirigit Dominus D.N. vt ipsemet iustus se ipsum agnoscat: non enim proprias vires satis agnoscerent: nisi tentatus. Iuxta hanc sententiam existimare debent iusti huius sæculi, quod cùm Deus D.N. repentè illis magna vi inspirat, vt parentes deserant, facultates, & quidquid precioſum possident, & seipsos offerant holocaustum in Religione: hæc inspiratio sit probatio, ac tentatio Dei: vt scilicet eorum obedientiam, fidelitatem, & amorem probet, quem erga ipsum habent: si enim legitimum non adsit impedimentum & ipsi tamen sacrificium illud renuant offerre: indicium id est amoris exigui: nam si hic esset perfectus: statim se ipsos offerrent, sicut Abraham: vt illi obedirent. Quod si postea legitimo aliquo impedimento oborto, non possint inspirationi parêre: illa censebitur fuisse tentatio sancta, & salubris: cùm ipsi, quantum in se fuit, sese obtulerint ad exequendum, quod Deus illis inspiraverat.

Quæst. 57 in Gen. & lib. 6. de Ciuit. cap. 32.

Et eodem modo: cùm Dominus noster Religiosis inspirat, vt in re aliqua sese mortificent; quam valdè amant, & magni faciunt; aut facinus aliquod valde egregium; & arduum Diuini obsequij aggrediantur: quale est proficisci ad Indos, & infideles conuertendos; ministrare peste infectis; & alia similia: intelligant huiusmodi inspirationes esse Probationes, ac Tentatiua Dei: vt pandant virtutem & charitatem, quam habent; illasque his occasionibus adaugeant. Et vniuersim: quandocunque præceptum aliquod rigorosum Diuinæ ac Euangelicæ Legis occurrit: quale est Confessionis, aut restitutionis, aut dilectionis, inimicorum; aut de non vindicandis iniurijs: & similiter, cum occurrit occasio exequendi aliquas Regulas religionis valdè exactas, in materia castitatis, aut Paupertatis, aut Correctionis: existimare debent, omnia huiusmodi mandata esse quasi quasdam probationes, ac tentatiuas Dei; vt ipsi fidelitatem manifestent, quam in Dei seruitio seruant. Hac consideratione adhibita, debent esse fideles in eiusmodi præceptis adimplendis: quemadmodum Abraham, quæ sibi præcepta erant, adimplerunt. Verum quidem est, huiusmodi Probationes interdum inueniri in Præceptis rerum leuiorum, ob causas inferiùs capite septimo adferendas.

Aliæ probationes & illarum finis.

2. Probatio patientiæ.

SECVNDVM, quo Deus tentat, probatq; iustos, est cùm eos grauibus corporis, aut spiritûs laboribus affligit qui sunt merè pœnæ, & non culpæ: vt sic eorum Patientia probetur, qua ipsi multum proficiant. Hoc modo h *tentauit Tobiam* seniorem *cæcitate & paupertate*; & ipsum Regem Dauid, cùm ait: i *anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Et Moyses dixit populo suo, quòd k *Deus ipsum* populum *adduxisset per desertum, vt affligeret eum, atque tentaret: vt nota fierent quæ in eius animo versabantur.* quod significabatur, cùm dictum fuit quod eos tentauit in l *Mara* quod significat *amaritudinem*, quia eius loci aquæ erant valde amaræ, nec poterant bibi. Sic enim infinuatur, amaritudines

i *Psa.* 142. 6
k *Deut.* 8. 2.
l *Exo.* 15. 23.

tudines esse fornacem, in qua Deus probat ac perficit tolerantiã suorũ seruorũ. in eandẽ fornacẽ inducta est matrona illa, quæ viro, filijs, ac bonis fortunæ spoliata, dicebat suis vicinis, & amicis mulieribus: m *ne vocetis me Noemi, (id est pulchram) sed vocate me Mara, (id est amarã) quia amaritudine valde replevit me omnipotens.* Ex qua amaritudine prodijt illa adeò purificata, & ut animo pulchra, vt suo loco fuit declaratum. Hoc probationum genere solet etiam Dominus noster tentare, ac probare Religiosos, nunc in corpore, mittens eis morbos ac dolores: vt virtutem suam in infirmitate ostendant; quemadmodum fecerunt in sanitate: & vt isque illis crescant: Interdum etiam affligendo eorum parentes, fratres, aut cognatos morbis, paupertate, litibus & mortibus: vt sic ipsorum constantia probetur, qua perseuerant semper in arrepto instituto. Sicut è contra permittit, diem vltimum obire fratri germanum natu maiorem, ex cuius obitu perueniat ad eos, vel ius primogenituræ, vel pinguis aliqua hæreditas: vt vel sic fidelis eorum perseuerantia probetur. Interdum etiam in spiritualibus eos probat subtrahens repentè consolationes, & sensibilia solatia, quæ illis communicabat; & earum loco mittens tristitias, ariditates ac desertiones internas: vt sic puritas manifestetur amoris, quo illi seruiunt; & constantia in eius obsequio, etiam cum solatia & fauores cessant. Quibus euenit quod S. Petro n *ambulanti supra quam, vt veniret ad Iesum sed videns ventum validum, timuit*: & Christus Dominus suspendit nonnihil miraculum, & fauorem, quem exhibebat, ut Petrus *cœperit mergi*: vt ex hac Probatione modicam suam fidem agnosceret & inniteretur potiùs humilitati: fortè enim valde fuisset affectus inanigloria si super aquas absque aliquo periculo ambulasset: & *cum clamasset* suum magistrum dicens; *Domine saluum me fac: continuò Iesus extendens manum, apprehendit eum*, & in tuto loco posuit. Ita etiam, cùm iusti secundo vitæ nauigant super aquas maris huius mundi, calcantes omnes res eius, plurimùm affecti ad æternas: non solùm Deus noster permittit oriri tentationis tempestates à dæmone; sed etiam ipsemet vult eos probare priuãs eos delitijs sensibilibus, vt seipsos agnoscant & humilient; & oratione feruenter ad ipsum accedant: vt suorum laborum remedium impetrent. Et sic Probationes ac tentationes conuertuntur in augmentum donorum & virtutum perfectiorum. Vt apparebit in ijs; quæ paulò post de Nouitijs adferemus.

m *Rut. 1. 20*

Tom. 1. tract. 3. cap. 10. Variæ probationes

n *Mat. 14. 30*

Effectus probationis.

TERTIVM, quo Deus suos probat, est: quòd eos (vt S. Gregorius ait) sinit aliqua ex suis mysterijs, & occultis iudicijs: ad probandam eorum humilitatem, & subiectionem, quam exhibent Diuinæ reuelationi & ordinationi; captiuantes proprium iudicium, vt illud Diuino subijciant. Hac etiam ratione tentauit Deus Abrahamum, faciens, (vt ait Apostolus) vt o *contra spem in spem crederet*: sperans scilicet implendam fore diuinam

3. vbi supra.

o *Ro. 14. 18.*

pro-

promissionem, cùm videbantur deficere omnes humanæ rationes talis spei: quia Deus illi non reuelabat viam implendæ promissionis. similiter probauit Sanctum Ioſephum, ſacratiſſimæ Virginis ſponſum celans ei myſterium eius Conceptionis. Et ſimiliter S. Paulo & aliquibus alijs Apoſtolis celauit aliqua arcana in varijs caſibus. Et cùm ſanctum Petrum acceſſiſſet, vt eius pedes lauaret; & ipſe lotionem illam recuſaret; non ſtatim illi cauſam aperuit; propter quam id faceret: ſed dixit: p *quod ego facio, tu neſcis modò* vt ſic ipſe manifeſtaret, aut iudicij ſui ſubiectionem, aut repugnantiam: quo curaret. Eodem modo grauiter etiam probat Dominus noſter, permittens nebulas & obſcuritates in aliquibus ſanctæ fidei articulis ad quos humana ratio pertingere non poteſt, nec eos inueſtigare. Quale eſt myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Euchariſtiæ; & aliqui caſus gubernationis ac prouidentiæ Dei; quemadmodum Dauid tremebat, videns proſperitatem impiorum, & abiectionem bonorum. q *Penè, inquit, moti ſunt pedes mei: penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Sed ſinguliter electos ſuos probat, cùm valdè inſtanter aliquid petunt: ipſe verò reſpondet cum aliqua excuſatione, aut aſperitate: quemadmodum dixit Chananæ: *non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*; & ſacratiſſimæ Virgini ſignificanti defectum vini in nuptijs, aridè valdè reſpondit: *ſ quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Eoſdem etiam probat, cùm adhibentes maiores diligentias, vt ſuam excitent deuotionem; illos ſinit aridiores; aut cum maiori feruore quærentes aliquam virtutem: experiuntur ipſi maiores tentationes, & quaſi remotiores ſe eſſe ab illa. Contra verò maiorem experiuntur tranquillitatem: cum ipſorum iudicio, minor præceſſit diligentia. Quamuis autem fortiax hæc harum tentationum fumo abundet, propter obſcuritatem quam ſecum habent coniunctam ipſæ probationes: in eis tamen iuſti prodeunt ſplendidiores, in quibus magis eminet humilitas, & ſubiectio ipſi Deo in omnibus, quæ propria ratiocinatio non aſſequitur.

p *Iam* 137

q *Pſal.* 72.2

Probat inſtanter petentes.

r *Mat.* 15.26

ſ *Ioan.* 2.4

DENIQVE in ipſiſmet bonis & conſolationibus ſpiritualibus, ſolet Dominus noſter probationes ſuas & tentatiua adhibere, eum in modum, quo dixit Moyſi; t *ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies: vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea, an non.* Cum enim præciperet, vt quotidie colligerent quantum ſufficeret: voluit eos tentare, & probare: an illud præceptum ſeruarent, an verò ex cupiditate aut curioſitate plus vellent colligere, quàm opus haberent. Ita etiam Dominus noſter in certa menſura & pondere dat iuſtis manna donorum & conſolationum cœleſtium, tentans & probans eos, vt aliqua indicio prodant, an humiliter menſuram illam acceptent, viuantque contenti cum ea

t *Exod* 16.4

portione, quam Deus illis largitur: aut contra: an insolescant, plura concupiscant, aut inuidia contabescant. eò quòd non habeant, quæ ipsi desunt; aut incautè plura accipere velint, quam ferre possint. Sed & hæc probatio tendit ad maius ipsorum bonum: quia nouit ipse bene, nullum esse maius ornamentum, aut profectum spiritualem: quàm quod quis demissè subijciat se diuinæ ordinationi; velitque id ipsum, quod vult Deus in prosperis & aduersis; in dulcibus & amaris. His autem tentationibus conformitas hæc ingenua & generosa obtinetur. Quamobrem Dauid Domino dicebat: x *Proba me & tenta me: ure renes meos & cor meum*: nam qui ita prober ac tenter ex ordinatione tua, non potest non cedere in meum profectum. Ab hoc exemplari discere possunt Prælati Religionum, Magistri Nouitiorum, & Patres spirituales, probare & exercere sibi cómissos eodem tamen spiritu, quo ipse Dominus facit: vt subditi dexteri euadant in his spiritus pugnis, & nouerint congredi cum dæmonibus, qui eos aggredientur magis adhuc horrendis tentationibus. Hoc valdè ad vium præmunit exitus Patriarchæ Iacob timentis persecutionem & furorem fratris sui Esau tunc enim, cùm in illo tremore solus maneret: *ecce vir luctabatur cum eo vsque mane*. Erat autem Angelus DEI: Finis autem luctæ fuit quod *neruus femoris Iacob statim emarcuerit*, ita vt *claudicaret*: sed & eidem Angelo *fuit benedictus, & mutatum est nomen eius Iacob*, quod significat luctatorem, in *Israël*, quòd significat *fortem contra Deum*: idque cum certo pignore & promissione; quòd etiam esset fortis futurus contra homines. Ex ea enim lucta instructus fuit & euasit strenuus & fortis ad pugnandum contra eos, & vincendum. Hunc igitur in modum præsentes probationes sunt quasi luctæ spirituales cum amicis, qui nos fortes & strenuos reddunt ad congrediendum cum inimicis. Deus enim asperis & duris præceptis & afflictionibus, ac humiliationibus, quas nobis mittit, luctatur nobiscum: nos autem cum ipso luctamur orationibus & gemitibus vt in his angustijs nobis adsit. Huius autem luctæ finis & exitus est, vt nostrarum passionum neruus marcescat; nos verò benedictionibus cœlestibus repleamur, magnaque fortitudine & alacritate ad pugnandum cum dæmonibus, eosque vincendos. Nam qui ex lucta, quam habet cum Deo, euadit ministris, victor euadit: dignus est, qui adiuuetur, vt vincat in lucta & congressu, quem contra dæmonem, eiusque sequaces inibit.

(***)

x *Psal.* 25. 2.

y *Gen.* 32. 24.

Deus nobiscum luctatur asperis præceptis.

CAPVT

CAPVT VI.

MODVS ET RATIO, TENTANDI ET PROBANDI *seipsum vt extentationibus & probationibus, quibus exercetur ab aliis, felicem habeat exitum.*

VT FELIX sit exitus omnium probationum & tentationum prædictarum, plurimùm iuuat insigne illud Ecclesiastici consilium, ac documentum: *fili, in vita tua tenta animam tuam*: quasi dicat, fungere officio Tentatoris erga teipsum, probando & exercendo te in varijs rebus, tibi molestis & grauibus: vt experientiam sumas facultatis, & virium tuarum ad ferenda onera Religionis, ac Perfectionis, quam desideras; & ad pugnandum in conflictibus; quos vereris in tuæ vitæ decursu. quemadmodum etiam suadet Apostolus; dicens: b *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate*, an sitis firmi in Charitate, Humilitate, & Patientia, reliquisque virtutibus quas profitemini.

a Eccles. 37. 30. Quisque seipsum tentet.

b 2. Cor. 13. 5.

DVABVS autem vijs id fieri potest: Prior est, exercendo aliqua difficilia, & aspera in materia harum virtutum: vt earum veritas & soliditas deprehendatur. Si enim magnas, fortesque propriæ voluntatis abnegationes exerceas, intelliges: an tantum habeas de virtute obedientiæ: vt, quando opus erit, illam abneges; vt Dei ac Superiorum voluntatem sequaris; & si humiliationes & voluntarias afflictiones exerceas; teipsum probas, ac tētas: vt intelligas, an humilitatem & patientiam habere possis, cū humiliationes & afflictiones ferre cogēris. Hucautem tendit sententia illa Apostoli ad fideles, qui per gentiles ac Iudaeos à dæmone tentabantur, & affligebantur: vt scilicet ipsimet tentarent in seipsis firmitatem fidei suæ. quasi eis diceret: vt hanc firmitatem, & constantiam agnoscatis, ne expectetis, vt Tyranni & Carnifices suis vos cruciatibus tentēt, ac probent: sed vosmetipsos probate seueris pœnitentijs, & asperitatibus: vt intelligatis quantam virium facultatem habeatis ad eiusmodi facinora, cùm occurrerint, aggrediēda & sustinenda. & ita olim faciebant, qui martyrij conflictum expectabant; in eo enim sese exercebant tempore pacis; & ipsimet faciebant se carnifices suiipsorum, subeuntes mortificationes aliquas graues, quæ pœnam & dolorem inferrent. Quare qui cogitant religionem ingredi, debent seipsos probare, exercētes aliqua eorū quæ postea sunt in Religione subeunda. Et ipsius Nouitiatûs tempore sponte debent huiusmodi suiipsorum probatio-

1. Duplex suiipsius probatio.

bationes exercere, vt sic disponant se, ad eas subeundas, quas Prælati proponent, aut dæmones obtrudent: aut certè vt hac via illorum tentationes effugiant: quemadmodum fecit Sanctus quidam vir nomine Eusebius, de quo refert Theodoretus, quod ad puniendam quandam suam immoderatiam in eleuandis absque causa oculis à terra, alligauit sibi ferream catenam ad collum, quam ita traxit, & alligauit cuidam alteri, qua erat accinctus; vt cogeretur semper habere caput demissum: in qua mortificatione perseuerauit per quadraginta annos, sicens, se id facere non tam vt culpam illam in se puniret; quàm quod hac ipsa lucta, quam contra seipsum continuè exercebat, expediebat se à multis alijs luctis, ac tentationibus, quibus dæmon ipsum afflixisset; qui, quòd superbus sit eum refugit tentare, quo intelligit, & facilè timet, se vincendum: existimat autem id futurum, si eum aggrediatur, qui semper attendit: vt seipsum vincat. nam hæc victoria seipsum probat, & aptum reddit ad vincendos alios: propterea enim Sapiens dixit: *c meliorem esse patientem viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*: & commune proloquium est: fortiorem esse, qui se, quàm, qui fortissima vincit mœnia.

Patiens melior viro forti c *Prouer. 16.* 32.

Collat. 19 c. 4.

POSTERIOR via & ratio, has probationes faciendi, est ipsa imaginatione apprehendere res molestas, & horrendas: quæ vt plurimùm nobis possunt euenire. Cùm enim eas nobis quasi occurrentes ante oculos ponimus; obseruare licet, quem animum & quantam fortitudinem caro & spiritus ipse ostendat in eis admittendis; aut pusillanimitatem & timorem earum, vt illas euitet ac fugiat. Sic enim experientiam sumimus & nos ipsos exstimulamus, ad eas acceptandas, & nos ipsos interne vincendos. Eum in modum, quo Cassianus loquens de ijs, qui manent in solitudine, nec eis adest, qui aliquid faciendum iubeat, ipsosque in humiliationibus & afflictionibus exerceat: ait: ad consequendas & augendas virtutes obedientiæ, humilitatis; & patientiæ, cogitent, & fingant, alios imperare ipsis res graues, & asperas; aut euenire sibi aliqua, quæ pudorem aut ignominiam adferant. & tunc excitent seipsos ad huiusmodi prompta voluntate accipienda. In hoc autem magna est prudentia adhibenda: ne talis probatio conuertatur in tentationem dæmonis, ad nostram perniciem. Quare non timidis & pusillanimibus, sed feruentibus & strenuis hæc via seruiet: adhuc ne locum habet, vt ob oculos nobis res tales proponamus: quæ poenam & dolorem adferunt statui nostro accommodatum; & quæ, vt plurimùm, euenium. Estque omninò ad rem, eas præmittere alicui cæpto, ad pugnæ spirituali valde difficili ac periculosæ, quæ videtur imminere. Quomodo Christus Dux noster voluit ad nostrum exemplum seipsum probare, antequam passionis conflictum ingrederetur: Ita enim scio

Probatio propria quandoq; pernicies nostra.

2.

horto

horto Getsemani exercebat, excitans nouo quodam modo suam imaginationem repræsentatione rerum omnium amararum, & ignominiosarum, quas erat subiturus: vt sic apprehensæ producerent grauissimos affectus d *timoris*, e *tedii*, *tristitiæ*, & f *agoniæ*, cum tanto sensu, quasi caro ipsam pugnam Passionis effugere vellet. Sed prodijt statim spiritus ad pugnandum & vincendos illos affectus: qua victoria obtenta, etiam ipsa caro animum & spiritum assumpsit, ad sustinendam pugnam passionis, quam expectabat: in qua victor etiam euasit, sicut in prima. Hunc in modum licebit tentare, & probare teipsum proponens tibi ob oculos res amaras, & pœnam adferentes, quæ sunt in lege Dei, & in statu in quo es; & in ipso insigni facinore, quod aggrederis. Quod si videris carnem timores multos & angustias proferre: pugnandum tibi est, & seriò luctandum, donec victoriam obtineas: offerendo teipsum magna voluntatis promptitudine ad labores imminentes. Et hæc prima victoria disponet te, multumque iuuabit, ad obtinendam secundam, cùm ad ipsam pugnam peruenerit. Quare ad præueniendas dæmonis tentationes, plurimùm refert, has probationes esse expertum, & victorem ex eis euasisse: nam & ipse dæmon refugit tentare eum, quem videt adeò firmo & generoso animi decreto munitum. Ac propterea Sanctus Basilius dixit: eos, qui de statu perfectionis assumendo cogitant, debere se adeò firma voluntate, certoque ac resoluto iudicio munire: vt maligni spiritus non audeant suis tentationibus eos aggredi. Quæ sententia significat: eosdem malignos spiritus vereri, eos aggredi, quos vident tanta constantia munitos: ne pudore suffusi pugna recedant. Sed etsi dæmones experiri fortunam velint suis tentationibus & persecutionibus; generosa tamen hæc animi resolutio, labores ac molestias acceptandi, quas ob oculos positas aut imaginatione concepimus, plurimùm ad eas vincendas confert. Solet enim Dominus noster huiusmodi fauore & auxilijs eam remunerare, vt graues nobis non sint, sed potiùs iucundum, eas aggredi, & cum eis congredi. Vt videre licet in eo, quod euenit tribus pueris, quibus Nabuchodonosor minabatur, nisi statuam auream adorarent, mittendos in fornacem ignis ardentis. Cui illi insigni animi resolutione & fortitudine responderunt: *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, quia Deos tuos non colimus*, etiamsi in ipsa fornace igne consumamur. O virile animi decretum, diuinum potius quàm humanum! in quo simul conuenerunt confessio diuinæ Omnipotentiæ ad eos ex illo igne liberandos, si vellet; & firmissima voluntatis resolutio diuina gratia adiuta, ad tantum iucundium tolerandum, si eos non vellet Deus liberare. Sed nec bonitati diuinæ voluntas, nec eius Om-

d *Mat.* 26. 37.
e *Mar.* 14. 33
f *Luc.* 22. 44.

De constit. Mona. c. 20.

Dan. 3. 17.

Vers. 49.

nipotentiæ potestas defuit. Nam vix tres pueri in fornacem missi fuerunt, cùm *descendit Angelus Domini in ipsam fornacem, & excussit flammam ignis de fornace; & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Ex quo felicissimo exitu, licet intelligere, quanti Deus faciat generosum & efficax animi decretum sustinendi & patiendi quidquid ipse voluerit, & occurrerit, obsequij eius causa. Dic igitur tentari, aut tibi ipsi: potens est Deus per suam Omnipotentiam liberare me à calamitatibus & amaritudinibus, quæ occurrunt in vita Christiana, & Religiosa; & easdem valde mihi iucundas & suaues reddere: quod si hoc fauore mecum vti noluerit; sed permittere me in cruce perpetua & amaritudine viuere: ego tamen certò decreui, idola mundi & auream carnis statuam non amplius adorare: cuius causa paratus sum, quemcunque calicem laborum & ærumnarum haurire, etiamsi amarissimæ illæ sint: imò & ipsam vitam, si opus erit, exponam: vt creatori meo in omnibus, quæ præcipit, fideliter semper obediam. Quod si ex toto corde & animo generoso hæc feceris: poteris certus esse, Deum Omnipotentem id tibi adfuturum, & missurum è cœlo Angelorum subsidium, ventumque fortium inspirationum, & rorem consolationum spiritualium in ea copia & abundantia, quæ tibi expediet: vt ex omnibus occurrentibus congressibus etiam grauissimis victor euadas.

Deus succurrit forti.

Est Avtem operæpretium aduertere, in vtroq; prædicto modo probationum, quòd licet adhuc in sæculo manens, vel initio Tyrocinij, aliquid in corde teneritatem & mollitiem sentias ad res temporales, quibus renunciare cogitas: non tamen propterea debeas animum abijcere: nam statim atque è sæculo exieris, breui temporis decursu, affluente diuina gratia euanescet tota illa affectio tenera, & cor reddetur forte & constans in obsequio diuino, vt valde futurum tibi sit iucundum, ea omnia deseruisse. Gemmam Lib. 9. c. 33. ait Plinius generari in concha maris ex rore cælesti: quæ, quamdiu est inaqua, est mollis; sed statim atque extrahitur ex mari indurescit, magnamque pulchritudinem acquirit. Ita bona desideria & proposita, quæ ex diuina vocatione concipis, quamdiu in sæculi mari hæres, aut etiam in ipsis initijs postquam illud deseruisti, mollitiem aliquam habent; & periculum est tempestate tentationum ne euanescant: at cùm omninò sæculum deseruis, & occasiones, quæ in eo te retinebant: solidabuntur maiusque robur acquirent; & vita ipsa religiosa erit tanquam preciosa margarita precij inæstimabilis,

(.·.)

CAPVT

CAPVT VII.

CAVSÆ CVR ALIQVI TYRONES VOCATIONI *suæ desint, & ad sæculum redeant; earumque remedia.*

NON EST nouum, quòd multi exeant è sæculo, & vitam religiosam auspicentur, qui postea tentationibus victi deficiant, & ad miserandum, in quo antea erant, statum reuertantur: siquidē a *multi discipulorum* Christi *abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant*. Causas huius inconstantiæ ac mutabilitatis fusiùs explicuimus in vtroque tomo præcedenti, sumpta occasione ex euentu duarum mulierum Ruth, & Orphæ, quæ simul exiuerunt ex Regione Moab, relinquentes suam patriam, domū matrum suarum, ac Deos, quos ita adorabant; vt comitarentur Noëmi in ciuitatem Bethlehem, in qua verus Deus adorabatur. Et quamuis Ruth strenuè perseuerauerit in omnibus probationibus & congressibus: Orpha tamen defecit à bono suo proposito, & post breue spatium redijt ad populum suum, & ad Deos suos, pertracta amore, quo illos prosequebatur; & moribus, quibus fuerat enutrita. Sed nunc exemplo huic duarum mulierum addemus aliud illorum quatuor, qui Dei vocatione deseruerunt Sodomam: iussit enim, illos in itinere b *non respicere post tergum*: ne cum Sodomitis perirent. & quamuis Loth, duæq; eius filiæ huic præcepto paruerunt: *vxor* tamen *eius respexit post se, & statim versa est in statuam salis*. In quo exemplo, ait S. Augustin. repræsentari duo genera personarum, mundum deserentium, quædam enim perfectè & constanter eum deserunt, sicut Loth; aliæ verò tepidè, respicientes retrò, sicut eius vxor. Cuius miserabilem lapsum reuocat nobis in memoriam Christus D. N. loquens de tribulationibus ab Antichristo inferendis. c *Tunc*, inquit, *qui in Iudæa sunt, fugiant ad mōtes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro*, siue in itinere, *non reuertatur tollere tunicā suam*. d *Memores estote vxoris Loth*. Cuius sententiæ mysticum sensum explicant SS. Ambr. Hilar. & Aug. quasi dicere voluerit: qui salutē suam certam, ac securam habere volunt, fugiētes pericula, quæ in mundo occurrunt, si vitam communē reliquorum hominum duxerint; fugiant inde, & cōscendant montes: contendentes, vt saluentur in celsitate perfectionis Christianæ. Et qui iam in tecto est domus suæ eò quòd intra suam conscientiam conscenderit ad culmen perfectionis: is non descendat, vt rebus terrenis, & carnalib. huius vitæ sese implicet; & abijciat ad ea, quæ ante deseruerat. Et qui in agro laborat, hoc est bonis operibus sese impendit: nō respiciat retro, neq; tunicam quærat, quā domi reliquit; vt vestē nerū induat veteris hominis, & opera resumat, quibus iā renunciauerat.

a *Ioan. 6. 67*

To. 1. tract. 2. c. 3. & 10. 2. tra. 2. c. 7

b *Ge. 19. 17.*

Vers. 26. Ser. 34. ad fratres in Eremo.

c *Mat. 24. 16.*

d *Luc. 17. 32 Lib. 8 in Lucā c. de eo quod horā aduētus. Canon. 25. in Matth. Li. 2. de qq. Euangel. c. 41. tom. 4.*

vt vni-

Et vniuersim; qui ad culmen vitæ contemplatiuæ conscenderunt, aut in-
peribus actiuæ sese exercent: sint constantes in inceptis; nec ob respectum
al quem, aut prætextum humanum retrò aspiciant. Cùm igitur religiosi
qui mundum deseruerunt, iam habitent in tecto, & loco sublimi [illegible]
ac domus Dei, hoc est, Religionis: ne descendant ad aream seu ingressum
domus, redeuntes ad vilitatem status sæcularis: in quo sunt impedimenta
& strepitus rerum temporalium: quas, vt Deo seruirent, reliquerunt.
Cumque egressi iam sint ex terra sua, & ex domo Patrum suorum; labo-
rentque in agro sacræ Religionis; in quo Euangelicæ perfectionis thesau-
rus latet: non reuertantur amplius in domum suam, nec tunicam indu-
vitæ sæcularis, quam semel exuerunt: sed constantes perseverent, nec
dum cum feruore fugientes, donec voti sui compotes fiant. Memento
vxoris Loth, dicit Christus, cui Deus illud contulit beneficium, vt ex
domis & eorum periculis eam eriperet; quæ, dum fugeret, substitit, &
spexit retro: propter quem in sua fuga languorem, conuersa est in
tuam salis, in perpetuam omnium hominum cautelam & exemplum.
Lib. 19. de Ciuit. c. 30. & lib. 24. qq. Euang. c. 45. Tom. 4. & in Psal. 83. Lib. 6. in Genes. c. 11.
Nam, vt Sanctus Augustinus perpendit: vbi respexit, ibi remansit; & per-
tuò manebit: vt ignorantes & inconstantes instar salis saliat; monean-
cautos fieri ex alieno malo, ne similis pœna veniat super ipsos, & ipsi qui-
que lapides fiant cautelæ pro alijs. In hodiernum diem, ait Rupertus, q
cunque, sicut canis, redit ad vomitum, conuertitur in statuam salis Nam
pernicioſus sit sibi: alijs tamen est vtilis: qui aspicientes in eius infelicem
finem, cauti euadunt; & sese continent, similem timentes punitionem.

§. 1. *Tres radices & causæ non perseuerandi in Religione.*

SED, cùm Saluator noster iubeat nos in exemplum inconstantis mu-
ris aspicere: producamus in lucem causas eius inconstantiæ, in qua
licebit sex præcipuas radices ad viuum depictas obseruare: ex quibus
næ & lapsus multorum proueniunt, qui à sua vocatione deficiunt, tam
tyronibus, quàm ex Antiquis. *Prima* radix & causa esse solet imbecillitas
1. exigua in prima sua resolutione firmitas: eò quòd exitus ex mundo non
fuerit cum firma & virili resolutione, illum in perpetuum relinquendi
neque cum plena Dei vocatione propter fines scilicet, & motiua perpen
sed propter impetus aliquos, aut respectus humanos; non satis profunde
maturè considerantes, quid agerent. Quales sunt, qui ingrediuntur Re-
gionem ex aliquo naturæ impetu; aut quod aliqui socij eam ingrediun-
tur. Cùm enim hic respectus & motiuum breui euanescat; ita & volun-

quæ illi innitebatur, facilè mutatur. Eum in modum, quo Orpha exiuit ex Moab, quòd videret sociam suam Ruth exeuntem. Sed breui defatigata, sequi eam cessauit. Et fortè vxor Loth ex Sodomis, non tam ob timorem, vt cum suis conciuibus igne absumeretur; quàm quod videret, virum suum, quem comitari decebat, exire. Sed, cùm non ita sponte & lubens exiret, non potuit gressus eius, qui valde erant celeres, sequi: ideoque subsistit respiciens retrò versùs Sodomam, vnde exiuerat. Vt plurimùm enim, qui ob huiusmodi humanas causas, & motiua ex mundo exeunt, cùm non possint celerem feruentium suorum comitum, qui ex diuinis motiuis exierunt, gressum assequi: tandem defatigantur, illosque deserentes, respiciunt retro, bona, quæ reliquerant, & quæ illis arrident suspirant, vt ad ea redeant. Quamobrem maximi ea momenti vt initio fiat resolutio cum magna firmitate innitendo promissis, aut comminationibus diuinis: quæ huiusmodi mutationes non ferunt.

2. Non fugere vitia secunda radix defectibilitatis.

HINC *secunda* oritur inconstantiæ radix in ijs, qui vera Dei vocatione mundum fugiunt: sed adducunt secum aliqua vitia, & mores improbos, quibus infecti erant, non detestantes eos ex toto corde; sed etiam in rebus leuioribus aditum eis præbentes: & sic sensim inclinant, vt ad eos redeant. Si enim cum feruore mundum fugissent; consilium illud sequi debuissent, quod Christus Dominus noster suis proposuit Apostolis, dicens: a *quicunq; non receperit vos, exeuntes de ea domo seu ciuitate excutite puluerem de pedibus vestris*, quasi dixerit: ita ab eis recedite, & fugite, vt nihil, quod ipsorum sit, vobiscum accipiatis; ne quidem puluerem, qui vestris pedibus adhæsit. Et, qui ex Sodomis exit cum feruore sicut Loth, debet eius puluerres excutere ex pedibus suis, exuendo quodcunque vitium, & inordinationem mundi, quantumuis minimam: ne occasionem habeat in grauia aliqua labendi; seseque maculandi vitijs mundanorum. Lutum Sodomæ sunt peccata grauia, de quibus dicit Ezechiel: b *hæc fuit iniquitas Sodomæ: superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium, & quod manum egeno, & pauperi non porrigebant*: ex quo in horrendas obscenitates est lapsa. Puluis autem eiusdem Sodomæ sunt peccata leuia, & quasi affinia horum vitiorum in materijs proprijs Religiosorum, quales sunt aliqua superbia, aut honoris ambitio in rebus spiritualibus; saturitas aliqua, gulositas, aut in rebus superfluis proprietas; aut aliquis modus ortij, aut charitatis defectus erga suos fratres. Ex his pulueribus lutum illud prouenit; & ex consuetudine in rebus paruis oriuntur, aut vitescunt potius in magnæ, quæ tanquam mortem tacebant: cùm tamen mortuæ non essent. Nam in ipso exitu ex mundo illas portauit in corde; sed tectas tamen, & quasi laruatas. Eum in modum, quo Rachel, fugiens ex domo Patris sui Laban, c *furata est idola patris*

a Mat. 10. 14

b Ezech. 16. 49.

Rachel fugiens sustulit ido a Patris.

c Gen 31. 19. S. Chrysost.

tris sui, secumque abstulit. Nam vt graues Doctores asserunt, ad illa ea affecta, & propensa: volebatque ea occultè in via adorare: Ita aliqui mundum fugientes, vt Religionem ingrediantur, accipiunt secum in corde retentia quędam idola vitiorum, in quibus fuerunt enutriti: nam mutatio morum morti ipsi æquiparatur. Quare occultè illa adorant, thus aliquod illis offerentes, & interdum facientes aliquid, quo illa fouent & conseruant. Et propterea nec in spiritu proficient, neque in statu illo perseuerabunt: nisi omnino exuant. Nam quemadmodum Laban persecutus est Iacob, quærens idola sua, & nisi *Rachel ea occultasset subter stramenta cameli, & sedisset desuper*, periculum imminebat vitæ: eò quòd esset lata sententia, vt apud *quemcunq; Deos suos Laban inuenisset, necaretur.* Ita etiam dæmon & mundus sequuntur fugientem & asportantem maledicta huiusmodi idola: quam pœnitentia, vt ait S. Gregorius, ea abscondat, calcando tanquam rem contemptibilem: periculum est, ne mundus captiuum eum, & morti culpæ subiectum reducat. Domus enim DEI non potest talia idola ferre. Quare ea corde seruans; breui cum Orpha redit ad locum, vbi ea consueuit adorare.

Rupertus Gennadius, & alij apud Lipoma in Catena.

Versu. 34.

Lib. 3. moc. 16.

3.

HVIC inconstantiæ radici affinis est *tertia*, nimij amoris & affectus parentes & bona temporalia, quæ in sæculo reliquerunt. Hæc vxorem Lot prostrauit, & ipsius Loth constantiam probauit: nam Sodomis habebat amicos, & notos; domos & agros, multosque greges. Quoniam igitur mulier vehementi harum rerum affectu, quasi vincta tenebatur, grauiterque ferebat eas deserere; & cùm audiret strepitum ignis è cælo super Sodomam descendentis, contempto diuino præcepto, respexit cum ingenti suo dolore, quasi cupiens si licuisset res suas contra diuinæ iustitiæ decretum, tuere eripere. Quæ iustitia diuina eam statim in statuam lapideam conuertit, significans eius tenerum affectum perpetua lapidis duritie. Quo facto monemur Religiosos, vt exeuntes ex mundo, relinquant omnino inordinatos ad parentes & cognatos, & ad res omnes, quas habent, affectum: magnum feruore mortificantes. Alioquin nec celeriter fugere, nec securitatem & firmitatem vnquam habere poterunt. O stulti (ait Sanctus Bernardus) si fugitis mundum ob periculum pereundi in eo, & res omnes quas habebatis, in eo relinquitis. cur ergo vobiscum, catenas & compedes portatis quibus vinctos vos tenet? Sed faciamus, eos esse aureos: melius tamen est sine illis fugere, ac saluari: quàm eorum causa damnari. Compedes sunt affectus ad personas, & res quæ in mundo remanent. Confringite istos compedes; mortificate inordinatos affectus; obliuiscimini omnium quæ in Sodomis habebatis; ne affectu aliquo terreno ad ea respiciatis, & dolore afficiamini, eò quòd reliqueritis. Nisi enim id faciatis: eò

Serm. in id Beatus homo qui inuenit sap.

genietis, vt veritate & spiritu Religionis amissis, maneatis; vt sanctus Basilius ait, tanquam figura & statua eius. Et quidem erit statua salis: vnde alij cautiores fiant: sibi autem erit tanquam terra proditorum d *in qua sal dispergebatur*: vt semper maneret sterilis & inutilis. Contendite iustum Loth imitari: qui etsi grauiter ferebat è Sodomis discedere: quam primum tamen exiuit, oblitus est rerum, quas in ea reliquerat: nec pluris eas fecit, quàm si ad ipsum non spectassent: & ita exactè Dei præceptum seruaret; vt nec respiceret illas quidem.

De Const. Monast. c 21 d Iudic. 9. 45

Nec vacat mysterio, quòd cùm Loth esset in Sodomis, etsi eorum peccata videbat, & cum illis versabatur, dicit tamen de eo Sanctus Petrus: quod e *aspectu & auditu iustus esset: habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant*. & nihilominus, cùm Dominus eum inde eduxit, prohibuit *respicere post tergum*: vt significaret, quod protectio diuina subueniat iustis in casibus coactis: cum scilicet non possunt se excusare ab agendo cum improbis; sed cum ab impia illa societate eos eripit, vult eos omninò eius obliuisci: nam tunc vel ipse aspectus tribueretur vanitati, aut sensualitati, aut curiositati: & periculo se exponerent, aliquem affectum ad malum concipiendi; quando absque causa libenter illud aspiciunt.

e 2. Pet. 2, 8

Genes. 19. 17

§. 2. *Aliæ radices occultiores.*

ALIÆ sunt radices siue causæ magis occultæ non perseuerandi in vita religiosa. Quæ deprehenduntur ex causis, quas Deus habuit, vt præceptum hoc Loth imponeret. Nam si humanis oculis illud intueremur, possemus dicere: potiùs futurum fuisse expediens, vt Loth totaque eius familia supplicium illud Sodomorum intueretur, cùm illud esset iustissimum; &, vt Sanctus Petrus ait; *in exemplum positum eorum, qui impiè iacturi essent*, æterni scilicet supplicij, quo impij, in inferno erunt afficiendi. Nam quemadmodum terreni iudices, cùm furem aliquem suspendunt, aut hæreticum comburunt, libenter vident, plurimum populum conuenire, ad supplicium illud aspiciendum: vt in alieno capite exemplum accipiant; & culpam fugiant, ne pœnam subeant adeò grauem: ita videtur potuisse Deo Domino nostro placere, vt Loth & eius familia horrendum illud incendium aspicerent, vt maiorem conciperent horrorem de peccato, & igne æterno, quo illud punitur. Sed diuina Sapientia profundiora alia habet consilia in gubernatione hominum, in quos beneficia confert singularia. Vult enim simul eos tentare & probare (vt capite quinto est dictum) imponens eis aliquod præceptum, in cuius obseruatione manifestare possint proprij iudicij re-

Iudices in iudicio de confluxu populi gaudent

signationem; & voluntatis promptitudinem, fidelitatem, & constantiam quam in rebus eius obsequij habent; & animi gratitudinem: qua tantis benefactori respondent: eadem verò opera in obedientia proficiant, vt ampliora adhuc beneficia à diuina eius liberalitate obtineant. Quamuis autem aliquando in eundem finem iubeat aliqua valde difficilia, quæ humanam rationem & facultates nostras exceedunt: quale fuit, quod iussit

a *Gen.* 22. a *Abrahamum offerre sibi filium eius vnigenitum Isaac*; Et b *Isaiam Prophetam*
b *Isa.* 20. 3. *nudum & discalceatum per plateas Ierusalem* ambulare: alias tamen iubens minores, & primo aspectu, parui momenti: in quibus ostendere possent iudicij sui subiectionem; & quæ facilè impleri possint: ne, ob rei difficultatem territi, deficiant: & in re facili ostendant fidelitatem, quam grauiori essent seruaturi. In eundem finem cùm Deus Adamum creasset

c *Genes.* 2. 17 & posuisset in Paradiso, c *prohibuit comedere de ligno scientiæ boni & mali*, qui fructus ex se non erat malus; & præceptum poterat seruari; & ideò permittere et Prophetam quendam contra Regem Ieroboam, qui Prophetam

d 3. *Reg.* 13. 9 mirabilia præstitit: iussit tamen, eum d *non comedere panem, nec bibere aquam* in loco illo; sed ieiunum redire in domum suam. Et propter eandem causam cùm insigne illud beneficium in Loth, eiusque familia

e *Gen.* 19. 17 conferret, educendo saluos illos ex Sodomis, iussit, e *ne respicerent post tergum*; sed rectâ pergerent ad *montem, in quo saluarentur*. Quæ res facilis erat, quia solùm complectebatur actum quendam modestiæ, in parua quadam mortificatione curiositatis videndi: vt sic probaretur fidelitas, subiectio & animi gratitudo erga tantum benefactorem: & simul indicium daretur quod essent in rebus grauioribus fideles futuri, qui in leuioribus fidi essent. Si autem contra in huiusmodi probationibus ostendunt infidelitatem & pertinaciam proprij iudicij, contemnentes huiusmodi res parui aut iudicantes, parui esse momenti: magnum dant indicium, quod non sint futuri fideles & prompti in rebus alijs maioribus: ideoque talis illorum culpa valde est pernicioſa: eoque grauior erit pœna, quò fuisset facilior euitare culpam: vt apparet in tribus prædictis casibus. Nam Adamus ob suam inobedientiam eiectus est ex Paradiso & Propheta ille, qui in itinere comedit panem, fuit occisus à Leone, antequam ad suam domum perueniret; & vxor Loth conuersa est in statuam salis: vt ex hoc merito cognoscatur ijs, qui Deo suo infideles sunt & inobedientes. Iuxta dictum

Sapien. 10. 7 Sapientis: f *incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*: quasi dicat: statuam illam salis, in quam vxor Loth fuit conuersa, permanere solum per tanquam memoria incredulæ & inobedientis animæ. Quam mentem ideò incredulam appellat; & iudicantem, incredibile esse, quod diligat Deum: inobedientia enim orta fuit ex incredulitate: vel quòd non credat

Vide Pererium ibi disp. 3.

derit, prohibitionem illam factam esse in suam vtilitatem, ne periret; & existimans, se ob adeò exiguam rem non fore adeò seuerè puniendam: aut, quòd existimaret, minas tantùm fuisse ad terrendum: non verò ad re ipsa puniendum. Nec deest, qui dicat, quòd, cùm illa Sodomitas amaret, ita fuerit ab inordinata illa affectione excæcata: vt iudicaret malè de diuinis iudicijs, quasi supplicium illud Sodomitarum esset nimis seuerum. Ex hoc euentu apparet: præcipuam defectionis à vocatione radicem & causam, esse incredulitatem, aut fidei extinctionem in rebus pertinentibus ad salutem obtinendam; & ad pericula ac mala, quæ sunt in mundo, vnde exeunt; & ad bona, quæ sunt in monte Religionis, ad quem pergunt. Cùm enim fides sit Christianæ vitæ fundamentum: si ea aliquibus dubijs, & quasi nebulis tubet: non potest firmum permanere ædificium. Siquidem domus super arenam fundata statim, atque oppugnatur, deijcitur. Et propterea fortè fuit Euæ superata: eò quòd dubitauerit de sententia Dei, quasi tantùm fuissent minæ. & ita dixit serpenti: g *præcepit nobis Deus, ne comederemus de ea arbore,* ne FORTE *moriamur.* Euæ filij sunt, increduli, qui non sunt firmi in sentiendo, vt par est, de rebus fidei: ex quo prouenit, vt fiant inobedientes & conculcent præcepta & regulas sui status: quam ob rem permittit Dominus noster, vt eijcientur ex paradiso Religionis; & pereant vnguibus Leonis rugientis, & quærentis, vt illos deuoret; & conuertantur in statuam salis, in exemplum aliorum. Feruentes autem imitantur fidem Loth, adhibentis fidem verbis Angeli; qui timens, se periturum; si vel caput verteret, perrexit absque mora ad finem sui itineris. Nã, vbi fides est viua & constans, magnum est pignus perseuerantiæ in vocatione, cui ipsa fides dedit initium. Sic enim Apostolus ait: h *Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem acceptarus erat in hæreditatem: fide, demoratus est in terra promissionis: Fide, Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis*, & ita fugit ex Ægypto, *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Stude igitur altas in fide iacere radices: vt perfectionis ædificium, illi innitens, firmum maneat & immutabile: i *homo* enim *sensatus* (vt Ecclesiasticus ait) *credit legi* DEI: certò sibi persuadens, quicquid illa præcipit, bonum esse, ac vtile; quod verò prohibet, esse malum & noxium. Et huic credulitati vitam suam accommodat, & in suo statu perseuerat: nam & *hæc est illis fidelis*, eum remunerans, & adiuuans: vt in eius custodia perseueret, sicut oportet.

4.

g Gen. 3. 3.

Incredulitas fiunt inobedientes.

h Hebr. 11. 8. 24.

i Eccl. 33. 3.

5.

HINC oritur *quinta* radix inconstantiæ hoc est ipsam religiosam vitam tepidè inchoare, cùm is, qui ingressus est, sese occupat in diiudicandis rebus ipsius Religionis, quæ ad ipsum non spectant, aut quas Prælati ipsi iniungunt: parui faciens transgressionem aliquarum regularum ma-

in materia parua; aut iudicans, eas non esse valde magni momenti; ideoque non multum nocere, etiamsi violentur: nec magni faciunt tepidi feruoris illum, quem Dominus noster requirit ab exeuntibus ex Sodomis, dicens eis, vt pergant versus montem, nec hæreant, aut stent etiam tã breui spatio, quale est caput vertere, vt Sodomam respiciant: k *nemo enim aptus est regno Dei, qui mittens manum suam ad aratrum, respicit retro.* Ex vno enim oculo & vano aspectu solet aliquid oriti, quod animam grauiter lædat. Quis dicere potuisset Dauidi, l *deambulanti in solario domus regiæ*, & incautè oculos conijcienti, & *videnti mulierem se leuantem*, quòd incautus ille aspectus futurus illi esset causa tanti scandali, ac detrimenti sibi ipsi, totique eius regno eo ipso dic; quo res paruas contempseris; vereri meritò potes, te in maioribus casurum. Nam, quemadmodum stillicidia, etsi parui momenti videantur; si tamen contemnantur, hominem domo expellunt: ita parui huiusmodi defectus solent eum expellere ex Religione, permittente DEO, vt incidat in grauiores nam, vt ipse CHRISTVS dixit: m *qui in modico iniquus est, & in maiori est iniquus*; & qui, dum tentatur in rebus paruis, debilem se præbet: non mirum est, quod talem se præbeat, dum in grauioribus tentatur.

k *Luc.9.62*

l *2.Reg.11.2.*

m *Luc.16.10*

Hoc ipsum melius intelligetur; si gradus perpendantur, per quos infelix illa mulier ad tantam deuenit miseriam. Cum enim Angeli dixissent Loth, vt n *festinaret*, promittentes ei, se eon priùs Sodomam deleturos, *donec ipse ingrederetur in Segor*: ille properabat, vt citò perueniret; & vxorem ac filias vrgebat, vt gressum accelerarent: & filiæ quidem id fecerunt, & cum patre suo ingressæ sunt in Segor. Vxor verò vt quo illibenter, & quasi inuita iret, pergebat tardè, ita vt cùm peruenit prope Segor, sola iam esset; cumq; tunc strepitus audiretur sulphuris & ignis de cœlo descendentis, *respexit illa post se*; & sic vita priuata est, & bono suo comitatu.

n *Ge.19.22.*

6. Tarde in via perfectionis ambulare facit deficere.

CVM quo euentu coniunguntur mysticæ aliæ causæ, à diuina Vocatione deficiendi: tardè scilicet ac tepidè in via perfectionis ambulare, non sequi eum, qui ipsorum est quasi caput ac Dux; relinquentes eius consilia & monita, seperare se ab ipsa communitate, & solum ac seorsim agere cum aliqua vitiosa singularitate. Quemadmodum enim hæc mulier quamdiu virum suum sequebatur, & cum ipso, ac filiabus pergebat, fuit secura; cùm verò ab eis recessit remansit sola, substitit, & aspexit post se: ita Religiosi ignauiam excutientes, suumque Ducem sequentes, & cum sua communitate ambulantes, eaque custodientes, quæ illa sectatur: hi, inquam, tutissimi viuunt, propter auxilium ac directionem Prælatorum,

& bonum sociorum reliquorum exemplum : qui verò se subtrahunt' fiuntque singulares, nolentes reliquos sequi : periculo se exponunt defatigationis, & subsistendi, ac retrocedendi. Tunc enim accedit dæmon, & eos aggrediens, facilè vincit: sicut serpens aggressus fuit Euam, cùm solam, & à viro suo separatam vidit : ideoque facile in congressu illo præualuit. Et propterea dixit Ecclesiastes: o *melius est esse duos simul, quàm vnum solum: habent enim emolumentum Societatis suæ: nam si vnus ceciderit, ab altero fulcietur; & si dormierint duo fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet?*

Solum dæmon facilè vincit.
o *Eccl.* 4.9.

Sed quoniam in communitate alij sunt feruentes, alij desides: qui perseuerare in ea cupit, priores æmuletur, non posteriores: sicut filiæ Loth, etsi quòd fœminæ essent, naturaliter potuissent, matri potiùs se coniungere, quàm Patri: sed quòd timerent, secutæ potiùs sunt patris consilium gressus properantis; deseruerunt verò matrem, valdè tardè procedentem; munò se exhortantes, vt properarent cum illo, & sic ad terminum tandem cum illo peruenerunt, vitasque suas seruarunt. ita Religiosi, cupientes in statu suo fructuosè perseuerare, recedunt à tepidis ac desidibus, etiamsi alioquin sibi charis: nec eorum exempla sequi volunt, ne cum illis pereant: sed potiùs amplectuntur consilia, & exempla sequuntur feruentium, mutuò se ad festinandum exhortantes; nec vllo modo retrocedendum, sed progrediendum vlterius, donec ad perfectionis culmen perueniant; &, quam quærunt, salutem assequantur.

Ac deniq, ob oculos proponere sibi debent circumstantiam illã deflendam miseræ huius mulieris, quæ cùm periculum euasisset: pereundi in Sodomis: tamen cùm plus quàm tres partes sui itineris confecisset, essetque prope portum salutis, & iam prope, vt ingrederetur Segor, & ita salua esset: ibi tamen substitit ex pigritia; & retro aspiciens ex sua inconstantia, perijt. Vt hinc timorem concipias, ac tremas de tua mutabilitate; & non relaxes, nec ad punctum, feruorem tuum vsque ad mortem. Fortè enim, cùm relaxare incipis; iam es prope finem: estque vehementer dolendum, propterea quòd tantillo temporis spatio non pergas, amittere coronam & fructum totius tui laboris transacti. Quemadmodum euenit infelici Regi Saul, quem Samuel iusserat p *expectare per septem dies, ipsum aduentum*: Saul-

p 1. *Re.* 13. 8.

tamen ad finem septimi diei expectando defatigatus, amisit perseuerantiam reliquorum dierum; & regnum, quo potiebatur. Cùm igitur noscias, quantum tibi vitæ superfit: caue ne retro vel ad momentum cedas: forte enim illud est vltimum vitæ tuæ, tuæque damnationis æternæ initium.

Sed

SED ne quis exijs, quæ diximus, existimet: quemcunque retrocedendi modum esse lethale peccatum: aduertendum est, quòd quemadmodum ingressus in Religionem semper est liber, & ex consilio tantum: ita perseuerantia in ea Nouitijs est libera, donec vel professionem faciant, vt tria vota reddant, aut aliquo speciali voto se adstringant perseuerandi, & non redeundi ad sæculum. In his enim omnibus casibus perseuerantia non cadit sub obligationem: vt non liceat retrocedere absque lethali crimine. Sed etiam ante hanc perseuerandi obligationem, inconstantia in bene cæptis, cùm oritur ex animi leuitate, aut pusillanimitate, & animi abiectione, etiamsi ad lethalem culpam non perueniat: est tamen valdè periculosa, & exposita occasionibus grauium lapsuum, ac miseriarum, propter motiones iam positas; & plures alias inferius ponendas. Quæ etsi Nouitijs & antiquioribus sint communes, aliter tamen his, & illis sunt applicandæ.

CAPVT VIII.

INCONSTANTIAM REDEVNTIVM AD SÆCVLVM ESSE *debilium tentationem; & qua ratione sit vincenda; quidq; Prælatum his casibus sit agendum.*

Redeuntes ad sæculum alijs nocent.

QVI EX ANIMI pusillanimitate, tentationibus succumbentes ad sæculum redeunt, non solùm Deo sunt inhabiles, sibiq; ipsis noxij, sed etiam detrimentum aliis adferunt, præcipuè debilibus, & in Religione adhuc remanent, ut qui priùs eorum erant boni socij & amici: accedente Sathana, multisque vijs & modis eos aggrediente. Prima via est mali exempli, quod ad oculum vident. Quemadmodum enim feruentium Religiosorum, mundumque deserentium, in Religionem ingrediantur, exempla, media sunt diuinæ vocationis ad alios deducendos, qui illos sequantur; (vt supra est dictum) ita è contra inconstantia deficientium à Religione, medium est, quo dæmon vtitur, ad alios pertentandos, & inducendos, vt illos sequantur: suggerens illi interna, aut per improbum aliquem consiliarium, quod illa Noëmi, Nurus suæ Ruth dixit, cum eius socia Orpha rediit in regionem suam Moab, ex qua egressa erat: *ecce, inquit, reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, reuertere & tu.* sic inquã dæmon, cùm aliquis deficit à suscepta Religione, tẽtat alios

Tract. 4. c. 5.

a Ruth. 1. 15.

dicens

dicens socius tuus redijt ad sæculum, ad parentes suos, ad delitias quas deseruerat: redi & tu quoque. Quẽ in ingressu Religionis fuisti secutus: sequere etiam in exitu. An tu maioribus polles viribus, quam ille? si alio tempore Religionem es desertuus: melius est, nunc deserere, vt eum comiteris. Neque enim quòd exierit, & retrocesserit, versus est in statuam salis: nec tu propterea conuerteris. Potiùs eris sal sapientiæ ac discretionis, si non prosequaris quod perficere uon poteris. Hoc modo Sathan debiles ac simplices, fidem ipsi adhibentes, decipit: quamuis semper id faciant cum aliquo remorsu conscientiæ, quòd malè agant. in quibus locum habet illud Prophetæ: b *miles captiuus abductus est: & ancillæ eius minabantur gementes, vt colũbæ, murmurantes in cordibus suis.* Quis enim hic miles, nisi Religiosus, qui in profectu suo feruentior videbatur? & Dæmonis persuasione feruorem & constantiam suam amisit, & ad mundum redijt, non tanquam liber, sed captiuus: nam licèt exeundo quærat libertatem; exit tamen captiuus, & à suis passionibus, sensuumque affectibus raptatus: quibus Dæmon eum comprehendit, ac ligatum extraxit è Religione: Quem ob eius malum exemplum sequuntur ancillæ, hoc est, debilium ac simplicium animæ, quasi d *columbæ fatuæ, non habentes cor*, ad resistendum volenti, eas è suo columbario & nido extrahere. Cùm autem malum aduertant, quod faciunt, eunt gementes perniciem suam, & murmurantes in corde suo: ipsa enim conscientia pulsat, reprehendit in eo ipso, quod faciunt.

b Nahu 2.

d Osee 7. 11.

Sed vlteriùs adhuc progreditur improbitas quorundam, qui dum ipsi à sua vocatione deficiunt, præbent se Dæmonis ministros, tentantes alios, non solùm malo suo exemplo (vt S. Gregorius aduertit) sed verbo etiam sollicitantes socios, & amicos suos; & suadentes, vt cum ipsis exeant: adferentes, ad id persuadendum, rationes, quibus ipsi inducti, ad sæculum reierunt. Hoc autem interdum faciunt, vt leuitatem & inconstantiam suam tegant, si socios aliquos in ea habeant. Hi sunt infelices illi, de quibus Saluator dixit: e *necesse est, vt veniant scandala: veruntamen ve homini illi per quẽ scandalum venit! Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Scandala sunt occasiones, quas, qui deficiunt, malis suis exemplis & persuasionibus alijs præbent, impingendi, & cum ipsis deficiendi. In quoniam imbecillitas & inconstantia hominum magna est; vitæ autem Christianæ ac Religiosæ asperitas ac difficultas non parua, moraliter loquendo est quasi necessarium, vt multi impingant, suaque inconstantia alijs scandalo sint & causa impingendi: ijs nominatim, quos Christus Dominus noster pusillos appellat. qui, vt S. Hieronymus explicat, sunt sinceri, & in virtute tyrones. Qui, quòd nondum profundas in Religione iecerint radices, solent facilè malo exemplo, quod cernunt, impingere; & fallacibus ra-

Li. 3. more, cap. 22, 11.

e Mat. 18. 7

tionibus, quas pro sua libertate audiunt, persuaderi. Væ tamen ei, per quem tale scandalum venit. Hoc enim peccatum erit ei instar molæ asinariæ, quæ ipsum trahet ab vna in alteram culpam, & in multas easque valde graues præcipitabit, vsque ad ipsas æternas pœnas. Expediuisset etiam ei, molari lapide ad collum alligato, demergi in profundum maris quàm huiusmodi prębere scandalum. Multò enim grauior est mors animæ, quàm corporis; ac proinde magis timendum, quod anima absque vlla remedij spe pereat; quàm quod demergatur corpus in profundum maris.

§. 2.

1. HINC licet debilibus arma defensiua sumere, quibus se ab huiusmodi tentationibus defendant, nec talia imitentur exempla. valdè enim stultum esset, si, quòd alium, etiam tibi amicissimum, videas e turris summitate se præcipitare: tu quoque velis simul cum eo præcipitari, & imitari stultum in re vtrique perniciosa. Et si, videns, eum alligare collo suo lapidem molarem, seque proijcere in mare; temeritas esset, similem tibi alligare, & post illum etiam te proijcere. Sic igitur, si malum exemplum ab alio tibi datum tu sequaris: sicut ille te scandalizat; ita tu scandalizas alios; & hoc scandalum erit tibi molaris lapis, quemadmodum scandalum tibi ab alio datum, similis fuit ei lapis. Si amicus tuus tanquam ignauus miles permisit se ab hoste capi: qualis prudentia erit, instar mancipij eum sequi, ac permittere ab eodem hoste in captiuitatem trahi? quamuis enim in simplicitate columba esse debeas: non tamen in imprudentia: vt cæcus sequaris eum, qui educere te velit ex nido, quem habebas in foraminibus petræ. CHRISTI scilicet crucifixi: quem imitantur Religiosi. Propterea enim ipse nos monuit; dicens: a *Estote prudentes, sicut serpentes; & simplices, sicut columbæ.* Ne aut à Dæmonibus, aut à falsis amicis nos decipi patiamur. Et quanam quæso maior imprudentia esse potest, quàm amplecti captiuitatem cum gemitu columbino, tolerando scilicet murmur, pulsumque conscientiæ, eò quòd non habeas animum hosti tuo resistendi? b *Væ*, ait ipse Deus per Sophoniam, *prouocatrix & redempta ciuitas columba.* Hoc est væ tibi, anima, quæ me ad magnam prouocas iram: cum enim ego te redemerim, & à mundo & peccato eripuerim: tu tamen agis sicut imprudens columba, quæ gemens, teipsam tradis tuis hostibus, eorumque tentationibus nec habes cor & animum ad resistendum eis.

2. Si animum habuisti, vt mundum desereres, eiusque plurima ac detestanda exempla: cur non etiam animum resumis, ad vitanda scandala, quæ nisi offert, qui tanquam canis redit ad vomitum?

3. a *Mat.* 10, 16

4. b *Soph.* 3, 1. Imprudentia est amplecti captiuitatem

5.

6.

Ne res huius mundi aspicias, deque eis iudices ex specie, quam præferunt; sed ad interiora earum penetra: & facilè deprehendes, eum qui Deo est infidelis, & respicit retro, iam in corde suo conuersum esse in marmoream petram, & salis statuam, cum certo periculo perpetuæ suæ ruinæ, nisi tempestiuè pœniteat, & conuertatur. Est autem magna prudentia, cautum fieri ex alienis periculis; & ex socij lapsu maiorem haurire humilitatem, cautelam, & diligentiam ad perseuerandum in tua vocatione constantissimè.

7. *Li. 34 mor cap. 13.*

Præclare Sanctus Gregorius ad hoc propositum perpendit occultum quoddam diuinæ prouidentiæ arcanum in ipsis Vocationibus, ita eis dirigentis, vt aliqui mundum deserentes Religionem ingrediantur, cùm sciat, eos non perseueraturos in ea: sed vt illorum exemplo electos suos permoueat, ad eandem Religionem ingrediendam, in qua sint perseueraturi; eosque doceant viam, quam tenere debeant, vt perfectionem consequantur. Postea tamen permittit, eosdem ipsos deficere à sua vocatione, vt eorum lapsus ac ruina fiat reliquorum cautela; & quod paucos deducit in perniciem, illud ipsum multos humiliet, & permoueat: vt, sibijpsis diffidentes, totam suam fiduciam in Deo collocent: vt c *cum metu & tremore salutem suam operantes*, d *Vocationem & electionem suam certam faciant*, non deficientes in ea. Quamobrem Salomon dixit: e *qui stultus est seruet sapienti*: eò quòd stulti ac insipientis errores sint prudentis quasi monita; & lapsus, inconstantiaque imprudentis aperit oculos prudentis, vt obseruet, attendatque vbi pedem suum collocet: ne cadat, aut mutetur.

c Phil. 2. 25
d 2. Pet. 1. 10
e Pro. 11. 29

8. f *Eccl. 27. 12*

Propter quam causam confert Ecclesiasticus hominem sanctum & stultum cum Sole & Luna. f *Homo*, inquit, *Sanctus in sapientia manet sicut Sol, stultus sicut Luna mutatur.* Quemadmodum enim Sol lumen suum conseruat semper, quamuis Luna multas mutationes patiatur: ita vir Sanctus ac feruens permanet semper in luce gratiæ, & in perfectione: quam profitetur, absque mutatione: etiamsi stulti & imprudentes, quibuscum versatur sicut Luna mutentur; deserantque bonum, quod cœperant. Eorum enim perseuerantia non innititur verbis & factis, aut exemplis hominum, qui naturâ sunt mutabiles; sed veritati, bonitati, ac voluntati Dei, qui est immutabilis. Et quando ingressi sunt Religionem, etiamsi ad id essent aliorum exemplis permoti: id tamen non fuit præcipuè propter odorem huiusmodi vnguentorum: quæ etsi sint preciosa, possunt tamen deficere; sed g *currentes* (vt dicebamus) post Christum *in odorem* suauissimorum *eius vnguentorum* eiusque præclarissima exempla sequentes, quæ mutari non possunt. Et, vt Apostolus

g *Cant. 1. 3.*

dixit Galatis, vt firmi & constantes manerent in Euangelio, quod illis prædicauerat: h *quamuis ipsemet, aut aliquis Angelus de cœlo, si id possibile esset, contrarium eis diceret.* Ita à Deo vocatus, vt ipsum in Religione sequatur, firmus debet in sua vocatione & Christi imitatione permanere: quamuis ipse ille homo, qui ipsi suasit talem Vocationem, mutatus, nunc suaderet, ad sæculum redire. Adhæc, cùm aliquos videris in vocatione sua deficientes, memor esto sententiæ Saluatoris, dicentis: i *multos vocatos, paucos verò electos.* k *Stultorum* enim, qui vt luna mutantur, *infinitus est numerus:* Sanctorum autem, qui constantes sunt sicut Sol, numerus est exiguus. Ac propterea Saluator suis discipulis dixit: l *nolite timere pusillus grex: quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Quare si prudens es, non debes plurimos illos sequi, sed contendere, vt sis de numero paucorum; & commiseratione mouendi deficientium, & sequentium plurimos. Cecidit enim in caput eorum imprecatio illa Dauidis, dicentis: m *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum:* & ne in numero electorum computentur, eò quòd *de absconditis tuis sportes adimpletus est venter eorum*, rebus inquam à te reprobatis. Quòd si horum lapsus ad commiserationem te permouet: procul eris ab eorum imitatione. Memento quoque alterius illius sententiæ eiusdem Saluatoris, dicentis: n *duorum qui in vno erunt lecto, aut in vno agro, vnum assumendum, alterum relinquendum.* Cùm igitur videris socium tuum relinqui, ac deseri, eò quòd ipse te ipse locum deserat, in quo DEVS ipsum collocauerat: da operam, vt tu ipse qui assumaris & eligaris: vt semper in diuino seruitio perseueres. de quo dixit Regius Propheta Dauid: o *beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit atriis tuis* in æternum.

1 Galat. 1. 8

9. Mat. 20. 16

k Eccl. 1. 15.

l Luc. 12. 32.

m Ps. 16. 14

10.

n Lu. 17. 34

o Ps. 64. 5.

§. 2.

SED videamus nunc, quid in huiusmodi euentibus faciendum sit Prælatis ac Tyronum Magistris: vt imitentur admirandum Christi Domini nostri exemplum, cùm instituit sermonem de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & a *multi ex discipulis eius audientes: nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; dixerunt. Durus est hic sermo: & quis potest eum audire?* & quamuis ipse Saluatoe conatus fuerit eis satisfacere, & turbatos pacare: *multi* tamen *discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.* Et tunc conuersus ipse CHRISTVS ad Apostolos duodecim, dixit eis: *nunquid & vos vultis abire?* & sanctus Petrus pro omnibus respondit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æterna habes. Et nos credidimus & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei viui.* Sed ipse Saluator tremendam aliam subiunxit sententiam: *Nonne ego vos duode-*

a Ioan. 6. 61

cum elegi: & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem Judam Iscarioten: hic enim erat traditurus eum, cum esset vnus ex duodecim. Hæc omnia refert S. Ioānes Euangelista. in quibus est quoddam viuum exemplar eorum, quæ geruntur in Religionibus: & facturi sunt ij, quibus eorum incumbit gubernatio.

1. Prædicāte Christo multi Discesserunt.

Nam primus: quemadmodum absque vlla Christi Domini nostri culpa, prædicante ipso veritatem, ad salutem & perfectionem hominum necessariam; multi eius discipuli discesserunt ab eius schola, murmurantes, ac dicentes, doctrinam eius duram esse, incredibilem, & intolerabilem: non quod illa talis esset; sed quòd ipsi duri essent iudicij, nec vellent illud Magistri sui iudicio subijcere. Ita etiam euenit sæpè, vt Prælatis, Tyronumque Magistris benè fungentibus suis officijs, operamque dantibus, vt Regulæ bene seruentur: aliqui retrocedant, ac deserant Religionem: iudicantes, rationem illam viuendi duram esse, & intolerabilem, non quòd reuerâ talis sit; sed quòd illi sint ignaui, & pusillanimes; aut cor habeant durum, ad ea amplectenda, quæ Deo placent; eò quòd valdè propendeant ad res sibiipsis placentes, aut iudicij sint duri, cui plurimum tribuant: ac proinde nolint, illud alterius iudicio subijcere. Quod cùm non sit ex Prælati culpa, non est, cur nimium tristetur: quando aliqui Religionem deserunt: quamuis charitas non possit non grauiter ferre proximi sui damnum. Sed *præterea* tenentur facere, quod Christus Dominus noster in simili casu fecit. nam statim atque illi discipuli suam prodiderunt cordis duritiem, ac deceptionem: studuit, quod in se fuit, eos emollire, ac deceptionem retegere, ne ab ipso discederent: ideoque illis dixit: *hoc vos scandalizat? spiritus est, qui viuificat: caro nō prodest quidquā. verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Quasi eis dixisset: non rectè facitis, quod scandalizemini propter verba mea, & dicatis, sermonem esse durum. Nolite hærere in cortice verborum meorum, & in ijs tantùm, quæ prima facie præferunt; cogitantes, quòd sitis carnem meā comesturi, vt comedi solet caro cæterorum animalium. aspicite ad interiora meorum verborum, quæ spiritum & vitam habent: & sic scandalum vestrum cessabit; nec durum videbitur, carnem meam in sacramento sumere. Hanc igitur in modum Prælati & Nouitiorum Magistri, cùm incipiunt cognoscere tentationem, ac duritiem cogitantium retrocedere: dare debent operam cum omni charitate & diligentia, quantum in ipsis erit, eos emollire, ac deceptionem eis retegere; & ad perseuerantiam exhortari, & animare: ob oculos eis ponentes, quod religiosa vita non tam dura sit atque ipsi existimant; & duritiem potiùs esse in ipsorum cordibus, non gustantibus quæ sunt spiritûs, in vita Religiosa latentis. Id quod efficacibus rationibus, singulorum infirmitati accommodatis, est eis ostendendum. Qualis enim sit esse tentatio: tale remedium est applicādum, vt præueniatur ac superetur.

2. Intima verborum Christi considerāda.

3.

QVANDO autem allatæ rationes non sufficerent ad continendos ipsos tentatos, non debet etiam ipse Prælatus nimium affligi: sed quemadmodum Christus Dominus noster permisit, discipulos illos abire; nec propterea turbatus est, aut ex pusillanimitate voluit cum eis condescendere aliquid de sua doctrina, quam tradiderat, immutaret: imò vt seipsum solaretur, (si licet ita loqui) statim oculos coniecit in causam superiorem, ex qua hæc permissio oriebatur: dixitque *propterea dixi vobis: quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Quasi dixerit, (vt explicat Sanctus Cyprianus) venire ad meam scholam, meamque doctrinam recipere, & in ea perseuerare, donum Dei est: quod si his non datur, ipsorum est culpæ: illis enim ipsi accipere voluissent: iam Pater meus illud ipsis offerebat. Hunc in modum Prælati: etiamsi aliqui retrocedant, non debent animum abijcere, aut pusillanimes in officio suo fieri, vt ab eo plenè & integrè præstando cessent, nec contra Regulam, & ipsum Institutum in alicuius gratiam condescendere; sed cautè & prudenter, in Probationibus & Exercitijs religiosis perseuerare: consolantes sese ea cogitatione: quòd qui hac ratione retrocedunt, aut vocati non fuerunt à Patre cœlesti; aut seipsos indignos reddiderunt dono constantiæ. Quare profundissima sua sapientia permittit, eos abire, quia fortè non vtilitati, sed detrimento futuri erant Religioni: oculiorem Dei multò plura, quàm nostri, penetrant, Cùm igitur Deo nostro media non deessent ad eos retinendos; si retinere voluisset; non vult autem: Ipse nouit cur id permittat. Præstat occulta eius iudicia venerari; & consolationem accipere ex prouidentia, qua & nobis & Religioni prospicit, & eius ipse curam gerit. Et vt S. quidam Abbas dixit S. Ioanni Climaco: vtinimùm, qui in primis Probationibus, quæ cum illis adhibentur, deficiunt, indicium præbent certum, se non esse aptos pro Religione. Quare præstat eos discedere. Nam vt Ecclesiasticus ait: *non concupiscit Deus multitudinem filiorum infidelium & inutilium*: cui tamen plurimùm placent fideles, & perfecti: etiamsi sint pauci, quos non propterea cessat probare.

Epist. 55. Intrare scholam Christi donum est Dei.

Gradu 4.

Eccl. 15. 22.

4.

HINC prouenit, quòd in eadem occasione CHRISTVS Dominus noster conuersus ad duodecim Apostolos, qui fideliores erant, & præ ceteris ab ipso dilecti: voluit illos amplius probare, Et ita dixit: *nunquid & vos vultis abire?* Non eis dixit (vt notat Sanctus Chrysostomus) abite & ne videretur eos contemnere aut parui facere, sed interrogando, eis dixit: cogitate, an velitis, an vobis expediat abire, sicut isti alij abiuerunt. Vt hoc agendi modo intelligerent, quod ipse Dominus non vellet eos inuitos retinere; & simul ad eorum fidelitatem & constantiam in ipso sequendam probandam & experiendam. Et (vt Sanctus Cyrillus aduertit (non enim eam proposuit interrogationem, vt abirent; sed, vt oculos potius

Homil. 46. in Ioan.

Lib. 4. in Ioan. c. 27.

apo-

aperiret, vt benè perpenderent: quantum illorum interesset non discederet. Nam ipsi quidem Magistro suo opus habebant; non Magister ipsis. Quemadmodum etiam sponsæ dixit: *si ignoras te: egredere, & abi.* Non enim hæc verba dicebat, vt à se eam dimitteret; sed vt ipsa attenderet, & seipsam cognosceret: ne superbia illam abire faceret. In hunc modum vult etiam ipse Saluator, suos ministros non solùm non abijcere animum, eò quòd aliqui ab ipsis recedant; sed magno animo probent, etiam eos, qui remanent: vt perfectiores euadant; Eisque aperiant, & intelligere faciant: perseuerantiam in vita Religiosa non debere esse solum ob finem mundani honoris; sed cum sancta libertate, ad magis Deo seruiendum: persuadentes sibi ipsorum potiùs referre vt perseuerent, quàm ipsius Religionis. Nam si illi deficerent: Deus nouerit alios vocare, qui in illorum locum succedant.

Can. 1, 8.

Magno animo probandi remanentes.

Dvo tamen extrema sunt vitanda, dandaque opera: ne tam parua illorum ratio habeatur: vt illi animum abijciant; nimiumque contristentur: neque contrà ostendatur eis, tanti eos fieri, vt ipsi fiant arrogantes: & existiment Religionis honorem ab ipsorum præsentia dependere. Et hæc esse solet causa, cur aliqui Tyronum Magistri remissiores sint in probandis & exercendis Tyronibus nobilioribus, quorum perseuerantiam valde desiderant: ideoque in multis rebus eis conniuent: quod facere non debent. Nam magnum tunc eis adferunt detrimentum: quia solent euadere minùs probati, & minùs proficere, quàm alij: nisi fortè magnus eorum fervor defectum hunc suppleat.

§.

Sed videamus nunc: quid Apostoli in ea occasione fecerint; quidque S. Petrus omnium nomine respõderit: *Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Nam neq; ex discedentium discipulorum malo exemplo; nec ex duritie suæ doctrina sui Magistri præ se ferre videbatur: neque ex Probationibus, quibus se exerceri videbant, scandalizati sunt: Sed potiùs in sua vocatione fuerunt confirmati in duo potissimùm conijcientes oculos: in bonũ finem, quod discedentes desererent; & in miseriam, in quã ijdẽ essent pertracturi. Vtrumq; enim hoc significant verba S. Petri, qnasi distinctius dixisset: à te recidimus, qui es fons aquæ viuę quo ibimus, nisi ad cisternas fractas, quæ continere non valent aquas? si à tua recedimus schola, cum sis Magister veritatis, habeasq; verba vitæ æternæ: quo perueniemus, nisi ad scholã Dæmonis, qui Magister est mendacij, habetq; verba æternæ dãnationis? Hoc igitur facere ac respondere debẽt feruẽtes Religiosi; nec accipientes scãdalum ex malo sociorum suorum exẽplo: nec ex bonorum Magistrorum Probationibus; sed potiùs in suo proposito se confirmantes ac roborantes: persuadentes sibi, exitum ex Religione ad mundum, esse exitum ex schola

& socie-

& societate ipsius Christi, qui eos vocauit, & ad suum obsequium dedu
vt transeant ad partes hostis ipsius Christi, cum manifesto periculo propr
damnationis, Estque meritò perpendendum, quod solus Sanctus Petr
tanquam reliquis feruentior, ea verba nomine sociorum suorum, ipsis a
cētibus, protulerit: Diuina enim prouidentia ita semper constituit: vt in sin
gulis domibus religiosis nunquam desit aliquis feruentior, magisq; zelosu
qui partes agat ipsius Religionis; respondeatque pro alijs, quod omnes m
ritò deberent respondere: vt sic eos confirmet, & in bono suo propos
exstimuler. Nam tales feruentes existimant, omnes reliquos idem sentir
quod ipsi. Quare omnium nomine loquuntur ac proinde magnam u
adferunt vtilitatem. 6.

SED quid Christus Dominus ad hæc respondit? *Nonne ego*, inquit, *vos duo decim elegi: & ex vobis vnus diabolus est* factus? Quibus verbis tria insuma magni momenti documenta.

PRIMVM est; bene posse simul esse, quòd vocatio & electio aliquorum verè sit à Deo; & quòd illi culpa sua peruertantur, retrocedant, & fiant filij Dæmones. Gratia enim diuina neminem cogit, nec libertatem aufert: potiùs ostendit Deus infinitam suam misericordiam, cùm tot fauores ijs exhibet, quos nouit eis abusuros: siquidem quod in se fuit, eò tendebat, vt bene vtentes ipsius donis, ac beneficijs, euaderent perfecti.

Gratia diuina libertatem non aufert.

SECVNDVM documentum: quòd sæpè inter eos, qui videntur valdè electi, sint aliqui occultè peruersi. Nam etsi Iudas tunc non recessit à Christi schola, sicut alij discipuli: mansit tamen ob suos particulares tantùm fines humanos, ac terrenos: tegens ad tempus improbitatem suam, donec postea cum maiore furore erupit in Magistrum suum. Et eodem modo euenire solet in Religionibus, permittente Deo, vt inter magis eminentes prodat aliquis occultetur: qui etsi ob humanos suos respectus, Religionem ipsam non deserat, corde tamen procul est ab illa; & suo tempore suum virus emittit, & Communitatem ipsam turbat. Quamuis ex hac turbatione probetur, & exerceatur, vt perfectior tandem euadat. Et hoc TERTIVM est documentum, quod intendit Saluator noster, dum ea verba ad suos dixit Apostolos: vt profundiori humilitati inniterentur, cautiusque agerent. Siquidem in medio illorum aliquem esse dicebat, adeò improbum, vt esset tanquam dæmon: & quisque eorum tremeret, ne ex aliqua Superbia in tantam deueniret miseriam. Item volebat vt non solùm non scandalizarentur eò quòd inferiores alij discipuli retrocessissent: sed seipsos præparatent etiam in eo casu, quo aliquis maiorum retrocederet. Et hoc documentum maximi est momenti pro Religiosis: ne turbentur, etiamsi deficere videant aliquem, qui inter ipsos tanquam firmamenti stella splendebat: sed tunc magis pro-

Inter electos aliqui peruersi sunt.

bis profundæ humilitati innitentes, perseuerantiam suam reddant tutiorē, donec eius impetrent coronam. Debent quoq; animum maiorem assumere ex eo, quòd, cùm duodecim Saluator elegerit, vnus tamen solus peruersus fuerit quasi dæmon: vt significaret inter eos, qui vera Dei vocatione sunt ad Religionem vocati, paucos esse qui retrocedant; si cum plurimis conferantur, qui ad huius statùs conseruationem, ac Domini qui eum fundauit, gloriam perseuerant.

CAPVT IX.

PLVRIMVM REFERRE QVOD TYRONES MAGNO FERVORE *Religiosam vitam aggrediantur; ac difficultates & amaritudines perfectionis magno animo aggrediantur.*

QVI TANDEM conculcatis tentationibus & impedimenti à Dæmone obiectis, Religionem sunt ingressi: si excellum glorioſumq; finem, in quem tendunt, assequi velint: necesse est ſtatim à principio rem aggredi cum eo feruore ac perfectione, quæ est Tyronum propria. Nam ipsa perfectio multos complectitur gradus, præcipuè tres illos, qui dicuntur Incipientium, Proficientium, ac Perfectorum. Et quamuis vltimi nomē ſuum ob ſuam maiorem excellentiam retineant: ſed competit nihilominus alijs ſuo modo: quemadmodum dicimus perfectum puerum, perfectum iuuenem, perfectum virum: cum quiſque eorum id totum habet, quod eius ætas requirit. & Apoſtolus in vna & eadem epiſtola fatetur, ſe a *non eſſe perfectum*, & paulò poſt ſeipſum numerat inter *perfectos*: quod explicat Sanctus Bernardus ſcribens ad quoſdam Monachos: ab omnibus, inquit, vobis perfectio exigitur: licèt non vniformis. Sed ſi incipis, incipe perfectè; ſi iam in profectu es, & hoc ipſum perfectè age. Si autē perfectionis aliquid attigiſti, quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt maioris gradus perfectionis teipſum extende. Proloquium enim illud: dimidium facti, qui benè cœpit, habet, ipſa experientia, verum eſſe comprobatur. Propterea Sanctus Baſilius inter alia conſilia cuidam Monacho tradita, illud poſuit tanquam præcipuum, dicens: initio tuæ conuerſionis oſtende te virum; & contende vt ſis de numero paucorum; & contendas inter omnes eminere in ſanctitate. Et quidam Sanctus Abbas (quem refert Caſſianus) dixit cuidam Nouitio: attende, quod fecerit tibi DEVS ex numero paucorum, & electorum: ne rigeſcas aut tepeſcas

a *Phil.* 3. 12. 15.

S. Tho. 2. 2. *q.* 44. *a.* 9. & *q.* 183. *a.* 7.

Ad Frat. de monte Dei

Ser. de abdicatione rer.

Li. 4. *c.* 38.

ob exemplum ac tepiditatem multorum; sed viue sicut pauci; vt dignus fu-
qui in regno cœlorum inter paucos computeris: scriptum est enim: b *Multi*
b Mat. 20. 16 *sunt vocati, pauci verò electi*, quæ sententia allata fuit à Christo Domino no-
stro ex occasione operariorum, qui diuersis horis diei, hoc est, diuersis in
vitæ ætatibus, venerunt ad laborandum in vinea; & licèt omnes essent inde
pauci tamen præ alijs sunt remunerati. Nam primi qui tempestiue ve-
runt, humana prudentia iudicantes, longum sibi tempus laboris supers
se, cœperunt paulatim; & eodem modo tota die perrexerunt: vltimi a
tem, videntes breue supereſſe tempus laboris, cœperunt magno feruore
cum eodem sunt progressi: ac propterea tantum ipsi vna hora labor
obtinuerunt: quantum alij, tota die. Religiosus enim eodem feruore, q
incipit, solet vt plurimùm in reliquo vitæ progredi; ita vt si tepidè incip
etiam progrediatur tepidè; quòd si cum feruore spiritus celeri passu incip
facilè poterit eundem in progressu conseruare. Nam: (vt Sanctus Bonav
turaait) qui disciplinam religiosam in initio contemnit; valde difficile e
In prol spec. Disciplina. postea amplectitur: & formam ac rationem vitæ, quam in Nouitiatu amp
ctitur, vix postea deserit. Hoc enim tempus est, quasi vitæ spiritualis infa
tia; & quod in ea discitur, vsque ad senectam perdurat, iuxta illud Salom
c Prou. 22. 6. nis: c *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*: sed
dem gressu perget, quo cœpit. Estque adeò manifesta huius rei experie
Epist. 97. vt scribens Sanctus Bernardus ad quosdam Religiosos, qui ex ignauis ac t
pidis; facti erant valde feruentes, dixerit: digitus Dei est iste, subtiliter op
„ rans, suauiter renouans, salubriter mutans; non quidem de malis bonos
„ de bonis faciens meliores. Nec minus mira, minusue iucunda ista promu
„ est, quàm illa mutatio: nisi quod multò faciliùs reperias multos secular
„ uerti ad bonum: quàm vnum quempiam de Religiosis transire ad melio
„ Rarissima auis in terris est: qui de gradu, quem forte in Religione semel
gerit: vel parum ascendat. Ita sæpè (ait Cassianus) videmus carna
Coll. 4. c. 19 & mundanos homines ad feruorem vitæ spiritualis peruenire: & tam
nunquam fere aduertimus, tepidos ac negligentes in hoc vitæ genere, m
ditatem ac negligentiam suam deponere.

§. 1.

EX PRÆDICTIS deducit Sanctus Ioannes Climacus, valde periculos
esse, pugnas vitæ spiritualis tepidè inchoare; & quasi prognostic
quòd in eisdem succumbet, ac peribit. Qui enim in ipso ingressu qua
ctum se tradit ignauiæ; illa vires maiores semper acquirit: ipse verò qu
die magis, quas habebat amittit, & in eam tandem incidit maledictio

quam Dauid imprecatus est montibus Gelboë, dicens: a *montes Gelboë, nec ros nec pluuia veniant super vos, neque sint in vobis agri primitiarum:* qui scilicet copiosos & præcoces proferant fructus. Deus enim odit eorum tepiditatem; ac propterea eos non visitat rore & pluuia donorum cœlestium. Ideoque numquam ad fertilitatem peruenient primorum Religiosorum, qui eorum Religionis fuerunt primitiæ; neque ad aliorum feruentium, qui in ipso ingressu sunt verè agri fœcundi, reddentes Deo opulentas primitias, tanquam initia certa copiosorum fructuum, quos in reliquis annis proferent.

Imprecatio Dauidis.

a 2. *Reg.* 1, 21

QVARE plurimum (ait idem Sanctus) refert inchoare valde feruenter. Nam si postea eueniat aliquis torpor; memoria primi feruoris eum corrigit, & animum addit ad eum maiori diligentia reparandum. Et si meminit victoriarum, quas in suo obtinuit Tyrocinio: magnum id animum addit ad pugnas postea occurrentes. quemadmodum Dauid exiturus in prælium contra Goliath, existimulabat sese memoria victoriarum, quas in ursis iuuenis obtinuisset, b *contra leones & vrsos aliquid tollentes de medio gregis.* Cum igitur Nouitius in hoc stadium ingreditur, obtenta, vt suprà diximus, insigni & glorioſa victoria de mundo eiusque rebus omnibus: æquum omnino est, vt ipse excitet, animum q; sumat ad magno feruore progrediendum. Nam qui eum adiuuit, vt primam obtineret; aderit etiam, vt plures adhuc magnæ gloriæ coronas in reliquis pugnis obtineat. Nec sine magno mysterio refert S Ioannes in Apocalypsi, se vidisse Christum Dominum nostrum sedentem super equum album, cui statim data fuerit preciosa corona: quia *exiuit vincens, vt vinceret.* In primo enim ingressu in mundum oës suos hostes vicit: vt victoriam illam vsque ad eorum deuastationem prosequeretur, (quod suo loco explicuimus:) quo exemplo docuit nos: feruentem in Religionem ingressum debere fieri, strenuè seipsum vincendo: inde enim prouenier, vt semper victoriam prosequatur vsque ad vltimam, in qua recipiat coronam. Et sæpe euenit, vt insignis aliqua de seipso in vitijs obtenta victoria, sufficiat ad magnum profectum Religiosi ipsius per totam vitam. quia Deus Dominus noster præclarum illud obsequium continuato illo fauore remunerat, vt semper illi adsit ad perseuerandum, & progrediendum. Quod licet obseruare in præclaris mortificationibus quas in suis initijs fecerunt Sancti Martinus, Benedictus, Franciscus, & alij. Ad hoc propositum confert plurimum, valde attentè perpendere vitam Patriarchæ Isaac, quem Deus non minoris fecit, quàm Abrahamum, Iacobum, & alios Patriarchas, multa sacrificia ipsi offerentes: cum tamen Isaac non scribatur, aliquod obtulisse: non quidem, quòd non obtulerit, etiam multa; sed quod ad magnam eius sanctitatem ostendendam, satis erat heroica victoria, quam de se ipso, cùm iuuenis esset, obtinuit; dum se absque vlla resi-

b 1. *Reg.* 17 34.

c *Apoc.* 6. 2.

Tom. 2. *Tra* 2. c. 6.

Victoria Isaac.

resistentia patri suo Abrahamo obtulit, vt sacrificaretur, iuxta DEI mandatum. Cuius exemplum docet nos gloriosissimum ac feruentissimum vitæ spiritualis initium esse, vt quis se promptum offerat ad ipsam mortem, si opus fuerit, subeundam, obedientiæ causa, vt postea dicetur.

AD HÆC omnia denique inuitat, iuuatque plurimùm gratia diuinæ vocationis, quæ solet in ipsis initijs omnes vitæ Religiosæ difficultates expedire; taliaque in eius exercitijs solatia conferre, vt facilimè ac iucundissimè ea aggrediatur ipse vocatus. Quare nec tempus vllum, nec opportunitas aptior est ad feruorem spiritûs, quàm sint ipsi primi dies huius conuersionis, quam vocamus tyrocinium, siue Noviciatum. Sunt enim hi dies ijs similes, quos Sanctus Iob vocat *d dies adolescentiæ suæ: quando secreto Deus erat in tabernaculo eius: quando erat Omnipotens cum eo; quando lauabat pedes suos butyro, & petra fundebat ei riuos olei.* In hoc enim tempore solet Deus teneras animas frequentius visitare, & in secreto cordis inspirationibus suis Sanctis alloqui, suaque omnipotentiâ ad bonorum operum executionem & exercitationem adiuuare eorumque inordinatos affectus blandis vnctionibus curare. Petraeum illa, quæ Christus est, in oratione ac diuinorum eius mysteriorum meditatione copiosum valde communicat oleum deuotionis, & abundantiam cœlestium consolationum. Qua vnctione omnia illis redduntur suauia, proinde est facilè, bonam contrahere consuetudinem, quæ possit per totam vitam durare. Quamobrem in Canticis exhortatur Deus animam religiosam, ne opportunam hanc occasionem elabi sibi permittat; sed feruens nouæ vitæ principio in ea festinet. Iam enim (ait) *e hyems transiit* vitæ seculoris; *imber* tempestatum & tentationum, quæ ingressum Religionis tardabant, *abiit, & recessit: flores* primi veris *apparuerunt* in hac Tyrocinij *terra: tempus putationis aduenit*: vt excessus abscindas, quos in sæculo habebas; & omnia superflua huius vitæ, & multa etiam licita, mortificatione præscindas: flores optimorum desideriorum apparuerunt, qui plenorum fructuum sunt quasi prænuncij. Neque in floribus sistitur: tempus enim, quasi *ficus protulisti grossos tuos* dulcissimos, etiam cum spe, quòd in futurum produces copiosiores: iam tanquam *vinea* florens *dedisti odorem tuum*, exempla scilicet magnæ ædificationis dans alijs. Contende igitur sedulò, & in his exercitijs perseuerare, vt feliz hoc primum ver fœcundus sequatur autumnus, & tyronis statum sequatur etiam status virilis valde perfecti.

d Iob. 29. 4.

e Cant. 2. 11.

§. 2.

OPERÆPRETIVM tamen est bene intelligere tutiorē & excellentiorem Religiosæ vitæ cū feruore auspicandæ modum: duobus, n. modis omnino potest perfectio & ingressus in eā. Primus est, cū aspicitur ornata omnibus

suis

suauitatibus ac delitijs, ei in centuplo (cuius superiùs meminimus) promissis: quod Deus tyronibus præbet degustandum, vt maiori animi conatu eam quærere incipiant. Sed hic modus non adeò est tutus neque perfectus: eò quòd nec sit probatus, nec exercitatus tentationibus & afflictionibus, quas crux Christi secum adfert: In qua humilitas, & patientia discitur; & fidelitas, fiducia, & charitatis præstantia manifestantur. Quamobrem ita Deus disponit: vt quo tempore primũ hoc ver adeò iucunde floret; & cùm nũ Tyrones maximè essent in sua vocatione contenti: ex tempore tempestates oriantur, nebulæ, atque glacies, quasi in seueriſſima hyeme: subtrahit enim ipse nonnihil cœleste lumen, quo illos recreabat; ac deuotionem sensibilem, quæ animum illis addebat; imò & potestatem Dæmoni facit, vt renouet tentationes, quas ante ingressum in Religionem adhibuerat; inferatque eis tædium rerum, quæ in ea sunt; ac in memoriam reuocet delectationem, ac recreationem, quam in rebus sæculi habere solebant: ac difficultates magnas in progressu vitæ adeò seueræ eis confingat. Quod totum Deus permittit, non vt eos reprobet; sed vt exerceat, ac probet: ne tutos se esse reputent; sed profundius in humilitate, patientia, solidisque virtutibus proficiant. Speciatim etiam, vt ipsam perfectionem secundo alio modo excellentiori, magisque heroico aggrediantur: aspicientes eam, & amplectentes propter bonitatem & sanctitatem, quam in se habet, exutam omni solatio sensibili; indutam verò amaritudinibus, & afflictionibus, quas Christi crux secum adfert: & cum desiderio ipsum in eis imitandi, reijcientes huiusmodi solatia in alteram vitam, & in supremam ipsius Dei prouidentiam. Quæ nõ obliuiscitur eorum, quos adeò resignatos videt ac feruentes: sed potiùs in ipsismet a *persecutionibus largitur centuplum* cũ summa in eisdem oblectatione: quemadmodum refert S. Marcus ipsum promisisse: aut ita rem disposuit, vt hyemis frigora, & amaritudines cessent; redeant verò flores ac delitiæ, vt nouum recipiant animum. Quamuis paulò post tentatio redeat: ne adeo securi vnquam sint vt locum dent negligentiæ.

Dæmon tentationes renouat.

a *Mar.* 10. 30 Pro persecutionibus centuplum Deus reddit.

Hoc totum mirificè explicauit S. Gregorius in illa verba, quæ dixit quidam amicus ipsi Iob, postquam varias probationes retulisset, quibus Deus suos seruos exercet: quorum verborum hic fuit finis: b *hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos; vt reuocet animas eorum a corruptione, & illuminet lace viuentium.* Sed quæ tres vices sunt hæc? sit S. Gregorius, nisi tria tempora eorum, qui conuertuntur ad Deum: in quibus ille varijs eos tentationibus exercet, initio scilicet, medio ac fine vitæ eorum. Sed in eadem renouatione tres solent esse euentus. Primùm enim sunt suauitates, ac iucunditates spiritũ; deinde sequuntur tentationes ac pugnæ; ac tandem perfectionis plenitudo in omnibus virtutibus. Initio est iucunditas consola-

Lib. 24. mo. cap. 7.

b *Iob* 33. 29

tionum: qua Dominus intercipit tentationes, ne illi fiant pusillanimes, & redeant ad sæculum, quemadmodum refert Scriptura sacra, quod quando Deus eduxit filios Israël ex Ægypto, e *non eos duxit per viam terræ Philistæ, ne fortè pœniteret eos si vidissent, aduersum se bella consurgere, & reuerterentur in Ægyptum.* Postquam autem diuinæ suauitatis dulcedinem degustarũt, permittit, Tentationes exurgere: ne se reputent iam perfectos; sed agnoscant se in initio tanquam infantulos esse tractatos: quos Deus suarum consolationum lacte recreauit. Expediebat verò, eos ablactare; panemq; cum cortice, & solidum cibum porrigere: vt in vitos fortes euaderent. Quod si tentationis amaritudine desipere sibi videãtur spiritũs cibi, quos antea dulces reputabant: ne tamen animum abijciant, aut diffidant: nam, vt dicitur apud Iob, d *Dominus faciet, vt reuertantur ad dies adolescentiæ suæ, & videant faciem eius in iubilo.* Et hac via, virtutum omnium perfectionem consequentur; ac centuplum, quod est earum præmium. Euenit Tyronibus Religiosis, quod Israëlitis lætis & gaudentibus, quod de Pharaone totoque eius exercitu triumphassent: sed cùm in cœpto itinere pergerent, prima statio (vt supra diximus) fuit in e *Mara*, quod significat amaritudinem: *eo quod aquæ illic essent amaræ: quas non poterant bibere*, etiamsi valde alias sitirent. Sed non defuit prouidentia diuina, quæ *ostendit Moysi lignum* tantæ virtutis, quod cùm Moyses misisset in aquas, *in dulcedinem versæ sunt.* Et progredientes in eodem itinere, aliam fecerunt stationem in *Elim*, vbi, pro vno fonte aquæ amaræ, inuenerunt *duodecim fontes aquarũ* dulcium, *& septuaginta palmas*, quibus comederunt ac biberunt, quantum voluerunt. Hoc idem ait sanctus Hieronymus, geri in vita spirituali; cùm Religiosus mundum omnem deseruit, & innumeros hostes, exitum illum impedientes, superauit. Nam incipiens iter suum secundo vento, magnaque sua consolatione: ex tempore videt se in *Mara*, amaritudinibus vndique septum nullum in Religionis exercitijs solatium inueniens, quæ amara & insipida illi videntur: nec vires habet, vt illa deglutiat. Sed tanta est Dei benignitas, vt in his angustijs constituto, radio cœlestis suæ lucis admirabilem ostendat virtutem ligni sanctæ Crucis: quam ipse Christus Dominus portauit, & in ea mortuus est, cuius memoria & exemplo amarum conuertitur in dulce; & perseuerans in suis exercitijs, occurrunt copiosi aquæ viuæ fontes, dulcesque multarum palmarum fructus, ob fauores ac delitias cælestes, quas victorijs suis obtinet. Si igitur incipere cupis iter tuum feruenti quodam principio, hoc tibi ob oculos proponas, certoque persuadeas: te non venire ad Religionem, vt in ea lætus sis, ac hilaris: sed, vt pœnas & molestias sustineas; nec vt semper pace fruaris; sed, vt graue sustineas bellum, pergens continuè per angustam obseruantiæ Religiosæ semitam; & ingrediens per angustam propriæ mor-

e *Exo.* 13. 27

d *Iob.* 33. 25

e *Exod.* 15. 23. 27

Epist. ad Fabiolam de 42. mansio

Benignitas Dei.

Memoria crucis.

tificationis

cificationis portam etiamsi valde amaram: neque enim alius est ad æternam vitam & Euangelicæ perfectionis celsitudinem aditus: nec medium efficacius ad latitudinem, cordisque dilationem ipsam ingredientibus & sequentibus promissam assequendam. Cogita, magni consilij Angelum tibi dicere quòd alter Angelus dixit Eldræ: f *Mare positum est in spatioso loco, vt esset altum & immensum: erit autem ei introitus in angusto loco positus, qui igitur ingredi voluerit mare: si non transierit angustum, in latitudinem eius quomodo venire poterit? item ciuitas est ædificata, & posita in loco campestri: est autem plena omnium bonorum: introitus eius angustus, & in præcipiti positus: vt esset a dextris quidem ignis, a sinistris aqua alta: semita autem est vna sola inter eos posita, hoc est, inter ignem & aquam: vt non capiat semita, nisi solummodo vestigium hominis. si autem dabitur ciuitas homini in hæreditatem, si nunquam antepositum periculum pertransierit: quomodo accipiet hæreditatem suam?* Huiusmodi igitur est vita æterna, & Euangelica perfectio: quam sectatur vita Religiosa cuius ingressus valde est angustus, & lapsibus, ac præcipitijs in extrema vitiosa expositus, impellente præcipuè Sathana ad casum in ea. Transitus autem est in medio ignis & aquæ, omnium scilicet tribulationum & tentationum, quæ sunt in arcta via quam Christus Seruator noster calcauit: vt ipsius discipuli (vt ait S. Petrus) *sequerentur eius vestigia*, non declinantes ad dexteram, nec ad sinistram. Quare qui ingenuè ac fortiter constituerint, per fretum hoc transire: peruenient ad latitudinem supernæ huius ciuitatis, in qua fruentur omnibus bonis, quibus licebit vota ac desideria sua omnia explere. Quamuis autem maior latitudo & saturitas sit in cœlo: habent nihilominus etiam in hac vita suas latitudines & saturitates: quia post desolationes sequuntur solatia; & post angustias accedunt leuamina & tranquillitas. Iuxta illud Dauidis: g *Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.* Neque absque mysterio meminit harum rerum, quæ sunt elementa, quibus res immundæ ac sordidæ mundantur & purificantur. Aepropterea Deus olim iubebat: h *aurum & argentum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgandum. Quidquid autem ignem non posset sustinere, aqua expiationis* esse mundandum. Vt intelligeremus: omnes calamitates, & huius vitæ tentationes, quæ iustis & electis eueniunt, eò tendere: vt ipsi ab omnibus suis vitijs & imperfectionibus expientur. Qui fortissimi sunt, transeunt per ignem grauissimarum tentationum; debiliores autem, qui eas ferre non possunt: transeunt per alias leuiores; & qui magis sunt ingnes, etiam vtrasque sustinent: finis tamen ac terminus omnium est vitæ perfectæ refrigerium: quæ instar immensi maris ampla est ac dilatata perfectæ Charitatis latitudine, quæ Diuinitatis, cui est vnita, proprietates induit. Denique ad inchoandum huiusmodi feruorē, refert plurimum, frequenter

f 4. Esd. 7.1

1. Petr. 1. 21.

g Psa. 65. 12.

h Nu. 31. 23.

Omnia igne & aqua mūdantur.

Cap. 5.

seipsum tentare, modis & rationibus supra indicatis: ita tamẽ, vt cùm repugnantiã aliquã aut difficultatẽ aduerterit, quæ perfectionẽ impediat conetur generoso ac robusto eam aggrediatur, vt vincat. Non debes esse sicut decem illi exploratores ad terram Promissionis missi, qui solo aspectu habitantium in ea tantum conceperunt timorem, vt dicerent: i *Nequaquam ascendere possumus ad hunc populum valemus ascendere: quia fortior nobis est*: & ita populum scandalizarunt, vt cogitaret *melius esse reuerti in Aegyptum*: sed potiùs imitari debes reliquos duos qui cum eisdem missi fuerant, k *Iosue & Caleb*, qui contrarium animi & fortitudinis receperant, vt populum exhortarentur & animarent ad insigne illud cœptum viriliter aggrediendum, in virtute Dei, cum certa spe victoriæ. Cùm igitur mente & cogitatione aspexeris religiosæ vitæ difficultates: non debes pusillo esse animo: neque enim tu es, qui sis eas superaturus; sed ipse Deus, in quo fiduciam tuam debes collocare: cuius omnipotentiâ debes teipsum animare; totumque tuarum potentiarum & sensuum populum exstimulare, ad huiusmodi tuos hostes aggrediendos, cum certa spe, quòd victor sis euasurus.

i Num. 13. 32.

k cap. 14. 7.

c

CAPVT X.

PRÆCIPVAE VIRTVTES IN QVIBVS FERVOR *Perfectionis Tyronum consistit: & quibus illis donibus ornati esse debeant, vt ad Professionem & vota Religionis admittantur.*

TYRONES, qui vitam nouam magno feruore ac perfectione cupiunt auspicari: meritò debent suos oculos conijcere in perclarum quoddam eius exemplar quod Ieremias Propheta depinxit, cùm iuuenem quendam instrueret in rebus omnibus quæ ad Diuini obsequij Professionem spectant; respiciebat enim ille (vt S. Hieronymus) Propherico spiritu Euangelicam perfectionem, quam primæui Christiani erant sectaturi; & quam nunc Religiosi sectantur. Ita igitur loquitur: a *Noui diluculo, multa est fides tua. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eũ, anima quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit se super se. Ponet in puluere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobijs.* Verba hæc summa quædam sunt Religiosorum exercitiorum à principio Vocationis vsq; ad eius culmẽ. Quæ etsi ad virum dirigantur, non propterea excluduntur fœminæ: quia in eis significatur virilis animus, ad egregium facinus adeò necessarium siue in viro sit, siue in fœmina; siue iuuenis, siue

a Thr. 3. 23. Euãgelica perfectio primorum Christianorum.

senex,qui illud aggreditur. Cuius maior excellentia & præstantia cõsistit in Heroicis actibus trium virtutum Theologicarum: Fidei, Spei, & Charitatis: quarum dux est ipsa Fides. De qua Ieremias loquens cum Deo, & cum anima ait: *Noui diluculo, multa est fides tua.* Quasi dixerit: primum & ante omnia noui, Domine, magnam tuam fidelitatẽ, quam seruas in ijs, quæ promittis, adimplendis. Et similiter noui, ô anima, magnam esse fidem tuam, qua rebus omnibus huius mundi renunciasti, vt perfectius Deo tuo seruires. Et quomodo non tribuetur magnæ fidei, quòd deseruerit parentes, fratres, & notos; diuitias, & omnes possessiones: vt eum sequaris, quem oculis non vides: & renuncies rebus omnibus præsentibus, & quæ videri possunt; propter futuras, & quæ non possunt videri? Hæc *fides*, vt ait Apostolus, b *Abrahamum* fecit æterna laude dignum, cùm egressus est è terra sua, vt obediret Deo; & *Moysen*, cùm potiùs *elegit affligi cum populo Dei*, quàm esse in honore apud Ægyptios. *quia inuisibilem Deum, tanquam videns sustinuit.* Hæc eadem *fides* splendet in ijs, qui mundum deserunt, vt improperia Christi amplectãtur: qui si, vt inceperunt progrediantur, æterna fient gloria digni. Nouitius igitur intelligat, ad se pertinere sententiam illam Habacuc Prophetæ, cuius & Apostolus sæpe meminit: c *Justus ex fide viuit* nam, vt hæc initium dedit eius in Religionẽ ingressui; ita eadem ipsum in Religione conseruabit. *Fides*, eius debet esse, in tentationibus clypeus, in tristitia solatium, leuamen in laboribus, ac dux in suis omnibus operibus. Et quemadmodum sæculares ex suis viuũt patrimonijs, & hæreditatibus; ita Religiosus viuere debet ex patrimonio; *fidei* ac veritatũ, quas illa docet, ad ipsius vitæ gubernationẽ. Quate tẽpet debet studere, vt illa magnis suiipsius augmẽtis proficiat & crescat.

1. *De Fide, S. Hiero. ibi.*

b *Heb.* 11. 8. 24.

c *Haba.* 2. 4. *Roma.* 1. 17. *Galat.* 3. 12. *Heb.* 10. 38.

Actvs hic Fidei valde perficitur actu Charitatis, quæ Diuinam vocationem acceptat ex amore, quem habet erga Deum: statuens, accipere eum in hæreditatem & possessionem suam, hoc est enim, quod significant verba illa Ieremiæ: *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Quę explicans S. Hieronymus, dicit ipse Dominus pars eius est, cuius amore omnia terrena despicit; & ipsum solum præ omnibus habere eligit. Deseruit patrem suum: accipit verò Deum in patrem; deseruit diuitias & possessiones, & accipit Deum in possessionem ac diuitias: deseruit omnia, quæ erant in mundo: & pro eis omnibus accipit ipsum Deum. Dicens cum Dauide: d *Defecit caro mea, & cor meum* præ amoris magnitudine *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quid enim mihi est in cœlo? & a te quid volui super terram?*

2. *De Charitate.* Fides charitate perficitur.

d *Psal.* 72. 25.

Ex hoc adeò inflammato amore, qui nihil nisi Deum ipsum velit, heroica spes oritur: cuius scopus est ipsemet Deus *Propterea*, inquit, *expectabo eũ*, quàm *bonus est Dominus sperantibus in eum! animæ quærenti eum!* Quietes omnes creatas & seipsum deseruit, non debet confidere in creaturis, neque

3. *Ieremiæ.*

in viribus suis; sed in solo Deo. Et quod potissimum sperare debet, est possessio ipsiusmet Dei, relinquens cætera Diuinæ prouidentiæ. Hæc spes debet esse totum eius solatium & thesaurus: & eidem inniti debet tota eius fortitudo. Nam vt Isaias ait: e *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non ambulabunt, ambulabunt & non deficient.* O Propheta sancte: si omnes, qui sperant in Domino volabunt, current & ambulabunt: quo peruenient? aut quid quærent? nam qui volat, currit, aut ambulat: aliquid quærit; &, vt aliquid obtineat, mouetur. Quid autem is est, nisi ipsemet Deus? quē Religiosus omnibus suis cogitationibus, verbis & operibus perpetuò quærere debet: nō aliud spectās, quā ipsius Dei gloriā, eiusq; voluntatis executionem, & in eius Diuino, amore incrementū. Nam etsi decreuerit, Deum accipere in parte hæreditatis suæ; eumq; iam secū habeat: semper tamē debet recēter illū quærere, vt inueniat, magisq; possideat. Nam vt S. Augustinus dixit: sine fine est quærendus, qui sine fine est amandus. Ac propterea dixit Dauid f *Quærite Dominū, & confirmamini: quærite faciem eius semper.* quod si quæras, qua via quærere illū debeas? dico: quærendum esse tribus prædictis virtutibus. *Fides* enim illū manifestat; *Spes* desiderat; *Charitas* amplectitur. *Fides* per meditationes & considerationes agnoscit Dei præsentiam in omni loco, & in rebus omnibus. *Spes* suspirat in orationibus, gemitq; cupiens, illam semper habere secū. Et *Charitas* feruēntibus amoris & gaudij actibus cum ipso Domino vtitur, & in solo ipso requiescit quasi in vnico suo & vltimo fine, animæq; suæ centro. Intelligat ergo Tyro se ad Religionem venire, vt solum Deum in ea quærat; non seipsum, aut cōmoditates, aut vt hominibus placeat, sed soli Deo; & vt eius purissimum exerceat amorem. Hic intentionum suarum & votorum scopus esse debet, si Religiosæ Congregationis pars esse cupit. De qua S. Bernardus intelligit illud Dauidis: g *Hæc est generatio quærentium Dominum*: quærentium facie Dei Iacob: eò quòd eius diuino obsequio sint consecrati cū perfectione; quæ in eo consistit, vt quærant veraciter, frequenter, ac perseueranter. *Veritas* est cū non aliud quærunt tanquam illum; non aliud præter illum; nec aliud pōst illū: quod ad ipsius gloriā non possit dirigi. *Frequentia* censetur frequens repetitio considerationum, orationū, suspiriorum, desideriorū piorum, & affectuum, quibus spiritus in Dei cōspectu cōstituitur; & in ijs, quæ Deo placent, libenter occupatur. *Perseuerantia* apparet: cùm nec ipsa exercitia remittant, nec dilationibus, aut moris, & contradictionibus exurgentibus defatigantur, aut deficiunt. Qui enim Deum quærit oportet esse longanimem & patientem. Propterea enim Ieremias addidit: *Bonum est cum silentio prestolari salutare Dei*, non murmurando, aut conquerendo, quòd tardiùs, quam cuperet, voti compos fiat. Perfectio. n. non vno die obtinetur, nec ipso tantum anno Tyrocinij; nec Deo tempus est præscribendum; sed (vt Iesus

e *Isa. 40, 31.*

f *in Psalm. 104. 41*

S. Bona. Opusc. de. 7. itineri. 6. distin. 6

g *Serm. in Psal 23. 6. & serm. 2. ad Fratres in fine.*

1. Veritas.

2. Frequentia

3. Perseuerantia.

rit) h *in silentio & spe sit fortitudo nostra*, donec Deo Domino nostro aliter faciendum videatur. §. 1.

h *Isa.* 30.15

VT quis ad excelsam adeò perfectionem ascendat opus est cursum multò ante inchoare. Ac propterea statim Propheta adiecit: *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Omni enim dubio procul refert plurimùm; quòd intrantes in Religionem fuerint ab adolescentia bene propẽsi ad actiones virtutum, & iugum diuinæ legis tollendum: hoc enim solet esse indicium, quod velit Deus, eos ferre iugum vitæ Religiosæ: vt supra est dictum. Hoc consilio vsus est Nabuchodonosor Rex cum iussit a *Præposito Eunuchorũ, vt introduceret de filiis Israël, & de semine regio pueros, in quibus nulla esset macula decoros forma, & eruditos omni sapientia, & doctos disciplina; & doceret eos litteras & linguam Chaldæorum. Et constituit eis Rex Asmonem per singulos dies de cibis suis, & de vino, vnde bibebat ipse: vt enutriti tribus annis postea starent in conspectu Regis*, eiq; ministrarent. Hunc in modum vult Christus Dominus Prælatos Religionũ, qui sunt Præpositi sectantiũ castitatẽ, eligere adolescentes, suæ Religioni aptos. Quæ aptitudo etsi præcipuè in vocatione cõsistat, qua ipsemet Dominus eos eligit, & ad eam vocat: ea tamẽ vocatione supposita, nõ est alienũ, sed valde cõmodum, optare, eos habere magnas dotes naturales nobilitatis, puritatis, sanitatis ingenij, memoriæ prudentiæ; & super omnia magnam propensionẽ ad actiones virtutũ ab ipsis teneris annis: & vniuersim, reliqua naturalia habeãt, quę ipsa Religio eis præbere nõ potest; ac proinde bonã aptitudinẽ ad disciplinas, & virtutes in quibus Religio potest eos adiuuare. Postquã aũt eos elegerint, conandum est, spatio triũ annorũ toto sc. tempore Probationi assignato, eos docere leges & consuetudines, quas debeant perpetuò seruare; eosq; alere pane & vino doctrinæ, ac perfectionis Euangelicæ; quã ipsemet Christus Dominus docuit & exercuit. Donec in his omnibus bene instructi, ingredi possint ad præsentiã sui Regis cęlestis, offerentes tria vota sęleq; dedicantes ad eius exactũ obsequiũ in omnibus, quæ ipse iusserit. Et tales, vt plurimũ solent esse insigniores Religiosi, quiq; suã Religionẽ pręalijs exornãt: valde. n. aptè illis conuenit iugũ vitæ Religiosæ, cũ illud à iuuentute sua susciperint, & quando ab ipsa infantia bene propensi fuerunt, ad vitæ Christianæ iugum portandum. Ac propterea S. Basilius ait: Quando quis petit, admitti in Religionẽ: multum refert, examinare & intelligere propensiones, & exercitia, quæ in sæculo habuerunt: eum in modum, quo Christus Dominus noster audiens cuiusdam adolescentis bonas propensiones, quia b *omnia mandata custodiuerat à iuuentute sua*, eum vocauit, vt relicto sæculo, *ipsum sequeretur*. Nam, qui ab infantia ad malum propensi, prauas suas propensiones sunt secuti, difficiliùs eas deserunt, & omninò mutantur. Quod si aliqua mutatio ex feruore tyrocinij

1. *Vide tom. 1. tract. 2. c. 7*

a *Dan. 1. 3*

Reg. 10. & 5. ex Fusii.

b *Matt. 19. 20.*

oritur paulò post torpori locum dantes, subitò prauæ illæ propensiones reuirescunt, quæ quodam modo erant connaturales. Quamuis nõ propterea semper (ait idem sanctus) reijciendi tales sint, sed probãdi exercitationibus vehemẽtioribus: nullũ enim vitiũ adeò est naturæ familiare, quod non vincatur Dei timore, magnaq; dilectione, adiuuãte gratia Diuina. Quod si probationibus adhibitis, aduertentur illi rebelles iugiq; Religiosi hostes, sicut illi, de quibus dixit Ieremias: c *a sæculo confregisti iugũ meũ, rupisti vincula mea, & dixisti: non seruiã*, nec alteri me subijciam. Tales inquã, nõ sunt apti professioni religionis: quæ obedientiæ ac subiectioni innititur: ideoq; sunt tempestiuè dimittẽdi. Si enim adhuc Tyrones iugũ Religionis horrẽt: quid facient, cùm post multos annos maioré accipiẽt libertatẽ? De sancto Frãcisco fertur quod noluerit suæ Religionis habitũ viro cuidã petenti dare, eò quòd iussus, hactenus quandam more inuerso planitate, valdè restiterit. Ex ea enim repugnantia deducebat sanctus ille, quantam in rebus alijs postea esset habiturus.

c Iere. 2. 20.

2.

SVPPOSITA hac bona propensione naturali, ad iugum Religionis portandum, addit Propheta Ierem as de eodem adolescente: *sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit se super se.* In qua sententia tres insinuat præclaras eius proprietates: quod scilicet sitamans quietis, & solitudinis; silentij & contemplationis: qua se super seipsum eleuat. Pro cuius maiori declaratione aduertit S. Gregorius Nazianzenus: tria esse naturalis constitutionis ac propensionis genera in hominibus: duo quidem extrema contraria: vnum verò insigne, quod tenet medium. Aliqui enim natura sunt timidi, ac pusillanimes; desides & abiecti cordis, & ad adeò modicum apti, vt nunquam alijs rent ad eleuandum se supra seipsos; sed abiectæ suæ naturalis constitutionis gressui se semper accommodent. Et exteriùs quidem sunt quieti, ac tranquilli; id tamen non ex virtute, sed ex desidia & ineptitudine ad aliquid boni gerendum, prouenit. Amant solitudinem: quia timidi sunt, & pusillanimes; nec ágere nouerunt cum alijs, præcipuè qui sint alicuius momenti: quod sint natura melancholici, aut scrupulosi, aut rudes valde, & stupi-

Hom. demodestia habẽda in dispu.

Quod si tacent: id faciunt propter ignorantiam: quia non sciunt ad rem in qui; aut quod dicant, non occurrit: iuxta illud Ecclesiastici: d *Est tacens non habens sensum loquelæ.* Hos (ait S. hic Doctor) nunquam esse, nec valde imprabos, nec valde bonos; qui non nocent alijs, neque prodesse norunt: quametsi non sint dedecori suæ Religioni: tamen nec honori eidem sunt quia tam in bono, quam in malo, sunt quasi aqua tepida, parumque ad Religionem apti, pro officijs, aut occupationibus alicuius momenti. Alij contra natura sunt audaces, proiecti, & arrogantes: qui libenter erigunt se supra se ad maiores, quã illorum captus ferat: idque non ex virtute, aut prudentia: sed ex temeritate, arrogantia, & superbia: superborum enim est proprium

d Eccl. 20. 6.

cupere

cupere alijs videri plus, quàm reuerâ sint; sibiq́ue tribuere plura, quàm habeant; seque vltra id, quod possunt, erigere. Et hi naturâ sunt vt plurimùm inquieti tumultuarij; qui libenter ad varia prodeunt, in res varias se immiscent, & cum omnibus garriunt: quia plus in eis passionum impetus impetrat, quàm rationis dictamen. Quod si huiusmodi defectus oriantur ex ingenio duro & obstinato, sunt valde pernicioſi, contra finem, & scopum Religionis. Ac propterea Sanctus Basilius ait diligenter attendendum esse: an qui Religionem petit, consilio sit instabili, & ad constituendum quiduis in vtramlibet partem præcipiti: nunc scilicet hoc, nunc illud. Talem autem ait, non esse ad emittenda vota admittendum; eò quòd credibile sit non perseueraturum; &, si inquietus sit ac temerarius, reliquos turbaturum, & vnionem religiosam discissurum; quod si adeò erit garrulus, vt e *linguam suam frenare non possit*, Sanctus Iacobus dicit, *eius vanam esse Religionem*. e Iac. 1. 26.

Alia sunt ingenia & naturales Constitutiones, quæ medium inter hæc extrema tenent: nam ex seipsis sunt homines generosi, magnanimi, & ad res magnas & egregias benè propensi: & qui cupiant se ipsos eleuare super se, & ita in bono crescere: vt quotidie seipsos superent: aliunde tamen sunt docales, prudentes; ac in omnibus, quæ aggrediuntur, circumspecti. Qui si quietem, solitudinem, ac silentium amant: id faciunt, quòd iuxta rationis dictamen ita iudicent expedire. Hi inquam si à bonis Magistris instruantur, & adiuuentur, euadunt in virtute excellentes ad multorum vtilitatem, suæque Religionis, & familiæ, totiusque Ecclesiæ gloriam. De huiusmodi autẽ intelligitur, quod Ieremias dixit: *Verum assuetum portare iugum, sessurum solitarium, ac tacitum; quia leuauit se super se. Primum* enim seipsum super se eleuauit: cùm in Religionis ingressu insigni magnanimitate opus fecit, hominis vires & adolescentiæ facultates excedens: sed postea eadem cordis magnanimitate aggreditur alia, quæ ipsum eleuant super se, & super omnia quæ ipla caro & propria voluntas appetunt.

Quamobrem *primum* amat stabilitatem, & constantiam in rebus omnibus, quas circa diuinum obsequium agit; detestatur f *stultorum mutabilitatem*, qui *Lunam* imitantur; amplectitur verò *sapientium constantiam*, qui semper sunt *sicut Sol*, sibi similes. 1. f Ec. 27. 12.

Deinde amat solitudinem: quæ vitæ Religiosæ est valde familiaris, & propria, & vt S. Chrysostomus ait in eo consistit, vt omnes eas personas euitet, quæ possunt ipsius profectum impedire: sed manet in suo cœnobio, horrens exitus leues per plateas, ac domos sæculares: sciens, quòd Religio (vt S. Bernardus ait) idem sit Religiosis, quod est piscina seu lacus piscibus: in quo manentes viuunt, & conseruantur; inde verò extracti pereunt. Et S. Antonius (vt refertur in Decreto) dicere solebat: Quemadmodum pisces 2. Hom in Ps. 4 ad finem. Ser. 1. de S. Andrea. 16. q. 1. c. Placuit.

extra aquam viuere non possunt, ita & religiosos extra suum monasterium non esse tutos, quando vanitas aut leuitas extra suam deducit clausuram. Amat præterea solitudinem cellæ suæ certis tẽporibus, vt in ea explere possit pensum suorũ exercitiorũ spiritualiũ. Qui tamen non propterea tempore opportuno alio tempore cõmunicare, & agere cum alijs viris probis eiusdem Professionis. Et S. Dorotheus ait: antiquos Patres consueuisse diuidere perfectionem religiosam in duas partes: quarum altera erat, nosse soli tum esse, & quietum in sua cella; altera verò, scire, agere, & versari cum patribus & fratribus domesticis: vt bonis eorum exemplis & consilijs instrueretur. Serm. 16.

3. Ex his oritur vt etiam amet silentium, cum omni ea seueritate, quam Religionis Regulæ præscribunt: eò quòd ad eius conseruationem multum id referat. Sed non loquitur tamen hic Ieremias præcipuè de silentio exteriori: si enim religiosus sit solus; quid mirum, si taceat, non habens cum quo loquatur? Sed quoniam qui soli sunt, solent intra seipsos valde loquaces esse, lingua scilicet imaginationis & ratiocinationis colloquentes cum absentibus, quasi essent præsentes; aut secum ipsis in varijs negotijs: ait non solum sessurum solitarium sed etiam *taciturum*: amando scilicet internum silentium, & frænando mentis vagationes, & ratiocinationes inutiles; quæ similes sunt verbis otiosis ac superfluis.

4. Locutio hominis cum Deo. SED quoniam impossibile est, hominem ita interiùs tacere, vt cum nemine loquatur: addit vltimò Propheta, quod idem *leuauit se super se*: adloquendum cum Deo, cum Angelis, & Sanctis: oratione scilicet & contemplatione quibus spiritum suum cum Diuino per amorem coniungit. Et quoniam nihil est excelsius ipso Deo: ideò non potest homo altius eleuare se super se; quàm cum se coniungit Deo fit que vnus Spiritus cum illo. Frater Hieronymus explicans hæc verba dicit: militum Christi perfectio est eam mentem habere à cunctis terrenis negotijs, & tumultu sæculi: eam quantum humana imbecillitas sinit, festinat vnire cum Christo. Ad hanc autem perfectionem aspirare debent Religiosi, quamuis rara sit & pauci mis dono Dei hæc perfectio cõcessa: eò quòd pauci, & feruore, qui necessarius est, sese disponant, vt illam Deus ipsis largiatur. Est tamen operæ pretium, vt Nouitij ab ipso statim initio eam discere incipiant: ascendentes per quatuor iam insinuatos gradus, & portantes semper super se iugum legis cum obedientia perfecta: hoc enim nullo tempore, nullo loco aut occupatione, aut exercitio per totam vitam est deponendum.

§. 2.

SED pergit vlteriùs Ieremiæ doctrina ne enim, qui se, eleuat super se, euanescat & pereat: hoc ei pondus adijcit: *Ponet in puluere os suum*: hoc est demissè eligat sibi vltimum locum in rebus omnibus, relinquens alijs primũ

Nec vacat mysterio quod non dixerit Propheta: ponet in terra os suum; sed *in puluere* parte scilicet minutissima, & vilissima & inutilissima terræ: quoniam verè humilis, ex rebus vilibus eligit sibi vilissimas, & abiectissimas in vestitu, habitatione, & alia suppellectili: & in reliquis huius mũdi. Et quãuis multa præstet, iudicat se seruum inutilem, omni honore & laude indignum, & vt appareat, eum id non facere coactum, sed sponte, ea phrasi vtitur, *ponendi os in puluere*: quasi eum osculans; humiliationem q; & abiectionẽ magno amore complectẽs: nec satis sibi esse existimat humilitatem ex veritate propriæ cognitionis ortam; sed & illam amplectitur; quam Sanctus Bernardus humilitatem charitatis & affectûs appellat: eò quòd delitias suas reputet opprobria & contemptus: ideoque extendit seipsum, ad subeundos & amplectendos quos potest. Ac propterea etiam non dixit Ieremias, quod sederet in puluere, sed *in eo ponet os suum*. Quemadmodum enim, qui in terra sedet, non nisi mediam partem corporis ei coniungit, qui autem eandem osculatur, caput quoque ei coniungit, quæ suprema pars est hominis: ita qui perfectè est humilis, suã humiliationem exercet in rebus omnibus, excelsis, & abiectis; in ijs quæ sunt corporis, & quæ sunt Spiritûs, in materia eruditionis, & in materia virtutũ: nã a *quanto magnus est, humiliat se in omnibus*. Deinq; quoniã à Deo contra primos nostros parentes, propter eorum peccatũ sententia illa fuit lata: b *Quia puluis es; & in puluerem reuerteris*. Os in puluere ponere, illumq; osculari, est, acceptare & venerati iustitiæ diuinæ, sententiã, ideq; ei subijcere confitentẽ se dignũ esse, qui conuertatur in puluerẽ, indignũ verò, qui oculos in cœlum eleuet. Nam, quãuis hinc se eleuet supra se; vt coniũgatur Deo: inde tamen, sese humiliat & abijcit vsq, ad puluerem, quem habet sub pedibus agnoscens, se puluerẽ esse: ac proindè, se id promeritum, vt ab omnibus calcetur, & conculcetur. Hoc ipsum tamen, quòd se ita abijcit, ipsum iuuat, vt se iterum erigat, amplius q; eleuet super seipsum. Ipsius enim Dei praxis & mos est exaltare humiliantem se; & c *suscitare à terra inopem, & de stercore erigere pauperem: vt collocet eum cum principibus populi sui*.

1.

Serm. 4. in Cant.

a Ecc. 3. 20.

b Gen. 3. 19

c Ps. 112. 7.

Hvic humilitati innititur Iusti fiducia & securitas: nam verè humilis, non est pusillanimis; sed quò minus in se; eo ampliùs confidit in Omnipotentia Dei. Quãuis, ne fiducia proprios limites transgrediatur; nec ipse nimis tutũ se reputet: eidem coniungit castum timorem, qui vineam custodit, ac tuetur. Nimia enim securitas, mater est negligentiæ, ac destruit perseuerantiam. Ac propterea Ieremias, postquam dixit: ponet in puluere os suum, adiecit: *si forte sit Spes*, vt hac via bonum possideat, quod cupit. Dixit verò *si forte*: non quòd de misericordia & liberalitate Diuina dubitet: sed quòd intra seipsum confundatur, & erubescat, suam agnoscens indignitatem.

2.

Ex hac humilitate vltimum illud oritur, quod est quasi culmen Euangelicæ

3.

gelicæ perfectionis: promptitudo scilicet ad excipiendas iniurias, & contemptus; ærumnas, ac dolores euenturos; cum quadam fame & siti eorū. Et ita concludit Ieremias dicens: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* Quatuor sunt qui possunt Tyronem percutere. Deus, cùm eum morbis, alijsq; laboribus visitat; Prælatus, cùm eum reprehendit, & pro eius defectibus punit; aut rebus durioribus & asperioribus eum exercet, ac probat; amici & socij, cùm aliqua dicunt, aut faciunt contra ipsum, quæ eum pugnant & contemnunt: ac denique inuisibiles aut visibiles hostes: qui eum persequuntur & cruciant. Omnibus enim his maxillam suam offert, vt percutiatur, conspuatur, & irrideatur; acceptans lubens omnes ictus, & contemptus exorientes, instar famelici, ac sitientis hominis, cupientis multum cibi & potûs: quò possit famem & sitim suam sedare. Ex quo prouenit, vt non solùm non oderit eos, à quibus læditur, ac contemnitur; sed eos dilectiùs amet ex toto corde. Et quamuis illi sint hostes, & ex aliquo odio ipsum vulnerent: non propterea eos desinit diligere, & in sua immittere viscera; sicut enim dolores & contemptus amat & amplectitur: ita eos amat à quibus inferuntur: & sic sua desideria explet: vt in omnibus imitetur dilectissimum suum Magistrum ac Redemptorem, de seipso dicentem: d *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auertī increpantibus & conspuentibus in me. Posui faciem meam vt petram durissimam*, vt ictus exciperem: *& scio quoniam non confundar.* Quæ autem maior felicitas in hac vita esse potest: quàm heroica huiusmodi exempla nostri Saluatoris imitari: dum in ipsis contemptibus honor inuenitur, in doloribus gaudium, in ærumnis ac laboribus quies, ac solatium; & saturitas in eo, quod videat se repleri? Tunc enim valdè excellenter promissio illa impletur data Religiosis centuplum e *cum persecutionibus*, ob saturitatem & lætitiam quam Deus in illis tribuit.

d *Isai. 50. 6*

e *Mar. 10. 30*

HÆ sunt præcipuæ virtutes, in quibus debent eminere Nouitij, vt in suo Tyrocinio feruentes sint ac perfecti. Et ex ijsdem conficere licebit catalogum talentorum, & facultatum, quæ in illis esse debent: vt ad Professionem aut vota admittantur: ita vt Magistri diligenter examinent, & perpendant, an feruent: an omnes illas habeant; aut saltem, ad eas comparandas, aptitudinem. An scilicet magnam habeant fidem, qua sola in exitu ex sęculo, rebus visibilibus deserendis, dirigantur; an decreuerint, Deum accipere in hac vita vnicam hæreditatem, ac possessionem: desiderantes eum semper, & in rebus omnibus quærere; an totam suam fiduciam ac fortitudinem ita in eo collocent, vt longanimes sint, & moras in explēdis ijs, quæ promittit, ferant; an à iuuentute sua Domini iugum portauerint? & an propensionem habeant, & sese applicent ad ferendum vitæ Religiosæ iugum, cum in-

obedi-

obedientia & subiectione? an quietem, solitudinem siue recollectionem, & silentium ament: vt seorsim cum Deo agant? an sint generoso corde, cupiantque eleuare se super seipsos: vt egregia quæque in Diuino seruitio libenter aggrediantur: & studeant intime coniungi suo Creatori? an ad res humiles & abiectas afficiantur; & propendeant, vt vltimum sibi locum in rebus omnibus eligant? & an ad opprobria, dolores, & ærumnas sustinendas parati sint, easque esuriant, ac sitiant? Hæ præcipuæ sunt dotes & qualitates feruentium Tyronum: quamuis non statim possint illas adeò perfectas habere. Sed Prælatis ac eorum Magistris incumbit, eos iuuare, & ad progressum stimulare: vt in proximo capite apparebit.

CAPVT XI.

RATIO TYRONES IVVANDI ANTE VOTORVM EMISSIONEM; *seq. ad eadem edenda præparandi.*

QVAMVIS Deus Dominus noster vocans ad statũ religiosum & inspirans renunciationes & vota, quæ in eo fiunt: præcipuè adiuuet gratia efficacis suæ vocationis, vt ea executioni mandentur, cooperante ipso nouitio feruenter, vt dictum est: vult nihilominus, vt Prælati Religionum per Moysen significati; & Magistri nouitiorum per Aaron, curam gerant eorum, quos ipse vocauit; iuuentque vt procul à mundo recedant, & conficiant in ipso Nouitiatu itinera perfectionis cum tanto feruore, vt suorum votorum oblationem & Professionem ipsam exce lenter perficiant: ad tres præcipuos fines in hoc aspicientes. *Primus* est, ipsius Dei gloria: quæ crescit splendore sanctitatis, quam habebunt, qui ipsius obsequio se totos manciparũt *Secundus* est, bonum ipsiusmet Religionis: cuius incrementum & perfectio ex eo dependet, vt bonos ei filios tradat, sanctitatem promouentes, quam mater ipsa profitetur *Tertius* finis est, bonum ipsorummet tyronum: vt proficiant, & opus Dei cum diligentia faciant, suaque vota in magna excellentia offerant, & perfectionem assequantur, ad quam sunt vocati. Totum hoc complectitur perfectus zelus à charitate proueniens: quæ duobus suis actibus amoris Dei, & proximi, vrget Prælatos, ipsos Magistros, & alios Religionis seniores, vt Nouitiorum ac Tyronum perfectionem promouere studeant, ob tres prædictos fines. Quod iucundo quodam colloquio spiritus Sanctus explicuit in libro Canticorũ, sic dicens: a *Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die, quãdo alloquenda est?* (cũ scilicet agetur de ea sponso tradẽda) *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Quæ verba continent quandâ rationẽ consultandi, quâ

Supr. c. 1.

Ad bonum Religionis.

a *Can. 8. 8.*

Prælati,& Spiritus Magistri, ac seniorum Religiosorum congregatio habet inter se circa remedium & profectum animarum tenerarum,& quodammodo infantium in virtute, quas Christus D. N. vocauit, & ad Religionē produxit eo fine,vt perfectissimas spirituales nuptias cum eis celebraret,animis Castitatis,Paupertatis,&Obediētiæ votis interuenientibus.Quæ nuptiæ ad finē Tyrocinij sint celebrandæ;cupiunt illi ad talē solennitatē, eas ornatas esse sanctitate,quæ decet eas quas supremus hic Rex in sponsas dilecturus sit Si enim virgines Regi Assuero nupturæ (vt in libro Ester refertur) integrum annum expendebāt in sua præparatione & ornatu, qui erat valde magnificꝰ:& b *sex* quidē *mensibus* primis *oleo vngebātur myrrhino;alijs vero sex quibusdā pigmentis & aromatibus vtebantur:* multò erit magis rationi conuenientaneum vt animæ cœlorum Regi nupturæ,annum vnum,imò duos,& tres expendant in necessario ornatu procurando ad ipsum diem nuptiarum,& vt inueniant gratiam in oculis eius,eiq; placeant. Quare meritò sex menses impendent & multò plures, vngendo se vnguento myrrhino, hoc est, carnis ac sensuū mortificatione,ad fœtores ac ineptos vitiorum sapores reijciendos ; & seipsas præseruandas à peccatorum corruptione : per alios vero sex menses,& multò adhuc plures occupentur, vngendo seipsas fragrantibus variarum virtutum vnguentis, & exercēdo earum actus cum tanto fœnore,vt sint bonus odor Christi, bonoque suo exemplo omnes ædificent.

b *Ester.2.12*

§. 1. *Castitas & Humilitas.*

HOc SPIRITV & zelo dicunt Magistri & Prælati de huiusmodi animabus:*Soror nostra parua & vbera nō habet. Quid faciemus in die quādo alloquenda est*,& sponso tradenda? Et in eadē interrogatione supponūt mythice duas fundamentales virtutes, quibus ornati esse debēt Nouitij, vt in Religionem admittantur,eiusq; statūs fructibus,ac Diuinis nuptijs cum maiori excellētia fruantur:virginitatem,scilicet & Humilitatē: de quarum connexione diximus plura superiùs.Quæ vt plurimùm comitātur fœminas,quæ in tenera ætate vocantur ad Religionē,suntq; etiam valde optandæ in viris. Ac propterea solet Dominus noster in tenera ætate eos vocare ; antequam Caro,& mundus fallacijs suis,eorum iudicium peruertēs,experiri faciāt detestandas suas voluptates,& vanitates.Hoc autem insinuant illa verba : *parua, & vbera non habet.* Caro enim & mundus vbera duo ampla valde, & turgentia habent, execrando suo lacte redundantia : vtrumque scilicet insatiabilem appetitum voluptatis & vanitatis ; quæ Sanctus Bernardus vocat filias sanguisugæ semper dicentis, *Affer Affer*;eò quod neque animus vanitatibus, neq; corpus voluptatibus satietur. Ille autem paruus esse censetur,& nō habere vbera: qui prauos hos duos affectꝰ mortificatos habet,perfectione horum duarū virtutum:nā virginitate & castitate Angelica , affectiones mundi-

Tract 2.2.7

c *In Declam. nid: Ecce, os reliquimus omnia.*

tificæ

ficat carnales; ac desideria lactis cõsolationum terrenarum: vt capacior fiat cælestiũ, iuxta illud Isaiæ: a *Quẽ docebit Deus scientiã? & quẽ intelligere faciet auditũ ablactatos à lacte, & auulsos ab vberibus.* Quasi dixerit: qui statuerũt abstinere ab omnibus carnis ac sensuum suorũ voluptatibus, bene dispositi sunt, vt eis Dominus scientiã cõmunicet Diuinorũ mysteriorum, quæ per fidem meruerunt: quia luce sua eos illustrat vt ea intelligãt & assequantur: & eisdẽ cõmunicabit etiã virtutũ ac perfectionis Euãgelicæ scientiã, quæ in Religionibus docetur: satians eos lacte Diuinarum cõsolationum, quod spõsus Diuinus exprimit ex cælestibus suis vberibus. Sed multò magis ad hoc ipsum confert virtus internæ & externæ humilitatis; quæ significatur, cum dicitur, *paruus, & vbera non habere.* Humilis enim, & in suis oculis est paruus, & talis debet haberi in oculis omniũ hominũ: comprimit. n. omnẽ tumorẽ, quẽ Superbia gignit in vberibus, & affectibus cordis. Non enim cõplacet sibi Deus in paruitate & humilitate externa: si pectus interim tumet interna vanitate: ideoq; cùm nos vocat, inuitat, vt ab eo d *discamus: quia mitis est & humilis corde.* Quæ humilitas est præclarissima dispositio ad oblationẽ votorum faciẽdam; & ad suscipiendam doctrinam perfectionis, quæ traditur à Magistris in Religione. Qui valdè mysticè per modum consultationis quærunt: *quid faciemus sorori nostræ?* non enim dicunt: quid ei dicemus? sed; *quid ei faciemus?* Munus enim perfectorum Magistrorum non solùm est dicere; sed etiam facere: quemadmodum discipulorum, & Tyronum non solùm est audire: sed etiam quod audiuerunt, exequi. Necesse quidem est ipsos Magistros loqui, exhortari docere & instruere Nouitios de rebus omnibus ad perfectionem propriam statûs Religiosi spectãtibus: sed tales exhortationes debent simul complecti & verba & facta: illustrando intellectum veritatibus; voluntatem verò permouendo efficacibus virtutum desiderijs, eosq; adiuuando & promouẽdo ad omnium executionẽ. Cõsultantes & inter se conferẽtes de mediis aptis adhibẽdis, ad eos iuuãdos in feruẽti Sanctorũ operum exercitio; & in perfecta sui ipsorum mortificatione; & nominatim dũorum appetituum, quos diximus, voluptatis scil. ac vanitatum. Negãtes eis, quæ delectãt, & honorem quem appetunt; & exercẽtes eos rebus, quæ pœnam & pudorem adferunt, quas illi refugiunt: adhibendo propria antidota ad radicem, ex qua tales appetitus procedunt. Qui (vt S. Bernardus dixit) sunt c *sanguisugæ* proprie volũtatis; cuius appetitiones & propẽsiones mortificãdæ sunt, ac flectẽdæ; nõ permittẽtes, vt ij propriæ volũtatis ac iudicij cõpotes fiãt; etiã in rebus, quæ videntur aliàs spirituales: eò quòd soleãt esse esca vanitatis, & carnalitatis, licèt palliatæ: vt fusiùs postea dicetur. Sed vlteriùs necesse est progredi Magistrorum industriam: Nouitij enim, etiamsi carnis ac mũdi vbera mortificẽt; attribuunt tamen sibi nõ rarò, ex zelo quodam indiscreto, quòd

a *Isa. 28. 9.*

b *Mat. 11. 29*

Suprà.

c *Pro. 30. 15.*

habeant vbera ipsius sponsi: ideoque ante tempus volunt fieri matres, docentes & lactantes alios: & in hunc modum alios proferunt sublimes affectus, sub specie & colore maioris perfectionis; aspirantes ad res maiores, quàm illorum ætas, & Tyronum status ferant. Nihil tamen horum ferre debent Magistri; sed eos dextere mortificare: reuocantes sibi in memoriam (vt S. Bonauentura monet) quod olim iubebat Dominus per Moysen: vt *quando filii Israel ingrederentur terram, & plantarent in ea ligna pomifera, auferrent præputia eorum*, & fructus siue *poma, quæ germinarent conferentur ipsi immunda tribus primis annis*: eò quòd non essent apta ad comedendum; & ipsi lignis essent noxia: eò quòd virtutem exsugerent, quæ debebat tendere in radices, vt profundiùs in terram descenderent. Quid autem hoc erat aliud, nisi monere Prælatos, & Magistros Nouitiorum, qui in sacræ Religionis horto sunt plantati, vt primis sui Nouitiatus annis, eos circumcidant, ac mortificent: nec solùm affectus eorum inordinatos ad res prauas; sed nimios etiam ad res bonas, quæ sunt immaturæ, nec legitimum habent saporem. Nouitiatus enim tempus non destinatur ad docendum; sed ad discendum; neque est tempus proficiendi publicis actionibus, quæ præbent occasionem vanitatis; sed iaciendi profundas radices in humilitate. Ac proinde expedit tunc mortificare zelum alios iuuandi, eumque differre ad suum tempus: conari, in seipsis proficere mortificatione nimiorum affectuum suorum.

De informa Nouit c 6. 1 Leu. 19. 23

§. 2. *Solidæ virtutes, & opera vitæ activæ, & contemplativæ.*

POST prædictas duas virtutes, studendum est alias valde excellentes comparare, quæ insinuantur in responsione spiritus Sancti, ad interrogationē propositam. Ait enim primùm: *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea*. quasi diceret: super fundamentum humilitatis & castitatis erigatur murus altus & fortis, qui animam ipsam omni ex parte circumdet, & custodiat, & defendat ab hostium oppugnationibus. Quis autem hic murus & propugnacula sunt, nisi virtutum solidarum vnio & coniunctio: quæ fortes sunt & protectio ac defensio reliquarum, ac totius perfectionis Religiosæ, quam eleuant & ad culmen vsq; magnæ curæ excellentiæ perducunt. Quemadmodū enim murus ciuitatis constructur ex multis, magnis, ac fortibus lapidibus calce cōnexis: ita religiosæ animæ murus fabricatur ex multis virtutibus coniunctis charitate, quæ est vinculum perfectionis. Ad hanc ædificiū pertinēt virtutes in proximo capite insinuatæ: præcipuè animi *Fortitudo*: quæ timores reprimit; cor verò corroborat in certaminibus aduersùs hostes; *Patientia*, quæ moderatur tristitias in doloribus & opprobrijs: nimiúq; adijcit ad ea toleranda, *longanimitas*, quæ nō affligitur propter spei subsidij moras, & laborum diuturnitatem; *Constantia*, quæ odit mutationes

nec deficit in ijs, quæ bene proposuit; *Fiducia*, in Deum, quæ humanis viribus addit Diuinas; *pura intentio*, quæ opera ipsa eleuat ad res æternas obtinendas, dedignata fines temporales ac terrenos; ac denique *Charitas* fraterna, quæ corda connectit; & *Amor Charitatis* Dei: quæ omnia potest, omnia suffert, omnia sperat: estq; inuincibilis ob Domini virtutem, quem diligit. Ex his virtutibus erigitur in ipso corde murus adeò fortis, vt nullæ impugnationes, aut tormenta Dæmonum valeant illum deijcere: cum illo est anima bene munita, tuta, & quieta; cum ingressa firmitate in sua vocatione; & in vita Religiosa, quam est aggressa. Et tunc in ea impletur, quod dixit Isaias Propheta: a *vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietem.* Incedes enim cum magna quiete per semitam perfectionis, cùm tali muro munitus eris, ac circumdatus. Latet quoque aliquid mysterij in eo, quòd appellet *murum*, quam dicebat esse *paruam*: vt intelligant speciatim Religiosæ: cum ipso statu mutandam esse fœmininam imbecillitatem in fortitudinem plus quàm humanam. Ac propterea (dicit S. Thomas) abscindi illis capillos, qui sunt gloria fœminarum: quasi eo facto moneantur: se euadere subiectionem viris carnalibus, & animos induere viriles.

a *Psal.* 58 12.

In 1. *Cor. lection* 2.

Ad Idem ædificium aptius construendum adiuuant etiam Tyronum Magistri, prospicientes eis de materialibus aptis, suggerentes bona consilia, & rationes ædificandi; & ad virtutum exercitia magno spiritu exstimulantes. Cùm autem vident murum solidè erectum: adijciunt turres & *propugnacula argentea*, virtutes scilicet vitæ contemplatiuæ, quæ spiritum ad familiaritatem cum Deo eleuant, per orationem & contemplationem; magnamque notitiam & opinionem ei communicant diuinorum mysteriorum per lectionem & meditationem. Dicuntur autem *argentea* ob pulchritudinem & munditiam, quam in anima efficiunt; & quod versentur circa Dei verba in Scriptura sacra reuelata: b *eloquia enim Dei* (ait Dauid) *eloquia casta: argentum igne examinatum, purgatum septuplum* ab omni scoria. Sunt tamen turres & propugnacula: quia strenuè defendunt ipsum virtutum murum: quas ad altiorem extollunt perfectionem. Argentea turris est meditatio, fouès ignem affectuum, quem Christus D. N. c *misit in terram*; excitatq; feruentia desideria eum in omnibus eius virtutibus imitandi. Propugnaculum argenteum est donum contemplationis eleuans spiritum supra se: vt cum Deo suo illum vniat; valdeque perfecta similitudine in eum transformet. Denique propugnacula argentea sunt excelsa sensa fidei, cœlesti luce illustratæ: qua quis assequitur; &, vt par est, magni facit mysteria diuina, promissaque Dei suis, electis facta in hac & futura vita: quibus valde solidatur vocatio; & hostibus resistitur: qui contendunt eam deijcere. Super talem murũ aptè collocantur tales turres & propugnacula: nam super vitæ

b *Psal.* 11. 7.

c. *Luca.*

dGe.29.22. actiuæ virtutes feliciter crescunt actiones contemplatiuæ: Quæ (teste sancto Gregorio) præsupponit opera actionis, & mortificationis, quæ ipsam animam dolant ac purificant: & vtraque disponit ad perfectas spirituales nuptias cum ipso Christo Domino ineundas. Qui sicut Iacob, etsi priùs d Liam duxit, animam sc. Sanctis Actiuæ vitæ actionibus occuparam: multò tamen maiori amore ac iucunditate, *Rachelem*, duxit; animam scil. actionibus vitæ contemplatiuæ decoratam; & multò adhuc libentiùs eam, quæ vtrasque actiones cõplectitur; estq́, instar muri fortissimi cum pulcherrimis purissimi argenti propugnaculis. Quamobrem Nouitiorum Magistri magnam curã adhibere debent in hisce propugnaculis erigendis: docentes eos aptè orare, meditari & familiariter cum Deo agere: & proponentes ædificij materiam, siue puncta ac veritates, circa quas ratiocinationes & affectus suos exercere, rectè eos dirigentes, vt in ijs exercitijs insignes & eminentes euadant, tum quo gressu in eis profecerint: pergent etiam in reliquis. Neque gratis Spiritus S. verbo illo vtitur, *ædificemus* in plurali numero: vt intelligatur, ad huiusmodi ædificium non vnum solùm, sed multos concurrere debere: neq; sufficere solum discipulum, neq: solum Magistrum: nisi matuò sese adiuuent, nec vterq; sufficient, nisi adiuuet ipse Deus; qui præcipuus est muri huius, & propugnaculorum eius exstructor: cuius gratia nunquam deest ijs, qui ei bene vti volunt. Refert autem plurimùm ita diem totum distribuere, vt eius vna pars expendatur in ædificio muri, & actionum externarum, altera verò in erigendis propugnaculis & actionibus internis.

§. 3. *Virtutes quæ sensus cohibent.*

QVAMVIS nihil supereſſe videbatur, ad animæ Religiosæ perfectionem: Spiritus sanctus tamen aliquid addit, dicens: *si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*: hoc est, anima, quę perfectionem Euangelicam profitetur, non potest esse murus omni ex parte clausus; sed necesse est aliquod habere ostium, per quod pateat ingressus & exitus, iuxta prudentiæ Regulas. Si itaque anima tanquam ostium, quod ſpis temporibus aperiatur, & occludatur: vt amicis liceat ingredi, & exire; sitq́ue tuta, quod hostes non ingredientur. Cordis ostia sunt quinq; sensus, & lingua. Quæ aperienda sunt ad res necessarias ac decentes; claudenda verò noxijs ac superfluis: ne mors, & ruina per ea ingrediatur. Cùm autem anima recès conuersa ac noua, non sit satis perita ac dextera: prospicit Deus noster, vt in Religione fiant ostia cedrina (quæ arbor est solida, odorifera, & quasi incorruptibilis) quibus omnes sensus bene custodiantur. Ostia cedrina sunt virtutes morales, quæ custodiunt, gubernantq́ue sensus exornatæ & corroboratæ documentis & consilijs, tam quæ continentur in Regulis Religio-

Cordis ostia quinq; sensus.

nis,

nis; quàm, quæ à Tyronum Magistris traduntur. Tabulæ cedrinæ, quibus illa ostia compinguntur, sunt *temperantia*, quæ gustus voluptates moderatur, *modestia*, quæ oculos aperit, clauditque prout oportet, reliquasque corporis actiones dirigit; *silentium* religiosum, quod linguam frænat, & suo tempore tacet; regularis ipsa *clausura*: vt nunquam sine superioris facultate quis egrediatur, *mansuetudo* & Clementia, quæ iræ impetus prohibet; *Obedientia*, quæ voluntatem subijcit executioni omnium harum actionum; & *prudentia*, quæ medium in eis omnibus tenendum præscribit. Hæ omnes virtutes sunt quasi tabulæ cedrinæ, solidæ ac fortes, ob firmitatem, qua quisque seruat quod ad se spectat; fragrantes, propter ædificationem, quam alijs adferunt; incorruptibiles, eò quòd à plurimis culpis præseruẽt: & sic conferant ad muri, eiusq; propugnaculorum defensionem, & perfectionis virtutum reliquarum conseruationem. Dicuntur quoque Cedrinæ: eò quod a *Iustum* faciant florere, *sicut Cedrus Libani*, imitantem exempla magnorum Sanctorum; & supremi omnium cedri, Christi Saluatoris nostri: qui in huiusmodi virtutibus mirum in modum floruit: cuius exempla tabularum cedrinarum vicem subire possunt: ex quibus ostia fiant ad nostros sensus frænandos, & continendos. Hæ sunt in genere virtutes, in quibus Prælati & Tyronum Magistri eos debent exercere: præmissa consultatione & consideratione hic insinuata, euitatis semper vitiosis extremis. Neque enim adeò accelerare & vrgere debent, quasi velint: eos vno die fieri perfectos; neque adeò tardè, vt permittant, eos semper esse ignauos ac desides. Nec debent, eos adeò premere, & onerare, vt ruat ædificium, quod erigere cogitant; neq; adeò illis conniuere, vt nunquam illud exurgat. Ne adeò excelsas turres super murum debilem erigant, vt illas ferre non possint: nec satis sibi esse existiment, si paruas erigant, cùm possit murus ferre maiores. Cuique igitur pensum illud, modumque orationis præscribant: quæ eius feruori & mortificationi, cui sese dedit, sit accommoda. Sed & illud attendant: vt cedrinæ tabulæ ipsis ostijs ita aptè coniungantur: ne hostes qui valde sunt subtiles, rimulam aliquam inueniant, per quam possint penetrare: ne prætextu solatij aut recreationis ita alicui sensuum habenas laxent, vt præcipitetur; neque adeò fortiter premant, prætextu obseruantiæ religiosæ: vt eos frangant ac destruant. Sed quoniam totus sequens Tractatus de ijs virtutibus aget: in eodem etiam de eis agetur, quatenus ad Tyrones spectant.

Tabulæ cedrinæ quæ.

Tabulæ cedrinæ sunt incorruptibiles.

a *Psa.* 91. 13.

Non sunt nimium premendi subditi.

CAPVT

CAPVT XII.

PERFECTA RATIO VOTA, ET PROFESSIONEM *ipsam emittendi.*

ACCEDAMVS tandem ad conclusionem ex prædictis probationibus, consultationibus, ac diligentijs prouenientem: ad Nouitios scilicet siue Tyrones admittendos, vt Vota sua & Professionem edant. Si enim ornamentum habent virtutum prædictarum; digni sunt, cum quorum animabus cælestis Sponsus nuptias tandem concludat; & in domum suam tanquam perpetuos eius habitatores admittat, per oblationem trium Votorum; quæ emittent cum eo feruore & spiritu, quo Dauid prædixit, dicens: a *Introibo in domum tuam in holocaustu: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* In quibus verbis ad viuum depictus est ingressus in domum Dei, quæ est ipsa Religio, cui holocaustis trium Votorum, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ: quæ appellat holocausta, ob rationes supra positas. Sed modum & rationem eius magno fructu & spiritu faciendi explicuit illis verbis: *quæ distinxerunt labia mea*: hoc est, clarè ac distinctè obtulerunt. Quid autem aliud est (ait S. Augustinus) vota distinguere: quam profunda consideratione discrimen agnoscere inter ea offerentem, & eum cui offeruntur: perpendendo summam alterius vilitatem, & indignitatem; & infinitam alterius amplitudinem ac Maiestatem? Hac enim consideratione, qui vota emittit, hinc sese humiliabit ac erubescet; indignum se iudicans, qui tanto Domino aliquid offerat: inde verò resumet animum, confidens in Omnipotentia & liberalitate Domini, ea acceptantis: quòd sit auxilium præbiturus, ad explenda, quæ promittit. Talem distinctionem (ait idem S. Doctor) adhibere debes, in votis tuis: vt agnoscens, quantum interfit inter te & Deum: teipsum tanquam valde improbum accuses; Deum verò tanquam optimum laudes; & intelligas, te esse creaturam, ipsum verò Creatorem; te esse tenebras, ipsum verò lucem; te mutabilem, ipsum immutabilem; te indigere Deo, Deum non indigere te: ex tuis enim votis nec ipse crescit, nec ditescit, aut commodum aliquod accipit. Tibi est melius quidquid de te, pro te facit: non ei, qui facit. Maiusque beneficium confert ille tibi, cum acceptat vota tua: quàm tu ei obsequium, dum illa ei offers: non enim in ipsius, sed in tuam cedunt vtilitatem. Ille tamen & dignus est, & promeretur, vt illa ei offeras; & ex hoc ipse glorificatur: non quòd eius propterea gloria augeatur; sed quòd iure optimo illi debeatur.

a *Psa.65.13.*

Tract.2.c.4 In Psal. 65.

In votis adhibenda distinctio.

§. I.

EXquo fit, vt votorum oblationem hæ tres virtutes debeant præcipuè comitari. Profunda scilicet humilitas, ac reuerentia ad Maiestatem Diuinam; magnâ fiducia in eius infinita misericordia & omnipotentia; & feruens oratio ac meditatio, quæ accendat foueatque diuini amoris ignem, quo holocaustum est comburendum, & consumendæ affectiones voluptatum, diuitiarum, ac libertatis, quæ tribus Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ votis iugulantur. Quod satis Psalmista insinuauit, cùm dixit: a *Holocausta medullata offeram tibi* CVM INCENSO: quod (iuxta aliquos Doctores) non accensionem, sed thus significat, quod offerri solebat cum cæteris sacrificijs; estque figura b *orationis*, quæ illa comitatur: vt eorum odor in cœlum *dirigatur*, & ascendat; efficiatque oblationem ipsam gratam; & impetret à Deo gratiam, ad eam efficiendam; & cum perfectione explendam. Hoc totum mirificè quasi in compendium redegit Pater noster S. Ignat. in formula votorum edendorum, quam nobis præscripsit; in qua ea vocat *holocaustum*. In qua formula præmittit distinctionem ac discrimen inter vouentem & ipsum Deum, & actus humiliatis ac fiduciæ, sic dicens: *Omnipotens sempiterne Deus, ego N. licèt vndecunque diuino tuo conspectui indignissimus, fretus tamen pietate ac misericordia tua infinita, & impulsus tibi seruiendi desiderio*: *voueo*, &c. Et postea addit pijssimam quandam orationem, qua supplicat eidem Domino, *per Iesu Christi sanguinem*: *vt holocaustum illud in odorem suauitatis admittere dignetur & vt largitus est ad offerendum sic etiam ad explendum gratiam vberem largiatur.*

a *Psal.* 65. 15 *Ianson. explicat: offeram holocausta arietum cũ incenso.*

b *Psa.* 140.

SED multò amplius contendit Dauid obtinere, cùm ait: reddam tibi vota *quæ distinxerunt labia mea*: Verbo enim distinguendi docet nos, vota non præcipitanter, nec festinanter, neque in genere aut confusè (vt alibi diximus) sed eum quiete distinctè & clarè, benè priùs perpensis ijs quæ Paupertas, Castitas, & Obedientia, (quæ in votis promittuntur) complectantur. Non enim omnes Religiones eundem habent modum Paupertatis, nec eandem obedientiæ seueritatem. Quare plurimùm refert, vt quisque distinctè nouerit, quid suis votis offerat; & ad quid se obstringat; & vt labia ea proferant cum iucunditate quadam ac discretione; cum tranquillitate, & sapientia, quasi ipsis verbis oblectetur, & in singulis, immò in eorum syllabis hæreat, hoc est, in singulis rebus, quas singulæ promissiones in se continent. Et quemadmodum in antiqua lege, cùm animal erat in holocaustum offerendum, non integrum in altari ponebatur; sed d *detracta pelle, & eius artubus in frustra concisis*: vt suppositus ignis faciliùs posset eos penetrare, & comburere, nihil eorum incombustum relinquendo: ita enim, qui in ini cordis altari oblaturus est spirituale hoc holocaustum

c *Psal.* 65. 13

Tract. 1. c. 9.

d *Leuit.* 1. 6

distinctè nosse debet partes omnes Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ vt diuini amoris ignis omnes accendat, ipsumque cor moueat ad easdem offerendas & implendas. Sic enim hoc modo innotescat, quod promittimus facilius postea ac iucundius impletur. Ac propterea dixit Dauid: *reddam tibi vota mea*: eò quòd ea distinxissent labia sua, & maturè ac prudenter obtulisset. Ad idem etiam diriguntur probationes, & tentationes præcedentes (vt supra est dictum;) vt maior fit experientia rerum, quæ sunt offerendæ; ac proinde cum maiori distinctione ac deuotione offerantur. Ac propterea fortè præmisit Psalmista: *Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium*: & mox subiecit, quæ hactenus posuimus: *introibo in domũ tuã in holocaustis: reddã tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Nouitij enim per aquam & ignem tentationum ac probationum tyrocinij transeunt: ex quibus deducit eos Deus expeditos, purificatos, valdeque illustratos: & tunc ingrediuntur ipsam Religionem, distinctè offerentes sua holocausta magno animo, certaque spe explendi quod promiserunt: cùm ante ipsam promissionem exactè illud expenderint ac probauerint.

Tria hæc vota sunt perpetua.

QVARE in hac oblatione distinctè valdè, & speciatim perpendenda est eius perpetuitas; omnia enim hæc tria vota sunt perpetuæ Paupertatis, perpetuæ Castitatis, & Obedientiæ perpetuæ, per totam scilicet vouentis vitam; quæ licèt possit esse breuissima, potest etiam esse diuturnior. Qui igitur vota hæc offert, statuere debet per totam suam vitam illa cum magna longanimitate seruare, etiamsi duret per multos annos. Hoc significabat lex holocausti, quæ iubebat à tempore, quo e *animalia offerebantur, cremari in altari tota nocte vsque mane*, subijciente Sacerdote ligna sufficientia, vt ignis tam diu perduraret donec ipsa animalia comburerentur, & consumerentur. Ac propterea, cùm animalia erant maiora, quales sunt boues, hirci, & arietes: necesse erat addere plura ligna, vt ignis maior esset, & ita posset illa nocte oblatum holocaustum consumere. Hunc in modum, quamuis trium votorum holocaustum breuiter offeratur, quoad primam eius oblationem, quæ nos ad ea obseruanda constringit: exercitium tamen & obseruatio eorum perdurare debet per totam miseræ huius vitæ noctem, donec æternitatis dies illucescat: ita vt neque tentationes, neque aliæ aduersitates occurrentes ab hac obseruatione vouentem retardent. Ordinariè enim totum illud tempus necessarium est, vt ignis Diuini amoris totum holocaustum consumat, mortificando, & in nihilum redigendo affectum inordinatorum reliquias, quæ remanere solent, aut in corde etiampere, ad voluptates, diuitias, honores & libertatem: quibus per ipsa vota renuntiauimus. Quæ res cum sint omnino magnæ; & vt iam dicebamus, per boues, hircos & arietes significatæ, quos Dauid obtulit in holocaustum,

c Leuit. 6.9

dicens

dicens: *e cum incenso arietum offeram tibi boues cum hircis:* necesse est: diuini amoris ignem, valde magnum esse; & per totam vitam nutriri, multisq; lignis foueri: ijs scilicet rebus, quibus ille crescit & augetur: quales sunt lectio piorum librorum, meditatio diuinorum mysteriorum, frequentia Sacramentorum; aliaq; varia exercitia, quorum est frequens vsus in Religione, iuxta ipsius leges ac Regulas. e Psal 65.15.

§. 2.

QVOD autem Deus D. N. in hac oblatione pluris facit, sunt interiora, magisque occulta: quæ Dauid *holocausta medullata*, appellat, siue medullam ipsorum holocaustorum: quæ in hoc holocausto est animi deuotio, qua illud offertur. Non dico teneram illam, ac sensibilem, quæ dulces sæpè profert lacrymas; licèt & hæc bona sit: sed quæ verè est substantialis & cordialis, consistens in promptitudine voluntatis, generosè sine aliquo termino offerentis eor suum. & quicquid habet, habereve potest in hac vita, quemadmodum Scriptura sacra dicit, populum obtulisse: a *mente promptissima atq; deuota primitias Domino.* Quæ vt melius intelligantur, aduertendum est: quòd cùm homo ex seipso valdè sit pauper ac miser, ac proinde quicquid Deo offerre potest, valdè sit modicum, aut nihilum: nam vt Isaias ait: b *Gentes omnes* cum illo comparatæ, *sunt quasi stilla situlæ: & insulæ quasi pulvis exiguus, & omnes gentes quasi non sint, sic esse coram eo, & quasi nihilum & vanè reputatas esse ei*: ac propterea omnia ligna Cedrorum montis Libani, & omne pecus, quod in eo pascitur, non sufficit, vt dignum aliquod holocaustum ei offeratur. Et licèt hæc omnia magna in se essent: non tamen sunt nostra, sed ipsiusmet Dei: nam (vt Dauid dixit) c *quæ de manibus eius accepimus, dedimus ei.* Ex quo fit, vt gratia diuinæ Vocationis ad impinguandas & extollendas oblationes, imprimat animæ generosam quandā voluntatē commutātem eas ex pauperibus in opulentas; & ex paruis in valdè magnas, & amplas. Nam (teste S. Greg.) nihil offertur Deo ditius voluntate bona cū qua, quod modicum aliàs erat, fit multum; sicut absq; ea, quod multum videbatur, est nihil; cum ea d *duo æra minuta* præferuntur multis ducatis; & si sine ea minoris fūt, quàm æra minuta, nullus ditior est eo, qui cistas cordis sui plenas habet auro bonæ voluntatis pretiosissimo. Illa enim, quando est perfecta, duo efficit in suis oblationibus. Primum est q tradit Deo quicquid habet, & potest (vt ait S. Greg.) *iuxta vires:* nihil scilicet sibi retinens; aut negligens aliquid facere, quod posset, amando, & seruiendo Deo suo ex toto corde, ex tota sua virtute, & ex omnibus viribus suis: & hoc quidem sufficit ad integritatem & plenitudinem holocausti: sed bona voluntas præter hoc cupit dare Deo multò plura quàm habeat; & facere *vltra vires*, nullum ponens limitem aut terminum desiderijs ac votis suis. Et hac animi in- a Exod 35 21 b Isa. 40. 15 c 1. Paral. 29 14. Hom. 5. in Euang. d Luc. 21. 2 Supra.

genuitate tria hæc vota offert. Voto igitur paupertatis offerre debes quicunque habes, & in hac vita habere potes; sed tali tamen animo: vt si totus mundus tuus esset, & mille alios mundos haberes: omnes Deo tuo offerres & si plenum haberes dominium omnium quæ creata sunt, absque dependentia ab alio: totum renũciares, ac desereres, vt Creatori tuo totũ offerres. Voto castitatis offerre debes corporis tui integritatẽ, & animæ puritatem iuxta vires tuas scilicet humanas: tali tamen desiderio, quòd eã cuperes seruare etiã vltra vires humanas, atq; si esses Angelus. Et hæc perfectissima est castitas quam Angelicam vocant: quæ efficaci desiderio eam ex gratia Dei seruat puritatem, quam Angeli ex natura sua possident. Obedientiæ votum offerre debes Dei libertatem, & voluntatem tuam cum omni perfectione tibi possibili: desiderio tamen multò plus debes offerre, quàm tu possis, desiderans diuinam voluntatem in terra exequi cum omni perfectione, qua ipsi beati eam exequuntur in cœlo; & multò adhuc præstantiori, si præstantiori, posses; imò cum infinita perfectione, si hæc tibi esset possibilis.

CVM huiusmodi excellentia, diuina Vocatio inspirat faciendam esse tria votorum oblationem, vt ea sit valde perfecta. Nam ea est sementis, quæ in bonam terram iacta, fructum profert centuplum, summam scilicet perfectionem, ad quam potest pertingere. Neque caret mysterio, quod Sanctus Matthæus, & Marcus in hac seminantis parabola dicant, e *sementem, quæ cecidit in terram bonam, protulisse fructum, aliam centesimum, aliam sexagesimum, aliam trigesimum*: At S. Lucas solùm dicit: f *sementem quæ cecidit in terram bonam fecisse fructum centuplum.* Si enim ad ea respiciamus, quæ tribus votis offeruntur, diuersi in eis inueniuntur gradus. Nam votum paupertatis fructum offert trigesimum, bona scilicet externa & fortunæ; castitas, duplum, hoc est, sexagesimum fructum profert: bona scilicet, ac voluptates proprij corporis; Obedientiæ autem votum fructum profert centesimum, bona scilicet preciosiora animæ. Si autem ad bonam voluntatem respiciamus, qua hæ tres oblationes offeruntur: in omnibus & in singulis fructus offertur centesimus, ob summam, qua offertur perfectionem. Hoc est quod Christus Dominus noster plurimi facit. Nam (vt idem S. ait) pluris cor habet quàm ipsum donum; & magis approbat bonum mentis affectum, quàm quoduis aliud munus.

c *Mat.* 13. 8. *Marc.* 4. 8.
f *Luc.* 8. 8.

HINC licet progredi ad perpendendam præstantiam & excellentiam nuptiarum spiritualium, quas celebrat anima cum Deo suo per tria hæc vota, cum tanto spiritu edita. Nam si vel ipsum castitatis votum solũ ad has nuptias contrahendas sufficit, (vt supra est dictum:) quantò maiori excellentia contrahentur, si duo alia vota eidem coniungantur? cùm enim hæ nuptiæ sint spirituales, plurimùm earum præstantia extollitur per votum

Tract. 2. c. 4 & 5.

obedien-

obedientiæ,quo traditur Deo optima vis animæ,quæ est ipsa voluntas : qua exornata charitate fit vnio spiritûs cum Deo suo. Nã quemadmodũ fœminæ dotem suam adferre solent, quam die nuptiarum viris suis tradunt: ita dicere licet : votum paupertatis esse traditionem dotis, qua diuino suo sponso tradit omnes facultates, quas habet,& habere posset;quamuis id tempore pro nihilo reputetur respectu eius quo ille dignus est : sed cum eo contenta est, quòd se in ancillam offerat Domino, qui ipsam dignatur accipere in sponsam. Quod si illa tantam adfert dotem, quas Arrhas ei tradet cælestis Rex: cùm deceat tradere pro sua magnificentia & Maiestate? Quare adeò magnas precioſasq; tradit, vt nullo pretio possint æstimari:nam ipse met g *Spiritus S.* (vt ait Apostolus) *est pignus hæreditatis nostræ*, aut Arrhæ (iuxta aliam versionẽ quã S. Thom. valdè approbat :) pignus enim datur quasi ad tempus,& commodato; Arrhæ verò sunt donum ex se perpetuum : Spiritus autem sanctus donum est permanens in sponsis Christi, vsq; ad vitam æternam: nisi ipsæ sibi desint. Quæ igitur Arrhæ pretiosiores esse possunt Spiritu S. qui est Deus infinitus & fons donorum omnium, quæ iustis communicantur ? Qui cùm Religiosis traditur tanquam Arrhæ propriarum cũ ipso nuptiarum,in ea plenitudine datur,quam statûs eius excellentia postulat. Ne timeas, ô anima,ne fias pusillanimis aut timida,etiamsi videas te esse partum,& vbera non habere; debilem, sterilem, & ex teipsa miserabilem: tam ipse Dominus, qui te ad Religionem vocauit;& vt ex mundo exires,& ad ornamentum aliquod comparandum, vt hanc oblationem faceres adiutus ipsemet dignatur eam acceptare,teque in suam accipere sponsam: tradẽs tibi pro Arrhis diuinum suum spiritum cum ea grãtia & auxilio, quo opus habebis ad tuam oblationem faciendam,& porrò explendam. Iam es quasi murus ob firmum decretum, quo statuisti in eius seruitio semper manere ipsius domo. Tutò potes super hunc murum tria vota, quasi tres turres aut propugnacula argentea fortissima & precioſissima fabricare. Ipse enim Dominus h *sumptus* tibi dabit, *qui necessarius sunt ad perficiendum*, ita vt nec hostes tui *incipiant illudere tibi, dicentes: Quia hic homo cæpit ædificare* turrim perfectionis, *& non* habuit animum eam *consummandi*. Quod si importunis ac molestis tentationibus te persequentur: conscende argentea illa propugnacula, memor trium promissionum, quas Deo feciſti; & quas Deus adeò magnificas tibi fecit, vt tu impleas, quas feciſti. Hac autem memoria & fiducia conuertere in hostes tuos; resistens strenuè eorum conatibus ; & impugnationibus. Quod si quis hostium ingredi tentauerit per sensuum tuorum portas occlude eos tribus his votis, quasi tribus tabulis Cedrinis valdè selectis: certò tibi persuadens eum, qui tanta promisit, non daturum aditum alicui rei, quæ ipsum ad eas confringendas inducat.

g *Eph. 1. 14.*

Ibi Lectio. 5. Spiritus Sanctus donum permanẽs.

h *Lu. 14. 28.*

CAPVT XIII.

RES ALIQVÆ INSIGNIORES PRÆCEDVNT, ET COMITANTVR VOTORVM OBLATIONEM, VT ILLA MAIORI CVM PERFECTIONE FIAT.

QVAMVIS sacræ Religiones varias habeant valdè pias, ac mysticas ceremonias, quibus votorum suorum oblationem comitantur, maximè tamen substantiales, & maioris pro omnibus momenti insinuantur à Regio Propheta in toto Psalmo 115. in quo pauca tradit rerum, quæ in proximo capite fuerunt propositæ: idque excellenti quodam modo his verbis expresso. *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.*

§. 1. *Recollecta per dies aliquot Oratio.*

AD cuius maiorem declarationem præmittendum est: Dauidem secum ipso feruentem hanc ratiocinationem habuisse in recollectione quadam prolixa, valdeque eleuata oratione, quam excessum siue ecstasim appellat: quæ tunc euenit cùm homo præ admiratione eius, quod audit, videt, aut considerat, exiens extra se eleuat se supra seipsum ad res valdè egregias & grandes. Adeò enim insignia proposita & vota atque ipse hic refert, non obtinentur, nisi magna cœlesti luce: quæ vt plurimum ita conceditur, qui sese ad mysteria ac beneficia diuina meditanda recepturus per tempus aliquod sufficiens, & in loco conuenienti. Et hoc primum est quod professioni, aut votis emittendis meritò præmitti deberet: vt ea meditaturus recolligat se per decem aut duodecim dies ad illa tria speciatim consideranda, quæ Dauid magno cum affectu in excessu illo suo dixit: *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

1. Dei infinita beneficentia considerada.

PRIMVM enim in hac recollectione conandum tibi est à teipso exire, & spiritu ascendere ad ipsius Dei præsentiam; ibiq; cõsiderare infinitam huius benefactoris amplitudinem, sapientiam, bonitatem, charitatem, liberalitatem, & omnipotentiam, quæ suis creaturis minimè opus habeat. Ad quas eius proprietates melius assequendas, ingrediendum tibi est in ipsammet Deum, perpendendo infinitum amoris ignem in diuino eius pectore ardentem; qui (vt sanctus Dionysius ait) facit eum extra se exire, vt benefi-

cus

cat hominibus; suisque donis eos repleat eo solùm nomine, quod ipse bonus sit, eisque benefaciendo oblectetur. Qua consideratione, si exacta illa fuerit ac profunda, admiraberis & obstupesces cupiens summè amare tantum benefactorem, & in eius obsequio liquefieri, dicens tibi ipsi: *quid retribuam Domino?* Quid ob amorem infiniti huius benefactoris faciam? Et in qua re ostendere licebit amorem, quem erga ipsum habeo; ac retribuere proeo quem ipse erga me habet?

2.

Mox vlteriùs progrediens, multitudinem perpendes & magnitudinem beneficiorum, quæ Deus in te contulit, generalia, & specialia; naturalia & supernaturalia; in corpore, & in anima: attendens multitudinem esse innumerabilem: magnitudinem immensam & incomprehensibilem. Nominatim autem hæc tria in tua vocatione perpendes: Innumera & grauissima mala ac pericula huius mundi: ex quibus te Deus eduxit; innumera & excellentissima bona eius status, in quo te Deus collocat; & multò maiora, quæ tibi promittit. Et admirans tantum beneficiorum excessum, à teipso exiens, dices, *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et in quo licebit me gratum ostendere, ob adeo benevolam vocationem, qua me ad talem statum elegit.

3. Miseriam propriam considera.

Et hinc ad teipsum iterum ingressus, perpendes tuum nihilum, miseriam, & indignitatem tuam quodammodo infinitam, ob tua peccata, pertinaciam, & ingratitudinem erga Deum: propter quæ dignus eras, cuius Deus obliuiscetur, & quem Deus repelleret, puniret, & ad profundum infernum proiceret. Et videns, quod tantus Dominus tanto amore tot contulit beneficia homini adeo improbo, adeoque ingrato: tali aspectu obstupefactus, factus omninò extra te, cum ingenti effectu tibi ipsi dices: *quid ego retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* mihi inquam qui talis sum, qui tam procul sim ac remotus à promerendo quodcunque beneficium, quantumuis minimum? O Deus cordis mei, ostende mihi cœlesti tua luce, quid velis à me tibi dari; & qua ratione idipsum dare debeam: decreui enim; certoque constituí facere quicquid tibi gratum fore cognouero. Hoc spiritu pio adeò ac puro concepit Dauid proposita & holocausta, quæ refert: quæ omnia sunt actus gratitudinis & excessus amoris: non enim solùm se obtulit ad ea præstanda, quæ ex præcepto tenebatur; sed ad alia etiam opera, quæ tantùm essent ex consilio. In quibus eminere debent qui recens ingrediuntur Religionem, aut secundum repetunt ingressum per sacra vota, vt corpus vnum cum ea conficiant.

§. 2. *Confessio & sacra Communio.*

PRIMVM omnes meritò inde incipere deberent, vnde incepit Dauid dicentes: *Calicem salutaris accipiam*, calicem, inquam Saluatoris, aut salutis, hoc est quem Saluator noster constituit, ad salutem animæ meæ reddendam. Qui calix non vnus est, sed multi: & omnes accipere debet Religiosus in hisce suis ingressibus; sed ordine suo. Cùm enim certum sit (vt Ecclesiasticus dixit) *quod dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiatur peccatis*: primum refert, quod cupiens offerre Deo aliquod donum, & seipsum, in sacrificium; & votorum suorum oblationem facere studeat prius, se à peccatis purgare: accipiens calicem, quem Deus ad ipsum sanandum, & ab eis purgandum instituit.

1. a Eccl. 34. 23

2. PRÆTEREA, cùm quis ægrotat, & noxijs redundat humoribus, quibus impeditur à cura rerum, quæ sibi incumbunt: primum omnium dat operam sanitati recuperandæ, accipiés Syrupos & alias purgationes, ad recipiendam sanitatem necessarias, quas etiam valde amaras libenter sumit, eò quòd sint potiones salutis. Quod si tunc ab aliquo amico suo magnum aliquod beneficium accipiat, dicere solet: cupio sanitati restitui, & ex hoc lecto surgere, vt me seruitio tuo addicam, quò aliquid reddere possim pro plurimis, quibus me obstrinxisti. Hunc in modum qui Religionem ingreditur, & spiritu ægrotat, est propter vitia & passiones: primum, cui attendere debet, est, vt sanitati restituatur, sumatque calicem salutis, hoc est, media adhibeat, ad sanitatem recipiendam; & opera actionesque sui status exercenda. Et in hoc ipso plurimùm ostendet meritò Domino Deo nostro animi gratitudinem, dicens ex toto corde: vellem, Domine, liber esse à peccatis meis, & sanus à morbis, qui alligatum & impeditum me tenent, quò minùs opere ipso amorem ostendam, quem erga te habeo: & plurimum, quo tibi sum obstrictus. Quamobrem firmiter statuo, haurire statim calicem, quem in meam salutem restituisti. Quis autem hic est calix, nisi Pœnitentiæ & Confessionis, illo vtique plenus, de quo Dauid: b *Potasti nos vino compunctionis*, contritione scilicet & dolore peccatorum, qui non solùm vulnera exteriùs abluit; sed tanquam haustos purgans ingreditur per omnes venas & angulos cordis quod purgat & aperit: vt per ipsam confessionem exeat omnis malus humor peccatorum, maneatque ab eis expurgatum. Vocatur autem calix Saluatoris, quòd ipse illum instituerit; & tanquam medicus sapientissimus præscripserit, ad sanitatem nobis restituendam.

CONFESSIO.

b Psa. 59. 5.

3. ET, cum peccatorum venia ac remissio tantum sit beneficium: cùm Deus adeò bonus, adeoque propensus ad ea condonanda, eò ve-

men-

maximi faciat, & vehementer cupiat noſtram ſalutem: vt præmium ſuum reputet, quod nos calicem illum & hauſtum ſumere velimus; in quo ſalus, & vita noſtra conſiſtit. Atque ſi medicus mercedem ſuam & ſui laboris gratitudinem reputaret, quòd ægrotus purgationem ab ipſo præſcriptam, eò ſalutem propriam ſumere vellet. Si itaq; noſſe velis, ô anima, *quid retribuere* poſſis *Domino pro omnibus quæ retribuit tibi*; ſume calicem hunc ſalutaris tui, etiamſi amarum, reddendo Deo honorem, humili peccatorum tuorum confeſſione: aptè enim accommodatur hic, quod Ioſue dixit ad Achan: c *Da gloriam Domino Deo, & confitere atque indica mihi, quid malì feceris.* c *Ioſu 7. 19.*

Propter triplicem hanc rationem, qui Religionem ingreditur, aut vota ſua, aut Profeſsionem emittit; haurire debet calicem hunc ſalutaris: idque non quomodocunque & ruditer, ſed cum amoris exceſſu; plus præſtans, quàm aliàs ad ſanitatem recuperandam tenebatur; & contendens, valde gratum ſe Deo noſtro oſtendere: inſtituens generalem omnium totius vitæ peccatorum confeſſionem, etiam quæ priùs eſſet confeſſus. Nam (vt ait S. Bonauentura) quemadmodum is vitam nouam inchoat, & habitum induit nouum: ita æquum eſt, vt veteri vita ac veteris hominis reliquijs omnino ſe exuat; adhibens ex parte ſua nouam hanc diligentiam, ad id perfectè conſequendum. Quam generalem totius vitæ confeſſionem, ſi in primo ſuo ingreſſu fecit: expedit aliam etiam generalem inſtituere ab vltima inchoandò, vſque ad illud tempus, quo vult edere vota ſua: vt oblatio eò ſit magis grata Domino; quò ex corde procedit puriori. Nam, vt Scriptura ait: priùs d *Deus reſpexit ad Abel, &* poſtea *ad munera eius.* eò enim magis illi placet ſacrificium: quò is, qui offert, eſt melior. d *Gen. 4. 4*

Generalis confeſſio præmitenda. *In ſpeculo diſciplinæ p. 1. c. 1.*

Sed quoniam calix hic pœnitentiæ, etſi infirmum reddat ſanitati & iuſtificet peccatorem non tamen firmum eum facit, ac fortem; ſed remanet adhuc ille debilis, & cum languore conualeſcentiæ: eſt alius calix ſalutaris, ſanctiſſimum ſcilicet altaris Sacramentum: in quo latet ipſemet Saluator, qui panis & vini accidentibus tectus, medicus eſt noſter, medicamentum, ſalus & vita noſtra: qui ſua præſentia debilem confortat, valetudinarium roborat; aciunat vt ſani opera exercere poſsit; triaque vota ſeruare Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ: nam ipſe Dominus venit caſtus, pauper ſpiritu, & obediens: quem ſpiritum ijs communicat, qui cum tali deſiderio ac diſpoſitione ipſum ſuſcipiunt. Quare plurimùm refert: vt, quando hæc vota eduntur, aut Profeſsio fit, diuiniſsimus hic calix ſuſcipiatur; ille enim valde eam perficit; viresque & animum addit, ad eam implendam. Nam quemadmodum dixit S. Dionyſius: *non contingit, aliquem perfici perfectione hierarchica, niſi per Diuam ſſmã Euchariſtiam.* per eam enim omnis perfectio plenè communicatur. Et ita ait, ſuo tempore tradi ſolitam Mo- Cap. 3. Eccl. Hierarch.

Commvnio.

nachis, cùm suam edebant professionem; quamuis etiam propter aliam causam, quam postea adferemus. Et quamuis hoc sit supremum donorum quæ Dominus noster nobis largitur: voluit tamen, idem esse gratiarum actionem ob reliqua beneficia; & vt in gratiarum actionem pro illis hoc sacrificium offeremus: quare hoc etiam spiritu calicem hunc suscipere debet, qui votum emittit, dicens: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi in hoc statu*, in quo me collocauit? *Calicem salutaris accipiam*, escam scilicet & potum meæ salutis: & alij legunt: *Calicem leuabo in alium*, offerens scilicet supremum hoc laudis sacrificium pro omnibus beneficijs mihi collatis. Cùm igitur ipse tantum amoris excessum ostendat, exiens è cœlo & descendens in mundum, ac sese in hoc Sacramento occultans: vt ego eum intra me suscipiam: rationi erit consentaneum, vt & ego accendar, & amoris excessu ebrietur; vt plus ei tradam, quàm ipse exigat; offeramque hoc mei ipsius sacrificium, quod illi tantopere placet. e *Calix meus* (ait Dauid) *inebrians, quam præclarus est!* meus est quia Redemptor meus eum mihi tradit; & ipse est *portio hereditatis meæ*: venitque, vt faciat me vnum secum; & vt me inebriet, & ex se me educat, cum abundantia cœlestium suarum deliciarum. Propterea igitur volo, eum suscipere: vt à me exiens, ipsi me totum tradam. quam traditionem hac ipsius in hoc Sacramento sumptione, confirmem & confortem.

Vide Iansenium in eũ locum.

e *Psa.* 22. 5.

Psal. 15. 5.

c

§. 3. *Desideria patiendi multa.*

TERTIVS alius calix est frequentior pro omni tempore, die ac nocte, a quo hauriendo valde ostenditur excessus amoris: est autem calix amaritudinum & calamitatum huius vitæ. De quo dixit Christus Dominus matri filijs Zebedæi: a *Potestis bibere calicem, quem ego bibo?* non de illo tamen loquor, quem tempore passionis ac mortis meæ b *bibiturus sum*; sed de illo quem bibo quotidie in tot persecutionibus, doloribus, defatigationibus & lassitudinibus, quas quotidie tolero.

Ex S. Cipriano li. 3 epistol. 25.

a *Mar.* 10. 38

b *Mat.* 20. 22.

AD hunc calicem implendum res septem concurrunt: Dæmon scilicet cum suis tentationibus, mundus & mundani cum suis persecutionibus, caro cum tristitijs ac defatigationibus, quas sentit; Prælati cum rebus asperioribus, quas imponunt; & probationibus, quas adhibent; proximi cum molestijs, quas adferunt; & ipsemet Deus, cum infirmitatibus & alijs arumnis, quas mittit. Sed magis adhuc in particulari impletur mortificationibus & amaritudinibus annexis vniuscuiusque statui. Quare in hunc calicem infunditur quicquid pœnale est in tribus votis; cruciatus, quos suffert, qui castus est, miseriæ, quæ pauperem comitantur & premunt; & abnegationes, quas tolerat obediens. Quamuis in aliquibus calix hic valde sit latus, & capax, in alijs verò angustus, & parum capiens: In aliquibus valde est amarus, ac potens, in alijs verò mixtus ac temperatus. Qui tamen nouit quantum Deo debeat,

vult

vultque gratum se propterea ostendere: debet se generosè offerre ad eum calicem suscipiendum, quem ipse Deus dederit qualiscunque ille sit: exultans, quòd habeat aliquid, quod offerat Deo, pro plurimis, quæ ab ipso accepit. Quid enim retribuere possum ego Deo pro eius in me beneficijs, quod magis meum sit proprium, quàm hoc? vnusquisque soluit quod debet, ea moneta quã habet. Ego in bonis sum pauper; sed in miserijs & rebus prænalibus sum diues: hoc monetæ genus est frequens, & in cõmuni vsu in mea patria; hanc igitur retribuã Deo pro beneficijs in me collatis: offerẽs me ad tolerandos cũ ipsius gratia, labores oẽs, & calamitates, quas ipse voluerit. Si Deus, qui nihil in seipso pati poterat, factus fuit homo, vt calicem hunc amaritudinum bibere posset; & reuerâ totum exhausit, ostendens excessum amoris erga me: æquum igitur est, vt ego, qui homo sum, ac proinde cum ipsa natura amaritudines illas coniunctas habeo: offeram me cum excessu quocunque ad hunc calicem, eius amoris & obsequij causa bibendum, & in gratiarum actionem pro beneficijs in me collatis. Accedit, quod quantumuis calix ille sit amarus, mihi erit calix salutaris: si quidem totus ille dirigitur in animæ meæ salutem: & quasi haustus & medicamentum salutare purificabit me, & à peccatis præseruabit; domabit passiones meas, & iuuabit vincere defectus meos & prauas propensiones: quem si cum feruore hausero: erit mihi suauis castitas, dulcis paupertas, & iucunda obedientia. Ex quo deduco, quod quemadmodum Christus Dominus noster, dum se ad orandum recepit in monte Tabor, *c loquebatur cum Moyse & Elia de exitu* eius amoris ac doloris, *quem completurus erat in Ierusalem*: ita etiam qui se recipit ad agendum cum Deo per dies aliquot, antequam vota sua edat: debet ibi considerare hos Saluatoris excessus; & ad eius exemplum offerre se ad exhauriendum calicem vitæ Religiosæ; etiamsi magnus esset, valdeque amarus: impellens seipsum ad hoc tribus illis nominibus ac titulis iam insinuatis: gratiarum scili. et actionem ob accepta beneficia; & quia calix est ab ipsomet Saluatore ad salutem animæ ordinatus; & quod ipsemet Saluator prius eundem exhauserit.

Bonum est si offerre Deo.

c Luc. 9. 31.

Et quoniam calix hic adeò est amarus, opus est ei adiungere quod David dicit: *& nomen Domini inuocabo*. Quid autem est nomen Domini inuocare, cùm calix accipitur: nisi auxilium & subsidium ab ipso petere ad eum sumendum? Quod fit feruenter, si per omnia ipsius Dei nomina siue proprietates discurramus; illaque tanquam titulos siue rationes adhibeamus, vt orationem nostram exaudiat: quasi dicas: exaudi me, Deus meus, quia tu es Dominus meus, pater, creator, conseruator, vniuersalis prospector, medicus, pastor, Saluator, & glorificator noster: per gloriã itaque horum tuorum nominum, adiuua me, vt calicem hunc

Calix hic amarus.

meæ salutis ebibam, & vota offeram, quæ desidero. Et qui perseuerauerit in oratione, vt oportet, experietur quod sanctus Bernardus dixit: ipsum quoque esse calicem salutis tanta dulcedine plenum, vt sufficiat amaritudinem aliorum calicum dulcorare. Nam orando (ait) bibitur vinum lætificans cor hominis; vinum spiritûs, quod inebriat; & carnalium voluptatum infundit obliuionem &c. Emollit aridæ animæ viscera; & adiuuat, vt cibum bonorum operum digerat, fortificans fidem, confortans spem, dilatans ac ordinans charitatem.

Serm. 18. in Cant.

CAPVT XIV.

IN QVEM FINEM, QVIBVS NOMINIBVS *& quo gratitudinis spiritu, votorum oblatio facienda sit, & implenda.*

PRÆMISSIS præparationibus in proximo capite positis: commodè accedit vltima illa Dauidis oblatio: a *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Sed quoniam verbum *Votorum* in Scriptura Diuina significat aliquando proposita tantùm ac desideria in ipso corde concepta, aliquando autem significat etiam promissa, quæ Deo fiunt: in vtroque sensu potest hic verbum illud *Votum* accipi, ad præsens institutum. Qui enim Religionem ingreditur; ipso statim ingressu offert Deo feruentia proposita ac desideria perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ: & post Nouiriatum ea desideria explet, edens promissionem & vota de eisdem seruandis, *coram populo Dei*, ipsa scilicet Religiosorum congregatione, & populo Christiano tanquam testibus talis emissionis: & post emissa pergit in eorundem obseruatione in conspectu totius mundi, quasi de eis edictis glorietur; tribuens sibi honori, quòd castus sit, pauper, & obediens; quòd rebus vilibus & abiectis vtatur, in quibus apparet ipsa paupertas; aut munia obeat vilia ex præscripto obedientiæ. Et quemadmodum huiusmodi proposita & vota sunt excessus amoris, vtpote quibus homo plus præstet, quàm teneatur, seque ex seipso, vt nihil sui reseruans, totum se Deo suo tradat; ita etiam ostendunt summam gratitudinem, quam possit homo erga suum Creatorem ostendere. Nam quemadmodum sanctissima Eucharistia, cum sit summum beneficium, simul etiam accipitur in gratiarum actionem, propter ipsam, & propter reliqua beneficia: ita ingressus in Religionem est præ-

a *Psal.* 115. 14.

Ita Titelmannus.

Proposita illa excessus amoris.

stantis

ſtantiſſimum Dei beneficium, vt iam vidimus: & ſimul poteſt, fierique debet cum magno feruore in gratiarum actionem ob reliqua beneficia: quia homo tradit Deo ſummum quod poteſt. Qui enim ſeipſum dat: non habet amplius quod det; ſed pergit continuè exercendo per totam vitam, quod ſemel obtulit. Quare ſi plurimum Deo debeas, teque ipſum interroges: *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* reſpondeas tibi ipſi: ego offeram ei hæc vota; illaque explebo & exequar in præſentia totius orbis: ſic enim ſimul & ſemel trado ei quidquid habeo & poſſideo: ſiquidem do meipſum, in quo reliqua continentur. Hunc in modum explicat S. Auguſtinus prædicta pſalmi verba dicens: Quiſquis bene cogitat, quid voueat Domino, & quæ vota reddat: ſeipſum voueat, & ſeipſum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæſaris detur Cæſari; ſed imago Dei offeratur & tradatur Deo. Et in alio loco ait: Nihil gratius poſſumus Deo offerre, quàm vt dicamus cum Iſaia: b *poſſide nos*; accipe nos in hæreditatem & poſſeſſionem tuam: nos totos tibi tradimus, non ſolùm c *corda* quæ à nobis exigis: ſed quicquid ſumus, hoc tibi promittimus, & explebimus in conſpectu totius mundi: non vt ille propterea nos in honore habeat; ſed vt honor tibi ab omnibus deferatur ob ea, quæ tibi offerimus.

In Pſal. 115.
In id Pſ. 131 votū vouit Deo Iacob.
b *Iſa. 26. 1 iuxta Lxx*
c *Pro. 23 26*

§. 1.

SEd tria alia motiua videamus, quæ Dauidem permouerunt, ad vota hæc & præclaras adeò oblationes offerendas. PRIMVM explicuit illis verbis: *Preciosa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Quod de duplici morte intelligi poteſt: quia vtraque eſt valde preciosa. Altera eſt, dum hæc vita durat; altera ad eius finem. Primam obit homo valdè excellenter per oblationem trium votorum, eorumque cuſtodiam: & in aliquibus Religionibus adhibentur aliquæ cæremoniæ externæ valdè piæ, quæ mortem ipſum referunt. Nam per votum caſtitatis, ita moritur Religioſus voluptatibus carnis, vt inhabilis maneat etiam ad eas, quę habentur in matrimonio, quaſi eſſet iam mortuus. Per votum paupertatis ita moritur diuitijs huius ſæculi, vt mortui inſtar incapax ſit alicuius proprietatis circa eas: facit enim Chriſtum ipſum in ſuis pauperibus hæredem. Per votum obedientiæ moritur ſibiipſi & gubernationi rerum quæ ad ipſum poſſent ſpectare: vt non propria voluntate in eis ſe gerat; ſed offerat ſe tāquam cadauer, quod quoquo verſus trahi ſe ſinit: Hæc mors, ſi per totam vitā durer, attendendo vt ſemper moriatur omnibus, quæ interdum reuireſcunt; eſt verè preciosa in conſpectu Domini: quia non eſt precium vllum, aut valor in mundo, qui illi æquiparetur. Et ex ea prouenit, vt ipſa mors naturalis ſit etiam valde preciosa in conſpectu eiuſdem Domini. Eſt enim finis laborum, & principium

I.

Homo moritur per vota.

Mors naturalis finis laborum.

æternæ quietis: cum sit transitus ad æternam vitam. De vtraque etiam morte intelligitur quod dixit vox de cœlo: a *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: à modo iam dicit spiritus, vt requiescant a laboribus suis opera enim illorum sequuntur illos.* Beati sine dubio sunt Religiosi, qui ob amorem erga DEVM suum, moriuntur tribus editis votis, rebus omnibus, quæ sunt in terra: dum enim incipiunt sic mori: incipiunt etiam quiescere & quando mors est perfecta, etiam requies erit perfecta: quia SPIRITVS Sanctus huiusmodi bona opera remunerat hac pace & requie: quæ multò erit perfectior ac plenior in æterna vita. Dicat igitur RELIGIOSVS: volo offerre, & explere vota mea in totius plebis conspectu: quia preciosa est in conspectu Dei mors, quam in illis profiteor; & quæ per illa obtinetur in fine huius vitæ. Si itaque hoc SPIRITV illa emittat, erit eius oblatio valdè preciosa.

a *Ap.* 14. 13. Beati sunt religiosi.

2. Mancipia Dei simus.

SECVNDVM motiuum, cur hæc proposita & vota redderet Psalmista, explicuit ipse, cùm dixit: *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus: & filius ancillæ tuæ.* Bis seruum se appellat; & itetum ancillæ filium, quod est, mancipium se profiteri: & hanc reddit suarum oblationum causam: seruus sum, & mancipium DEI, titulo Creationis: qua homo sum, ad eius imaginem & similitudinem conditus, vt in ipsius seruitio me totum expenderem. Titulo etiam Redemptionis sum eius seruus, qua sum Christianus. IESV CHRISTI sanguine redemptus, cuius virtus & gratia fuit mihi in sacro Baptismo applicata: vt eius Legi Sanctissimæ obseruandæ me totum impenderem. Hæc autè duo nomina siue tituli impellunt me, vt DEI ac SALVATORIS mei seruum & mancipium agnoscam, & profitear nouo alio titulo Religionis: quo me totum eius obsequio dedicem ac mancipem per tria vota, renuncians meæ libertati, vt seruum me constituam subiectum Prælatis, quos ipse loco sui mihi constituit; & in eo glorier, quòd eius ancillæ, sacræ scilicet Religionis sim filius, quæ diuino ipsius obsequio est dedicata. Cùm itaque tot nominibus ego sim Dei seruus: quid mirum, quòd calicem ab ipso mihi in salutem meam porrectum ebibam? & quid ego præsto, dum vota mea illi offero, & opere ipso seruo? b *inutilis* proculdubio *sum seruus*; nec vllam DOMINO meo vtilitatem adfero: sed *quod* lege gratitudinis *facere debui, id feci.* Et quamuis ipse ad id faciendum non me obstringat præcepto: satis tamen mihi est, quòd eius sim seruus: vt propterea sponte me ipsum offeram, & voti obligatione obstringam, ad faciendum, quod illi placet, & gratum est.

b *Luc.* 17. 19

3. c *Ps.* 115. 17.

HINC tertium oritur motiuum, quod ipse Dauid insinuauit, dicens: c *dirupisti vincula mea*, quasi dicat: profiteor, me non esse seruum coactum, nec opus esse compedibus aut catenis, vt in tuo seruitio detinear: sed potiùs cùm tuus essem seruus, misertus mei dirupisti vincula, quibus hostes mei Dæmon, mundus, & caro me vinctum tenebant: dirupisti enim & soluisti vin-

rum ac passionum mearum vincula. Cùm igitur generosam adeò Spiritus libertatem mihi dederis, vt auxilio tuæ gratiæ expeditem me à vinculis diuitiarum, voluptatum sensuum, & honorum huius mundi: volo ego obsequio tuo ampliùs me alligare vinculis trium votorum, eisque palam profiteri, me triplici nomine tuum esse seruum. Seruum voto paupertatis; & adhuc magis seruum voto castitatis, & filium ancillæ tuæ voto obedientiæ: quia ex mea hæreditate mihi prouenit, vt seruus & mancipium sim tuum: ac proinde ad tibi parendum & obediendum obligatum.

Spiritus libertatem Deus dat.

Ex Prædictis licet colligere sex fines, siue præcipua motiua, ad quæ respiciamus: dum vota nostra offerimus. *Primum* est, vt excessu aliquo ostendamus amorem, quem erga Deum gerimus: & sic excessum amoris eius erga nos aliquo modo reddamus. *Secundum* est, propter gratitudinem innumerabilium & maximorum beneficiorum, quæ in nos contulit. *Tertium*, vt omnino mundo & nobis ipsis moriamur tali morte, quæ plenam nobis adferat requiem. *Quartum*, vt preciosam in oculis Dei mortem consequamur, quæ transitus sit ad æternam vitam. *Quintum*, ad confirmandam ampliusque perficiendam seruitutem, quam Deo alijs etiam titulis debemus. *Sextum*, vt fortiùs Deo nos adstringamus, eò quòd nos à vinculis solerit, quibus hostes nostri alligatos detinebant: nam quemadmodum clauus clauo pellitur, ita votorum vincula tollunt vitiorum ac passionum vincula, quæ ipsis aduersantur.

§. 2.

Facta vororum oblatione, & præmissis quæ retulimus, audiamus quid Dauid adiecerit. ait enim: a *tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddã in cõspectu omnis populi eius: in atriis domus Domini, in medio tui, Ierusalem.* Magnum latet mysterium in eo, quod Dauid eadem proposita repetat: omnia enim, quæ propter Diuina beneficia accepta reddimus, recentia reputantur beneficia; suoq; iure nouam repetant solutionem: quæ, dum redditur, nouum etiam est donum; ac nouam exigit gratitudinem: nihil enim b *Deo dare possumus, nisi quæ de manu eius accepimus.* Ex quo fit, vt nonpossimus animi gratitudinem in Deum Dominum nostrum ostendere ob ea, quæ ad suum obsequium nobis concedit: nisi rursum ac sæpius bona opera repetamus, quæ ipsius causa facimus; ea mente & intentione, vt alia alijs reddamus; aut ostendamus gratitudinem propter bonum, quod in alijs præstandis ab eodem accepimus. Ideoq; ob acceptum beneficium, quo nos in Religionem admisit, & votorum oblationem accepimus: exhibenda sunt ea, quæ hic Psalmista insinuat.

a *Ps.* 115. 17.

b 1. *Par.* 29. 14.

1. PRIMVM est offerre ei sacrificium laudis, glorificantes eum in hymnis, Psalmis, & Canticis; & infinitas gratias agentes, ob tantum fauorem, & operam dantes, vt cor & lingua sacrificium sui ipsorum offerant, & in tanti benefactoris laudibus nunquam deficiant: nam, cùm beneficium sit perpetuum, par est, laudes esse perpetuas: vt cum Dauide dicamus, c *Benedicam Dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo, in Domino Laudabitur anima mea.* Quòd si lingua defatigetur; ne tamen cor à laudibus cesset, quas Deus libenter audit, eisq; delectatur, iuxta illud Apostoli: d *loquimini vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus.*

c Psal. 33.1

d Ephe. 5.19

2. HINC pergendum est ad secundum, *ad inuocandum* scilicet *nomen Domini*, orationibus petendo eius auxilium, ad ipsum pro meritis laudandũ; & progrediendum in omnibus, quæ proposuimus ac promisimus. In qua re aliquid singulare, ob immensam bonitatem ac liberalitatem Dei; adeoque ingens eius desiderium ad sua dona impertienda: quòd quasi solutionem & gratitudinem nostram reputet, quòd humiliter ab ipso ea petamus, tantam fiduciam in eo reponentes, vt pro gratitudine priùs nobis collaturum, & vt nos pro acceptis gratos exhibeamus, recentia ab ipso petere liberare existimemus.

3. EXPEDIT autem (ait Sanctus Basilius) hæc duo semper coniungere, incipientes à Diuinis laudibus: ex quibus accipiamus titulos, vt nostræ orationes exaudiantur. Propterea enim dixit Dauid: e *laudans inuocabo Dominum & ab inimicis meis saluus ero*: Et hac ratione, quamuis oratio aliquid pro se petat, non censetur ambitiosa, quasi proprium commodum quæreret; siquidem petit, vt suo benefactori grata esse possit, & eundem proprijs ipsum donis laudare.

De Const. Monast. c. 2.

e Psal. 17.4

SED non debet spiritus hic laudum ad nos ipsos tantùm arctari; sed ad omnes homines est extendendus, vt optemus: omnes eum laudare. Et in eum finem *inuocandum* est nomen Dei: quod, iuxta phrasin scripturæ, etiam significat eius magnalia publicare, ac prædicare, vt omnes eum laudent, & propter illa glorificent: iuxta illud Moysis: f *Nomen Domini inuocabo: date magnificentiam* & gloriam *Deo nostro: quia Dei perfecta sunt opera.* Quamuis enim occulta Dei dona, ac beneficia non sint publicãda propter superbiæ vanæq; complacentiæ timorem, quæ facilè potest adhærescere & inficere: publica tamen, æquum est annunciare, ac prædicare: vt multi ad nobis se adiũgant in laudibus Deo reddendis propter bonitatem, quam in communicando ostendit. Ac propterea dixit Saluator noster homini, à quo eiecerat legionem Dæmoniorum: vt g *narraret* omnibus *quanta sibi fecisset Deus.* Et Sanctus Paulus cõuersionem suam & gratias, fauoresque à Deo ac-

Vide. Ia. hic

f Deut 32.3.

g Luc. 8.39.

ceptos

ceptos publicabat: inuitans alios, vt simul eum ipso pium adeò Dominum laudarent. Et Psalmista non contentus dicere: h *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*, addit, quod omnibus dicebat: *magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipsum*. Cùm igitur vocatio ad Religionem, & votorum oblatio, & statûs ipsius præstantia & amplitudo, publica sit: bene potest omnibus promulgari, eosq; inuitare, vt nos iuuent, Deũ debitis dona glorificare. Sed quoniã perfecta gratitudo nõ sistit in solis verbis adiecit Dauid: i *vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: & in atriis domus Domini, & in medio tui Ierusalem*. Quod duobus modis peragendum est: nempe, renouando, & confirmando vota ipsa priùs edita, cum eo spiritu & feruore; vt etsi priùs ea non emisisset, vellet nunc reuerâ emittere: & hac ratione omnis votorum renouatio est actus quidam ingentis meriti; ac quasi recens in Religionem ingressus; confertq; multum ad ampliorem in eorum obseruatione confirmationem. & hanc ob causam constituit P. Noster S. Ignatius, vt in Societate nostra bis in anno vota publicè renouarentur, quæ in fine Tyrocinij emittuntur: Fuitque admiranda pietas ac deuotio P. Nostri Iacobi Laynez, secundi Generalis eiusdem Societatis: qui quoties Missæ Sacrum faciebat, cùm ipsum Sanctissimum Sacramentum in manibus communicaturus habebat, vota sua his verbis renouabat: *Placet quod promisi*. Quod ipsum fieri etiam potest spiritu gratitudinis: quamuis hic spiritus multò magis apparere debeat in implendis & custodiendis ipsis votis valdè perfectè. Non enim est præstantior animi gratitudo ob acceptum à Domino beneficium, cùm ea nobis facienda inspirauit, & emissa admisit: quàm quòd ea tanto spiritus feruore seruemus, & exequamur: vt omnes, qui id viderint, excitentur ad glorificandum Deum, à quo feruor ille procedit. Hac enim via & ratione illud obtinetur, quod dixit Dauid: k *immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*. Et illud l *Te decet Hymnus Deus, in Sion, & tibi reddatur votum in Ierusalem*: hoc enim sacrificium laudis honorificabit te, quamuis etiam cedat in vtilitatem nostram. Qui enim perseuerat in suis votis implendis in Ierusalem terrena, hoc est, in Ecclesia militante: fiet æternùm suorum votorum compos in cœlesti Ierusalem, hoc est, in Ecclesia triumphante.

h *Psal.* 33. 4.

4.

i *Psa.* 115. 18. Vota a iquando renouando

5.

k *Ps.* 46. 14
l *Psal.* 64. 1.

(.·.)

CAPVT XV.

PONVNTVR SVMMATIM RATIONES PROPTER *quas Religiosi meritò contenti esse, & in suo statu perseuerare debeant vsque ad mortem.*

EX DICTIS in hoc & in proximo tractatu deducere licet multas rationes, ob quas meritò contenti esse debeant, qui ad Religiosum statum sunt vocati: resumentes magnum animum ad perseuerandum in eo vsque ad mortem; vt facinoris adeò præclari & glorioſi præmium fruí possint. Et, vt simul motiua perspiciant suæ quietis ac solatij, constituemus hic breuem qùandam summam omnium, quæ hactenus sunt proposita quædam quidem pro ipsis Tyronibus, quædam verò pro ijs, qui vota ipsa iam emiserunt.

Motiua perseuerandi in religione.

1. Christus principium est & finis vitæ Religiosæ.

PRIMVM motiuum est ipsa DEI DOMINI nostri Maiestas & amplitudo: qui primum principium est, & finis vltimus vitæ Religiosæ; imò & principium ac finis vocationis, qua illos ad eam vocauit. Nam CHRISTVS omne bonum nostrum, verus DEVS, & homo æterni Patris Sapientia, Religionis domum fundauit pro gloria sua: & ipsemet dignatus est eos vocare & eligere: vt habitatores essent & partes huius domûs: in qua perpetuò illi seruirent. Idque non ob sua merita, aut præstita priùs obsequia; nec ob ea quæ futuro tempore essent præstituri: (multos enim ille relinquit in sæculo, qui ei melius seruierunt: aut seruirent, si vocarentur) sed propterea solùm, quòd dignatus fuerit erga eos adeò copiosa misericordia vti, vt per excellentiam iure merito appellari possit a *misericordia Dei*, digna immensa deò eius charitate.

2. Reg. 9. 3.

2.

HINC secunda oritur ratio ob præstantiam scilicet statûs, in quo DEVS illos collocauit; & excellentiam oblationis trium votorum, in quo status ipse consistit: faciente creatura ex parte sua summum, quod in hac vita potest pro suo Creatore: quia offert perfectum sui ipsius holocaustum, corporis scilicet, & animæ, rerumque omnium suarum: quo facto quodammodo illum obligat, vt liberalissimum se erga ipsam ostendat, quemadmodum reuerâ facit, cùm immensa ei confert dona: admittens eam ad spirituales nuptias, quæ per ipsa vota cum summa excellentia celebrantur.

3.

QVID autem dicam de legibus ac Regulis huius statûs? ex quibus scala quædam conficitur, qua in cœlum ascenditur: sicut illa, quam

vidit IACOB, adeò recta, certa, ac tuta: vt nullus per eam ascendens aberrare possit, omnes enim tanquam scopum suum habent ipsum Deum, cuius voluntatem sanctam, bonam, beneplacentem ac perfectam nobis manifestant: in qua voluntate spiritualis nostra vita, & æterna consistit.

QVARTA ratio siue motiuum est, ob innumera mala, à quibus eos liberat, educens eos ex mundo, & præseruans à duplici diluuio culparum & pœnarum, quæ illos submergunt. Quot autem illa sunt mala, à quibus præseruat; tot motiua & causas habent sui solatij & quietis; experti in ipsis quod dixit Psalmista: b *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis* ab hoste deiecti: *ad te autem non appropinquabit*, ita vt præualeat: sed oculis tuis potiùs pœnam videbis peccatoribus illatam. Et quoniam dixisti Deo: tu es spes mea, & Altissimum accepisti in locum refugij: adeò eris tutus; vt malum non tangat te; neque flagellum veniat in domum tuam.

4. Ab innumeris malis liberatur homo. b *Psal.* 90. 7.

HVIC rationi accedit quinta; magnum scilicet gaudium & securitas, quam in hora mortis habebis; cum vocem audies, qua mortui vocantur ad iudicium: eò quòd vocationem audiueris, qua te vocauit DOMINVS vt mundum fugeres; nam eius virtute c *liberabit te* (vt dicitur in Iob) *à sex tribulationibus*, ab omnibus scilicet, quæ in vitæ decursu euenire solent; nisi tu ipse tibi desis; ne *tangat te malum in septima* tribulatione, quæ est d *mortis* vltima, cuius *tormentum non tangit eos*, quos Deus manu sua tenet & speciali protectione tuetur. Quomodo enim non esset in morte tutus, qui in vita triumphum de ea reportauit? Et quomodo non expectabit magna fiducia iudicem, cùm vocauerit ad iudicium: qui eiusdem vocem audiuit, cùm ad suam vocauit imitationem?

5. Religiosus in morte magnam habet securitatem. c *Iob* 5. 19. d *Sap.* 3. 1.

SEXTA ratio est, ob innumera bona, quæ Dominus ipse occultauit in statu religioso, in quo collocauit, ditans te proprio suo e *regno, iustitia*, scilicet, *pace, & gaudio in spiritu Sancto*. Nam has virtutes ac dona tanta liberalitate tribuit, vt vita Religiosa videatur viua quædam paradisi imago: eò quòd in hac vita incipias frui aliqua parte illius beatudinis; quam speras plenam in futura. Et quot bona regnum hoc complectitur: tot habes nomina & titulos gaudendi in isto tuo statu. Nam (vt Sanctus Cyprianus dixit) qui mundum deserit, maior est ac superior omnibus honoribus, regnisque terrenis: quare non terrena sed regna cœlestia cupit: magisque contentus & quietus est ex eo quod magnalia mundi despiciat; quàm si omnia illa possideret,

6. e *Ro.* 14. 15.

Cip. in expo. orat. Dom.

CVM hac ratione coniungitur septima, quæ est centupli, quod Dominus

noſter tribuit in hac vita, deſerenti pro ipſius amore res omnes huius mundi: hoc enim obſequium remunerat ipſe multitudine & magnitudine bonorum ſpiritualium ac temporalium, quæ ſub hoc numero (vt ſupra vidimus) continentur. Quod ſi animum reſumas ad proſequendam feruenter iam factam renunciationem; experieris copioſam hanc ſolutionem promptè parata mercede, cum tanto lætitiæ exceſſu: vt, ſicut alter ille Religioſus, *In hiſt. Ciſt.* dicas: vera ſunt ô bone Ieſu, quæ promiſiſti: nam in medijs meis doloribus immenſo adeò gaudio me affici ſentio; vt centuplum valeat, quàm quæ in mundo reliquerim.

8. Multa ſunt priuilegia huius ſtatus.

QVID VERO de magnis alijs priuilegijs dicemus quæ Dominus noſter ſtatui huic conceſſit, in ſignum magni amoris, & beneuolentiæ erga eum eligentem? ſic enim valde illum impellit, vt in eo cum magna ſua conſolatione viuat; & cum ingenti commodo perſeueret? Quodnam opus poſt Baptiſmum eſt, quod habeat ita coniunctum Iubilæum pleniſſimum, & omnium peccatorum remiſſionem ab ipſomet IESV CHRISTO conceſſam, ac oblatio trium votorum in Religione? Et quodnam aliud vinculum diſſoluere poteſt matrimonium, antequam conſummetur: niſi profeſſio Religioſa eò quòd in ea celebretur perfectiſſimum quoddam matrimonium ſpirituale cum ipſomet Chriſto. Quæ ſubſidia non complectitur gratia vocationis Religioſæ, ad vota ipſa cuſtodienda, ad reſiſtendum & ſuperandum hoſtes, & ad ſurgendum magna cum celeritate, ſi contigerit in aliquam culpam deijci? Ad quemnam Angeli accedunt frequentiùs? Quem virgo ſanctiſſima maiori clementia protegit? Et cuinam maiorem curam gerit prouidentia Diuina? Et cui maiores fauores exhibet ECCLESIA ſancta, diligens & honore afficiens, quos Diuinus eius ſponſus diligit, & in honore habet? Et adhuc ipſa ſæcularis reſpublica ducit ſibi honori, quòd eam imitetur, afficiens etiam honore, & beneuolentia proſequens, quos videt ab ipſa ECCLESIA honoribus, & fauoribus affici.

78. Summa felicitas eſt eſſe religioſum. *f Gal. 6. 2.*

QVOD ſi oculos conijcias in ea quæ religioſa Reſpublica intra ſuas portas habet, inuenies, ſummam eſſe felicitatem, participem fieri eius communitatis, in qua omnes emolumentum accipiunt, & potiuntur vniuſcuiuſque bono; & quiſque particeps eſt boni omnibus communis. Eo quod ſint quaſi vna anima in multis corporibus: qui ſeſe ad exequendum componunt, quod Apoſtolus dixit: f *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et ita pergunt cum ſumma iucunditate & facilitate: quia multi ſunt, qui vnumquemque iuuant in ſuo onere portando. Nec propterea debilis deſinit tantum proficere, quantum robuſtus eò quòd Rex illorum cæleſtis eam legem cum eis ſeruet, quam Dauid

ſuis

suis militibus constituit, vt g *æqua pars sit descedentis ad prælium*, a victoriam ab hoste reportantis; *& remanentis ad sarcinas*: qui ob defatigationē pergere non potuit: ita enim Deus remunerat imbecillē, ac fortem; cum imbecillis efficaci desiderio idem præstat, quod fortis ipso opere; nam ille propter vnionē Charitatis bonum illud facit sibi proprium, quod in suo videt socio. g 1. *Reg.* 30. 25.

DENIQVE, quod titulo summi gaudij implet, & veluti obsignat sunt indicia, quæ Religiosi habent, quòd sint de felici numero prædestinatorum; propter ingentia pignora & cautiones sibi datas, æternæ vitæ consequendæ. Quamobrem iure optimo gaudere possunt, & exultare ob felicem suam sortem, dicentes cum regio Propheta: *Funes* siue sortes h *ceciderunt mihi, in* bonis valde *præclaris: etenim* hæc *hæreditas mea præclara est mihi*. Verè enim Domine, i *Beatus* est, *quem elegisti & assumpsisti* tibi educens eum è mundo; & faciens, vt *inhabitet in atriis tuis*: hoc est, in ipsa Religione: nam replebitur in bonis domus tuæ; ditabis enim eum omni genere bonorum honestorum, delectabilium, & vtilium: implens desideria cordis eius præclarissimis hisce bonis in hac vita, & in futura. O Religio sacra, quàm meritò dicere de te possum: quòd k *omnia bona mihi venerunt pariter tecum*, diuitiæ innumeræ & immensitas auri! Quænam, quæso, bona optare tibi potes: quæ in hac domo non inuenias, vt quietus & contentus sis in ea? si cupidus es bonorum fortunæ, & auarus cùm ea possides: relinque illa; & hic inuenies duplo maius solatium sine eis. si es honoris ambitiosus: renuncia illi sponte, & magis saturaberis, quàm, si illum haberes; si es affectus & propensus ad voluptates ac delitias: respue terrenas, & satiaberis cœlestibus. Desere omnia, & cum summo gaudio omnia iuuenies in Christo: eò quòd illa propter eius amorem reliqueris. h *Psa.* 15. 6. i *Psa.* 64. 5. k *Sap.* 7. 11.

OMNES hæ rationes addere debent Religiosis calcar, vt progrediantur cum feruore & perseuerantia in statu suo vsque ad finem vitæ; & quasi frænum, quo reprimantur impetus & impulsus, quos ingerit Dæmon, ad sæculum redeundi. Absque perseuerantia enim, neque obtinetur corona, nec fructus victoriæ primæ. Propterea enim in libro Canticorum dicitur: k *ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*. Non enim præclari eius fructus abexistente in terra capiuntur; sed necesse est conscendere, & quasi repere per eius truncum vsque ad culmen: vbi sunt fructus copiosiores. Palma est vita Religiosa: cuius initium est quædam valde heroica victoria, quæ obtinetur contra Dæmonem, mundum, & carnem per oblationem trium votorum: quæ absque comparatione superat omnes victorias, quæ in sæculo obtinentur: eam enim celebrant & extollunt Angeli, præcinentes canticum illud mulierum; quod, cum Dauid; deuicto Gygante Goliath, reuerteretur, dicebant: l *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*. Sæculares k *Can.* 8. Vita religiosa palma est. l 1. *Re.* 18. 7

enim in bellis suis vincunt mille hostes: at Religiosi, vel in vno cõflictu prosternunt decẽ millia, omnium fortissimos. Vno enim ictu Philistæum prosternunt; caputq; eius amputant, cùm deserunt mundum, & quicquid in eo habebant; & simul seipsos. Sed quemadmodũ Dauid nõ fuit eâ victoriâ contentus; sed semper progressus est pugnans, & vincens: & vt filiã Regis duxere posset, opus ei fuit vincere & iugulare centũ Philistæos eorumq; præputia ad Saul adferre, vt ipse petierat. qui, vt fortitudinem suã ostenderet, non

m 1. Reg. 18. 27.

solùm centũ, sed m *ducentos ex Philistiim percussit, eorumq; præputia attulit, & numerauit ea Regi, vt esset gener eius*, & ita n *contriuit* (vt ait Ecclesiasticus) *inimicos vndique, deditque illi Deus testamentum regni, & sedem gloriæ in Israel.* Tu

n Eccl. 47. 8. 13.

inquam tu nõ debes contentus esse primâ victoriâ, etiamsi valde fuerit gloriosa: sed pergere vincẽdo omnes tuos hostes interiores & exteriores, mortificando oẽs tuas prauas passiones, & reijciendo à te quæcunque tuum profectum impediunt: donec peruenias ad palmæ summitatem vbi omnes eius fructus colligas; & centuplo fruaris ac præmio æterno. Omninò enim magna est miseria ac detrimentum, quod ex negligentia tua tantis bonis & fructibus, quos diximus, spolieris; intriceris verò grauibus adeò malis. Non enim temerè diceretur: quòd quemadmodum Christus Dominus nobis duplex promisit præmium renunciantibus propter ipsum rebus omnibus, alterum centuplum in hac vita; alterum æternum in futura: ita etiam temerè & stultè retrocedentibus, ac de facta promissione dolentibus, duplicem & horrendam inferat pœnam: alteram in hac vita in morbis, ignominijs, aliis euentibus infelicibus, & grauissimis conscientiæ remorsibus: &, quod grauiorem adhuc incutit metum, permittendo graues & infames lapsus, & mortes subitaneas: quas altera pœna sequatur, quæ erit æterna. Nam vt magnum indicium est prædestinationis ad cœlum, eius, qui Religionem ingreditur, & in ea vsque ad finem vitæ perseuerat: ita est indicium reprobationis leuiter eam deserere. Propterea enim dixit ipse Saluator: o *nemo mittens*

o Luc. 9. 62.

manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei: quòd si cœlo non est aptus: erit procul dubio, inferno: nam inter hæc duo loca nullus est alius ad quem possit æternùm pertinere. Quemadmodum etiam cum fernore perseuerantes, multos gloriæ gradus in cœlo accipient, ob sua multa valdeque præclara merita: ita reuertentes ad sæculum horribiliora in inferno sustinebunt tormenta. Nam vt plurimùm tales solent esse in fine peiores: sicut sanctus Augustinus valde asseueranter testatus est; quod quemadmodum non nouisset meliores homines, quàm qui in monasterijs viuerent, ac proficerent: sic non fuisse expertum deteriores ijs, qui apostatantes in sæculum redijssent. Quia in vtrisque locum habet, quod scriptum est: *qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Idem*

S. Aug. epist. 137. ad finẽ. ex S. Th. 2. 2 q. 188 a. 10. ad 3. Apo. 22. 11.

cont

confirmat sanctus Basilius dicens: huiusmodi facilè incidere in omne genus
iniorum; seque præcipitare in abyssum peccatorum: ex qua difficillimè e-
ntergant. Quemadmodum enim cibum ex stomacho eiectum multò magis
horremus, quàm eum (etiam aliàs ingratum) qui nunquam in illum est im-
missus: ita hos (ait Cassianus) horret magis Deus; & maiori cum difficulta-
te eos iterum admittit. Non quòd Deo desit misericordia; sed quod ipsis di-
spositio desit, ad eam accipiendam. Memor esto horrendæ illius visionis
quam in secundo tract. explicuimus de p *Lumbari lineo, quod Ieremias iussus*
a *Deo posuit super lumbos suos.* & postea eiusdem Domini iussu illud exuit, *tu-*
lit, *ad Euphraten & abscondit ibi illud in foramine petræ.* & cum post aliquod
tempus præciperet idem Dominus, *ire ad Euphraten, & tollere inde lumbare,*
inuenit, *ita computruisse, vt nulli vsui aptum esset.* Ad significandum (vt sanctus
Hieronymus ait) quòd si Religiosi, qui tempore aliquo Christo fuerunt in
Religione coniuncti, in qua bene etiam profecissent; ab ea discedant, trans-
euntque ad partes mundi: eò, occultis Dei iudicijs, perueniunt, vt valde sæ-
uiares & abominandi effecti, computrescant in vitijs suis, nec vlli vsui apti
esse possint, nec redire ad priorem statum: sed vt in suis iniquitatibus per-
eant. Quamuis autem Dominus noster non semper adeò seuerè huiusmodi
homines castiget: (nam interdum pulsat ad illorum cor, & impellit, vt
ad suam redeant Religionem, eosque admittit) semper tamen huiusmodi
munitio est pertimescenda reuocando in memoriam, quod suprà ad hoc
propositum diximus: vt illud sit nobis quasi frænum aduersùs Dæmonis ten-
tationes.

De Constit Monast c.2.

Coll.4.c.19

p *Iere.13.1.*

S.Hier.ibid.

c.7. huius tract.

Hæc omnia pulchrè collegit S. Ephræm, dicens: Qui post renuncia-
tionem abdicationemque vitæ in virtutis studio claudicare inceperit, &
tandem à recta via resilire, oculosque circumuertere retrorsum: hic & in
vita præsenti erit exemplo; & post suum è viuis excessum, regno cœ-
lorum priuatus, indignum seipsum sanctorum Choro reddet. Quin &
parentibus ipsis ignauia huius in confusionem futura est; amici dolore
concident: videntes eum, qui res terrenas exuerat, non obtinuisse cœ-
lestes: & sub specie pietatis, Diaboli iugum subijsse. Inimici etiam gau-
debunt, & illudent ei, dicentes: q *quia hic homo cæpit ædificare; & non potuit*
q *consummare.* Neque homines veretur; neque Dei indignationem animo
expendit: sed abiecta pietate omni, impudentiam indutus est; & turpi-
ter agere non erubuit. & quemadmodum r *impius cùm in profundum mało-*
rum venerit contemnit: ita hic in tantam temeritatem impingens, nequa-
quam est territus: sed instar illius, qui vendidit vniuersam suam substan-
tiam, & stolam magni precij, qua in paterna domo induebatur, furore in-
citatus allumentis panni rudis & sordidi impleuit: qua si vtarur, non

Serm.30.qui incipit. Non decet eos: in i. To.

q *Lu.14.29*

r *Pro.18.3.*

ampliùs

ampliùs in laudem & honorem; sed in subsannationem, & impropetium vtetur. Quis enim non irrideat, aspiciens eum, qui heri in Monastetio seipsum ad ministerium Fratrum in vnum habitantium præcinxerat, ad imitationem Domini nostri IESV CHRISTI; hodie famulorum comitatu stipatum? aut quis eum non reprehendat, qui die hesterno sua sponte quæcunque temporalia abiecerat, inopiam ad CHRISTI exemplum amplectens; hoc erno autem accedat ad tribunalia, & Iudices, & Causidicos, vt quæ sponte priùs reliquerat, iure nunc repetere contendat: & mentem suam à cœlestibus ad terrena traducat? Hæc S. Ephræm.

Epist. 137. NVLLVS tamen hinc accipiat occasionem (vt ait sanctus Augustinus) ad parui faciendum statum Religiosum, eò quòd aliqui adeò improbi ab eo discedant. Id enim non ex defectu statûs prouenit; sed ex pernicioſa hominis libertate: sicut neque est Ecclesiæ Catholicæ culpa; quòd ab ea multi hæretici exiuerint, qui ei detrahere sunt conati: Nec fuit sacri Apostolici Collegij infamia, quòd ex eo prodierit Iudas: potiùs licebit dicere: Hoc esse indicium præcellæ eius sanctitatis, & seueræ disciplinæ: quam impotes ferre non possunt. Quare, si tam profundè labuntur: id fit, quòd ex valde excelso loco ceciderint: nam, quòd acetum valde sit forte, signum est, vinum, antequam corrumperetur, fuisse excellens. Ac propterea sanctus Bernardus *Ad Frat. de mont. Dei.* dixit: ratò aut nunquam aliquem descendere ex cella ad infernum: vix enim in ea vsque ad mortem perseuerat, nisi qui ad cœlum est prædestinatus. Et quemadmodum mare, mortuorum corpora à se eijcit: ita Religio reprobos & incorrigibiles à se eijcit, *Solue*, inquit Deus Moysi, *calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Terra sancta Religio est: nec diu in ea manere possunt, qui calceati sunt affectibus rerum mortuarum; sed eique præcipitant in opera obominanda. Quare indicium est sanctitatis Religionis, quòd tales nec ferre possit, nec retinere. Qui autem talium affectuum calceamenta soluent, accedent, sicut Moyses, ad videndum Deum in rubo, contemplantes Christum Crucifixum, & ærumnarum spinis punctum, ideoque eius insignia & vestes induentes in terra: induit ipse postea vestibus gloriæ suæ in cœlo.

Religio incorrigibiles reijcit.

CAP VI

CAPVT XVI.

Cvique Perseverandvm In Sva Religione; Nec leuiter ad aliam transeundum, nec tamen vlla contemnenda.

EX omnibus rationibus, in proximo capite positis, deducitur etiam Religiosos non solùm quietos & contentos in suo statu esse debere; horrere verò reditum ad sæculum: sed etiam in sua Religione, ad quam sunt à Deo vocati; & hostis tentationem reputare, ad aliam leuiter transire. Nam vel transitus esset ad aliam minus perfectam, vt laxius in ea viuere liceret; aut ad perfectiorem sub prætextu maioris perfectionis obtinendæ. Primus transitus esset genus quoddam apostasiæ, nam (vt sanctus Gregorius ait) transire à meliori ad minus bonum, est, post missam manum ad aratrum, aspicere retro: quod est contra spiritum Christi, impellentis nos semper ad progrediendum vlterius in profectu. Eum in modũ, quo de sanctis quatuor animalibus dicitur: quòd a *vnumquodque ante faciem suam gradiebatur: nec reuertebantur, cùm incederent.* Quid enim aliud est: ante faciem suam progredi: nisi nunquam retro aspicere malum, aut imperfectum quod semel reliquimus? Præclarè hoc explicuit Sanctus Bernardus in soleni illa epistola quam scripsit ad Robertum nepotem suum, qui ex ordine Cisterciensi transierat ad Cluniacensem, qui tunc erat minus perfectus. Quem, vt ad pristinum ordinem reuocaret, hæc inter alia ei dicit: O insensate puer; quis te fascinauit, non soluere vota tua, quæ distinxerunt labia tua? Et quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, falsâ infirmatione impetrata: cuius conscientiam diuina ligatam tenet sententia? b *Nemo* (inquit) *mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro: aptus est regno Dei.* Quinquid & hoc tibi persuadebunt, non esse retro aspicere? Filiole: c *si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*: d *noli omni Spiritui credere*: e *sint tibi quasi necessarii; vnus autem sit tibi consiliarius de mille.* Tolle occasiones; reprime blandimenta: adulationibus claude aures: teipsum interroga de te: quia nemo te melius nosti, quàm alius. Attende cor tuum, discute intentionem, cõsule veritatem: tua tibi conscientia respondeat: Cur abieris, cur Ordinem tuum, cur fratres, cur locum deserueris? Si vt arctius, vt rectius, vt perfectius quæres: securus esto, qui non retro aspexisti: sed & gloriare cum Apostolo, dicens:

3. Part. pastora. Admont. 28. & Hom. 3. in Ezec. circa finem.

a Ezec. 1. 9.

Epist. 1.

" "

" "

" b Luc. 9.
" 62.
" c Pro. 1. 10
"
d 1. Ioan. 4. 1.
e Eccl. 6. 6.
" "
" "
" "
" "

f Phil. 3. 14 dicens: f *quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum*, sequor ad palmam gloriæ. Sin aliàs: g *noli altum sapere sed time.* quidquid enim tibi amplius indulges in victu, vestitu, superfluo, in verbis otiosis, in vagatione licentiosa & curiosa: quam videlicet promisisti, quam apud nos tenuisti: & nunc teneres: hoc procul dubio retro aspicere est; præuaricari est, apostatare est. Hæc S. Bernardus.

g Rom. 11. 20.

2. 2. q 189. a. 8.

Lib. de præcepto & dispen. post medium.

Cassian. 14. c. 5.

QVAMVIS autem negandum non sit, licere, (vt S. hic ait) ad perfectiorem Religionem transire: quando idem Dominus, qui ad vnam vocauit, nunc vocat ad alteram cum talibus inspirationibus: & rationibus, vt hominem reddant tutum, quòd ea sit diuina voluntas; & nominatim in casibus à S. Thoma expressis. Nihilominus huiusmodi ab vna in alteram Religionem mutationes, rarò à bono spiritu Deiq; vocatione proueniunt: quemadmodum idem S. Bernardus insinuat, dicens: se non audere id alicui consulere: nam vt plurimùm illæ mutationes oriuntur ex tentationibus, ex tædijs, aut animi leuitate: qui libenter vult res nouas experiri, aut à Satana transfigurante se in Angelum lucis: vt prætextu maioris alicuius boni hominē decipiat, aut turbet in statu quem ex DEI vocatione tenet; eumque inde deducendo: non vt collocet in meliori; sed vt vtriusq; iacturam faciat. Quia & in secundis etiam turbat, vt inde etiam expellat, sicut ex primo: donec tædium eis adferat vitæ Religiosæ; eamq; deserant, & redeant ad sæculum. Quod si verè optant maiorem profectum, audiant præclarum S. cuiusdam Abbatis consilium, quod his verbis refert Cassianus: vnicuiq; vtile atque conueniens est vt iucundùm propositum quod elegit; siue gratiam, quam accepit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festiner. Et aliorum quidem laudans admirans que virtutes: nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat: sciens, secundùm Apostolum: vnum quidem esse corpus Ecclesiæ, multa autem membra: quorum nullum in alterius officium se inserit. In quo aliqui debiles facilè errant, necdum satis in illa, quā arripuerunt professione, fundati. Cùm enim audierint quosdam in diuersis studijs ac virtutibus prædicari: ita eorum laude succenduntur, vt imitari eorū patinus gestiant disciplinam. In quo irritos necessariò impendit conatus humana fragilitas. Impossibile namq; est, vnum eundemque hominem omnibus vniuersis, vatijsque fulgere virtutibus, quales in varijs sunt professionibus. Quas si quis voluerit pariter affectare in id eum incidere necesse est: vt dum omnes sequitur, nullam integram consequatur: magisq; ex hac mutatione & varietate dispendium capiat, quàm profectum. Quare cum multis viis ad Deum tendatur: vnusquisque quam semel arripuerit, irrenocabili cursus intentione conficiat: vt sit in sua professione perfectus.

SALVBERRIMVM hoc consilium ipsa experientia grauiorum incom-

modo

modorum confirmat, quæ in his mutationibus euenire videmus. Cuius ratio est aperta: Cùm enim Deus D. N. peculiare det Religiosis auxilium, vt Religionis, ad quam eos vocauit, onera portent; & vt perfectionem in ea cõsequantur, quæ eius instituti est propria: (quod auxilium vocamus gratiam vocationis) omnes possunt progredi ac perfici in statu, quem ex diuina vocatione habent: quòd si ad aliam transeant non vocati à Deo: desinit illis huius status gratia: ideoque non poterunt ad eius perfectionem peruenire. Ac propterea Regius Propheta dixit: h *Beatus vir, cuius est auxilium abste; ascensiones in corde suo* per gratiam tuam *disponet, in valle lacrymarum, in loco, in quo per te positus fuit.* Tunc enim *benedictionem dabit legislator*, qua *ibunt de virtute in virtutem, donec videant Deum Deorum in Sion.* Quibus verbis docet: vnumquemque contendere debere, vt crescat in virtutibus, & perueniat ad perfectionem earum, quamdiu in hac lacrymarum valle permanserit: solidè figens pedem in eo loco, statu, & officio: in quo est à Deo collocatus; aut ipse ex voluntate Dei elegit. Confidens sibique persuadens: ipsum legislatorem Deum, benedictionem suam & auxilia copiosa præbiturum, vt leges seruet, & impleat obligationes status, quem ei assignauit. Siquidem Deus non est sicut legislatores terreni, qui condunt leges; sed ad eas seruandas vires non impertiunt. Deus autem vtrumquæ præstat: talibus fauoribus ac benedictionibus dulcedinis hominem præueniens, vt iugum, quod ipse imponit, reddat suaue & onus leue; ita vt omnes possint in suis statibus *ire de virtute in virtutem*, & nouas quotidie ascensiones, gradusque perfectionis acquirere: donec ad cœlestem perueniant Sion: vbi Deus clarè videtur, & perfecta beatitudo obtinetur, ad quam conditi fuimus. O beatum virum, qui omnem respuit mutabilitatem; & constans esse contendit in adimplendis viriliter, quæ ad suum spectant statum! felix, qui suos profectus, & in spiritu incrementa in eo loco & statione disponit: quæ à diuina voluntate ei obtigit. Cuius prouidentia (vt suo loco est ostensum) vnumquemque in eo statu collocat, qui ei ad salutem consequendam maximè expedit. Permane itaque dilecte, firmus in tua vocatione; fideq; Deo, cuius fauore omnem consequêris perfectionem, quam optas. Audi verba Sapientis: i *Fili, confide in Deo, & mane in loco tuo: facile est enim in oculis Dei, subitò honestare pauperem. Benedictio enim Dei in mercedem instì festinat.* Qua acceptа, eius accretiones breui proferent fructus copiosos. atque si distinctius dixisset: si firmus in tua vocatione permanseris, studendo, te in ea perficere: cùm minimè cogitaueris, Deus te suis gratiis ditabit, & honestabit: & remunerabit te, eò quòd eius leges custodias: & tot benedictiones super te effundet: vt crescere te faciant in omnibus virtutibus; & copiosos bonorum operum fructus proferre. Quod si mutationibus des locum

h *Psal.* 83. 6.

Tom. 2. *tract* 2. c. 7.

i *Eccl.* 11. 22.

cum: facilè tibi eueniet illud Salomonis: k *sicut auis transmigrans de nido suo*, magno se periculo exponit pereundi, vel ab alijs rapacibus auibus, vel à venatoribus: *sic vir qui dereliquit locum* suum: statum scilicet & officium, in quo Deus eum constituit, securitatem amittit animæ suæ seq; periculo exponit amittendi vitam gratiæ: quod dæmon maximè contendit. Quamobrem idem sapiens dixit: l *Si spiritus potestatem habentis ascenderet super te*, tentationibus scilicet te aggrediens, *locum tuum ne dimiseris: quia curatio*, & solicitudo, quæ rebus tuis attendis *faciet cessare peccata maxima*, & præteruabit teab eis; & iuciet, vt in virtutibus proficias. Conijciat itaque Religiosus oculos in finem & scopum suæ vocationis; mediaque illa adhibeat, quæ iuxta eam sunt adhibenda: vt eam consequatur: & experietur, se satis habere quod agat, vt eum nem perfectionem suæ professionis obtineat: & sic curas deponet, aliquid aliud, aut alibi quærendi. Et quamuis totam illam acquirat: adhuc si in permanserit vocatione, poterit vlterius progredi & quotidie magis proficere. Nam (vt alibi diximus) etiam in statu imperfecto, aut minus perfecto potest esse vita valde perfecta. Et ita alijs sui instituti socijs exemplo suo poderit; & præueniet turbationem, quam illis adferret, ipsius mutabilitas.

k Eccl 10. 4

Tom 2. tract. 1. c 7.

§. 1.

SED non erit æquum, silentio præterire vitiosum alterum extremum, in quod solent aliqui Religiosi incidere: adeò sibi de propria vocatione, & instituto complacentes; vt aliorum institutum contemnant: quo existimant in suo scientiam & sanctitatem valdè florere: cùm in alijs, quæ aliam tenent viam, vtrumq; hoc iaceat. In quos direxit Apost. solennem sententiam, quam scripsit ad Romanos: a *Is, qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat manducantem non iudicet.* Ad cuius decisionem aduertit S. Thomas: fuisse tunc temporis Romæ duplicem inter Christianos dissensionem; alteram circa scientias, alteram circa mores. Quoniam altera solet interdum ab altera oriri & excitari: vtriusque hic dicem insinuabimus. Prima controuersia in eo versabatur, quòd alqui firmarent: posse Christianos vesci cibis in lege veteri prohibitis: eò quòd illa lex iam cessasset. Alij dicebant, expedire, & melius esse ab eisdem abstinere: ne scandalizarentur, qui ex Iudaismo recens ad Christi fidem conuertebantur. Vtrique igitur horum zelo quidem veritatis, sed aliqua tamen admixtione superbiæ & arrogantiæ, aliorum opinionem damnabant, & opinantes iudicabant ignorantes esse, aut minus benè moratos, cum detrimento pacis & charitatis fraternæ. Vt igitur Apostolus vtrosque corrigeret & instrueret, dixit: Is, qui omnibus cibis vescitur, existimans id licere

a Rom. 14. 3

Ibidem.

non iudicet temerè, nec damnet nolentem eis vesci, quasi superstitiosum: & qui talibus cibis abstinet, non damnet comedentem, quasi scandalum aliis adferentem: *sed vnusquisque in suo sensu abundet*, suam sequens opinionem absq; alterius detrimento in ijs rebus, de quibus Ecclesia & Sancti Patres in neutram partem aliquid constituerunt. Qua etiam sententia monet Apostolus scientiarum professores, ne quis eorum tantum suis opinionibus tribuat vt contrarias sequentes condemnet; & iudicet esse ignorantes, aut non satis difficultatum puncta assequi, sed contentos esse rudi quadam rerum cognitione: tale enim de alijs iudicium ordinariè oritur ex occulta aliqua superbia, & arrogantia temeraria. Nam quod vni videtur verum, alteri videtur falsum propter aliam rationem æquè bonam, ac efficacem atque alter pro sua habebat. ideoque non est rationi consentaneum, alterum contemnere, sicut ipse non vult ab altero contemni. Et quid mirum hoc euenire in diuersis personis: cum vnus & idem doctus & eruditus vir soleat sententiam mutare, & iudicare falsum, quod antea verum existimabat. Sed hoc argumento nunc prætermisso, & ad Tractatum de Magistris ac Doctoribus reiecto, veniamus nunc ad alterum dissensionis argumentum, quod sit de moribus. Nam quidam illorum valdè addicti erant ieiunijs, & abstinentijs: in quibus magnam sanctitatem reponebant: alij verò omni genere ciborum, ob suam debilitatem vescebantur; aut vt alijs misericordiæ operibus vacarent. Sed vtriq; aliquid superbiæ pallio quodam zeli tectæ admiscentes, tantum suæ viuendi rationi tribuebant; vt temerè iudicarent & contemnerent eos, qui contrariam tenerent rationem. Qui multum ieiunabant, iudicabant, alios tepidos, ac delitijs deditos, hi autem alios iudicabant vanitatis, & arrogantiæ studiosos & cupidos. In vtroſq; igitur Apost. sententiam suam dirigit, siue quis comedat, siue non, iustis ex causis: ne alterum iudicet, aut damnet; sed virtutis exercendæ modum sequatur, quem Deus ipsi inspirauit; nec damnet contraria via ambulantem. Qui enim alterum iudicat, facilè in eo iudicio errabit, cum detrimento tum animæ propriæ tum charitatis fraternæ.

Ex Glossa.

Deceptio hæc & pernicioſum iudicium de alijs est valdè antiquum in imperfectis. Nam b *S. Ioannis Baptistæ discipuli frequenter ieiunantes*, damnabant *discipulos Christi* Domini nostri, eò *quod non ieiunarent*: & notam illis inurebant voracium & potatorum. c *Martha* adeò sibi placebat, quod *sollicita esset, vt Christo Domino ministraret: vt Mariam sororem suam occupatam in audienda Christi doctrina*, contemperit, & otiosam iudicauerit. Hunc in modum inter Religiosos nisi adsit cordis humilitas, actiui contemplatiuos iudicant ignauos; & hi illos nimium ad externa effusos. Magnæ pœnitentiæ sectatores parui faciunt eos, qui non multum faciunt; & hi aliquid inueniunt,

b *Mat.* 9. 14.

c *Luc.* 10. 40.

Serm. 12. in Cantica.

Grad. 4.

Quisque inspirationem Dei sequatur.

Superbia periculosa est.

quod notent ac damnent in ijs, qui multum faciunt. Monachi (ait S. Bernar.) valde amantes, suæq; recollectioni valdè addicti parui faciunt Episcopos & eos qui versantur cum proximis: iudicantes, eos sæpiùs & in res varias impingere: hi verò parui etiam faciunt valde recollectos; iudicantes, eos solis vsui esse. Tyrones & Nouitij (ait S. Io. Clim.) si valdè sunt feruentes, solent frequenter temerè iudicare de suis socijs, quos vident non facere, quod ipsi faciunt: hi verò illos etiam contemnunt, quasi singulares, & minis gloriæ cupidos. Contra hos omnes tendit Apostoli prædicta sententia: vt quisq; eam vitæ rationem sequatur, quam Deus ipsi inspirauit; nec quenquam alium contemnat, quod diuersam teneat rationem: persuadens sibi Spiritum S. varijs vijs suos deducere electos. Et qui te hac via dirigit, valet alios dirigere alia potestq; eos adeò bonos & perfectos illa via facere, atq; via tua. Et quamuis certum sit & manifestum, aliquas Religiones maiorem profiteri perfectionem, quàm aliæ: attamen quemadmodum Angeli, superioris chori, non continent eos qui sunt in inferiori, sed summo amore eos diligunt & complectuntur: ita qui altius profitentur institutum, non debent eos contemnere, qui sectantur minùs perfectum: sed eos ex toto corde tanquam fratres diligere; ita vt quisq; alterum in honore præueniat. Et quemadmodum est periculosa superbia, quòd quis alterii inferioris statui in sanctitate præferat: ita est noxia temeritas propterea solùm, eum iudicare imperfectum: siquidem (vt iam diximus) in Religione minùs perfecta potest quis diuina gratia & maiori sua diligentia esse perfectior. Præterea cùm ita diuina prouidentia res iustorum constituerit: vt ordinariè loquendo, nullus in rebus omnibus excellat, sed vt quilq; ab alio in re aliqua superetur: vt occasionem inde sumat, se humiliandi. Sic etiam nullum instituta excellit in omnibus, quæ pertinent ad perfectionem Euangelicam; sed aliud in vna re præcellit; aliud in alia: vt omnes verè fundentur in humilitate, possintque aliquam præcellentiam in alijs agnoscere. Dent igitur operam Religiosi, vt ita diligant, ita æstimét, propriamq; vocationem cõplectantur, vt in nullo euentu aliorum vocationes contemnant; sed quisque studeat in sua vocatione esse perfectus, exactè custodiens vota sua, sinq; instituti leges; eum in modum, quo in proximo tractatu dicetur.

(·.·)

TRACTATVS SEXTVS.

DE PERFECTA TRIVM VOTORVM PAVPERTATIS, CASTITATIS, ET OBEDIENTIÆ, IVXTA REGVLAS OBseruatione.

CVPVT I.

OBLIGATIO RELIGIOSORVM AD PERFECTIONEM *sectandam, quam in emissione trium votorum sunt professi.*

POSTQVAM RELIGIOSVS EXPLETO tyrocinij sui tempore professionem & oblationem votorum suorum edidit, quibus in statu perfectionis, quam quærebat, constituitur: nouam subit obligationem eam procurandi per media à sua Religione constituta: quæ vt plurimùm sunt eadem cum ijs, quæ tyrocinij tempore exercuit: quasi experiri volens vno aut altero anno, an vires haberet sufficientes; vt, ad illud per totam vitam portandum, votis sese obstringeret. Ac proinde non ideo per vota desinit esse Nouitius, vt feruorem tyrocinij remittat; sed vt nouo spiritu & alacritate in eo prosequatur, cùm noui adsint, & efficaciores tituli ad talem progressum: quod enim priùs sponte, & ex sola deuotione faciebat: nunc ad idem præstandum, ipsis votis sese obstrinxit: &, nisi faciat, peccabit grauiter contra id quod promisit.

1. Religio schola hominum perfectioni studentium.

AD CVIVS rei declarationem aduertendum est: quòd cùm Religio (vt supra diximus) non sit schola hominum iam perfectorum; sed vt tales sint, studentium & conantium, in eo perfectionis Euangelicæ gradu, quem proprium eius institutum exigit; Ita Religiosus non tenetur sub reatu lethalis peccati ad omnem perfectionem sui statûs possidendam; sed ad eandem procurandam. Nam præcepta non de fine & scopo, ad quem tenditur; sed de medijs ad eum consequendum adhibendis, traduntur. Sicut medicus non tenetur sanitatem ægroto restituere; nec miles victoriam obtinere. Sed vterque ea tenetur media adhibere, quæ præscribuntur,

2.2.q.186. a.2. tur, vt ad talem finem perueniatur. Vt autem hi grauiter delinquerent, si media illa non adhiberent: ita (ait S. Thomas) peccabit Religiosus contemnens media à sua Religione ad perfectionem obtinendam in suis Regulis præscripta: eò quòd non satisfaciat obligationi sui status propriæ, quam ipsis votis continetur. Et in hoc sensu dixit Sanctus quidam Abbas cuidam

Lib. 4. c. 38 tyroni: (vt refert Cassianus) ne leue peccatum existimes, quòd qui perfectionem est professus, res amplectatur imperfectas; parui faciens id, quod professus est. Hoc enim est professionem ac regulam suam contemnere, & corde redire in Ægyptum, ac retro respicere, non attendendo, sed aratrum negligendo, quod manu arripuit.

2. VITA deinde Religiosa est quasi scala quædam perfectionis, cuius gradus sunt ipsa vota, ac virtutis exercitia, quæ in eius regulis commendantur. Et quoniam scala non adhibetur, vt quis in ea hæreat, sicut in cella manetur: sed vt per eam ascendatur; ac, prout opus est, descendatur: ideò semper sunt virtutes status illius propriæ exercendæ; vt ad perfectionem perueniatur. Eum in modum, (ait S. Bernardus) quo in scala Iacob, quæ typus erat Religionis, vt supra est dictum: nullus Angelus sedebat, aut subsistebat; sed

Epist. 253. *ascendebant* aut *descendebant per eam*. Vt significaretur in vita Religiosa semper esse progrediendum in desiderio proficiendi, siue ascendendo ad Deum per exercitia orationis, & contemplationis; siue descendendo ad proximum actionibus ad id accommodatis. Vtrumque tamen hoc est crescere & aliquando

a Gen. 28. 12 in perfectione. Vbi autem hoc desiderium & voluntas sistit, aut deficitur deficitur quoq; in obligatione propria. Ac propterea dicit: *O Monachum vis proficere; vis ergo deficere.* non est enim inter hæc duo aliquod medium & statim atque desiderium, perfectionem, quam profiteris, assequendi, sistit; aut deficit: redis retrò ab eo quod cæperas. Cùm igitur vitam scias Angelicam: accipe eorum exemplum progrediendo semper in scala consti, quam DEVS ante oculos tuos posuit.

3. MEMOR esto, Iacobum illum statim, atque mysticam illam visionem lam, Deoque obtulit sua vota, progressum fuisse in itinere vsque in Mesopotamiam: vbi per b *septem annos seruiuit antequam Liam duceret & alios* ptem donec acciperet Rachelem: neque à labore cessauit, donec innumeris uitias compararet. Ita vt in reditu in patriam suam dixerit Domino Deo

b Ge. 29. 24 *in baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior.* Ad cuius imitationem, cùm primum Religionis vota emiseris, noua quæ

c Cap. 3. 10 spiritus alacritate inceptum iter prosequeris, laborans & contendens tempore necessario, ad consequendam perfectionem actiuæ vitæ; & ea etiam contemplatiuæ. Et nec tunc quidem tibi quiescendum est; quotidie noua augmenta procuranda vsque ad ipsam mortem: ita vt

cere possis Deo tuo, non tam verbo, quàm opere ipso: solus transiit Iordanem pœnitentiæ, vt ingrederer Religionis solitudinem; nec socium alium habui, quàm baculum Crucis Christi, & prouidentiæ ac protectionis Dei mei: nunc autem venio ad mortis Iordanem transeundum, vt ad vitam ingrediar æternam, stipatus duabus illustribus turmis operum sanctorum, quæ in vtraq; vita Actiua, & Contemplatiua exercui in Dei gloriam & proximorum meorum vtilitatem.

MEMENTO etiam præclari & solidissimi fundamenti, quod iecisti ad perfectionis turrim erigendam. Cùm igitur tibi non desit, vnde possis ædificium perficere; ne cesses, nec feruorem ædificandi ex ignauia relaxes: ne æquè hostes te tui irrideant, atque si omninò destitisses. Æquum est (ait S. Augustin.) vt qui pro fundamento vitæ suæ accepit Iesum Christum, eiusque puritatis & perfectionis Euangelicæ professionem d *superædificet non lignum, fœnum, aut stipulam; sed aurum, argentum, & lapides pretiosos*: exercens opera præclara & digna vocatione sua, in materia trium votorum & regularum: in quibus effulget aurum charitatis, argentum puritatis, & pretiosi virtuum omnium lapides: mortificando viriliter affectus reuirescentes diuitiarum, delitiarum, & inanium honorum, quæ sunt quasi ligna, stipula aut fœnum, quæ purgatorium ignem fouebunt. Grauis enim iniuria infertur nobili adeò fundamento, si vile adeò ædificium superædificetur. 4.

De Fide & Oper. c. 16. d. 1. Cor. 3. 12

ACCEDIT, quòd (vt ait Cassianus) grauis sit nota & miseria contendenti aliquam artem aut scientiam acquirere; ad eius perfectionem non peruenire: præcipuè cùm id prouenit ex incuria & negligentia operam suam imponentis. Quantò igitur maior erit miseria & pudor, quòd veneris ad Religionem, vt ad perfectionem Euangelicam peruenires; sed negligentia tua eam non assequaris; nec thesauris & bonis fruaris, quæ conceduntur nõ tepidis & negligentibus, sed feruentibus ac perfectis? Angeli cœli & Sancti, qui sunt in terra: qui aspiciebant & obseruabant quid ageres, & ex principijs adeò præclaris fines expectabant multò excellentiores, erubescent quodam modo, videntes te in medio stadij hærentem, & ipsos spe sua defraudantem. Et hoc est, quod Salomon dixit: e *nubes & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.* fraudantur enim homines spe sua, cùm non vident, sequi pluuiam speratam; sed post nubes & ventos, adhuc esse aridit atem. Quid enim sunt tria religionis vota, eiusque Regulæ; nisi nubes & venti, quæ sunt indicia imminentis copiosæ pluuiæ cœlestis, cum magna gratiarum abundantia, quæ super ipsum vouentem descendent, si ea perfectè seruet? imò & ipsi Religiosi vota sua custodientes, nubes iunt ac venti è terra exurgentes in cœlum: qui Spiritus S. inspirationibus tanta celeritate currunt; vt stupentes Angeli dicant illud Isaiæ: f *qui* 5.

e Prou 25. 14.

f Isa. 60. 8 g in epist. 12

g in epist. 1

sunt isti, qui vt nubes volant: & quasi columbæ ad fenestras suas? Quod si hæ nubes sint sicut illæ, quas S. Iudas Apostolus appellat g *nubes sine aqua, quæ à ventis* huc illuc *circumferuntur* absque vlla vtilitate: hi certè grauem afferunt dolorem, eò quòd in statu adeò excelso nam exiguum adferant fructum.

§. 2.

a Gen. 17. 1.

DENIQVE quemadmodum Deus Dominus noster postquam eduxerat Abrahamum ex terra sua domoque paterna, memoranda illa verba ei dixit: a *Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus*: ita Religiosus postquam mundum deseruit, attendere debet: Deum frequentissimè ipsius cordi eadem verba repetere, quasi instruens monere ne existimes, te propterea quod mundum deseruerit, iam esse perfectum sed potiùs inchoandum tibi nunc est, seriòq; laborandum, vt talis sis: muniendo te magna fiducia de mea omnipotentia. Nam ego, qui te vocaui, sum Deus Omnipotens, qui auxilium tibi feram: vt omnes tuos hostes vincere possis. Et hoc ipsum magis explicat verbum Hebræum: HADAI, quod etiam significat *fortem victorem*, quasi dixerit, fortitudo mea multum distat à fortitudine mearum creaturarum, hominum & Angelorum: qui itaiunt fortes, vt non semper vincant, nec voti compotes fiant: at ego semper sum fortis victor: quia, quandocunque volo, vinco: b *nec est vllus, qui* potentiæ *meæ*, & efficaci *voluntati* resistat. Et quando ego in meis amicis pugno, semper in eisdem vinco, si meæ se dedant voluntati. Vt autem Omnipotentiæ eius suauitas ac iucunditas appareat, qua cum suis agit electis, idem verbum hebræum deduci potest ex alio quod significat *pectus*, vnde lac fluit. Quo significatur Deum esse dulcissimum benefactorem, ex quo bona omnia fluant sicut lac ex pectore. Et hoc totum proponit Deus ob oculos Religioso, cum ei dicit: *ambula coram me, & esto perfectus*: Tria enim valdè præclara commendat. *Primum* enim dicit in hac via, in qua te constitui, ambula semper: nec vnquam subsistas aut otiosus sis; nec vnquam satis tibi esse existimes, quod sis aliquantum progressus: sed perge semper vlteriùs in rebus obsequij mei: donec ita plenè perfectus euadas, vt nihil tibi desit integræ perfectionis, quæ ratione tui status tibi competit. Sed aduerte, (ait S. Chrysost.) Deum dicere: *ambula coram me*: vt intelligas, te non solùm debere esse perfectum coram hominibus; sed multò magis coram ipso Deo: cuius oculi omnia vident, ac penetrant; nec decipi possunt: nam solus ille perfectum nomen promeretur, quem Deus approbat; & qui studet, in omnibus ei placere. Et hoc amplius significat translatio, quam sequitur S. Aug. quæ habet *place, & esto sine querela*. nam in eo omnis perfectio consistit, vt quis Deo propter seipsum placeat; & coram hominibus viuat sine querela, bene fa-

b Esiæ. 43. 9

Vide Pererium b Aquinatem. Gaet. Caiet.

1.

2. Homil. in Genes.

Lib. 16 de Ciuit. c. 26.

ciens

ciens eis, nullum verò malum inferens, in eo gradu, qui Deo placet. Eum in modum, quo Sanctus Lucas de parentibus sancti Ioannis Baptistæ ait, quod c *ambo essent iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Et Apostolus exhortatur & commendat, vt d *prouideamus bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Sed vlteriùs perfectio tua progredi debet: semper enim cogitare debes: te agere in conspectu meo, & quod te semper aspiciam; & meminisse: me esse Deum Omnipotentem, fortem victorem, ac dulcem & iucundum benefactorem. Vt ita excites teipsum, & confidas, quòd auxilio meo possis omnia: vt victor sis sortis de tuis hostibus; & sugas ex meis vberibus lac cælestium consolationum. Sed, vt melius intelligatur, quod hic exigitur, aduertendum est: hanc perfectionem in Scriptura sacra exprimi tribus his nominibus: *ambulare post Deum, cum Deo, & coram Deo,* Ambulare *post Deum,* est proprium famulorum, vestigia Dominorum suorum sequentium, cum tanta reuerentia ac timore, vt non multum ad illos accedant: & hoc est commune omnibus iustis, qui diuina præcepta seruare studeni; Deumque imitari, exercentes illas virtutes, quæ in eis commendantur. Et hunc in modum ait Scriptura, Regem Iosiam e *fœdus percussisse cum populo suo, vt omnes ambularent post Dominum & custodirent præcepta eius.* Et Sapiens dixit: f *gloriam magnam esse, sequi Dominum,* & g *Regem factorem suum.* Sed magis est glorioſum, ambulare *cum ipso Deo*: quod pertinet ad amicos magis intrinsecos, qui maiori cum fiducia accedunt ad ipsum, & magis propè comitantur, quocunq; ipse eat. Dicuntur autem cum ipso ambulare: quia in omnibus, quæ ipse vult, & inspiratipsi consentiunt, habentq; vnum & idem velle, ac nolle cum ipso tanquam duo amici eundem habentes spiritum. Et ita Scriptura sacra dicit de h *Henoch,* & i *Noë: quod essent iusti, & ambularent* CVM DEO. Sed ambulare *coram Deo,* addit supra hæc arctiorem familiaritatem & consuetudinem cũ Deo, quasi semper sit ante eius faciem, & in eius conspectu, illum aspiciens, & contemplans; & ex hoc exemplar educens perfectionis, quam in sua ratione viuendi imitari debeat. Primi respiciunt Deum quasi à tergo: quia viam suam diriguat iuxta fidem quandam valde obscuram, agnoscentes eum ex eius vestigijs, operibus, ac præceptis: vltimi aũt innituntur fidei, adeò per contemplationem illustratæ, vt respectu alterius sit, quasi k *Deum videret facie ad faciem,* l *Deus ore ad os loqueretur ei,* & ipse m *inuisibilem Deum, tanquam videns alloqueretur.* Hæc tria cum magna excellentia complectitur vocatio Religiosi, cui Dominus dicit: *ambula coram me, & esto perfectus,* Nam primùm vocatio ipsa eum obligat ambulare post Deum, & sequi: accipiendo ipsum tanquam exemplar & Magistrum suæ vocationis; nec ad latũ quidem vnguem, recedens ab eo, quod ipse iubet. quemadmodum S. Iob de

c *Luc.* 1. 6.
d *Ro.* 12 17. 3.
e 4 *Reg.* 23.
f *Eccl* 23 3.
g *Eccl.* 2. 12.
h *Gen.* 5. 22. i *cap.* 6. 9.
k *Exo.* 33. 11. l *Num* 12 8 m *Heb.* 11. 26

seipso dicebat: n *vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ex ea.* Nec meminit nisi vnius pedis: ad significandam vtriusque conformitatem, quasi vnicus tantùm esset, vt sequerentur DEI vestigia, in prosperis & aduersis, cum omnibus affectibus cordis sui, animæ, & corporis. Sed non debet viro Religioso id satis esse: eius enim vocatio obligat etiam, vt ambulet *cum Deo*: non solùm quasi famulus, sequens retrò, sed
o *Matt. 5. 48* quasi filius, & amicus ad latus eius, generoso animo omnibus contentiens quæ ille iubet & consulit, iuxta ipsius institutum: vt o *possit esse perfectus, sicut pater eius cœlestis perfectus est.* spiritum suum cum diuino coniungens. Sed vlteriùs adhuc pergendum ei est, vt studeat etiam ambulare semper *in conspectu Dei*, & familiariter cum eo in exercitijs otationis & contemplationis agere. Propterea enim mundum deseruit; & impedimenta dulcis huius consuetudinis. Nam qui illum vocauit, vt in eius conspectu ambularet, inuenerit in remouendis eius impedimentis. Quod bonum si consequatur, erit procul dubio perfectus: in eo enim quasi compendio continentur omnia media nostræ perfectionis, & eorum efficacitas. Quæ igitur maior felicitas esse potest: quàm ex ore Dei verba illa audire, & ab eo ad res adeò gloriosas inuitari? Et quæ maior prudentia, quàm statim, atque hanc vocem percipis, facinus hoc egregium aggredi: vt ad eius finem feliciter peruenias?
p *Psal. 23. 3.* *Quis* (ait Dauid) *ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.* O anima religiosa, vocata ad ascendendum in excelsum perfectionis Euangelicæ montem, & manendum in domo Dei viui: ama innocentiam vitæ, & cordis puritatem: contende, ne tua vocatio sit in vanum: Deus enim suis copiosa benedictione, largaque misericordia tibi assistet. Attende: quòd sis ex generatione eorum, qui ex suo instituto quærunt Deum: non quomodocunque, sed faciem eius diuinam, vt semper in eius ambulent præsentia, & cum eodem assistant in hoc sancto monte. Ne à generatione hac adeò nobili ac generosa degeneres: ne repellat te Deus ab hoc monte, suamque benedictionem subtrahat, & faciem abscondat.
q *Isa. 40. 31* SED non vacat mysterio, quòd Isaias dixerit: q *Qui sperant in Domino volabunt, current & ambulabunt*; DEVS verò Abrahamo non dixerit, vola, aut curre coram me; sed: ambula. Quod videtur minimum eius, quod poterat commendare. Sed, si hoc reuerâ fuisset minimum, non eum ordinem seruasset Propheta, vt diceret volant; currunt, & ambulant; sed inuersum: ac dixisset qui sperant in Domino ambulant, currunt, & volant: incepisset enim à minori, vt ascenderet ad maius: siquidem in via cœlesti

pro-

progressus fit à minori ad maius; nec fit descensus à maiori ad minus. Quod ô diligentiùs inspiciatur horum verborum spiritus: optimè cæpit Isaias Propheta: Iustus enim *volat* cogitationibus, & ratiocinationibus, quæ sunt quasi alæ aquilæ: summaq́ue celeritate ad cœlum conscendunt, & in Dei conspectu se constituunt; & ita sensim mysteria cognoscunt eius diuinitatis, & humanitatis sacratissimæ. Deinde *currunt* desiderijs & affectibus, qui sunt quasi veloces cerui pedes: cupientes magno feruore coniungere se cũ Deo, Christumq́ue Dominum nostrum sequi. & vltimò tandem *ambulant* per exercitia bonorum operum exequentes quidquid Devs iubet; & acceptantes quidquid statuit, vt patiantur: & hoc appellatur *ambulare*: semper enim in operibus splendet magis prudentia, sodalitas, & quies: quasi proprio suo passu quis ambulet. Et quoniam ipsa realis operatio supponit cogitationem ac desiderium; ideo illa est perfectior: ac proinde meritò ponitur in vltimo loco. Quare cùm Devs dicit: *ambula coram me*, etiam vult dicere; vola, & curre: nam cogitationes ac desideria; verba ac opera; & omne genus exercitiorum debent esse coram Deo.

Ad hæc: quamuis Religiosus possit interdum sicut aquila volare vitæ contemplatiuæ actionibus, & sicut ceruus currere in operibus vitæ actiuæ, non sentiens in eis magnum laborem: est tamen præstantius, magisq́ue necessarium, quod Isaias vocat: *ambulare & non deficere*. Nam volatus & cursus breui tempore durant: ambulare tamen passu moderato & conuenienti, potest diutius durare: & quando id fit continuè, & non sistitur: id magni æstimatur, & plurimum confert, vt ad itineris terminum perueniatur. Quãobrem licèt Nouitij in suis initijs videantur volare & currere in rebus diuini obsequij, & in sui instituti obseruatione: est tamen magni momenti, eisdem illis gressum præscribere, vt nec tardus sit; nec nimis festinus; sed cuiusque viribus proportionatus. In quo possint per totam viram pergere, ac perdurare: impellendo tamen & nonnunquam seipsos vrgendo ad aliquem volatum aut cursum celerem relicto ordinario illo gressu, per duodecim aut viginti dies cum maiori aliquo feruore & alacritate, in omnibus orationis ac mortificationis exercitijs, ad nouum spiritum & animum sumendum: quo possit in ordinario gressu perdurare.

Volatus & cursus breui tempore durant.

CAPVT II.

INSIGNIS MORTIFICATIO, CVI PERFECTIO *Religiosa, & votorum custodia imititur, quas res illa complectatur, & quæ rationes ad eam procurandam meritò permoueant.*

RELIGIOSÆ perfectionis sectatores per trium votorum obseruationem, incipere debent ab exercitio continuæ mortificationis, quæ huius ædificij est solidum fundamentum; & Christus Saluator noster eandem tanquam vnicam portam constituit: qua in ipsius schola pateret ingressus; dicens: a *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*; & b *qui non baiulat crucem suam, & venit post me, & qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hanc mortificationem incipit exercere in gradu heroico, qui constituit ingredi Religionem, renuntiando ac relinquendo omnia, vt hactenus diximus in tractatibus præcedentibus. Eadem verò mortificatio debet esse socia fidelissima omnium eius operum: quæ vix vel vno passu absque ea progredi possunt. Sine mortificatione enim non erit custodia votorum; non obseruantia regularum, nec virtutum augmentum, neq; in ministerijs & officijs aderit diligentia. Ac propterea dicebat Apostolus: c *semper mortificationem Iesu*, quocunq; eamus, *in corpore nostro circumferimus: vt & vita Iesu* per eam *manifestetur* mundo *in carnibus nostris.* Neq; enim potest imitatio Christi absq; mortificatione effulgere: & quo gressu mortificatio crescit, imitatio etiam crescit. Simul enim Religiosus cùm veterem hominem, eiusq; vitiosos mores exuit; induit nouum renouando seipsum viua gloriosarum eius virtutum imagine. Et quamuis omnes Christiani in quocunq; statu sint constituti teneantur, integram ipsorũ mortificationẽ adhibere in rebus omnibus, quæ ingressum in cælum impediunt; & Euangelicæ legis præceptis magnis & paruis aduersantur (quemadmodum in Duce spirituali satis fusè fuit explicatum) in alijs tamen mortificationibus magnum est inter Sæculares & Religiosos discrimen, ad perfectam virtutum sui Saluatoris imitationem obtinendam. Sed hoc intelliget ur meliùs ex duobus modis quibus imago aliqua aut figura Christi Domini nostri, aut alterius alicuius Sancti fieri potest in pictura licet, & sculptura. In pictura enim nihil aufertur, sed apponitur; aut si qua

a Mat. 16. 24
b Luc. 14. 27, 32.
c 2. Co. 4. 10
Tract. 4. c 3. & 4.

aufer-

ansfertur, id est, valdè modicum; accipitur enim tabula dolata & læuis; in qua fit primùm delineatio, & penicillo postea colores suis locis adhibentur, donec pictura finiatur; & appareat ad viuum imago eius, quem pictor intendit exprimere. At sculptor contrà non ponit aliquid, sed aufert ex ligno paulatim assulas, & paruas particulas scalpro siue cœlo tanta industria, vt sensim integram & perfectam effigiem perficiat eiusdem personæ: perfectiùs exprimens altitudinem & crassitiem, omniumq; partium proportionem. Hunc in modum dicere possumus: Iustos sæculares in Christi Domini nostri, eiusque virtutum imitatione progredi: potiùs tanquam pictores, quàm sculptores: neq; deserunt vxores, filios, & familias, suasque fortunas, honores, ac dignitates; nec res alias, quas licitè possident; & quibus ad vitam suam commodè ducendam opus habent. Solùm est supponenda tabula cordis benè dolata, ac læuis per mortificationem, quam dicimus necessariam ad obediendum omnibus diuinis præceptis. Desuper autem exprimunt imaginem Christi varijs virtutis operibus, quæ vt illi placeant, exercent. Quamuis in aliquibus opus sit, aliquid sibi subtrahere; seque mortificare, sicut Religiosi; qui in imitatione Christi Seruatoris nostri progrediuntur sicut sculptores, abscindendo, & renuntiando quicquid in mundo habent; deserendo parentes, & cognatos; & ius, quod habebant, ad accipiendam vxorem, filios procreandos, fortunæ bona, dignitates, rerum tẽporalium splendores, ac deniq; propriam libertatem: & hac ratione formãt in seipsis viuam quandam imaginem Christi pauperis, casti, humilis, nudi, ac subiecti. Et hac sculpturę diuinæ arte progredientur per totam vitam, augentes ac perficientes quotidie magis omnes virtutes, donec ad earum culmen perueniant.

Ex quo fit, vt præcipuum eorum studium in diuina hac arte ad duo quasi capita reuocetur: attendere scilicet omninò exactè ad ea, in quibus necesse est ipsum mortificare: ita vt nihil ipsum prætereat; tantaq; fame ac siti horum exercitij teneri: vt statim atque aliquid deprehenderit: non differat id mortificare, & à se euellere d *mortificando* (vt Apost. dixit) *spiritu facta carnis.* Quamobrem in Canticis dicitur e *caput sponsæ esse vt Carmelum*, qui mons erat excelsus & fœcundus: ad quem recipiebant se Elias, Elisæus, & Prophetarum filij, hoc est, antiquæ legis Religiosi: & significat scientiam aut sitim circumcisionis; estq; valdè propria figura sacræ Religionis, quæ est schola, in qua eius filij student practicæ scientiæ circumcisionis spiritualis, quam valdè sitiunt. Huic ergo monti simile dicitur esse caput sponsæ, quod, teste S. Greg. est suprema pars animæ, in qua est intellectus & voluntas. Spiritus enim cupidus perfectionis diligenter, conatur inuenire, & exactè cognoscere; quomodo, quando, & in quibus rebus carnem suam oporteat circumci-

d *Rom. 8. 13. Cant. 7. 5.*

Mart. Delrio citat multos Patres.

Ibidem.

cumcidere;& potentias,lenlusque suos mortificare. Et,cùm hæc circumcisio non coacta sit,sed spontanea;postquam primum fecit, cum mundo renunciauit,suaq; vota obtulit:ita dispositus manet, vt satiari non possit circumcisione, quin magis ac magis velit in omnibus rebus necessarijs circumcidi,vt ad perfectionem perueniat,ad quam tendit. Nec cessat rationem quærere,quæ magis excitent foueantq; hanc sitim ,eò quòd vbi illa adest executio est multò facilior. Sed quoniam hæc scientia, & ars opus habet Magistro docente;& ministris ad praxin ipsam adiuuãtibus;hoc præcipuè spectat ad Prælatos,ac Tyronum Magistros; Confessarios. & Patres spirituales. Qui cùm sint capita Religionis,quæ est sponsa Christi, merito esse debent quasi Carmelus ; & periti scientiæ circumcisionis valdè exactæ; vt mortificationẽ nouerint,tã quoad seipsos,quàm ad Tyrones, quos magnasiti & zelo iuuent;vt benè conscij & periti euadant, & cũ magno profectu in eum modum,quem inferiùs pro omnibus paulatim explicabimus.

§. 1. *Quinq; gradus mortificationis in votis.*

INCIPIENTES igitur ab ipsis votis,(de quibus nunc est sermo) eorum obseruantia & custodia, est continua insignis cuiusdam mortificationis propria cuiusque materia exercitatio. Nam perfecta *Paupertatis*, custodia non aliud est, quàm continua quædam mortificatio , & rerum omnium temporalium nuditas : quia contenta est solo vsu rerum ad vitam sustentandam necessariarum. *Castitatis* obseruatio est perpetua quædam mortificatio omnium voluptatum sensuum; & rerum omnium, quæ ad eas prouocant,& per ipsos sensus aditum inueniunt. *Obedientiæ* votum est continua quædam abnegatio sui ipsius,proprij iudicij,& voluntatis propriæ : subiiciendo eam voluntati Prælatorum,etiamsi res graues iniungant: in quibus naturalis propensio mortificetur & abnegetur. Ex quibus tribus mortificationis gradibus duo alij oriuntur , qui vota ipsa comitantur. Quorum alter spectat ad humilitatem , quæ pars quædam est paupertatis ipsius & renunciatio omnium amplitudinum, dignitatum, & honorum mundi, quo acceptatur humiliatio , & contemptus , qui coniunctus est nuditati paupertatis,& subiectioni,qua viuitur ex voluntate aliena. Alter verò spectat ad perpetuitatem in hac vitæ ratione,etiam vbi periculum adsit sanitatem & valetudinem amittendi,vsque ad ipsam mortem , coërcendo omnes impetus & propensiones exurgentes , quasi optarent soluti esse & liberi ab hac votorum obligatione,si fieri posset. Hi sunt quinque mortificationis gradus magis præcipui, & proprij vitæ Religiosæ : carni quidem amari sed spiritui dulces valdè , ac vtiles. Quorum causa iure optimo vita religiosa comparatur excelso monti myrrhæ, in quo sponsus cœlestis habet

liber

libenter, qui dixit, a *vadam ad montem myrrhæ*. Erat mons hic multis arboribus situs, de quibus ait Plinius, quòd crescerent vsque ad quinque cubitos in altum, & vndique myrrhæ liquorem stillarent: sed quando aliquo modo pungebantur, copiosiùs inde liquor flueret. Quid autem aliud est sacra Religio, nisi mons quidam myrrhæ: cuius filij, tanquam, arbores sunt in ea plantati ex speciali Dei vocatione, vt continuè exercitia proferant mortificationis, ipsius status propria in quinque prædictis gradibus? Et quando punguntur & læduntur, proferunt mortificationes feruentiores, ac copiosiores. Nec desunt in ipso monte multi, qui arbores ipsas pungant; præbentque Religiosis occasionem seipsos magis seriò mortificandi. Nam & Dæmones horrendis suis tentationibus, & sæculares persecutionibus, falsisque blandimentis eos pungunt; prælati dura ac difficilia iniungentes; aut, quæ ipsis valde placent, prohibentes: vt propriam illorum voluntatem fleant; socij etiam pungunt oneribus, quæ portant: necesse est enim alterum alterius onera portare; & molestias mutuas alios ab alijs ferre. Pungit eos denique ipsemet Deus, ascendens ad montem myrrhæ; nunc ad visitãdos & consolandos mortificatos, & afflictos: ne animum abijciant; nunc ad pungendas arbores, nouasq; mortificationis occasiones præbens; tũ morbis ac doloribus corporis, tum aridi tatibus ac desolationibus spiritûs. Quibus omnibus punctu ris simul, sculpitur in anima perfecta Christi imitatio, perfectáque executio voluntatis Diuinæ, omniumque virtutum excellentia; ac discitur spiritualis circumcisionis scientia, quæ magis perfectorum est propria. Siquidem non vacat mysterio, quod statim atq; Deus Abrahamo dixit: *ambula corã me, & esto perfectus*: præcepit, vt *circumcideret seipsum, & omnes domesticos*. Quæ circumcisio non erat alicuius partis humani corporis superfluæ, vt cùm vngues, aut capilli abscinduntur, cùm multum excreuerint: id quod fit absque dolore; sed facienda erat vulnerando ipsum corpus, & abscindendo aliquam eius partem; quæ superflua non erat, nec sine dolore ac pudore poterat circumcidi. Et nihilominus ipso die, quo Deus id iussit, Abraham est illud executus, in seipso, & in omnibus suis domesticis, Vnde discamus; eos, qui verè ambulant coram Deo, voluntáque esse perfecti, statim agere debere de circumcisione suijpsorum, omniumque suarum potentiarum, ac sensuum: non solùm quoad superflua, in quibus abscindendis non est magna difficultas: sed etiã quoad ea, quæ corpori & cordi ipsi valde adhærent: ita vt dolorem & pudorem tollerent, qui in huiusmodi mortificatione percipitur. Nec tamen propter ea quasi saturi iam cessare debent, sed tanquam sitientes in eadem per omnes suos gradus pergere; magnaque promptitudine offerre sese, ad vitam, si opus erit, in monte myrrhæ perdendam potiùs, quàm fugere ex inertia aut ignauia. Sed quoniam

a *Cant.* 4. 6 *Lib.* 12. c. 14 *Duce ipsis Tract.* 4. c. 3 §. 2.

b *Gen.* 17. 10 23.

ascensus in ipsum montem, & in eo mansio valdè est difficilis: voluit Spiritus sanctus duobus illustrissimis exemplis animum nobis addere, quæ insinuantur (vt multi graues authores aduertunt) vocabulo Hebræo, quo mas myrrhæ significatur: scilicet *Mor*, quasi in memoriam nobis reuocet montem *Moria*: in quo Abraham & Isaac insignes illos mortificationis, & obedientiæ actus exercuerunt: offerente se patre ad proprium filium sacrificandum; filio autem, vt à patre sacrificaretur: quamuis ipsum sacrificium non sit subsecutum, eò quòd Deus ipse fuit contentus efficaci mortificationis vtriusque proposito. Ad latus autem eiusdem montis erat mons Caluariæ in quo postea Christus Dominus noster mortificationem & obedientiam suam heroicè magis exercuit; permittens, se re ipsa in cruce sacrificari per manus crudelissimorum carnificum. Intelligat igitur Religiosus: quòd ascendere in montem myrrhæ, & agere de mortificatione: sit ascendere in montem *Moria*, in quo offerre debeat vitam suam Deo, cum firmo animo mortificãdi ac negandi seipsum in rebus omnibus, quæ ipse iusserit, etiam si mors sit inde secutura. Et quemadmodum Isaac seipsum reliquit ac tradidit manibus parentis sui Abrahæ: ita ipse tradere se debet manibus patris sui spiritualis: vt ipsum mortificet, exerceatque vt viderit ipsi magis expedire ad bonum animæ suæ; vt in præcedenti tractatu diximus. Et quando subditus sitit circumcisionem, & esurit mortificationem, vt sui status perfectionem assequatur: tenetur Prælatus & Magister huiusmodi voto studia fouere ac iuuare. Esset{que} crudelitas, (vt dicebat quidam S. Abbas) non præbere cibum huic esurienti; & potũ sitienti: exponendo illum occasionibus augendi sua merita, & virtutes. Ne vereatur pater obedire Deo, & mortificet filium; non enim ille morietur, sed aries. Et subditus ipse manebit in carne quidem mortificatus, sed in spiritu viuus; & cum tanto profectu, vt sit risus, lætitia, & corona patris sui; & omniũ, qui eiusdẽ sunt status.

Vide Martinum Delrio in c. 4. Cant.

Climacus gradu 4.

Mortificationis insignis exemplum Christus.

SED transeamus iam ab Abrahamo ad illustrius mortificationis exemplum, quod habemus in IESV CHRISTO Domino nostro, Ecclesiæ capite: qui tota vita sua fuit mons quidam Carmeli, ab ipsa infantiæ cunabula sensum experimentalem spiritualis circumcisionis sentiam, cum vehementi eius siti: donec tandem ascendit ad *montem myrrhæ, & Moria*, qui erat Caluarius, vbi ligno crucis clauis confixus fuit, & in quinque corporis partibus grauiter punctus, ex quibus copiosissima mortificationis myrrha effluxit, & quinque prædictos gradus cum tanta siti exercuit: vt adhuc moriens dixerit verbum illud: *sitio*: non tam significans sitim aquæ, quam sitim ac desiderium maioris mortificationis & afflictionis pro nostra redemptione. Quod totum direxit ad exemplum quidem omnium Christianorum; sed præcipuè Religiosorum. Sæculares enim exemplar suæ mor-

cIoan. 19. 28.

cationis

cationis præcipuè accipiunt Christum Dominum nostrum gestantem crucem in humeris suis, ipsi verò cum cruce sua sequuntur, sicut Simeon ille Cyrenensis: amplectuntur enim Euangelicam perfectionem, eamque cum amore humeris suis imponunt, mortificantes se in omnibus rebus ad seruanda eius præcepta necessarijs; & sese promptos ostendentes, ad maiorem illam mortificationem subeundam, si eis iniungatur. At Religiosi pro suo exemplari accipiunt eundem Saluatorem, quatenus cruci affixum; & seipsos, perfectionis Euangelicæ cruci tribus votorum clauis configunt: obligantes se ad omnem mortificationem eis annexam vsque ad ipsam mortem, si opus fuerit, pro illorum custodia subeundam, dicentes cum Apostolo: *d Christo confixus sum cruci, c per quem crucifixus sum mundo.*

d Gala. 2. 19
c Cap. 6. 14.

§. 2. *Varie rationes ad sitim, ac desideria mortificationis excitanda.*

EX Iis quæ dicta sunt deducere licet efficaces aliquas rationes, quibus ad magnam mortificationis sitim, quæ plurimùm nostra refert, excitemur & impellamur: ponentes in primo loco primorum nostrorum progenitorum exempla, quæ iam adferebamus: quibus vsus est Isaias Propheta dicens: a *Audite me, qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde excisi estis; & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum & ad Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.* Qui sunt (ait S. Hieronymus) qui valde excellenter, *quod iustum est*, sequuntur, & *Dominum, quærunt*: nisi Apostoli, & qui illos imitantur: quales sunt Religiosi? Quorum Professio est, quærere, non quod est delectabile, honorificum, & vtile corpori; sed quod sanctum est, & perfectum; & cum ea intentione, vt quærant & placeant soli Deo. Et quæ (inquit) est petra, & cauerna, vnde omnes procedunt: nisi Christus ipse crucifixus? Ex cuius vulneribus pedum, manuum, & lateris orta est Ecclesia, sicut Eua ex costa Adami. Ac proinde ipsæ quoque Religiones, earumq; familiæ ex eisdem vulneribus prodierunt: quas Propheta exhortatur, vt oculos suos conijciant in primum hunc suum patrem; & stupendas virtutes, quas in cruce exercuit: vt in hoc exemplari modũ & rationem videant, qua, *quod iustum est*, sequantur, Deumque quærant, donec inueniant, etiamsi vitam propriam exponere opus sit, ne eius seruitio desint. Ibi scientiam discent circumcisionis, ac nuditatis, quam docet vniuersum mundum: vt glorientur sicut Apostolus: b *se non scire aliquid, nisi Iesum Christum crucifixum*: imprimentes cordi suo signa eius vulnerum, & operum egregiorum: quæ illustri adeò mortificatione in exemplum nostrum edidit. Cùm igitur Seruatori nostro tanti constiterit, generare nos in esse filiorum suorum: non magnum erit, quod nos eum imitemur,

a Isai. 51. 1.

Ibid.

b 1. Cor. 2. 2.

patientes tales ærumnas & mortificationes. Ad quod vt efficacius nos moueat, habet versio LXX. Interpretum: *Attendite in robustam petram, quam exscidistis; & in foueam laci, quam fodistis.* quasi dixerit: cogitate, quod vos ipsi peccatis vestris confixisti & aperuistis manus, pedes & latus vitæ boni Petræ: vos causa fuistis eius vulnerum, & vt Diuina hæc arbor pungeretur, vt myrrham adeò pretiosam proferret. Quare non multum faciet, si vos ipsos mortificetis, & pungi vos patiamini, magnaque siti cupiatis mortificari: vt *quod iustum est* sequi possitis.

2. ATTENDITE etiam (ait Isaias) ad Abraham patrem vestrum; quia *unum vocaui eum, & benedixi, & multiplicaui eum.* cùm enim eum vocaui, vnus, solus, ac sterilis erat, absque vlla spe procreandi filios: cùm autem benedixi, c *multiplicatum est semen eius sicut stellæ cæli, & velut arena, quæ est in* c Gen. 22. 17 *tore maris* · & meruit appellari d *Pater omnium credentium.* Quod si nolu- d Hab. 4. 11. vultis, quibus vijs eum deduxerim: scitote omnes: fuisse ratæ mortificationis in rebus, quas maximè diligebat, & plurimi faciebat. Et quoniam in obediendo, & se mortificando fuit fidelis, promeruit meam benedictionem & suam multiplicationem. Eandem viam tenuerunt reliqui Patres antiqui legis; & qui plus in sanctitate profecerunt, fuerunt quoq; in mortificatione insigniores. Æquum igitur est, vt qui in lege noua viuimus, viam sequamur à tanta antiquitate Canonizatam, & in tanto honore habitam: quam Christus Dominus noster non abrogauit, sed potiùs in suo Euangelio approbauit; & suis Apostolis ac discipulis commendauit, qui antiquis Patribus successerunt: adeoque viam mortificationis coluerunt & promouerunt vt Apostolus dixerit: e *Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostenderit,* e 1. Cor. 4. 9 *quasi mortis destinatos*: quorum vita, esset continua quædã mortificatio: quibus quòd sint Ecclesiæ capita, aptè conuenit, esse sicut mons carmeli, sapientia in circumcisione spirituali, & eiusdem valde sitientes; & arbores plantatæ in cacumine montis myrrhæ prope suum Magistrũ, varijs ex partibus pressos & excorticatos: vt mortificatio esset magis copiosa. Post Apostolos

3. ijcere debemus oculos in sacros Religionũ Fundatores: qui per viam mortificationis eò peruenerunt, vt capita essent illustriũ suarum familiarum. Magistri scientiæ circumcisionis, quã profitentur, qui in eis viuunt. Et cuiq; eorũ aptari potest, quod Propheta dixit, quòd *cùm esset solus eum vocasset, eiq; benedixisset & multiplicasset.* Nam cùm S. Benedictus, aut S. Ignatius erat ex se quidem sterilis, nihil cogitans, quod posset filios habere spirituales, qui ipsum sequerentur: tunc inquam speciali vocatione eum vocauit, & quasi lapidem fundamentalem suæ familiæ elegit, cælando eum variis

4. ctibus mortificationum valde amararum & pœnalium. Et hac via benedixit ei, multiplicans dona cœlestia: fecitque eum patrem innumerabi-

filiorum, in suis oculis paruulorum, sicut arenæ maris; & splendentium in sanctitate quasi stellæ cœli Quibus dicit. *Attendite ad Patrem vestrum Abraham & ambulate per viam eius*; & mortificationem exercete quã ille exercuit: ostendentes vos in vestris operibus, filios talis patris: iuxta illud quod Christus Dominus dixit Pharisæis. f *si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Quod si filij estis Sancti Dominici, aut Sancti Francisci, aut Sancti Ignatij: facite Patrum vestrorum opera: vt illi glorientur, vos habere filios; iamque familiam perpetuò continuari in vobis, cum ingenti gloria.

f Ioan. 2. 39.

Gen. 30 37. S. Greg. 21. Moral. c. 1.

Svfficientia sunt exemplа, quæ insinuauimus: vt ad eorum similitudinem sitis mortificationis excitetur. Si enim virgæ decorticatæ, quas oues Iacob aspiciebant positas in canalibus, in quibus greges bibebant: sufficiebant, vt conciperent agnos virgis ipsis similes, cur non sufficient exempla tot Sanctorum manentium in monte myrrhæ, tanquam arbores decorticatæ, effundentes ex se copiosam mortificationem; vt Religiosi, qui illos aspiciunt, concipiant proposita valde efficacia, vt eis fiant similes?

5.

Veniamvs iam ad alias rationes, quæ viros Sanctos, ad hanc sitim sese mortificandi, impulerunt: quia videlicet studium illud Deo valde placebat; imò & illis commendabat, imponens quædam, quæ non poterant absq; insigni mortificatione executioni mandari. Cum autem illi Deum valde diligerent; eique placendi magna siti laborarent, consequenter mortificationis sitim magnam habebant: scientes, illam esse Deo valde gratam: g *fortis* enim *est, vt mors, dilectio.* Quam fortitudinem ostendit, dum conatur in seipso mactare, & extinguere quicquid dilecto suo displicet: vt sic magis ei placeat.

g Cant. 8. 6

8.

h Mat. 5. 6

Hvc accedit, quòd mortificatio sit vnicum medium sanctitatis, vt dictũ est, obtinendæ. Quare si h *Beati* sunt, *qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam saturabuntur*: et am beati erunt, qui esuriunt, & sitiunt mortificationem, tãquam medium ad iustitiam consequendam valde accommodatum. Et cum iustitia cuique det, quod debet: quid magis quisque debet, quàm seipsum mortificare? siquidem ob sua peccata meritus est quiduis, etiam amarissimam: mortificatione autem, sese ab eis expedit. i *Debitores* inquit Apostolus, *sumus non carni, vt secundũ carnem viuamus. si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Ex quo alia efficacior desumitur ratio: mortificatio enim ita est medium ad vitam; vt eius defectus sit causa mortis. Qui bene mortificatus est, viuit: quia nihil timet, nihil ei adfert molestiam: ac de eo intelligitur illud Sapientis: k *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit*: mortificatione enim radices euulsit tristitiæ, propriam scilicet voluntatem & amorem: Et, cùm sibi mortuus est, vnit Deo: in quo eius vita abscondita est cum ingenti lætitia. Immortificatus

i Rom. 8. 12.

7.

k Pro. 12. 21.

catus autem semper moritur: quia semper est plenus timore, ac dolore. Cumque nunquam desint multi ipsum pungentes: per huiusmodi puncturas non myrrha mortificationis, sed impatientiæ & rabiei cuiusdam fel prodit. Quemadmodum improbo illi latroni euenit: qui in Caluario monte erat cum Christo crucifixus: cui crux nihil profuit, eò quòd non adiecerit ei internam suijpsius mortificationem. Quod quia bonus latro fecerat, adeò fuit mortificatione illa expurgatus, vt statim post mortem transierit ex cruce ad paradisum.

8. IBI orauit ille, & fuit exauditus: mortificatio enim orationem reddit dignam, quæ exaudiatur. Nec sine causa in monte MORIA ædificatum fuit templum Ierusalem, quæ erat domus orationis: nam cor mortificatum, est templum, ad quod spiritus se recipit, vt sine impedimento oret: & tunc eius oratio ascendit in cœlum. Iuxta montem *Myrrhæ* est etiam l *collis thuris*: quorum alter transitus est ad alterum. Quare si sitis orare, sitias quoq; teipsum mortificare: ascende anxius ad montem mortificationis, & statim deprehendes te constitutum in colle orationis.

l Can. 4. 6.

9. VALDE quoque iuuat mortificatio bonam Religiosi, eiusque Religionis opinionem. Quæ opinio valde læditur ex publico mortificationis defectu: quia prodit vitam imperfectam, sæculari similem. Hoc insinuans scriptura Diuina, cùm refert: Deum iussisse Iosue circumcidere filios Israël in ingressu terræ promissionis, postquam enim populus exiuerat ex Ægypto non fuerat circumcisus. Factâ autem iuxta verbum Domini circumcisione, dixit ad Iosue: m *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis.* Erat enim ignominia populi Israël, habere ptæputia, sicut Ægyptij. Hunc igitur modum ignominia est & pudor Religiosis, ingressis iam in terram promissionis spiritualis, non mortificasse excessus, quos in mundo habebant. Et ita viuere immortificatos, sicut sæculares. Quo die autem seriò & ex animo se mortificarunt: abstuleruntà se opprobrium sæculi; & quicquid occasio esse potest contemptus inter homines. Quamobrem omnes illæ mutationes, quibus permoti sunt; vt, mundo relicto, Religionem ingrederentur: impelli quoque debent ad seriò incumbendum in sui mortificationem: in qua bonum esse Religionis verè consistit: vt ex ijs, quæ in sequentibus capitibus sensim dicemus apparebit.

m *Iosue. 5. 9*

(.·.)

CAPVT

CAPVT III.

Votvm Pavpertatis, Et Pecvliaris *eius excellentia & vtilitas ad religiosam perfectionem obtinendam.*

TRIVM VOTORVM, quæ præcipua sunt instrumenta & media Euangelicæ perfectionis, quam Religiosi quærunt; primum, à quo initium faciemus, est votum PAVPERTATIS: quæ teste Sancto Thoma, est primum Religionis fundamentum. 2.2.q.188.a.3.
Quemadmodum enim Christiana perfectio innititur tribus Theologicis virtutibus, *Fidei*, *Spei*, & *Charitati*: Fides autem est primum reliquarum fundamentum, à quo incipit ipsa perfectio: quamuis non possit in hac vita sine vtraque sorore manere: nam spes comitatur; & charitate, quæ earum est Regina, perficitur: Ita perfectio Religiosa tribus votis innititur, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: quæ tribus his virtutibus respondent. Et quamuis Obedientia, dignitate alias præcedat, nec possit sine alijs duabus socijs conseruari: Paupertas tamen ordine est prima, quæ per totum etiam vitam durare debet, vt perfectio Religiosa conseruetur. Ac proterea primum votum, quod in Professione exprimitur, ordinariè est *Paupertatis*. Quòd si rem hanc remotiùs accipere velimus, in ipso vitæ naturalis initio iacit Deus fundamenta paupertatis; & cum eadem imponit ipsi vitæ finem: vt omnes intelligant, quale futurum sit medium, quod cum suo principio & fine concordet. Quemadmodum rem intellexit Sanctus Iob, cùm repentè se ad tantam paupertatem redactum videret, vt nullum genus bonorum fortunæ ei remanserit. Memor enim natiuitatis & mortis suæ dixit, a *nudus egressus sum de vtero matris meæ; & nudus reuertar illuc.* Quasi 1.
a *Iob.* 1. 21.
diceret: vita mea est quasi iter aut profectio continuata, ab ipsa natiuitate vsq; ad mortem: cum igitur nudus prodierim ex b *ventre matris meæ*, & nudus ingressurus sim in ventrē *communis matris*, sepulchrū scilicet in visceribus terræ: nihil magni est, si etiam nudus in ipso itinere pergam. Hæc ipsa consideratio Iustos permouit, vt bonatemporalia contemnerent; & obstupescerent, quòd aliquos viderent, eis quasi glutino quodam adhærescentes. Et Ecclesiastes contra quendam diuitiarum cupidum dixit: c *sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur.* Et Apostolus maiori adhuc luce illustratus dixit: d *Nihil intulimus in hunc mundum: manifestum quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus*
b *Eccl.* 5. 1
c *Eccl.* 5. 14.
d 1. *Tim.* 6. 7.

tegamur,

tegamur, his contenti sumus. Sed multò adhuc magis consideratio hæc permouebit, si eam adhuc altius extollamus, quemadmodum fecit S. Gregorius Nissenus. Si Deus nudos nos fabricauit in vētre nostræ matris; & inde nos eduxit nudos ad vitam hanc mortalem ducendam; & ipsemet Deus nudos nos ex hoc mundo educit, & ponit in ventre matris nostræ, quæ est terra, vbi sunt corpora quasi in semente, vt suo tempore renascantur & resurgant ad vitam immortalem, redeunte homine ad ipsummet Deum, à quo missus est. Quid ergo mirum, quòd velit Religiosus Deum honorare, dirigendo vitam suam iuxta initium & finem, quem Deus illi assignauit? Et in hac religiosam vitam auspicetur, exuendo se rebus omnibus, emisso voto paupertatis; & pergendo in hac nuditate vsque ad ipsam mortem, in qua nudus coactus eam deseret. Quod si in hac sancta perfectaque nuditate mortuus proueniet suo tempore corpus resuscitatum: quod se constituet in conspectu ipsius Dei Creatoris, vt pretiosa gloriæ suæ veste ipsum induat.

Orat. de dorm. & orat. de 40. Mar.

§. 1. *Quid egerit Christus Dominus noster in fauorem Paupertatis.*

2. SED multò adhuc amplius inducit ad magni faciendam paupertatem quod ipsemet Deus, cùm decreuit fieri homo, voluerit intrare in mundum, & ex eo exire cum hac nuditate & paupertate: sic enim fecit illum valde glorioſam: nam cæteri infantes; Si nudi nascuntur, id fit ex necessitate naturæ: quibus tamen iam natis, parentes, si diuites & potentes sunt, omnem possibilem procurant commoditatem, in habitatione, pannis, cunis aliisque ornamentis; & si nudi etiam redeant ad terram: suas tamen diuitias & commoditates, dum viuunt, seruant: At magnus Deus noster homo factus, cum esset dines, (vt ait Apostolus) *egenus factus est*, & sponte sua nudus & in præsepio alieno, valdeque incommodo nasci, & vile præsepe pro cunis habere, vilibusque pannis tegi voluit. Et in fine vitæ, antequam crucem conscenderet, voluit omnibus suis vestibus exui; & nudus ex hac vita migrare, sicut eam fuerat ingressus: idque totum fecit hoc consilio, vt ait S. Cyprianus, vt hic esset primus noster Religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus; & cum eadem humilitate & paupertate perseueremus, sicut Christus perseuerauit vsque ad finem vitæ.

a 2. Cor. 8. 9

Serm. de Natiuit.

3. HINC quoque prouenit, quòd cùm CHRISTVS DOMINVS aperuit os suum, vt Euangelicæ perfectionis vias doceret, inceperit à paupertate, qua ipsam vitam suam inceperat, dicens: b *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Pauperes Spiritu (vt Sancti Doctores explicant) eos vocat, qui sponte sua eligunt paupertatem, humilitatem, suí abiectionem, quæ illam comitantur. Duo enim esse possunt genera

b Mat. 5. 10 SS. Amb. in c. 6. Luc. Greg. Nis. Hier. Bed. in c. 5. Ma. Basil. Reg. 205. Ber. serm. de Fest. omn. S.

pau-

pauperum in spiritu: alij in corde solùm, & affectu; possidentes interim diuitias cum integra cupiditatis mortificatione, eò quòd non illis adhæreat cor, sed liberaliter potiùs eas distribuat, vbi opus est; & parati sint etiã eisdẽ renunciare, si Deo placeret. Et hac ratione fuerunt pauperes spiritu Abraham, Iacob, & Dauid: & meritò deberent omnes Christiani diuites tales esse, vt suo loco est dictum. At Christus Dominus noster non hìc loquitur de his pauperibus; sed de illis, qui simili voluntari realem & veram paupertatem adiungunt, qualem ipse profitebatur; & mundus non beatitudinem, sed infelicitatem reputabat. Cui vt hanc deceptionem & errorem retegeret, ait: verè pauperes, qui spirituales sunt, & cum perfecta charitate, esse beatos, & incipere frui regno cœlorum. Intendens hac sententia & promissione, diuites stimulare, vt si fieri posset, pauperes, vt hac beatitudine & cœlorum regno frui possent: quemadmodum etiam mites & pacificos, beatos esse dixit; vt eos, qui tales non erant, permoueret ad mansuetudinem & pacem procurandam.

Quod si quis dixerit, paupertatem spiritûs in solo affectu, satis esse ad hoc; vt diuites sint perfectissimi, quales fuerunt Abraham, Iacob, ac Dauid: ideoque satis esse, quòd Christus hoc genus paupertatis tantùm commendet & suadeat: præcipuè cùm insignioris sit virtutis cor habere liberum & expeditum, cum adsunt diuitiæ, quàm dum absunt. Ad quod benè Sanctus Thomas Respondet: quò est gloriosius, habentem diuitias esse pauperem spiritu; eò esse rarius. Et Ecclesiasticus, qui dixit c *beatum esse diuitem, qui inuentus est sine macula: & qui post aurum nõ abiit, nec speranit in pecunia thesauris*: Idem statim subiunxit: *quis est hic & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Qua sententia significat, rarissimum esse, quòd si quis diues, sit adeò perfectus: eò quòd diuitiæ magnam præbeant occasionem, trahantque ad se corda cum periculo amittendi regnum cœlorum. Et hanc ob causam Christus Dominus noster suasit, vt eis renuntaremus: viam enim paupertatis securiorem esse, & Tantò facilius ad cœlorum regnum perducere: quantò est facilius per angustum foramen acûs transire subtile filum, quàm funem nauticum, aut camelum. Mirum omnino est, ait idem Sanctus quòd d *Samson mandibula asini interfecerit mille viros*, ob singulare fortitudinis donum, quod illi Deus contulerat: sed quoniam hoc rarissimum est, suademus militibus, etiam fortissimis; vt de armis proportionatis sibi prospiciant, vt contra hostes suos feliciter pugnent: ita igitur valde stupendum est quod diuites ex singulari Dei fauore, quando ille vult, vitia vincant, ac Dæmones, Sed, cùm hoc sit rarissimum, suadet Saluator ijs, qui volunt victoriam suam reddere securam vt diuitijs renuntient, easque à se abijciant: vt quemadmodum ait Sanctus

4.

Opus de perf. vitæ spirit. c. 7.

c *Eccl.* 31. 8.

d *Iud.* 15. 16.

Hom. 12. *in Euan.*

Gregorius) nudi cõtra nudos Dæmones pugnẽt; & si ituri sunt, e *commentur bellũ aduersùs Regẽ qui cũ viginti millibus venit ad se, renuntient omnibus quæ possident*: hæc enim renunciatio est virtus & arma potẽtissima, ad eos vincẽdos.

c Luc 14. 31.

§.

SED his addamus: si præclarum est, cor à diuitijs, quę possidentur, eximum habere, vt eas distribuãt: multò præclarius esse, ita auulsum ab eis habere, vt simul & semel omnes distribuat, opere ipso veritatem & perfectionem ostendẽs exuti ab eis affectus. Et meritò Apostolus: f *Fideles Macedoniæ* laudat, quod liberaliter distribuerent quæ habebant: eò quòd cor haberent abundè expeditum; & cupiditatem bene mortificatam. Quam mortificationẽ (teste S. Thoma) vocauit Apostolus *altissimam paupertatem*. Quantò igitur altior cẽsenda est paupertas Apostolica, adeò mortificans cupiditatẽ: vt quisquis habet, nihil sibi reseruãs largiatur pauperibus? si virtus magnificentiæ tunc excellit ordinariam liberalitatem, quod multarũ diuitiarum affectũ mortificatur; impellat verò ad sumptuosas faciendas expensas: quàm heroica censenda est Religiosi magnificentia, quæ vno actu adeò sumptuosa omnia, quæ habet, exponit, traditq; pro Christo: & idem faceret etiam si totius mundi haberet diuitias? Et si magnæ misericordiæ est, pauperibus dare reditum omnes ac fructus agrorum suorum: ipsos tantùm retinens fundos, vt plus habeat, quod largiatur: quantò erit maior misericordia dare eisdem etiam ipsos agros & stabilia bona; seque ipsum ad paupertatẽ redigere, vt possit pauperes locupletare? Hoc totum est procul dubio adeò difficile ac rarum, quàm cipuè inter diuites: vt liceat repetere illud Ecclesiastici: *Quis est hic & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua*. Quamuis diuinę vocationis gratia viam hanc reddiderit faciliorem: eò quòd ipsemet noster Saluator exemplo suo nos præcedat, eam eligens tanquam gloriosiorem ac securiorem, & præclarissimum promittit præmium, possessionem regni cœlestis.

f 2. Cor. 8. 2.

Ibi. 2. 2. q. 134. a. 2.

§. 2. *Commoda paupertatis spiritus.*

I.

EX His deducere licet excellentias alias & commoda paupertatis spiritûs in eo regno contenta, quod Deus illi promittit: cuius possessio incipit in hac vita, finitur verò in altera. a *Regnum Dei* in hac vita *est iustitia pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, cum centuplo eius, quod relinquitur: quemadmodum superiùs fuit explicatum. Sed applicando paupertati quæ speciatim illi competit ex hoc regno cœlorum, est aduertendum: Iustitiæ quæ pars est huius regni esse duplicem: alteram generalem, quæ importat fugiendum omne malum; & præstandum quicquid est bonum: ac proinde non est vna virtus: sed omnium coniunctio, quam vocamus sanctitatem, & iustitiam, & pulchritudinem animæ; alteram specialem, quæ vnicuique tribuit quod suum est: Deo enim dat quod est Dei; Cęsari, quod est Cæsaris; & proximo, quod est proximi. Vtraque autem hæc iustitia oritur ab heroica pa-

a Ro. 14. 16. & Tra. 3. c. 10 ac 14. & Tra. 4. c. 9.

pera-

pertate,quam dicimus ſpiritûs:tam enim illa quàm reliquæ ſeptem beatitudines procedunt(vt ait S. Thomas)ab Spiritus Sancti inſpiratione, quæ ſimulat ad eas excellenter exercendas. Et hoc modo eſt veluti fundamentum & radix ſeptem reliquarum.Et(quemadmodum ait Sanctus Ambroſius)eſt mater & genitrix reliquarum virtutum. Sed quomodo eſt earum mater?num quod earum nouercam cupiditatem iugulet?aut quod pecuniæ quæ contrariorum vitiorum eſt eſca,remoueat? Aut, quòd turbationum & anxietatum ſpinas euellat,quę ſementem diuinarum inſpirationum fructus bonorũ operũ producentium ſuffocant? An quòd dignus ſit, ſpiritualia bona recipere,qui temporalia contemnit? An, quòd imminuendo cupiditatẽ, Charitas augeatur,quã reliquę omnes virtutes comitantur? An,quòd illa ſit porta,per quã ipſam Religionẽ ingredimur, in qua oẽs illæ addiſcũtur? Hiſce ſex titulis paupertas eſt mater,quæ eas gignit;nutrix,quę fouet; pædagogus,quæ illas gubernat;protectrix,quæ ſemper defendit; & murus, qui vndique illas ambit ac munit.Si Apoſtolus dicit ,b *radicem omnium malorũ eſſe cupiditatem*:(vt ſuo loco explicuimus)cur paupertatẽ ſpiritûs non vocemus radicem omnium bonorum? nõ ſolũ quod abſcindat maledictam illam radicem,& innumera mala culpæ ac pœnæ;quæ profert.Sed etiã quòd quemadmodã radix arborem, eiuſq; fructus alit, ac nutrit:ita paupertas ſpiritûs, quæ meritis eſt ditiſsima,alit,nutritq; arborem virtutũ;& opera,quæ ab eis promanant.Ac propterea Pater noſter S.Ignatius commendauit nobis, vt paupertatem tanquam matrem diligeremus.Et idem hortatur S.Bonauentura in ſuis Meditationibus.Quid autem eſt illam diligere ſicut matrem:niſi in ea dilectione omnes conditiones eſſe debere,quas perfectus amor boni filij erga bonam ſuam matrem exigit?Dando operam, vt amor ipſe, tener ſit,efficax;& qui magni fiat:nec humanum aliquod commodum quęrens;ac perſeuerans vſq; ad mortem. Tunc autem verus eris pauper ſpiritu; cum, hoc modo tuus ſpiritus dilexerit paupertatem;gaudens pluris q; eam faciẽs quàm diuitias omnes terrenas;& in rebus omnibus illam reuerà quærens, nõ propoſito tibi aliquo alio commodo,aut motiuo:quàm velle ipſum Dominũ imitari qui voluit eſſe pauper,vt ſua paupertate nos locupletaret,ſpectantes de eius liberalitate,quòd quò fuerimus pro eius amore pauperiores in bonis temporalibus;eò faciet nos in ſpiritualibus ditiores. Ex quo fit,vt quemadmodum mundi huius diuitiæ ſecum adferunt honorem, & gloriam,ſaturitatem ac delitias,& facultatem ad omnia illa comparanda,quæ pecuniæ obediunt: ita, qui amore Christi eas contemnit, comparat ſibi diuitias ſpiritûs,cum centuplo maiori gloria, ſaturitate, delitijs,ac potentia. Orationi enim pauperisqui ſuam fiduciam in Deo collocauit,obediunt omnia promptiùs,quàm pecuniæ; deſcendnntque de cælo ingentes

1.2.q.69.a.2

Li.3,in Luc.

S.Aug.l.83. qq.q.36.

b 1.Ti.c.10 Tp 2.tract. 2.c 9

Conſt p.3.c. 1.§.25.In Med.c.44.

c 2.Cor.8.9.

2.

gratiæ,ac dona ad eius animam exornandam, ac ditandam. ô felicem vo-
Homil. 47 in Matthæ. luntarij pauperis animam! quæ (vt ait S. Chrysostomus) elucet sicut aurum,
splendet sicut gemmæ, floret sicut rosæ; tota pulchra est, elegans & gratiosa.
" Non timet Dæmones, quia in ea non inueniunt, vnde illam arripiant; comes
" Deo semper assistit: nunquam enim ei occluditur porta; nec sicut homines
" viuit, sed sicut Angeli, non indiget seruis, aut mancipijs: nam eius mancipia
" sunt passiones, & cogitationes, quæ regnis omnibus dominatur; non habet
" thesauros terrenos, sed cælestes: ad quos non accedit tinea, nec fur, nec ar-
" xia huius vitæ solicitudo. Nec solùm tres aut triginta cistas habet, quia non
" caperent eius diuitias: sed tantam habet copiam, vt mundum vniuersum ni-
Hom. vlt. in Matthæum. hili faciat: & quicquid in terra est, ipsi sunt ludibria puerorum, & rotę ap-
lã. quicquid enim tale est, in eius opinione neque esse quidem, multò min
constantiã, aut pretium, & valorẽ vllum habet. Quod si tibi optio daretur
" regna vel principatus terrenos, cù omnibus mũdi thesauris ac delitijs; sanc
" sanctam paupertatem eligeres: verè tibi dico: quòd confestim hanc rapere
" si tamen cognouisses eius pulchritudinem. Propterea S. Petrus Apostolus
d *Act. 3. 6.* de ea gloriabatur, cùm claudo dixit: d *argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi, surge & ambula.* Quis verba
" optet huiusmodi verbum proferre? Contemne igitur aurum & argentum
" quod in tua est potestate; & quamuis non possis dicere claudo; surge: non
" propterea desines esse beatus, sicut ipse Apostolus: cuius felicitas non in
" fuit posita, quòd claudos sanauerit; sed quòd omnia reliquerit, vt Christum
" sequererur. Qui non dixit eis: qui miracula ediderit, centuplũ accipiet, &
" tam æternam possidebit, sed: qui *omnia reliquerit* amore mei: quare ita
" ciet Sancto Petro similem: hoc enim opus est Apostolicum; in quo debes
" postolos imitari, vt præmium consequaris illis promissum & oblatũ. Quo
" si Deus liberum tibi faceret, vt fænum posses in aurum conuertere; aut
" rum contemnere sicut fænum; hoc secundum deberes eligere. nam pro
" inanem te fortè faceret, & cupidum: secundum autem, sanctum reddit
" glorioſum. Hæc in substantia Sanctus Chrysostomus.

3. SED vlteriùs progreditur sancti huius eloquentia in extollenda hu
bus paupertate, dum respondet obiectioni sæculariũ, eandem horrenti
quòd eam videant miserijs ac doloribus refertam, ob dolorem rerum
poralium. Quos, vt à tali deceptione educat, paupertatem ipsam confe
c *Dan. 3. 20* e *fornace* illa Babylonica, in quam *coniecti fuerunt tres illi pueri*, eò quòd
illam auream noluerint adorare, quę idolũ significat & cupiditatem
rum, & honorũ huius sæculi. Deueniamus, inquit, ad fornacem pauper
Hom. 4. in Matth. Vide etiam S. Bonau. in & aspiciamus ambulantes in igne cum magna securitate; calcantes
colla, qui pecunijs confidunt: videbimus rem quandam nouam & stupe

hominem cantantem in fornace, Deoque gratias agentem in medio ignis ligatum, qui in extrema paupertate non cessat à diuinis laudibus: quemadmodum tres illi pueri. Potius vincula eius soluuntur, & flamma extinguitur; aut si non extinguitur, maiori certè prodigio ignis induit naturam fontis, & eoris officio fungitur: vt apparet in ijs, qui Euangelicam perfectionem sectantur. Hi enim magis exultant in sua paupertate, quàm diuites in suis diuitijs. Quis autem ros iucundior esse potest, quàm tali cupiditate nõ comburi? Quemadmodum autem illi pueri, Regis mandatum contemnentes, fuerunt ipsomet Rege glorioſiores ac celebriores: ita, si tu ex corde despicias huius mundi diuitias: eris toto mundo pretioſior, ac celebrior: sicut illi sancti, f *quibus dignus non erat mundus*. Si itaq; bonis cœlestibus dignus esse vis: contemnas bona præsentia: sic enim fiet, vt hic magnis virtutibus splendeas, & postea ingentibus præmijs afficiaris. Hæc S. Chrysostomus: cuius comparatio valde affinis est sententiæ illi, quam Deus per Isaiam populo suo dixit: g *Elegi te in camino paupertatis*. Quemadmodum enim ex camino ignis prodeunt metalla puriora, & tres pueri prodierunt glorioſiores & splendidiores: ita iusti ex camino paupertatis prodeunt puriores, & in virtutibus omnibus splendidiores: & in ipsa miseria ingens sentientes gaudium; quia etiam in ipsa recipiunt centuplum.

tra de paupertate Christi.

f *Hebr.* 11. 38

g *Isa.* 4. 8. 10

Denique, qui tantam habet cordis fortitudinem, vt res omnes amore Christi contemnat, transeatque per ignem paupertatis, gaudens ex ijs, quæ in ea patitur: is aliam magnanimitatem adeò excelsam consequitur, vt omnibus mũdi Monarchis superior euadat. Quam magnanimitatẽ verbo explicauit Apostolus, dicens: g *Nihil habentes & omnia possidentes*. Quæ sententię sibi repugnare sibi inuicem videantur: quàm tamen prior clara est & aperta; tam secunda est firma ac certa; ob multos titulos, quibus illa innititur. *Primus* est: eò quòd non iudicet, veras esse terrenas h *diuitias*, sed *fallaces* & mendaces: siquidem eas ita Christus Dominus noster appellauit; vt aduertit sanctus Gregorius; ideoque generoso corde nõ pluris eas facit, quã cloacæ alicuius sordes, & i *stercora*; neque etiamsi desint, pauperem se existimat: modò spirituales habeat diuitias, quæ verè sunt diuitiæ; quarum tantùm possessione, cum omni veritate dicit, se res omnes possidere. *Secundus* titulus est, eò quòd, rebus omnibus relictis, idem solatium & animi quietem sentiat: quam eas possidendo habuisset, imò centuplo maiorem, vt supra fuit dictum. Cùm igitur homines non rerum, quas habent, possessione lætentur; sed voluptate, qua ex ea possessione afficiuntur: (nam si eas odissent, statim vellent eas abijcere) planè efficitur eum omnia possidere, qui eadem afficitur oblectatione, quæ ex earum possessione oriretur. *Tertius* titulus, & quidem efficacior, est: eò quòd omnia, quæ deserit, inuenit ac possidet

4.

g 2. *Co.* 6. 10

h *Mat.* 13. 22

Homil. 5. *in Euangel.*

i *Phil.* 3. 8.

sidet multò excellentiùs in soloDeo, qui est ipsi omnia in omnibus. Semper (vt ait S. Laurentius Iustinianus) tuta est paupertas Christiana: quia ei est concessum, vt in rerum vniuersarum Domino omnes possideat. Christus (ait S. Hieronymus) est res omnes: ac proinde, qui eas deserit pro Christo, omnes in eo inuenit. Et sufficienter diues est, qui est cum Christo pauper. Et S. Thomas ait: qui sunt Christi, res eius pro suis habent. &, cùm Christus habeat & possideat omnes: ideò & ipsi eas in Christo possidẽt. *Quartus* titulus est: quòd (vt ait S. Bernardus) res omnes huius mundi ipsi sunt vsui, & ad eius vtilitatem faciunt, iuxta illud Apostoli: c *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Homines huius mundi, cùm diuitias possident, sunt mendici: at spiritu pauperes, easdem contemnentes sunt Domini; nec illis desit quicquam ex necessarijs ad vitam ducendam: eò quòd omnes suas curas in paternam Dei prouidentiam coniecerint, Qui (vt ait S. Chrysost.) in se recepit, sternere illis quotidie mẽsam, & ex proprijs diuitijs, granarijs, & cellaris iustam portionem ad eorum alimentum præscribit. *Respicite* (ait Saluator noster) l *volatilia, cœli: quoniam non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.* Et quæ ista sunt volatilia cœli, ait S. Aug. nisi pauperes spiritu? qui deponentes graue rerum terrenarum pondus, volant ad cœlestes. Hos alit Deus D. N. non minori cum prouidentia, quàm volatilia campi. Nam quemadmodum agricolæ, qui terram colunt, seminant, & frumenta colligunt: quamuis præcipuè pro seipsis laborent: etiam volatilia participant de eorum labore; ita laborum hominum sæcularium in diuitijs acquirendis participes fiunt pauperes sine proprio labore: ita disponente prouidentia diuina: vt illi sustentẽtur. Nec propterea laborãtibus sunt onerosi, sed vtiles valde: plura enim illis dant, quàm ab eis accipiant, iuxta illud Apostoli: m *quasi egentes, multos autem locupletantes:* nõ solùm quòd spirituales gratiæ ac virtutum diuitias eis communicemus: sed etiam quòd interuentu & respectu nostri, & ob temporale bonum, quod nobis impertiunt, Deus illos propter orationes nostras, tum bonis tẽporalibus ditat, tum à magnis liberat miserijs. Ex quo apparet, quàm meritò dixerit Salomon: n *Est qui diues, cùm nihil habeat; & est quasi pauper, cùm in multis diuitus sit.* Nam perfectus Religiosus, cũ nihil tẽporaliũ habeat diues est in spiritualibus; & dum huius sæculi est tanquã pauper: quia nõ est suis diuitijs contẽtus, neq; illarum nouit: & maius illi adfert tormentum propria cupiditas eius, quod ipsi deest, quàm solatium & quietem possessio eius, quod habet. Quemadmodum enim felicior est, qui non sitit: etiamsi aqua illi desit, quàm hydropicus, qui graui premitur siti, etiamsi copiam habeat aquæ: eò quòd non satietur etiamsi plurimum bibat: ita est felicior pauper, nihil desiderans, dempte plura semper cupiente: cuius cupiditas nunquam satietur.

In ligno vitæ tract. de pauper. c 2 Epist. ad Pamach. in Regul. c. de Paup. lect. 2. in 2. Cor. c. 6 Serm. 21 in Cant.

k *Rom. 8. 28 Clim. grad. 17.*

l *Mat. 6. 26.*

Apud S. Bonau. tract. de Pan Christi.

m *2. Co. 6. 10*

n *Pro. 13. 7.*

CAPVT

CAPVT IV.

ALIA PRÆMIA ET FAVORES *Paupertatis spiritûs.*

ALIOS MAGNOS fauores exhibuit Deus D.N. pauperibus ſpiritûs, qui continentur in illa ſolenni promiſſione, quam fecit Apoſtolis ſuis; reſpondens ad interrogationem à ſancto Petro propoſitam: a *Amen* (inquit) *dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ: ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* In quibus verbis duplicem poſſumus agnoſcere promiſſionem. quarũ altera, & quidẽ præcipua, implebitur in regeneratione ſiue renouatione vltima, Reſurrectione ſcilicet generali, cùm totus mundus renouabitur, & homines ſecunda generatione reuiuiſcent. Tunc Chriſtus D.N ſedens in throno Maieſtatis ſuæ, eſt omnes homines iudicaturus: cum quo, tanquam aſſeſſores, Apoſtoli eum in hoc iudicio comitabuntur; condemnantes (vt ait S Hieronymus) Tribus Iſraël; quæ non crediderunt in Chriſtũ, ſicut ipſi. Sed hoc (vt S. Chryſoſtomus perpendit) non ſolùm generali illo modo fiet, quo dixit ipſe Chriſtus: b *Viri Niniuitæ, & Regina Auſtri ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam* exemplo ſuo: ſed modo quodam ſpeciali, valdeque honorifico, qui ſignificatur per *ſeſſionem in ſedibus*, comitantes ipſum Iudicem, vt ſcribitur in Apocalypſi, tãquam Iudices Aſſeſſores. Quod ampliùs explicant S. Thomas & Richardus de ſancto Victore dicentes: eos qui Chriſto aſſidebunt facturos tunc aliquem actum ſpectantem ad iudicium, aut examen hominum, & manifeſtationem conſcientiarum, aut ad ſententiæ approbationem; aut aliquo alio modo ſoli ipſi Domino noto; qui ſpecialem huiuſmodi fauorem eis promiſit. Sancti tamẽ Patres communiter aſſerunt: quamuis Chriſtus Dominus noſter promiſſionem hanc duodecim Apoſtolis fecerit: eam tamen non ſolùm de illis duodecim eſſe intelligendam; ſed vniuerſim de omnibus pauperibus ſpiritûs qui, rebus omnibus renunciantes Euangelicam ſectantur perfectionem, Chriſtum ſequentes & imitantes, ſicut Apoſtoli fecerunt. Hos omnes, ait S. Auguſtinus, comprehendi ſub illo numero duodenario, qui eſt numerus perfectionis: quemadmodum nomine duodecim tribuum comprehenduntur vniuerſim quicunque ſunt iudicandi. Quod etiam confirmat S. Gregorius, diſtinguens duos ordines peccatorum, & duos iuſtorũ compatituros in iudicio. Nam infideles compatituros non, vt examinentur; ſed, vt damnentur, iuxta ſententiam Saluatoris

dicentis

a *Mat. 9. 28*

Ibid. Homil. 65 in Matth.

b *Mat. 12. 41 Apoc 4. 4. & c. 20. 4 In 4 d. 47. q 1. a. 2. Tria de Iudicial Poteſt. Vide Suarez Tom. 2. in 3. p. Diſp. 57. Sect. 4. Lib. 10. de Ciu. c. 5. & in Pſa. 49 & 86. S. Bern in id Ecce, nos reliqui mus omnia & ſerm. in Pſal Qui habitat Lib 16. moc. 20. & lib. 10 c. 17. S. Aug ſer. 23 de Sanct.*

dicentis:b *qui non credit in nomine vnigeniti Filij Dei,iã iudicatus est*:satis enim constabit de iusta causa condemnationis: quòd non voluerint Fidem & legem Euangelicam acceptare. Peccatores autem Christiani comparebunt vt iuxta legem Christianam,quam sunt professi, examinentur,&, quòd non seruauerint,condemnentur. Eum in modum quo Reges procedunt contra suos subditos,iudicantes eos secundùm leges regni sui: contra suos tamen hostes armis tantùm agunt:vt illos tanquam rebelles consumant,ac dispendant. Eundem in modum sunt duo genera iustorum: alij qui vitam tantùm quandam ordinariam vixerunt, contenti seruare præcepta legis Dei, quamuis cum aliquibus defectibus: & hi in iudicio examinabuntur, & iuxta sua merita iudicabuntur:alij iusti adeò sunt excellentes, ac perfecti; vt non solùm præcepta custodiuerint; sed etiam consilia fuerint amplexati, renuntiantes omnibus rebus, vt Christum perfectè sequerentur. Quorum causa adeò erit iustificata,& approbata: vt quamuis sententia sit pro ipsis ferenda, habituri tamen sint honorem Assessorum Iudicum in sedibus suis, iuxta illud,quod scriptum est:c *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius*:d *& iudicium pauperibus tribuit*. Quare excellentia hæc conditur in modum coronæ,siue Laureolæ pauperibus spiritûs: non quòd illa sola sufficiat, nisi Euangelicæ perfectioni prædictæ sit associata: sed (vt S. Thomas ait)quòd illa disponat ad hanc perfectionem, & ad iudicis officium,expediens eos à rebus illis,quæ Iustitiam inflectunt. Si tamen Religiosus adeò fuerit ignauus, vt super adeò præstans paupertatis fundamentum vitam exstrueret imperfectam, generosáque sua Professione indignam: ad fruetur eo fauore,iuxta sententiam sanctorum, qui eum solis perfectis attribuunt. Quod tamen non dicitur hìc vt pusillanimes animum abijciant; sed ad pigros ac tepidos exstimulandos, ne præmijs adeò excelsis priuentur.

Ex hoc deducere licet alium fauorem,quem Christus Dominus nobis exhibet pauperibus spiritûs,ipsum in regeneratione sequentibus:quæ vt S. Hilarius ait (est tempus legis nouæ, in qua per Baptismum renouantur & regenerantur homines iterum in esse gratiæ. Quæ lex cœpit promulgari quando Christus Dominus noster in cœlum ascendit, sedítque in sede Maiestatis suæ,relinquẽs in terra duodecim suos Apostolos,in sedibus ac thronis Ecclesiæ suæ,cum authoritate remittendi peccata; & vt essent iudices, Prædicatores,& omnium hominum Magistri. Voluit autem, eos esse pauperes spiritu:eò quòd paupertas voluntaria & rerum omnium temporalium contemptus, esset admirabilis dispositio ad prædicationem Euangelicam & ad ministeria, quæ illa iniungit, cum perfectione obeunda. Quibus enim prædicandum ituris prohibuit e *possidere aurum & argentum*, vt eorum prædicatio (vt ait S. Hieronymus) non tribueretur cupiditati diuitiarum, sed

b *Ioan.3.18.*

c *Isai 3.14.*
d *Iob. 36. 6*

Supra.

Vide Suarez supra.

Canone 20. in Matth: S. 2 hom. in Catena tribuit hãc Expos. Imperfecto Homil. 33. in Matt.

e *Mat 10.9. Ibid.*

a sed

adeò exacta paupertate maior de eorum doctrina opinio conciperetur. Nam (vt Sanctus Chrysostomus perpendit) Apostoli non tam in mundo illenduerunt miraculis & prodigijs editis, quàm diuitiarum, & mundanorum honorum contemptu, suisque præclaris virtutibus. Nisi enim his fuissent ornati, etiamsi decem millia mortuorum resuscitassent, iudicati fuissent deceptores, aut Nigromantici; sed propter illas effecerunt, vt ipsorum miracula, vera & stupenda iudicarentur. Nam (vt Sanctus Ambrosius ait) qui ex corde pecuniam contemnit, pluris fit ab hominibus, quàm homo; & quasi res valdè rara & preciosa in mundo. Quamobrem ex Dei spiritu (vt ait Sanctus Bonauentura) Religiones Mendicantes, quæ ministerijs erga proximos sese addicant, paupertatem spiritus profitentur, vt ea maiori cum puritate & efficacitate præstent. Nam pauperes spiritu si sint Confessarij sedentes in sede iudicij sui, perfectè officium iudicum præstabunt; quòd si sint Prædicatores, stantes in Cathedra sua, liberiùs inuehentur in vitia; & omnes quærent non propriam suam, sed proximorum vtilitatem. Et hac ratione opinionem augent suis ministerijs: dum bona temporalia contemnunt. Et hic alius est titulus specialis obstringens illos, vt perfecti sint pauperes.

S. Tho. 3. p. q. 40. a. 3. Hom. 47. in Mat. & 98.

Lib. de Offic. c. 24.

In Apolo. Pauper. supra.

ADDAMVS vltimum fauorem, quo Christus Dominus noster pauperem spiritu prosequitur, præbens eis singulare salutis ipsorum pignus, cùm eis dicit: *quod ipsorum sit regnum cœlorum.* quo fruentur in vita æterna. Est enim sactæ Scripturæ phrasis verbis de præsenti affirmare, quæ sunt postea futura, ad promissionis certitudinem ostendendam, dicens: iam esse, quod postea est futurum; vt intelligatur tam certò futurum, atque certum est esse, quod iam est. Et hanc ob causam quamuis Christus Dominus noster præmia sua mitibus, lugentibus, & reliquis promiserit per verba de futuro, dicens: Possidebunt terram, consolabuntur: pauperibus tamen spiritu & persecutionem patientibus propter iustitiam, quales sunt Martyres, non dixit: ipsorum futurum esse regnum cœlorum, sed ipsorum esse: vt certiores essent de eo obtinendo, ob pignus illud & cautionem, quam illis dabat de eo obtinendo si in paupertate illa spiritus perseuerarent. Hæc igitur precium est, quo cœlum comparatur; quia autem precium iam tradidit; sufficientem cautionem, certumque pignus habet, fore ipsius, quod emit: cùm venditor ipse potens adeò sit, ac bonus. Magna est (ait Sanctus Augustinus) felicitas Christianorum, quibus conceditur, vt sua paupertate regnum cœlorum sibi comparent. Ne tibi displiceat paupertas: nihil enim est illa ditius. Vis nosse, quam illa sit locuples? ea comparatur ipsum cœlum. Qui thesauri ad opulentum adeò regnum comparandum sufficerent? qui dives, est, illud non obtinet: quia diuitias suas vult possidere: qui tamen illud obtinebit,

3.

„ Serm. 28. „ de verb. „ Apostoli. „ „ „ „ „ „

» si eas abijciat, & contemnat. Hæc sanctus Augustinus.

SED quoniam non est facile, paupertatem spiritùs ita conseruare, vt copiosos adeò proferat fructus: necesse est, eam meditatione & consideratione omnium, quæ dicta sunt, fouere & alere. Nam (vt sanctus Bernardus ait (qui in agro paupertatis strenuè laborant, duplici irriguo opus habent, f *superiori, & inferiori*, qualia petijt *filia Caleb* à Patre suo; quæ faciunt duplex genus considerationum, quarum aliæ instituuntur de bonis superioribus spiritualibus & æternis, quibus fruentur in cœlis, vnde descendunt ad ipsos fouendos & animandos in suis laboribus; aliæ verò de bonis inferioribus, quæ dantur tanquam additamenta corpori; vbi etiam inferuntur miseriæ, à quibus per paupertatem spiritùs liberantur: quibus diuites cupidi subijciuntur; tum in hac vita, tum in futura. Quamuis enim Christus Dominus noster præcipuè exhortatus sit ad paupertatem spiritus, promissione proposita regni cœlorum; nō tamen est oblitus adderetimorem pœnæ, propositis minis in diuites, qui habent hic suum solatium: dum enim g *væ vobis diuitibus, quia habetis hic consolationem vestram.* Si igitur afflictum te videris, vtpote in camino paupertatis; sicut Lazarus ille erat, constitutum: dimitte (ait S. Chrysostomus) oculos ad fornacem ignis, in qua epulo ille diues manet: & deprehendes, quantum duo isti camini ab inuicem distent. Nam in illo paupertatis est Angelus quidam spargens rorem cœlestem, te refrigerantem; in hoc autem diuitis, sathanas est ignem ipsum fouens ad maiorem cruciatum inferendum: vbi nec h *gutta* quidem aquæ pro *refrigerio* datur. Hic vret æternùm adorantes statuam, & idolum auaritiæ, sicut fuerunt combusti Chaldæi: alter autem caminus purificat pauperes spiritu, nolentes statuam adorare: & ita euadent sicut tres illi pueri splendidiores, ad maiorem gloriam, lætitiam, & æternam quietem consequendam. Irriga igitur frequenter paupertatis agrum duplici hoc irriguo: nunc ascendendo spiritu in cœlum, vnde lachrymarum pluuiam adduces, desiderio & spe bonorum adeò præstantium, atque pauperibus sua angelicis conceduntur; nunc descendendo spiritu ad puteum profundum sepulchri & inferni: vnde aquam hauries deuotionis ob conceptum timorem malorum adeò terribilium, atque diuites cupidi parientur. Et hoc modo contentus & quietus viues in tua felici sorte; & præmia consequeris gratiasque à Domino promissas.

QVOD si magis adhuc generosè cum Domino nostro agere velis, amplectenda tibi est paupertas Euangelica, sicut Apostoli; animo scilicet quodam superiori præmijs & supplicijs omnibus. Priùs enim quàm S. Petrus promissa audiuisset, quæ Christus dixerat, loquens ipse omnium Apostolorum nomine, dixit: i *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te;* quid

Serm. in illud Sapientia vincit malitiam. f *Iudic.* 1. 15.

g *Luc.* 6. 24

Homil. 4. in Matth.

h *Luc.* 16. 24

i *Mat.* 19. 27

ro erit nobis? Non ait: relinquemus omnia, & sequemur te, quid nobis dabis, vt id faciamus? Sed ait: iam tuæ vocationi obediuimus; & amore tui omnia reliquimus teque secuti sumus: *quid igitur erit nobis?* Vt intelligas: duo præcipua tibi motiua ad paupertatem amplectendam esse debere, quòd Deus te ad eam vocet: cuius voluntati æquum est, obtemperare; & vt tuum sequaris redemptorem, qui illam in vita sua fuit complexus. Primum erit tibi quasi irriguum superius: nihil enim est excelsius, neque magis cordis solatium adfert; quàm, vt illi placeas, exequi quod ipse iubet & inspirat. Siquidem ipsemet Saluator, quà homo, paupertatem amplexus est, eò quòd illa esset æterni sui Patris voluntas: quam in rebus omnibus implerit. Secundum motiuum erit tibi tanquam irriguum inferius: magna cum tua consolatione accipiens, quod Deo homini similis sis & conformis; eum sequens, quà pauper fuit & humilis. Deliciæ enim eius sunt esse, & familiariter agere cum sibi similibus. Præmissa igitur firma hac animi resolutione, paupertatem propter hæc duo motiua amplectendi: non tribuemus imperfectioni, si dicas: *Quid ergo erit nobis?* Hoc est, Quid reddes nobis propter hoc quod facimus; vt sic magis excitemur & animemur ad progrediendum in eo? Quamuis, etiamsi nihil nobis dederis, non desistemus à te sequendo, tibique obediendo, & tua paupertate amplectenda: nam vel hoc solum quod in tua simus societate, est summa nostra opulentia: nec propterea præmium imminuetur, nec centuplum erit minus; sed potius augebitur, ac multiplicabitur. Nam, teste Sancto Bernardo, purus Dei amor non est mercenarius; nec tamen sua caret mercede: nam qui absque mercede seruit, dignum se facit, cui reddatur copiosior. Et propterea Saluator noster præclara adeò promissa suis Apostolis fecit: eò quòd, antequam ipse ea faceret, valdè generosè reliquerant ipsi omnia pro eius amore. Est tamen fidei coniungenda charitas adeò accensa erga ipsum DEVM, vt vel sola sufficiat, ad omnia relinquenda cum summo omnium contemptu. Eum in modum quo ignis Spiritus Sancti, qui primorum Christianorum pectora repleuit, illos impellebat ad vendendum magno feruore omnia quæ habebant, eorumque precium ponendum ad pedes Apostolorum, ad significandum (vt ait Sanctus Hieronymus) pecunias esse calcandas & conculcandas. Nam, vt Salomon dixit: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Ac propterea (vt ait Sanctus Chrysostomus) creuerunt illi adeò in sanctitate, & progressi sunt adeò feruentes, eò quòd statim abiecerint à se onus diuitiarum: vt securius pugnare, & celerius currere possent: imitantes Seraphinorum nuditatem; qui, quòd amore DEI ardeant, non tegunt se rebus externis;

Serm. 83. in Cantica.

Cantic 8.7 Hom 7 in Act Apost.

& velocissimè volant, ad implendum, quod iubet Deus: vt postea videbimus.

Tract.7.c.3. DENIQVE ad omnes excellentias, fauores, & præmia Euangelicæ paupertati promissa obtinenda: necesse est duo illa in ea præluceret, quæ dixit S. Petrus, relinquere scilicet omnia; idque propterea solùm, vt Christum sequatur, & imitetur. Nomine autem rerum omnium non eæ solùm intelliguntur, quas reipsa quis possidet; siue paucæ illæ sint, siue multæ: sed omnes etiam illæ, quas iure aliquo potest in hac vita possidere: nec solùm quas possidere potest; sed quod amplius est; etiam quas potest velle aut desiderare in hoc mundo. Et hoc ait Sanctus Augustinus, esse, totum mundum relinquere, omnia regna, & imperia terrena. Totum, inquit, mundum dimittit, qui & illud quod habet; &, quod optat habere, diminuit, & ipsum quoque habendi desiderium: renunciando scilicet (vt ait Sanctus Gregorius) rebus omnibus, & ipsismet desiderijs eas habendi, ad perfectius imitandum ipsum Saluatorem, quemadmodum in sequentibus captibus dicetur.

Epist.34. ad Paulin., & 89. ad Hilar. q.4., Hom.5 in Euang.

CAPVT V.

VARII GRADVS PAVPERTATIS RELIGIOSÆ In communi & in particulari; interius, & exterius: & cuiusque eorum perfectio.

RELIGIOSA paupertas, primi voti materia, varios habet gradus, iuxta varietatem institutorum; quæ in genere ad duo possunt reduci.

PRIMVM est illarum Religionum, quæ in communi redditus & possessiones habent ad alendos Religiosos, eisque prospiciendum de rebus corpori necessarijs: vt sic magis attendere possint spiritui, alijsque ministerijs sibi iniunctis: in particulari tamen nullus eorum aliquid proprij habet: ne cura, aut cupiditate huiusmodi rerum implicetur.

ALTERVM est Religionum, quæ nec in communi quidem reditus aut possessiones habent: sed necessitatibus suis prospiciunt mendicando quotidie à pijs Christianis aliqua, quibus sustententur; aut seruantes ex huiusmodi rebus, quæ offeruntur, aliquas ad dierum aliquot sustentationem. Et quamuis secunda hæc paupertas strictior sit ac seuerior, & in genere paupertatis etiam perfectior: non tamen est semper perfectior in ordine ad finem, quem Religio intendit. Nam (vt bene dixit Sanctus Thomas

paupertas

paupertas, non est substantialis perfectio Religionis; sed instrumentum & medium ad eam consequendam. Cùm igitur instrumentum non propter seipsum quæratur; sed in finem, in quem dirigitur: non censebitur instrumentum esse melius, quod in seipso sit præstantius: sed quod aptius ad proprium finem consequendum. Quemadmodum culter aureus, quamuis in se maioris sit valoris, quàm chalibeus: ad finem tamen, in quem culter dirigitur, hoc est, ad scindendum, multò aptior est chalibeus: ideoque hic est aureo præferendus. Similiter quia reubarbarum est medium ad sanitatem recuperandam; illa eius quantitas est sumenda, quæ magis est ad propositum finem proportionata. Ex quibus Angelicus Doctor tres modos colligit paupertatis, tribus Religionum generibus accommodatos. Nam quæ ministerium aliquod corporale tanquam finem habent, quale est pugnare contra infideles, peregrinos hospitio excipere; possunt ac meritò debent habere in communi abundantiam bonorum temporalium: quibus his obligationibus satisfaciant; Quæ contemplationi & orationi sunt dedicatæ quales sunt Monachales, expedit moderatas habere possessiones, ne claustram suam & recollectionem, prætextu sustentationem quærendi, relaxent ac perturbent; Quæ tamen eum finem respiciunt, vt ministeria spiritualia erga proximos exerceant, concionando, docendo, & Confessiones excipiendo, esse debent magis liberæ & expeditæ ab omni cura & solicitudine rerum temporalium: ideoque in communi sectari debent perfectionem paupertatem, ita vt non habeant redditus aut possessiones: sic enim magis sunt expeditæ ac liberæ à cura & solicitudine eas quærendi aut conseruandi, quæ solet esse multò maior. Nam, vt ait Sanctus Augustinus, cùm terrena bona amantur, magis adhæresci cor ijs, quæ possidemus, quàm quæ obtinere desideramus. Nam illa sunt quasi membra corpori coniuncta; hæc verò quasi res aliqua separata. Ideoque non ita grauiter fertur eius iactura. Sed quoniam magna esset occupatio quotidie mendicare, vt nihil, ab vno die ad alterum seruetur: expedit potiùs aliqua mobilia ad propriam sustentationem seruare: siquidem debilitas nostra non potest sine huiusmodi subsidijs persistere. Quare, etsi Christus Dominus noster interdum ideò fuerit pauper, vt illud de se diceret: *a filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet*; & suis Apostolis: *b nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, nec peram in via*: & omnes comederint ex eleemosynis, quæ à fidelibus dabantur. Scimus tamen (vt Sanctus Augustinus admonuit) *c Iudam habuisse loculos, in quibus ea, quæ mittebantur, portabat*, & seruabantur ab vna in alteram diem, *d vt emerentur quæ opus illis essent; aut vt egenis aliquid daretur*. Et in primæua Ecclesia, quamuis fideles *e possessiones quas venderent, earumq; precium ad pedes Apostolorum ponerent*, seruabantur tamen

2.2.q.188.a 7.

Epist. ad Paulin. & Tharasiam

a Mat.8.20
b cap.10.9. Habetur in c. Exemplã. 12.q.1.
c Ioan.12.6. & ca.13.29.
d Act.2.45. & cap.4.34

men, ac *dividebatur singulis, prout cuiq; opus erat.* Et hanc paupertatem seruarunt in initio Ordines Mendicantes; & nunc aliqui seruant, qualis est Franciſci in omnibus ſuis familijs Obſeruantibus; & noſtra Societas ſeſa in Domibus Profeſſis, quæ non ſunt capaces reddituum neq; poſſeſſionũ, neque hæreditatum, quæ aliàs pertinerent ad aliquem ex Profeſsis. Quãuis aliquæ Religiones, & ipſa Societas in ſuis collegijs redditus aliquos habeãt, vt ab hac cura, ſuſtentationem quærendi, expediti, melius poſsint ſtudijs ſuis attendere: vt euadant operarij apti ſaluti proximorum procurandæ.

Trid. ſeſſ. 25 de Regular. c 23.

1. SED omiſſa paupertate, quæ ad cõmunitatem ſpectat, veniamus ad particularem, quæ vnumquéq; Religioſum iuuat ad maiorem ſuum profectũ & perfectionem. Quæ per votum ſolenne renunciat non ſolùm dominio omnium rerum, ſed etiam vſui earum, ex proprio iudicio abſq; dependentia Prælato. Quæ etiam (vt ex ijs, quæ ſuperiorib. cap. ſunt dicta, conſtat) duas partes complectitur; alterã exteriorem, quæ eſt quaſi corpus virtutis; interiorem alterã, quæ quaſi eius eſt ſpiritus & anima; ac propterea appellatur paupertas ſpiritûs. Idæoq; duo vitioſa extrema oriri poſsũt: alterũ Religioſorum ita coactorũ, vt nihil haberent, niſi paupertatẽ externã; quæ per ſe ipſam non eſt laude digna: vt quæ nõ ametur, ſed odio habeatur; & quamuis tales Religioſi reipſa ſint pauperes; volũtate tamẽ ac deſiderio ſunt diuites, implicati affectib. rerum, quas reliquerãt; qui affectus, peiores ſunt ipſis terrundẽ rerum poſſeſsione; & quaſi cõpedes, quibus dæmõ vinctos continet: vt ſuperiùs fuit dictum. Ac proinde procul valdè ſunt à perfectione, quam profitentur. Nã (vt benè S. Bern. ait) non paupertas, ſed eius amor eſt virtus. nec Chriſtus Dominus beatos pronunciauit pauperes rebus, ſed pauperes ſpiritu. Ná pauperes rebus temporalibus, ſed ſine ſpiritu, ſunt tanquam corpus ſine anima: q nutrit vermes murmurationũ, & peccatorũ corruptionis, de qua dixit Salomõ Deo: f *mendicitatem ne dederis mihi; ne egeſtate compulsus furer, & peiurẽ nomẽ Dei mei.* Et inter Apoſt. paupertatis ſectatores vnus fuit damnatus, eò quòd illã nõ ſeruauerit: g *erat* enim *fur & loculos habens*, in quos reponebat quod furabatur, quaſi odio habens id, quod fuerat profeſſus.

Tract. 3. c. 5. Epiſt. 100.

f *Prou. 30.*

g *Ioan. 12. 6.*

2. SED nec ſufficit amare quomodocunque externam paupertatem: ſi enim amor ille ſit carnalis; terrenus, mundanus: non erit illa vera virtus, ſed eius larua, aut vitium laruatum. Multos Philoſophos, ait S. Bern. reliquiſſe omnia & ſponte ſua factos eſſe pauperes; ſed non cum vera ſanctitate: id enim eos feciſſe aſſerit ob inanem gloriam, vt magnanimi haberentur; aut, vt naturalium ſcientiarum ſtudio ſe dederent, vt ſapientes haberentur. Et ſic *Ananias & Saphira vendiderunt agrum*, non ex puro ſpiritu perfectionis; ſed (vt S. Baſil. notat) ſpiritu inanis gloriæ, vt perfecti haberentur. Exitus autẽ probauit, fictum fuiſſe ſpiritum: quia *defraudarunt de precio agri.* Et vniuerſa-

Serm. 1. in Feſto omnium Sanctorum
h *Act. 5. 1.*
Serm. de Inſtitut. Monach. & Orat. de humilit. & vana gloria.

hypo-

hypocritæ exteriùs præferentes magnam paupertatem: (quam tamen non amant puro amore & casto, sed adulterino & profano) non sunt beati, sed infelices; quia non sunt pauperes spiritu, i. voluntate spirituali; & intentione, & amore spirituali ac desiderio gloriæ Dei, & salutis animarum suarum, & proximorum. Hoc est alterum extremum spiritus sc. dans, esse & vitam spiritualem paupertati: quo qui deserunt res externas, erunt verè pauperes, vitæ beati coram Deo & Angelis eius; sine eo autē erunt pauperes, mortis fœtore multorum vitiorum ac peccatorum. Nam quemadmodum regnum Dei, quod est Iustitia, Pax, & Gaudium in Spiritu S. comitatur pauperes eius spiritus: ita dæmonis regnum, quod est iniustitia, discordia, ac tristitia, quæ mortem operatur; comitatur eos, qui solo corpore sunt pauperes. De quibus dixit Apostolus: *i. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* ad meritum regni cœlestis: quia ero tantùm pauper corpore absque vita spiritûs.

S. Bern. sup.

Ex Cass. col. 1. c. 13.

1. Cor. 13. 3.

3.

Sed ne quis altero extremo decipiatur, quasi cōtentus solo spiritu paupertatis, nihili faciēs eius corpus & exteriores affectus: operæpretiū est advertere, quod quēadmodum anima naturalē habet inclinationē & propensionem, vt corpori suo sit vnita; graviterq; fert ab illo separari; & si separetur, est quasi coacta, retinetq; propensionem ac desiderium, ad socium suum recipiendi. Ita ēt qui verum habet spiritum paupertatis habet supernaturalē quandā propensionē, vt paupertatis externæ corpori coniungatur: cuius cū effectus aliquos experitur, est contenta, cùm aūt videt sibi aliqua abundare, aut superesse: est quasi coacta, cupiēs nihil proprij habere, vt sic dilecto suo magis assimiletur. Quod si huius virtutis sectatores vellent, (vt ait S. Bern.) ita esse pauperes, vt nihil sibi deesset, & ita paupertatem diligant, vt nullum defectum pati velint: non erunt verè pauperes; Et nō aguoscentes status sui nobilitatem & præstantiam, viuunt pusillanimes ac desolati. Hi sunt sicut Episcopi, qui appellantur Titulares aut Annulares: habentes quidem Episcopalem dignitatem, sed sine cura animarum: & cum onus non portent, etiam redditibus non gaudent. Eundem in modum, licet huiusmodi appellati pauperes de solo titulo, vt qui contenti sint dignitate pauperum Euangelicorum, habentes quidē votum paupertatis: quia ad summum carēt dominio rerum: qui tamen omninò abjiciunt onera paupertatis: attēdentes diligenter, vt nihil ipsis ad suum vsum desit; sed potiùs in tanta copia habeant vt quasi divitibus, etiam superfint. Sed quoniam onera recusant, etiā à redditibus & fructibus excludentur: qui sunt divitiæ regni cœlorum Sāctitas, Pax, & Gaudium internum huius regni: quod nō promittitur pauperibus de solo malo; sed de vero spiritu, qui onus complectitur sui status, & cum interna paupertate coniungit externam in omnibus, quæ sibi promittuntur.

Serm. 4. de Aduentu.

Ex

Ex his deducitur; quòd quemadmodum anima propendet ad habendum corpus suum integrum cum omnibus suis partibus magnis ac parvis; ita vt nulla ibi desit: ita paupertas spiritûs cupit integritatem paupertatis extendi in rebus omnibus, exuens & abijciens omnes, iuxta modum & formam quam cuiusque Religionis institutum exigit, nihil sibi omninò retinendo, quod pro suo libitu exponat, iuxta illud Christi Domini: k *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; & si l *vis esse perfectus, omnia quæcunq; habes vende*. Memor esto: votum paupertatis esse perfectum quædam holocaustum, quo offeruntur Deo omnes facultates, nulla facta earum diuisione, vt superiùs est dictum. Attende item, nec vnguem quidem tui gregis debere in Ægypto relinqui: quia, vt iam intellexisti, Deus vult omnia tecum auferas. Deniq; perfectionis Euangelicæ thesaurus non potest comparari minori precio, quàm valeat quicquid habes: imò id totum, si dicum dedisti, & obtulisti; & tamen nec m *thesaurum* nec *preciosam margaritam*, obtinebis.

k Luc. 14. 33 & c. 18. 22.
l Mat. 19. 21.
Tract. 3. c. 5. & Tract. 5. c. 2.
m Mat. 13. 44.

PERFECTVS Christi seruus (ait S. Hieronymus) nihil possidere debet præter Christum, quod si quid habeat, non est perfectus: quod si non est perfectus in eo quod intendit, mentitus est Deo, cui promisit se daturum operam, vt intenderet: &, n *os quod mentitur* (ait Sapiens) *occidit animam*. Si autem es perfectus: vt quid desideras bona paterna? Audi quid dicat Euangelium: o *nemo potest duobus Dominis seruire*. & tu audes facere Christum mendacem, *seruiens Deo & Mammonæ*? Dominus dicit: p *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam; & sequatur me*. Tu autem auro onustus cogitas, te posse Christum sequi? Hæc S. Hieronymus, qui exitus sæpè confirmat exemplo Ananiæ & Saphiræ, qui post editum votum paupertatis, retinuerunt sibi mediam partem precij, quo suum agrum vendiderant: ac propterea perierunt.

Epist. ad Eliodorum.
n Sap. 1. 11.
o Matt. 6. 24.
p Mat. 16. 24.
Epist. 150. ad Hedibiam. 7. 1.
Vide Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Monachis c. 20. & R. 5. c. 2.

DENIQVE, vt paupertas sit perfecta, non satis est, quocunque modo renunciare omnibus; sed oportet ea dare pauperibus, modo superius explicato: vt cor ab ijs omninò exutum Deo magis coniungatur, & adhæreatur, pro cuius amore illa tradit; cuius cultui omnia dedicat. Votum paupertatis est sacrificium holocausti, quod totum Deo ita offerebatur, vt nihil eius acciperent homines. Quare qui hoc voto se obstringit, nihil hominibus dare debet nisi titulo solius amoris Dei, quod fit quando datur pauperibus eius locum tenentibus.

(∴)

CAPVT

CAPVT VI.

Paupertas In Vsv Rervm *absque vitio proprietatis.*

Vm Religiosvs, Etiamsi Rervm omnium dominio renunciet, non possit viuere absq; multarum vsu, vt vitam iuxta qualitatem suæ personæ possit conseruare operæ pretium erit, modum explicare, quo possit illis vti absque violatione voti paupertatis, & admissione vitij proprietatis tam interiùs, quá exteriùs. Et vt à primo incipiamus perfecta interior paupertas in eo cõsistit, vt cor sit à rebus omnibus, quibus vtitur, auulsum: ne tanquam proprias, sed sibi accommodatas habeat: paratusq; sit ad eas cum animi æqualitate relinquendas, quandocunque id Prælati voluerint. Et contrà vitiosa interior proprietas consistit in affectu inordinato ad res, quibus vtitur: possidens eas quasi proprias; & iniustitiam reputans, si ipsi auferantur. Cuius inordinationem, ait Sanctus Gregorius, agnosci ex tribus indicijs; *Primum* est, si nimium tristetur Religiosus, quando res huiusmodi Prælatus ei aufert; absque dolore enim relinquitur, quod sine amore possidetur; nec quæsquam grauiter fert ab eo recedere, quod non amat. Quod tamen si cordi amoris gratio adhæresçat, grauiter fert à se illud separari, quemadmodum emplastrum siue membrana carni valde fortiter adhærens, non potest ab ea sine dolore & pœna seiungi. *Secundum* indicium est, quòd sibi timeat, ne res istas ipsi auferatur. Quò enim quis res terrenas plus amat: eò plus timet eas amittere, Et vt dixit Dauid, a *sæpe illic trepidatur timore, vbi non est timor*, nec vanas timendi. Et ex vtroque hoc indicio *Tertium* oritur: nempe si contentione ac turbatione sese defendat; quando superior vult res illas auferre. Nam ibi est grande studium defensionis: vbi est grauior vis amoris. Quod si Christus Dominus omnibus Christianis dixit: b *qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium*; cùm tamen vtrumque suus sit: quantò erit magis æquum, vt, cùm Prælatus aliquid aufert Religioso, hic etiam reliqua offerat, quibus vtitur: ostendens, quàm sit à rebus omnibus & affectu earum auulsus. Nec solùm ita exutus esse debet affectu rerum maioris momenti; sed etiam parui. Nam vt Sanctus Dorotheus ait: stultitiæ cuiusdam genus est, res valde pretiosas reliquisse, & nimium in illis affectum in rebus paruulis collocare. Et parum referre existimat Sanctus Bernardus, quòd res parua sit, aut magna: si affectus ad illam est æque inordinatus.

Cassianus l. 7. c. 22. Lib 31. mor. c. 8.

a *Psal. 135.*

b *Mat. 5. 40.*

S. Bonau. in spec. disc. l. 1. c. 4. Ser 1. serm. de trib. Ordinib. Eccl.

ET tolerabilius videtur plus diligere, quod est magis pretiosum, nam quò res est vilior, eò est abiectio animi maior, permittere te captiuum ab ea teneri, cum imminutione amoris, quem tuo debes Creatori. Et licet dicere, quod S. Dorotheus Dositeo discipulo suo dixit, quem videbat habere affectum ad cultrum, quo scindebat panem: quid potius tibi vis; ferum esse huius cultri, an Christi? huiusmodi enim affectus (vt Sanctus Bonauentura dicit) indicia sunt insignis tepiditatis in amore Christi; exiguæque interne deuotionis. Nam quemadmodum æstiuo tempore vestes superfluas deponis, contentus aliquam retinere, qua te tegas; & adhuc eam curas non stringi, nec multum corpori adhærere: & contra in hyeme cupis, & plures esse vestes, & bene constringi: ita indicium est, te frigere in amore Dei terumque cœlestium, si nimiùm rebus terrenis adhæreas. Si autem Diuini amoris igne sis accensus, contentus eris rebus tantùm necessarijs, imò & ab his te auelles non affectu tantùm, sed verbo etiam & modo loquendi, vt sanctus Basilius suadet: & ita antiqui Monachi seruabant, de quibus refert Cassianus: magnæ inter ipsos culpæ tribui, si quis verbo illo MEVM vteretur, dicens, meum librum, aut meam vestem. Nam neque lingua proferre volebant sonum proprietatis, quantò minus eam in corde hærere? Et quoniam hoc verbum frigefacit charitatem, estque causa discordiæ: volebant illud ab ordinario suo colloquio exulare. Et cùm reuerâ omnia essent illis communia, genus quoddam mendacij reputabant vti verbo MEVM, quod significat esse loquentis proprium. Ex quo etiam fit, vt eadem moderatione res ipsæ communitatis sint amandæ, aspiciendo eas (vt ait Sanctus Dorotheus) non animo proprietario, qui cordis pacem nobis auferat, aut iustis procurandis, aut conseruandis, & distribuendis aliquam inordinationem inferat; sed animo verè Religioso, tanquam res Deo consecratas: quæ amandæ non sunt, nisi iuxta voluntatem ipsius Domini, cuius illæ sunt. Detamen (vt idem Cassianus dixit) contenendæ sunt, aut lacerandæ; sed venerandæ, & conseruādæ sicut ipse Dominus, cui illæ sunt cōsecratæ, dignus est.

Eib de puritate vita c. 4.

Reg. 37. ex Fusis. Lib. 4. c. 13

Ser. 4. cs.

Lib. 4. c. 20.

2.

AB HAC interiori paupertate rectitudo oritur & ordo exterioris, qui multos habet gradus: sed præcipui in eo consistunt; vt Religiosus nihil de rebus Communitatis proprio suo arbitratu sibi vlurpet; nec ab alio accipiat, nec expendat, aut alienet, aut alicui alteri, quicunque ille sit, tradat, neque apud se retineat, quasi sibi occultè seruans: nisi consciis & approbantibus Prælatis. Hæc enim omnia rectè tendunt contra ipsum votum, quod Religiosus non solùm renunciat proprietati rerum omnium, quas habebat in sæculo; sed etiam quas habere poterat, & ita reddit se incapacem ad vllam habendam tanquam Dominus eius proprietarius: imò etiam ad vtendum pro suo libitu. Quando igitur aliquid occultè accipit, ac tegit, iam vt

esse eius Dominus, & pro sno libitu, eo uti, quare censetur quasi fur: qui usurpat aliquum, sibique applicat. Ideoque Sancti Patres seuerissimè hoc delictum puniuerunt: ut si quid pecuniæ inuenirent apud aliquem Monachum post mortem: non eum cum cæteris sepelirent; sed seorsim in aliquo loco abiecto: in quo simul inuentam pecuniam ponebant, dicentes: *Pecunia tecum sit in perditionem.* Et Sanctus Augustinus noluit cuiusdam proprietarij hæreditatem pro sua Ecclesia acceptare: eò quòd eam reputaret non Dei: sed Dæmonis fructum. Hæc item proprietas (vt S. Basilius ait) est indicium defectus fiduciæ de prouidentia Diuina. Propterea enim sibi usurpat, quod non licet neque expedit: quòd vereatur sibi defuturum, neq; Deum Dominum nostrum, neque Religionem ipsam ipsi prospecturam. Et quia incipit esse Deo infidelis eò tandem peruenit, vt fiat proditor; & alter Iudas efficiatur, qui furabatur ex ijs, quæ ad communitatem Apostolorum pertinebant: & tandem proditor factus est Magistri sui, tradens eum pro triginta argenteis: ac denique à Collegio ipso Apostolico se segregauit. Religiosus itaque Proprietarius Deo est infidelis, &, quod in ipso est, destruit Communitatem, & diuisionem in ea facit; maleque exemplo suo illam scandalizat, ac tandem eam deserit. Vbi enim omnia sunt communia, non potest viuere, qui aliquid habet proprij. Idem confirmat Cassianus comparans huiusmodi proprietarium cum *Giezi* illi, qui, inscio Elisæo Domino suo aliquid accepit à *Naaman*: quamobrem *adhæsit ei lepra Naaman.* Lepra enim secularium cupidorum transit ad Religiosos proprietarios, cùm aliquid ab eis occultè accipiunt. Et quemadmodum Giezi exclusus fuit à domo & seruitio Prophetæ: ita hi non possunt in domo Dei & obsequio Christi Domini, qui huiusmodi leprosorum societatem detestatur, permanere. Et (vt Sanctus Bernardus ait) à Collegio Apostolico excluditur tanquam reprobus, qui loculos habet, in quibus aliquid vt proprietarius, aut aliquam eius cupiditatem abscondit. Nam etiam sunt loculi propriæ voluntatis in quibus cupiditas latet; sed suo tempore erumpit ex eis lepra, manum extendendo etiam ad opus. Huic proprietati affine est, quòd quis de rebus Communitatis pro suo arbitratu disponat absque consensu Prælatorum siue eas alienet, siue commodet, aut permutet: quicquid enim horum faciat, vsurpat dominium, quod non habet; ac disponit de re, quæ non est ipsius atque si esset; & alienat à se spiritum Religionis, retento sibi externo eiusdem habitu. Nam (vt Sanctus Gregorius ait) qui proprietatem admittit, opere ipso protestatur se cor Monachi non habere, nam proprietas illud exhibstulit, & absque spiritu reliquit: in cuius locum succedit spiritus huius mundi, quem antea reliquerat, & contemplerat. non enim contemnit iam mundum, qui quærit in Religione aurum.

S. Hieron. in epist. 22. ad Eustoch. refert duos casus.
S. Greg. 4. Dialog. c. 55 De communi vita Cler Inconsticut Monast. c. 3.
S. Greg. lib. 10. epist. 22

Lib. 7. c. 14 c. 4. Re. 5. 27

In id Ecce nos reliquimus omnia

Suprà.

3.

Ex hac interna & externa paupertate, quam diximus, deducunt S. Patres eius zelatores consilium quoddam saluberrimum non recipiendi donaria aut munera à cognatis aut amicis, etiam cum superiorum facultate. Etsi enim hoc non sit contra votum paupertatis: vt plurimùm tamen reddit contra eius perfectionem. Nam aut sunt esca & fomentum alicuius proprietatis, aut nimij affectus: eò quòd valde cor huiusmodi rebus vinciatur, eóque facilè deducitur, vt, qui accipit, solus velit eis vti. Et præterea (vt S. Basilius perpendit) tria alia adfert non exigua incommoda. *Primum*, quòd ferè semper accipiuntur contra ædificationem, & cum detrimento ipsius cõmunitatis: culpa enim vnius facilè in cæteros redundat: quia omnes mendicantur cupidi, aut deliciarum amantes, aut imperfecti. *Secundum*, quia ea vi vendimus quodam modo nostram libertatem, & superioritatem ad reprehendendum, exhortandum, ac docendum eos, qui munera nobis offerunt. Id enim insinuat Salomon, cùm ait: d *Qui dat munera, animam auferet accipientium. Tertium*, quia occasionem præbet imminuendæ vnionis, & pacis inter domesticos, videntes quosdam nimiùm abundare, alijs verò aliqua deesse, & qui multum habent, videntur e *confundere* (vt Apostolus dixit) & pudere afficere *eos qui non habent*: quare hi alijs inuidentes, vellent quærere aliquem qui etiam ipsis daret. vnde quæruntur occasiones visitationum, quæ possent facilè vitari; & quæruntur amicitiæ noxiæ, in quibus multum temporis amittitur, spiritus refrigescit, & Castitas interdum amittitur, vt suo loco est dictum. His addit S. Vincentius Ferrerius: esse magnæ perfectionis non petere talia pro se, neque accipere etiam oblata, ne quidem sub praetextu ea distribuendi in pauperes: titulus enim pietatis erga alios facilè conuertitur in proprietatem, aut sensualitatem erga seipsum vertendo in proprium vsum & sensualitatem, quod pro altero acceperat: Nec desunt alia incommoda implicandi se curis parum ad ipsius rem facientibus, distribuendi in pauperes bona aliena. Reliqui ego (ait S. Hilarion.) quæ habebam propria, simul distribui omnia in eleëmosynas, vt à curis me liberarem & vis vt hoc onus nunc suscipiam distribuendi aliorum bona? Et quamuis à cupiditate & solicitudine caueam, fortè non euitabo suspicionem; quòd aliquid mihi adhæreat: quam expedit præcauere; vt maiori cum puritate possem coram Deo & hominibus viuere.

Ex quibus deduco: duo defectuum genera posse in hac materia occurrere: alios contra votum paupertatis & regulas, in quibus eius materia comprimitur; & hi sunt peccata lethalia furti, aut sacrilegij. quamuis, vbi res quæ vt propria vsurpatur, est parua; aut si magna est, id accidit ex inadvertentia, peccatum sit veniale; modò tamen statim atq; aduertitur, proprietas auferatur. Sunt tamen huiusmodi leuia peccata, valde periculosa: per-

Regul. 304. breuio.

S. Bern. ser. 61. ad soror. in speculo Monacho.

d *Prou. 22. 9*

e *1. Cor 11. 22*

Tract. de perfect. c. de Paupert.

enim f *Iude* à paruis furtis cœpit; & g *mentiri spiritui Sancto* etiam in re modica, & aliquid illi subtrahere etiam modicum ex eo, quod semel fuerat oblatum: non est parua irreuerentia; nec paruum detrimentum adferunt similes inobedientiæ, vt postea videbimus. Alij sunt defectus contra perfectionem obseruationis voti: qui etsi non sint peccata, quando Regulæ ad id nõ obligant: sunt tamen imperfectiones, quæ valde obscurant spiritum paupertatis, eius q, excellentiam: ac proinde disponunt ad lapsum in culpas leues, quæ ad ipsas imperfectiones prope accedunt. Quare qui cupit esse perfectè pauper: meritò illas fugiet. Et necesse est, oculos aperire, vt quis eas agnoscat: tegunt se enim sæpe pietatis aut necessitatis titulo: vt apparet in exemplis proximè positis. Huius generis sunt quædam res, quæ quod fiant cum facultate Prælati, non sunt peccata: habent tamen odorem quendã proprietatis & superfluitatis: quale esset, pensionem aliquam aut annuos reditus per vitam habere, ad subueniendum proprijs necessitatibus. Quod licèt possit esse expediens pro mulieribus, vt est in vsu apud Moniales non recollectas, eò quòd ipsi conuentus non prospiciant illis de necessarijs: inter Religiosos tamen, qui magnam profitentur obseruationem; & bona vruntur verecundiæ, non est absque imperfectione; & indicium est animi parum tribuentis Diuinæ prouidentiæ; & volentis valde securam habere suam commoditatem & nunquam sentiendi effectus paupertatis, imò habere superfluus, quæ possit alijs dare: & rarò absque proprietario corde possidentur; nam si quid Prælatus ei subtrahat: conqueritur & indignatur. Quòd si id fieret solo titulo nobilitatis aut antiquitatis: timendum esset, ne illis competat quod S. Basilius dixit cuidam Senatori, qui ingressus Religionem, reseruauit in suum vsum aliquid suarum facultatum: *& senatorem*, inquit, *perdidisti, & Monachum non fecisti*; aut certè non agis, nec contendis talis esse cum perfectione. Cuius indicium est: quòd qui huiusmodi habent redditus, quando accedit spiritus ac deuotio: statim sentiunt impulsus aliquos Domini nostri, vt illos deserant; ipsumque cum maiori nuditate sequantur omnem suam fiduciam in eo ponentes. Hunc in modum possunt esse in Religionibus imperfectiones aliæ, olentes proprietatem & superfluitatem, de quibus in proximo capite agetur.

f Ioan. 12. 6. g Act. 5. 3.

Perfectè pauper leuissima fugiat.

Cas. l. 7. c. 19

CAPVT VII.

PERFECTA PAVPERTAS OMNIA SVPERFLVA *reiicit, tantùm necessaria contenta, quorum defectus etiam tolerat.*

QVI PAVPERTATIS VOTVM cum maiori perfectione cupiunt obseruare, vlteriùs adhuc progredi debent ita, vt non vtantur laxioribus facultatibus, quas aliqui Prælati concedere solent, aliquioribus præcipuè Religiosis. Tantus enim potest esse in his facultatibus excessus & relaxatio, (vt benè aduertit Sylvester *Verb. Rel. 6. q. 7. dict. 4. c. Relatù de Regularibus.*) vt Prælati eas concedentes; & subditi eis vtentes graniter peccent ob relaxationem, quæ hac ratione introducitur circa obseruationem voti paupertatis. Aperta enim datur occasio ad vitam sæculariter ducendam in ipsa Religione: quod est contra eius finem & Institutum. Neque excusat delictum, quòd bona Religionis sint communia, aut res dentur in eleëmosynam ad communem omnium vsum: Deus enim Dominus noster, qui liberaliter prospicit ipsi communitati, non solùm de rebus necessarijs, sed etiam de commodis ad eius leuamen: vult particulares Religiosos ita cum necessarijs esse contentos, vt superflua non accipiant; & Prælatos ita cuique dare, quæ sunt ipsis necessaria: vt quæ, præter illa, superfuerint, seruentur alijs Christi pauperibus. Eum in modum quo Deus dabat populo Israël Manna in magna copia in deserto: nolebat tamen, vt vllus plus colligeret, quàm iuxta mensuram à Moyse præscriptam (in qua singuli a *iuxta id quod edere poterant, tila die congregabant*, ita vt nec superesset quicquam, nec deesset. Quam si quis aliquid vltrà colligeret, vt in sequentem diem, in quo etiam mensuram aliam sufficientem erat collecturus, seruaret: *quicquid superfluum colligerat scatebat vermibus, atque computrescebat*, in pœnam cupiditatis & infidelitatis eius. Eum etiam in modum, quamuis Deus abundantem in deserto Religionis mensam sternat: vult vnumquemque Religiosum eam mensuram tantùm rerum ad suum vsum accipere, quam Prælatus præscripserit, & nihil vltra; & hanc mensuram talem esse, vt singulis sufficiat ad vitam commodè transigendam. Quare quicquid vltrà acceperit, conuertetur in vermes nec in eius cedet vtilitatem; sed potiùs in cruciatum ob conscientiæ morsus. Huiusmodi enim excessus ordinariè procedunt ex animo cupido, proprietario, & ad suam commoditatem, delicias, authoritatem, aut vanum honorem propenso, cum exigua confidentia de prouidentia Diuina, quæ sit ipsis datura quotidie, quantum opus fuerit.

a Exo. 16. 18

HANC rem clarius explicuit Christus Dominus noster in illis conuitijs,

quæ

quæ instituit in deserto, in quibus b *pauit quinque millia hominum quinq; panibus, & quatuor millia, septem; præter multitudinem mulierum & paruulorum*: distribuens per manus Apostolorum singulis quantum opus fuerat, donec *saturarentur* & ita liberaliter ac profusè, vt altera vice *superfuerint duodecim cophini fragmentorum pleni; altera vero septem sportæ*. Perpendit autem Theodorus, quod quamuis panis ille fuerit valde dulcis ac sapidus, tantaque esset manducantium multitudo: nullus tamen ausus fuerit aliquas reliquias sibi accipere, vt domum portaret. Quod insinuauit Christus Dominus noster, cùm iussit Apostolos, c *colligere quæ superfuerant fragmenta, ne perirent*, quæ tamen non perijssent: si, qui manducauerant, ea collegissent, secumque tulissent. Quod Saluator noster ita constituit, vt in primis significaret: pauperes contentos esse debere ijs, quæ gratis ipsis offeruntur; relinquẽtes quod superest Domino suo: nec sibi vsurpantes aliquid eius etiam modicum: Deinde, vt Religiosi, quorum sustentatio incumbit ipsi Christo per eorũ Prælatos, intelligant; id solùm se accipere debere, quod illi dederint: quod erit sufficiens ad eorum sustentationem: ac proinde non debere aliquid ex reliquijs accipere: quia illæ nec ipsorum sunt, nec ipsis conceditur, vt eis pro libitu vtantur. Ad ipsos verò Prælatos spectat, reliquias colligere, ne pereant; & seruare distribuendas postea inter ipsos subditos, & alios pauperes. Et quemadmodum panes illi, quamuis pauci sufficiẽtes fuerunt ad saturandos tot pauperes, propter ipsius Domini benedictionẽ; & quod ipse iussisset Apostolos, eos distribuere: ita debent Religiosi credere, mensuram moderatã, quam in Religione habuerint seruantes perfectè votum paupertatis, sufficientem fore ad ipsorum solatium & saturitatem; quia mittitur cum benedictione Christi; & eo ordine, quem ipse Prælatis constituit. & implebitur, quod scriptum est; d *oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manũ tuam, & imples omne animal benedictione.*

b *Mat.* 14. 19 & c. 15. 36.
c *Ioan.* 6. 11.
d *Psal.* 144. 15.

§. 1.

Sed quoniam huiusmodi res mortales vtiliores fiunt, cùm in eis descenditur ad magis particularia: aduertendũ est, quod perfecta Religiosa paupertas quatuor has filias habeat: pauperem *cibum*, pauperẽ *vestitũ*, *tectum*, & *habitationẽ*: ita vt Religiosus in singulis istis quatuor rebus contẽtus sit, si habeat quod necessariũ est & cõueniens, abijciẽs eũ omni rigore quicquid superfluũ & nimiũ est, habita ratione qualitatis ipsius, & modi viuẽdi, quẽ ipsi⁹ Religio & institutum sectatur, & profitetur. Ad quod plurimũ refert, vnũquẽq; bene cõsciũ esse suæ necessitatis: ita vt neq; cupiditas, neq; sensualitas ipsum decipiat: quia sunt insignes impostrices, finguntque necessitatem, vbi nulla est: & hoc titulo tegunt tãquam pallio quodam, quod pertinet potiùs ad indulgendum, & inanem honorem quærendum. Quod si quæras qua ra-

4. Filiæ religiosæ paupertatis

tione

tione deprehendere possis, quid tibi sit necessarium? Respondet præclarè S.Bonauentura his verbis: Quò magis intimè paupertatem diligeris: eò exactiùs ac subtiliùs de tua necessitate iudicabis; illud autem necessarium tibi existimabis, sine quo non possis commodè viuere: quod vltra hoc tibi nec habere debes, nec petere, nec procurare; imò nec gratis oblatum accipere. Hæc S.Bonauentura cuius doctrina innititur illi amoris proprietati, quæ dilatat, extenditque terminos ac limites rei dilectæ. Nam quemadmodum amor proprius extendit, extollitq; necessitates corporis, vt multa procuret preciosa & iucunda, quibus sibi prospiciat: ita vehemens sanctæ paupertatis amor extendit, quantum licet, eius effectus; & contra imminuit earum necessitates: vt illa paucis rebus sit contenta. Præterea, si (quemadmodum S. Thomas ad hoc propositum ait) Religio est status pœnitentiæ, & contemptûs humanæ gloriæ sectator: cùm igitur cuique sit iuxta suum statum viuendum: æquum est, Religiosum propendere semper ad asperitatem & vilitatem in vestitu, lecto habitatione, ac cibo: quam exigit eius professio, quæ est pœnitentiæ; & hominis vitam suam contra mundi morem instituentis. Iuxta S. Hieronymi dictum: quod crassæ vestes indicium sint ruboris animi; & vilis tunica, contemptus sæculi: ita tamen ne cor propterea euanescat; neq; ipsius conuersatio & sermones contrarium prodant. Hinc fit vt in quatuor prædictis rebus tres excessus sint præscindendi, vt idem Sanctus, agens de vestibus, dixit.

In medit c. 44.

2.2.q.167. a 6.

Ep. ad Rust. Monachum

2.2.q.169. a. 1.

I.

PRIMVS excessus est rerum, quæ tantùm sunt vsui propter earum honorem & pompam: eò quòd quæratur inanis quædam ostentatio per excessu & rebus exquisitis pro mensa, aut vestibus, aut pro lecti ornatu & cubiculi habitatione circa sedes, aut scamna, mensas, libros imagines, & familia: in quibus omnibus quæritur, quod est magis spectabile & curiosum. Quod, teste S. Basilio, valde recedit à præcipuo rerum huiusmodi fine & scopo; omnes enim illæ quatuor res in eum potissimùm tendunt finem, vt vestræ necessitati prospiciant: non verò vt foueant vanitatem. Et vt S. Gregorius ait, nemo preciosas vestes quærit, nisi ob inanem gloriam, vt præ cæteris in honore habeatur: sicut euenit Herodi cuius vanitas in a *veste regia* in causa fuit, cur à *vermibus consumptus* miserè *exspiraret*. Et quamuis aliqui (teste S. Bernardo) id excusent sententia illa Apostoli, b *munus meum honorificabo*, quasi velint munus & officium suum ita honorare reuera tamen larua quædam est, qua volunt non officium sed propriam personam honorare. Verus enim officij honor & æstimatio non in eo consistit, vt ingens habeat comitatum, vestes preciosas, ac domûs ornamenta; sed in optimis moribus, & vitæ sanctitate: nam qui humilis esse cupit meritò id ostendere debet exteriùs. Nam, vt ait S. Dorotheus, & confirmat S. Thomas

Reg. 12. ex Fusis.

Hom. 40. in Euangelia.

a Act. 12. 21.

Epist. 42.

b Ro. 11. 13.

Serm. 2.

2.2.q.187. a. 6.

Non

Noua vestis curiosa & preciosa etiam inaduertenter gignit animum quendam vanum, erectum, & arrogantem: contra verò vestis humilis & pauper generat cor contritum & humiliatum. Cum autem libri propterea habeantur, vt vacetur studijs; imagines verò, vt excitent deuotionem: contra finem eorum est, quod Religiosus in eis exornandis ita excedat, vt hunc vtilitatem remoueat; & ipse magis vanus euadat, quam sapiens ac deotus.

2.

Secvndvs excessus & superfluitas est rerum, quæ oblectationem tantum adferunt carni, dum deliciæ quæruntur, cum in nimia abundantia rerum comestibilium; aut vestium, lectique mollitie, & superfluis cellæ commoditatibus: eum in modum, quo de diuite Epulone dicitur, quòd *c epularetur quotidie splendidè, & indueretur purpura & byssо*: subtili enim byssо prodebat suam sensualitatem; preciosa verò purpura etiam vanitatem. Nam (vt Sanctus Bernardus ait) mollia vestimenta, animi mollitiem indicant. Propterea enim Christus Dominus noster dixit: *d Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum esse.* in quorum aulis non solet esse vsui, nisi quod sensualitatem foueat, & vanitatem. At in domo Regis cœlestis omnia debent paupertatem, asperitatem, & humilitatem redolere: vt, qui in ea habitat, contentus sit (quod Apostolus faciebat) si *e habeat alimenta, & quibus tegatur*, alimenta scilicet necessaria ad vitam sustentandam; & vestimenta conuenientia, quibus tegatur nuditas corporis, & ab iniurijs temporis defendatur. Ad quod si vestis simplex sufficit: non debet accipi duplicata. Nam Christvs Dominvs discipulos suos instruebat, dicens: *f ne acciperent peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* voluit enim eis dicere: vt omnibus superfluis reiectis: contenti essent necessarijs. Ex quo Sanctus Basilius deducit: (& ex eo accepit Cassianus) illam vestem Religioso esse maximè aptam, quæ omni tempore seruire ei posset hyeme & æstate; die ac nocte; domi & foris; & in omnem finem, ad quem illa dirigitur: hoc est, ad nuditatem regendam; ad defendendum à seueritate frigoris, & ad ornatum, personæ decentem & conuenientem: ita vt non sapiat vanitatem; sed accommodet sese ad Communitatis consuetudinem in quatuor prædictis rebus: non quærendo exceptiones, aut specialia priuilegia, nisi apertæ necessitatis tituli. omnes enim singularitates, quæ necessitati non innituntur, magna adferunt incommoda: vt supra de cibo est dictum. Quo ad cellam autem, felix esset Religiosus, qui tali contentus esset, qualem quædam matrona fieri curauit pro Eliseo Propheta aptans illam iuxta Sancti ipsius Prophetæ desiderium: *g faciamus*, inquit, *cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum.* Illud cœnaculum putabat illa sufficere pro lectatore paupertatis.

c Luc. 16. 19

Apol. ad Guilhelmū.

d Mat. 11. 8.

e 1. Tim. 6. 8

f Mat. 10. 10

Regul. 22. ex Fusis. Libro. 1. c. 3 S. Ber. serm. 3. in cant.

g 2. Reg 4. 10.

TERTIVS excessus est in cura,& solicitudine acquirendi superflua in rebus prædictis,aut eas conseruandi. quæ solicitudo ordinariè coniungitur cum ipsis rebus: nec alium vsum habet, quàm vt cor torqueat,& crucier: animæ verò pacem auferat. Quamobrem dixit Christus Dominus noster:h *nolite soliciti esse in crastinum:crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi*, etiamsi nihil superflui illi addatur, quod ad hodiernum diem non spectat. Cum ergo diuina prouidétia in se recipiat prospicere nobis de vestitu,sicut prospicit i *lilijs*; nosque quotidie alere,sicut *pascit volatilia cœli*; quæ est hæc incredulitas ac diffidentia:vt oneremus nos nimijs curis eius,quod crastinum est;cum omne nimium & superfluum conuertendum sit in vermes & cruciatum? quemadmodum de k *manna* dicebamus, quod incredulis *diem sequentem seruabant*. Denique,cùm votum paupertatis edamus,vt eo omnes terrenas exuamus:contra eius finem erit:si nos oneremus superfluis & curis quæ cum illis coniunguntur. Quod si paupertas (ait S. Bernardus) ala est ad volandum ad res cœlestes:quid aliud est eam rebus superfluis cum anxia solicitudine affigere: nisi tantum luti alæ apponere & alligare:vt non possit cum illa volari? exuas illam itaque ab omni eo, quod superfluum est:vt magna cum celeritate ad locum volet suæ quietis.

h *Mat.*6.34

i *Supr. vers.* 29.

k *Exo.*16.20

*Serm.*4.*de aduent.*

§. 2.

SED adhuc Religiosa paupertas debet esse perfectior.nam non solum superflua abijcere,& necessarijs tantùm contenta esse debet; sed in ipsismet necessarijs,meritò sese adstringet,& contrahet:cupiens, quod nullus est,aliquem defectum sustinere in quo perfecta paupertas exerceatur. Ad hunc itaque gradum duo spectant: *Primum*, vt necessitatis limites non extendantur,sed coarctentur. Natura enim, quoniam appetit multum,ita persuadet,se multis indigere: cùm in rei veritate possit paucioribus adhærere;Estque magna felicitas posse illi paucis satisfacere: siquidem (vt Sanctus Augustinus dixit)feliciores illi sunt; qui sunt etiam fortiores, ad vitam paucioribus transigendam:& qui paucis est contentus, paucis etiam viuere potest.Quamobrem S.Bonauentura dixit;esse quædam horrea cupiditatum & quædam necessitatis: & illa esse valde ampla, necvnquam repleri: nam cupidos dicere,quod Euangelicus ille dines:a *destruam horrea mea & maiora faciam & illuc congregabo omnia mea*; Horrea verò necessitatis,angusta sunt paucisque replentur. Quare qui cupiditatem suam bene mortificatam habent,paucis admodum saturantur,& contenti viuunt.

In Regula.

*Proœs.*6. *Relig.c.*31.

a *Luc.*12.18.

ALTERVM quòd ad hunc paupertatis gradum spectat, est cupere defectum aliquem pati etiam in necessarijs, sicut pauperes non rarò patiuntur.

Non

Non enim benè conueniunt desiderare esse verè pauperem: & cupere semper habere necessaria. Quod pulchrè perpendit Cardinalis Caietanus, id colligens ex eo, quod Salomon à Deo petijt, dicens; b *mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria*, id innuens, quod habere semper necessaria, quãuis non sit opulentia, nõ est tamẽ paupertas: hæc enim aliquẽ necessariorum defectum includit: Quare velle pauperem esse absque aliquo defectu, est, velle esse pauperem solo nomine & titulo, vt iam est dictum. Et hoc modo antiqui sancti fuerunt verè pauperes, qui ni quatuor prædictis rebus multa sunt perpessi: nam, vt ait Apostolus, c *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, & afflicti: in solitudinibus errantes, & in speluncis, & cauernis terræ*: super quam nudam iacebant. Eadem quoque sustinuit Saluator noster, cui sæpè necessarius cibus deerat, & in ipsa cruce neque haustum aquæ habere potuit, neq; vestem, qua suam nuditatem operiret; nec lectum, vbi caput suum reclinaret, cui etiam deerat, quod vulpes in campis habent, & volucres cœli. Ad cuius imitationem Reges si, qui gloriantur; & honori sibi tribuunt, quòd sint eius discipuli, quæ me debent talem paupertatis modum, vt d *in omnibus exhibeant se* (vt ait Apostolus) *sicut Dei ministros in multa patientia, e in fame, & siti; in frigore, & nuditate*, vt assuescant nosse, f *satiari, & esurire; abundare, & penuriam pati*: g *rapinam bonorum suorum* & defectum rerum necessariarũ *cum gaudio suscipientes*, quando Deus id permiserit: quod nunquam permitteret, nisi in maius bonum spirituale ipsorum. Quemadmodum permisit, mendicum Lazarum ad tantam paupertatem deuenire, vt h *cupienti saturari de micis, quæ cadebant, de mensa diuitis, nemo illi daret*: & cùm iaceret ad ianuam, non fuit, qui illum reciperet: quod permisit Deus: vt cum hac adeò fortiter tolerata paupertate adeò diuitem faceret multarum virtutum: vt mereretur post mortem *portari ab Angelis in sinum Abrahæ*. O felicem paupertatem, quæ in tot diuitias transijt! ô beatam famem, cuius finis est æterna saturitas! ô glorioſam nuditatem, quæ veste inducitur gloriæ! beatum lecti & habitationis defectum, qui æquè in Dei sinu remunerabitur, & in æterna Empyrei cœli domo excipietur, vbi infinitis fruetur diuitijs in æternum, absque vllo timore aliquid earum amittendi. Iure optimo Sanctus Bernardus perpendit: quod Christus Dominus noster vnum idemque cœlorum regnum promiserit paupertibus spiritu in prima beatitudine; & in octaua, Martyribus, persecutionem propter iustitiam patientibus. nam martyrij, inquit, genus est paupertas voluntaria. Et quodnam grauius est martyrium, quàm famem tolerare inter epulas; & frigus in multis vestibus; & paupertatem in magnis diuitijs, quas mundus offert, Dæmon ostendit, nosterque appetitus desiderat? Sed hoc martyrium coronabitur, & remunerabitur

In 3. p. q. 40 a. 3. ad 1.
b *Pro. 30. 8.*

Ex S. Bern. serm. 4. de Aduent.
c *Heb 11, 37.*

d *2. Cor. 6. 7*
e *6. 11. 27.*
f *Phil 4. 12.*
g *Heb. 10. 34*

h *Luc, 16. 21*

Serm. 1. de omnib. Sanct.

ætern o regno;vbi,omnibus malis expulsis,bona omnia erunt plena.Ex omnibus dictis concludo:eum,qui velit meritum habere perfectæ paupertatis,paratum esse debere,ad omnes hos defectus,tolerandos, qui eius sunt quasi comites:ac desiderare certis temporibus,eos experiri; aut cum Deus ipse eos ad nostram exercitationem permiserit: aut quando superiores in eos ad nostram vtilitatem dirigunt;aut nos ipsi eos quærimus, aut occurrentes accipimus ad nostram maiorem perfectionem:nunc mendicantes aliquam egeni;nunc manibus laborantes ad aliquem victum conquirendum, sicut faciunt indigentes; & faciebat ipse Apostolus, & alij Christi discipuli, nunc sese mortificantes:relinquendo aliquid ex rebus corpori necessarijs,vt sic spiritus perficiatur:ita tamen, vt natura ex nimietate non lædatur,sed in omnibus seruetur moderatio, quam dictat prudentia. Per hos omnes gradus peruenitur ad perfectam spiritus paupertatem: quæ illorum est propria,qui magno Dei amore ardent,sicut Seraphini:quorum nuditatem postea explicabimus;qui adeo sunt in spiritu,amoris igne inflammati:vt corporis nuditatem non sentiant.

CAPVT VIII.

ALII PAVPERTATIS SPIRITVS ET CORDIS *humilitatis gradus magis insignes & heroici,excludentes omne genus proprietatis ac superbiæ contra perfectionem Religiosam.*

QVAMVIS SPIRITVS PAVPERTAS,de qua hactenus egimus,sit valde excellens, primique voti propria materia: adhuc tamen complectitur alios gradus magis heroicæ perfectionis,valde proprios status Religiosi. Quos etiam amplexus est Christus Dominus noster in prima illa Beatitudine, qua dixit: a *Beati pauperes spiritu;quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Intelliget s per pauperes spiritu (vt Sancti Augustinus & Chrysostomus explicant)humiles corde:qui in oculis suis pauperes sunt, & carent aura illa siue vento,spiritus etiam nomine significato.Quemadmodum enim pauperes temporales vocantur, qui diuitijs temporalibus carent: ita pauperes spirituales dicentur, qui carent vento superbiæ.Qui duplex est:alter superbiæ carnalis & mundanæ:alter superbiæ spiritualis,& primo aspectu Religiosæ. Quibus nominibus eum explicant Sancti Gregorius,Dorotheus,& Cassianus: vt fusè dictũ in Deus spirituali:quibus nunc addemus,quod spectat ad hoc propositũ.Ventus superbiæ carnalis & mundanæ flat per omnes mundi plateas, & omnia fora

a *Matt. 5.3. Lib. 1. de ser. Domini in monte. Hom. 15. in Matth.*

Li.34. Mor. c.18.serm.2. Collat. 5.c.12 & l.12. c.2.

inun-

inter omnes sæculares & Ecclesiasticos, quos aggreditur appetitu ac desiderio inordinato excellentiæ in rebus temporalibus, quas mundus amat, & magni facit: quales sunt diuitiæ, nobilitas, dignitates, imperia, & reliqua externa bona, quæ mundus magna iudicat. Ventus quoq; superbiæ spiritualis fert per easdē plateas, & penetrat ad occulta Religionū, aggrediens Religiosos inordinato appetitu excellētiæ, authoritatis vanæ, eruditionis in scientijs & virtutibus: quæ sunt merces, quas ipsi manibus suis tractāt, & vertunt. Et quādo hæc Superbia priori illi mundanæ coniungitur, ad eos impugnādos: horrendā edit stragem in ijs, qui aditū ei præbēt, Vbi enim illa pedem ponit, omnem sanctitatem consumit, destruit, & planè peruertit: commutat enim Religionem in ipsum mundum, habitu Religioso indutum; aut Religiosum ipsum educit, vt sese rebus mundi implicet. Præclarè hanc stragem depinxit Propheta Ezechiel his verbis: c *Aquila grandis magnarū alarum, longo mēbrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanū, & tulit medullā Cedri. Sūmitatem frōdium eius auulsit: & transportauit eam in terram Chanaan, in vrbe negotiatorum posuit illam.* Et quamuis ad literam loquatur Propheta de superbo Nabuchodonosor, qui veniens Ierusalem abduxit ex ea captiuos præcipuos eius habitatores, & transtulit in Babylonem, quam appellat Chanaan, & significat negotiationem, ob frequentia, quæ ibi erāt cōmercia. Sed magna etiā cum proprietate eam sententiam licet accommodare vitio superbiæ, quæ instar aquilæ vult super reliquos volare, suumq; nidum in altiori loco, quam alij sint, collocare: imò cupiens ascendere super altitudinem nubium, hincq; similis ipsi Deo. Duæ execrandæ huius aquilæ alæ sunt duo illa genera vanitatis & iactantiæ, de quibus diximus. Sinistra ala est desiderium honorum & excellentiarum temporalium; dextera verò est appetitus honorum in dignitatibus & munijs spiritualibus. Vtraque autem ala plumis est rerum cum magna varietate iuxta multitudinem & varietatem rerum, quibus innituntur. Nam (vt S. Gregorius perpendit) alij superbiūt ex veste pretiosa; alij ex genere & prosapia, corporisque elegantia; alij ex pulchritudine aut eloquentia; alij ex varijs artibus & scientij; alij occasionem etiam sumunt ex varijs virtutum exercitijs: & quotquot res magnæ sunt in terra, tot sunt motiua, quibus illa excitatur & fouetur. De hac enim fera dicitur: quod d *omne sublime videat.* Et vbicunque illud videt, statim concupiscit. Et cūm cibus, quem habet in Babylone mundi huius, famem eius non satiet: volat alis suis ad montem Libanum, Rempublicā scilicet Ecclesiasticam, & Sacrā Religionem: quæ est mons propter vitæ celsitudinem, & Libanus, quod significat candidum, propter Castitatem, & puritatē, quam sectatur: arbores sunt Cedri ob magnitudinem, pulchritudinem, & stabilitatem bonorum Religiosorum. At superbia, quæ inescatur rebus altis &

Trāct. 4. c. 5.

c *Ezec. 17. 3.*

Lib 34. mor. c. 18.

d *Iob. 41. 25.*

Vita religiosa mons est.

precioſis: cùm ſacrum hunc montem ingreditur, *tulit medullam Cedri.* Nam ſi quis Religioſus aditum ei præbeat, etiamſi ſit altiſſima cedrus, deuorat eius cor, & omnem internum ſpiritum, deuotionem, Deique amorem, quem habebat, illi aufert. Quemadmodum autem arbor, ſtatim atque cor & medulla ei aufertur, arefcit, fructuſque & folia decidunt; nec amplius alicuius vſui, niſi igni: ita miſer ille, qui ſuperbiam admittit; remanet abſque virtute interna, & fructibus operum externorum, & folijs verborum ſanctorum: loquitur enim & agit iuxta id, quod ſuperbia, in animæ eius viſcera ingreſſa, dictat. Interdum etiam ipſas *frondium ſummitates.* Religioſos videlicet teneriores *auellit*, eoſque transfert in ciuitatem negotiatorum: quia educit eos Religione, & facit redire ad mundum; aut ſaltem ad negotia & contractus humanos agendo ſcilicet de bonis temporalibus, dignitatibus, prælationibus, alijſque rebus amplis, & ſplendidis: de quibus agunt ſæculares tranſgredientes Eccleſiæ decreta, quibus talia illis prohibentur, deducta ex illa Apoſtoli ſententia: *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus:* euadit enim Religioſi, ſolo habitu. Et tunc illis accommodabitur & mandabitur executioni imprecatio illa, quæ dicitur in Iob: f *Deuoret pulchritudinem carnis eius, conſumat brachia illius primogenita mors.* Et quæ eſt (ait S. Gregorius) primogenita mors, niſi ſuperbia, quæ initium eſt omnium peccatorum, & prima mors culpæ, quæ fuit in hominibus & dæmonibus? Hæc gratiæ pulchritudinem deſtruit, & virtutes ac fortitudinem ad bona opera præſtandi. Quæ ſi g *Nazareos* inuadat, *etiamſi niue ſint candidiores, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores: denigrata* tamen *eſt ſuper carbones facies eorum,* ita vt *non ſint cogniti in plateis,* in quibus priùs notiſſimi erant. Quid niſi ſuperbia, Angelorum pulchritudinem defædauit, & in dæmones conuertit, & è cœlo tanquam fulmina ad infernum deiecit? Quid niſi eadem primorum parentum in ſtatu Innocentiæ pulchritudinem deformauit, & è Paradiſo expulit? Hæc eſt, quæ ſpiritualem Religioſorum pulchritudinem deformat, eoſque ex ipſa Religione, aut recollectione ſua expellit, aut inutiles & infructuoſos viuere facit. Quamuis enim carnalitas etiam ſoleat negligens adferre detrimentum: ordinariè tamen (vt S. Gregorius ait (cùm lapſus in luxuriam apparet, priùs ſuperbia occultè iam vicerit. Hæc cor vulnerauit candidæ cedri: ac propterea amiſit illa ſuum candorē: quia Deus eam humiliauit caſu aliquo publico, & infami: eò quòd occultā admiſerit ſuperbiam: h *ego,* ait Dominus, *humiliaui lignum ſublime & exaltaui lignū humile, & ſiccaui lignū viride, & frōdere feci lignū aridū.* Nulla eſt in excelſo loco ſecuritas, ſi adſit ſuperbia: Deus enim ſuperbos humiliat, & potētes eijcit de ſede ſua, i *Si exaltatus fueris, vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidū tuum: inde detrahā te, dicit Dominus.* k *Quò pulchrior es, eò* ampliùs *deſcendes dormies q.* & peribis cum

c *Multa: Ne Cleri. vel Monach.*
e 2 *Tim.* 2. 4
f *Iob.* 18. 13.
Lib. 14. *mor. c.* 3.
g *Thre.* 4. 7.
Lib. 26. *c.* 13
h *Eze.* 17. 24
i *Abdia verſ.* 4.
k *Eze* 32. 19.

circumcisis, hoc est, cum hominibus mundanis. Noli fidere virori & fructibus, quibus nunc es ornatus: si enim superbieris, superbia reddet te aridum sicut aristam: nam de huiusmodi dixit S. Iob: l *Eleuati sunt modicum, & non subsistent; & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur*, quæ sunt aristæ aridæ, & inutiles, postquam ab eis excussum est frumentum. Nec sine magno mysterio, ait S. Gregorius, vsum fuisse sanctum Iob hac similitudine. Nam quemadmodum spica, grana continet vnita & tecta: sed ipsæ aristæ ascendunt solutæ ab inuicem, quamuis omnes in hoc conueniant, vt supra grana erigantur; ita in Religione humiles vniti viuunt, & sibi conformes, tegentes bona sua, vt illa conseruent: at superbi semper à se inuicem sunt disiuncti; & in vna sola re conueniunt, vt studeant aliis præferri, illosque opprimere. Sed veniet tempus, quo grana detegantur & appareant; & sic ponantur in horreis cœlestibus: paleæ verò & aristæ a celsitudine abiectæ, esca fiant ignis æterni: nisi rationem vitæ, & agendi modum mutent.

l Iob. 24. 24

Lib. 17 mor c. 6.

§. 1. *Qua ratione spiritus paupertas hasce vincat superbias.*

EX His possunt Religiosi agnoscere, quàm sit necessarium esse humiles; & quàm meritò Christus Dominus noster tanquam fundamentum perfectionis Euangelicæ iecerit paupertatem spiritus exutam omni vento vanitatis, vtroque scilicet vento superbiæ mundanæ, & spiritualis. Nisi enim eas verè mortificent, & à se abijciant, non obtinebunt Beatitudinem, nec perfectionem sui statûs propriam; nec cœlorum regnum ipsis promissum. Quamuis autem vtraque superbia sit valde pernicioſa: mundana tamen (vt Sanctus Dorotheus aduertit) est quodam modo pernicioſior Religioso, quàm sit spiritualis. Nihil enim noui, quòd quis inanescat, multumq; sibi inaniter tribuat in rebus proprijs statûs & officij sui. Nam pictor inaniter gloriatur de sua pictura; fortis de sua fortitudine; sapiens de sua eruditione: & ideo Religiosus, qui spiritualia profitetur, eaque magni facit: non mirum, si quando de his se iactet, & glorietur.

Vbi supra.

Et quamuis superbia in rebus spiritualibus sit periculoſior: aliunde tamen valde degenerat à statu Religioso, quòd is glorietur inaniter, & de rebus mundi sese iactet. Est enim indicium, quòd adhuc illas amet, & magni faciat: nam si contemneret, aut parui faceret: non quæreret inanem gloriam ex eis. Ac propterea dixit S. Ioannes Climacus: Huiusmodi superbos Religiosos duplicem ducere vitam: alteram corpore in Religione, dum exteriora opera præstant, quæ reliqui faciunt; alteram spiritu in mundo, cogitantes ac desiderantes splendorem, & honorem sæcularem. At verus Religio-

Cap. 26

sus hæc omnia abijcit, suamque vitam exstruit super fundamentum contemptus omnis vanitatis, & honoris mundani.

Reg. 8. ex Fusis cap. 2. Hæc est perfecta rerum omnium renunciatio; inter quas numerat S. Basilius inanem gloriam & opinionem hominum. Et S. Ioannes Climacus amplius hoc declarans, ait: Religiosum tres renunciationes facere debere: vnam rerum omnium externarum; alteram propriæ voluntatis; tertiam inanis gloriæ & honoris; contra quam continuè pugnare debet. valde enim dolendum, quòd qui in media maris tempestate non perijt: pereat in ipso portu; & qui mundum fugit: submergatur postea ex superbia in Religione. Idem confirmat S. Bernardus dicens: quod paupertatem spiritualem tria constituant: depositio scilicet rerum, & contemptus; vilitas & abiectio sui ipsius; & abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. hæc sunt tria veræ Religionis insignia, quæ hominem Deo, & Angelis reddunt conformem, cœlestis patriæ ciuem conscribunt, & hæredem. Hæc S. Bernardus, qui iure optimo ponit primum quasi gradum paupertatis, non solùm depositionem & abiectionem rerum, sed etiam contemptum: hoc enim est veræ humilitatis fundamentum mundanæ superbiæ omnino contrarium, quia sordes & stercus reputat, quod mundus amat & magni facit. Ex qua prouenit, vt dedignetur gloriari de rebus huiusmodi: ac propterea nec iactat, nec inanescit ex ijs, quæ habet, aut habuit in sæculo; nec vult vllo modo æstimari, aut ex eis laudari. Ex quo fit, vt quamuis in sæculo multa habuerit diuitias, & splendorem, studeat tamen pro viribus, omnia illa occultare: ne paupertas, quam sectatur, ab alijs magni fiat. In quo imitatur ipse premam humilitatem Christi Domini nostri, qui (vt S. Bonauen. meditatur) etiamsi sponte elegerit pauperem matrem, pauperem patriã, & vile exercium fabri lignarij, reliquasque paupertatis miserias: ita eas suscepit, vt hominum iudicio, non videretur paupertas voluntaria, sed necessaria: quamuis est reliquorum pauperum huius mundi, qui non habentur in honore propter illam; sed potiùs parui fiunt, & contemnuntur. Ac propterea ait idem Sanctus, paupertatem Religiosorum nunquam peruenire ad humilem Saluatoris nostri paupertatem. Cum enim omnes iudicent, & existiment eam sponte susceptam, habetur in honore apud homines. Qui autem cupiunt esse humiles, dissimulatione quadam sancta dant operam, vt alij intelligant ipsos etiam in sæculo fuisse pauperes; aut certè tegunt quod diuites fuerint: vt sic minoris fiant.

Serm. 2. de Cœna Dom. » » » In medit. c. 44.

QVAMOBREM aliqui Principes, cupientes esse cum magna perfectione Religiosi, profecti sunt ad habitum Religiosum induendum in loca vbi non essent noti: vt hac ratione amplitudinem suam occultarent, & maiori cum humiliatione viuerent. De insigni illo principe Ca-

Ioanne

romano scribitur, quòd cùm habitum Religiosum induisset in monasterio quodam montis Soracte, cum totius mundi admiratione & stupore: videns, se ibi affici magno honore, discesserit inde occultè, & transierit ignotus ad montem Casinatem, vbi petijt habitum, & aliquo tempore vixit cum insigni & rara humilitate: seruiens in culina, & abiectis alijs officijs, quasi vilissimus, & abiectissimus omnium. Quando autem Religiosi non possunt hæc occultare: contendere debent, vt paupertas & humilitas tanquam duæ germanæ sorores ita in vnum conueniant, vt cupiant sibique semper eligant, quod vilius & abiectius est in ipsa Religione: aut) vt habetur in Decretis) exerceant abiecta & contempta officia, quæ alij reijciunt; aut, vt S. Thomas suadet, mendicent ostiatim, ad sese magis humiliandos; & eligant sibi vltimum in rebus omnibus locum, qualem solet pauper apud diuites obtinere: ac denique fugiant quicquid est honorificum, & splendidum in mundo: ne quid mundanæ superbiæ illis adhæresçat. Attendãt, quod, vt ait S. Bernardus, certamen & conflictum ingressuro expedit, ferrea lorica etiam valde graui indui; quàm bissina aut serica veste etiam valde preciosa & molli. Cum igitur Religiosus continuè cum dæmone & mundo pugnet: optimum est, vt paupertatis loricam & Christi Domini humilitatem induat, earumque effectus etiam valde graues exerceat, vt ab hostium suorum impugnatione, & conflictu facilius sese defendat. a *Vidi*, ait Zacharias Propheta, *Iesum Sacerdotem magnum indutum vestibus sordidis, & Sathanam stantem a dextris eius, vt aduersaretur ei.* Quid sibi vult, quod Iesus certamen ingressurus cum Sathana, induat vestes sordidas, quæ (vt S. Hieronymus & Ambrosius dicunt) significant ignominias, humiliationes, dolores, & ærumnas, quas pro nostris peccatis suscepit? sed nobis significant arma, quibus iusti munire se debent, congressuri cum hostibus suis. nam (vt S. Antonius Abbas dicere solebat) Sathan tremit conspecta paupertate voluntaria, & vera ac solida humilitate: Quamuis enim exterius videantur esse vestes viles, & contemptæ: propter similitudinem tamen, quam habent cum vestibus Saluatoris: non possunt dæmones contra eisdem indutos prævalere.

Remigius in Chronic. anni 746.

C Si quis semel de Pœnit. d. 2. 2. 2 q. 187. a. 5.

Serm. 4. de Natiuit.

a Zach. 3. 1.

Ibi & lib. 2. contra ser. S in Psal. 118. In eius vita

Nvllvs tamen tutum se existimare debet, quamuis externis paupertatis & humilitatis exercitijs prædictis mundanam superbiam superarit: cum non propterea victa sit superbia spiritualis, quæ solet eadem exercitia comitari. Nam (vt ait S. Gregorius) superbia eius est naturæ, vt occasione & occupatione mutata, qua ipsa fouetur: non propterea ipsa pereat, sed transeat quoque ad sequentem occupationem. Nam, qui in mundo vanus erat propter vestes splendidas & preciosas: cum Religionem ingreditur, eum aggreditur vanitas ex vili & contempta veste. Quare fugiens vnam vanitatem, facilè incidet in alteram, nisi valde sibi attendat. Et, vt S. Augustinus

Lib. 34. Moral. c. 18.

dixit, non solùm in vestibus precioſis; ſed etiam in vilibus & ſordidis poteſt eſſe iactantia: eò periculoſior, quò occultior; eò quòd tegatur pallio quodam obſequij Dei. Præterea humilitas (vt ait S. Gregorius Nazianzenus) rarior eſt ac difficilior in rebus ſpiritualibus, quàm in temporalibus. Quod ſatis apparet ex modo pugnandi contra ſuperbias eis contrarias. Superbia enim mundana ſuperatur reiectis diuitijs, honoribuſque temporalibus, quibus illa alitur; aut ſpretis & pro nihilo habitis, tanquam bonis vera laude indignis: quia non faciunt hominem iuſtum: ſpiritualis autem ſuperbia non repellitur deſerendo aut contemnendo bona ſpiritualia; quæ potius ſunt procuranda & magni faciendaa. Quibus tamen retentis nullus debet propterea inaneſcere, aut aliquid ſibi arrogare, & cupere ab alijs æſtimari, aut propter illa laudari; ſed potiùs ſe ipſum contemnere, atque ſi illa non haberet. Hoc verò arduum valde (vt dixit S. Bernardus) & rarum eſt, vt cum reuerâ ſis magnus, magnaq; bona præſtes: non tamen magnum te reputes, & quòd Sanctitas tua omnibus ſit manifeſta, tibi autem ſoli ſit ignota; & quòd alij te ſapientem & ſanctum reputent: tu verò te iudices ignorantem & peccatorem. Ac propterea poſt primum paupertatis gradum poſuit, addidit ſecundum, quem vocat *vilitatem & abiectionem ſuipſius*. Ita vt quamuis in hominum oculis magnus habeatur, in ſuis tamen ſit paruus; & quamuis alij ipſum honore afficiant, ac laudent: ipſe honore & laude illa indignum ſe reputet: nec eius vllam rationem ducat; ſed (vt quidam S. Abbas dixit) habeat ſe tanquam imaginem aliquam: quæ, etiamſi honore afficitur, non extollitur; nec, ſi contemnatur, ægrè fert, aut triſtatur. Denique intelligat (vt S. Iſidorus dixit) ſummam Monachi virtutem eſſe humilitatem, & vitium ſummum, ſuperbiam. Quare tunc ſe monachum reputet, cum omnium minimum ſe eſſe exiſtimauerit: etiamſi opera faciat præſtantiora cæteris. Et ita implebit illud Saluatoris: b *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus.*

Li. 2 de ſer. Domin. in mon. c. 19. Homil. de modeſt. in diſc. habēda.

Serm. 13. in Cant.

In vitis Pat. apud S. Bon. lib. 1. Phare. c. 31.

b *Luc. 17. 10*

§. 2. *Ratio heroicam adeò humilitatem, & ſpiritus paupertatem obtinendi*

VT QVIS ad excelſam adeò perfectionem pertingat, & ſupremum humilitatis, ac paupertatis ſpiritûs culmen obtineat, ex quo tota ſanctitas ſtatûs Religioſi dependet, neceſſe eſt, paupertatem & miſeriam propriam cognitione ſua altius penetrare. Hæc enim excellentia non nisi in eo conſiſtit, vt quis reipſa ſit verè pauper; quàm, vt ſe talem eſſe agnoſcat: ac propterea ſeipſum contemnat. Iuxta illud Sancti Bernardi, quòd humilitas ſit virtus quædam, quâ homo ex vera ſuijpſius cognitione vilem & abiectum iudicat. Et Ieremias in ſpirituali ſuo alphabeto ita incipit: *Ego vir videns paupertatem meam*, non dixit ego vir pauper; ſed, qui video &

Thren. 3. 1.

nibus ipsis palpo me esse pauperem: ac propterea me ipsum contemno. Hęc pauperras considerari potest in duplici genere bonorum, supernaturalium scilicet, ac naturaliũ. Prima est magis necessaria: quæ in eo consistit, vt homo agnoscat summam miseriam & nihilum, quod ex seipso habet: qui ita careat omnibus huiusmodi bonis; vt nec ex seipso illa habeat, neque obtinere vlla ratione possit, nisi ex mera gratia & eleëmosyna. Sicut homo aliquis paupertimus, qui nulla bona ex suo patrimonio habeat, nec vires, aut industriam aliquam, ad aliqua bona sibi comparanda, ne quidem linguam, vt ea petat, aut mendicet: nisi Deus misericordiâ suâ aliquid ei cõcedat. Minimũ enim vitæ spiritualis est; prima bona cogitatio: de qua dixit Apostolus, tantam esse nostram paupertatem, vt b *non simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*: ex nobis autem ipsis adeò sumus ignorãtes, vt c *quid oremus, sicut oportet, nescimus: nisi Spiritus* sanctus doceat nos, & *postulet pro nobis*: adeò vt, cùm simus pauperes, non sciamus esse mendici, nisi ipsemet Deus nos adiuuet petere tanquam mendicos; vt remedium obtineamus, & subsidium in nostris necessitatibus. Et vlteriùs adhuc tanta est nostra paupertas, vt neque eius cognitionem habere possimus: nisi ipsemet Deus id concesserit, quod fatus est Sapiens, cùm dixit: d *scitu: quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiæ scire cuius esset hoc donum*; aut vt alius textus habet: hoc ipsum erat summa sapientia: talem scilicet habere cognitionem. Vocauit autem summam sapientiam; eò quòd certè talis cognitio principium sit & fundamentum omnium virtutum, & firmitatis ac securitatis in eis; & omnium incrementorum, quæ in hac vita viæ ad ipsam æternam habentur: in qua eadem cognitio perseuerat: omnes enim beati, & ipsemet Christus, quà homo est, agnoscunt se pauperes in hoc genere paupertatis: quia vident, ex seipsis se nihil esse. Et hinc prouenit, quòd huiusmodi pauperes sint perpetui in hac vita mendici, bene conscij sibi non posse viuere, nec durare, nec proficere, nisi mendicent, & petant: & ita perfectè explent; quod dixit Christus Dominus: e *oportet semper orare, & non deficere*. Simul verò & in hac & in altera vita sunt semper gratissimi, non cessantes à diuinis laudibus: & ita soli Deo gloriam de omnibus, quæ habent, tribuentes: vt nulla sibi velint. ac propterea horrent laudari, vt solus Deus laudetur: scientes se ex eius manu accipere quicquid habent; & vt sine eo nihil habent: ita quod ab eo habent, non possunt sine ipso conservare. Quamobrem dixit Dauid: f *Pauper & inops laudabunt nomen tuum*. De quibus ait Cassianus, intelligi accommodatissimè, quod dixit Saluator: g *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Et quæ maior aut sanctior potest esse paupertas, quàm illius, qui nihil se præsidij, nihil virium habere agnoscens, de aliena largitate quotidianum poscit auxilium; & vitam suam

b 2. Cor. 3. 5.
c Ro. 8. 8. 26
d Sap. 8. 21.
e Luc. 18. 1.
f Psal. 73. 21 Coll. 10. c 11.
g Matt. 5. 3.

atque substantiam singulis quibusq; momentis, diuina ope intelligens sustentari, verum se mendicum Domini non immeritò profiteur, supplicesque ad eum quotidie clamans: h *ego autem mendicus & pauper sum: Dominus sollicitus est mei.* Hæc Cassianus: qui addit: per hunc paupertatis modum conscendi ad supremum & perfectissimum contemplationis & vnionis cum Deo; & ad culmen omnium virtutum: vt quis maiori cum plenitudine fruatur i *regno Dei*, quod est *iustitia pax & gaudium in Spiritu sancto*. cum enim hæc paupertas exuat hominem seipso, valde bene dispositum illum relinquit, vt copiosiora Dei dona recipiat. & quemadmodum ipsum impellit, ad semper orandum, & gratias agendas: ita valde bene ipsum disponit, ad recipienda continua Domini beneficia: qui liberaliter ea humilibus, & gratum animum ostendentibus, largitur: implens quod per Ezechielem dixerat: k *Ego exalto lignum humile, & frondere facio lignum aridum* Quò enim ipse minorem se existimat, ac sicciorem: eò Deus magis illum extollit, & floridum ac iocundum facit.

h *Psal.* 39. 18.

i *Ro.* 14. 17.

k *Eze.* 17. 24.

QVOD hactenus diximus de bonis spiritualibus, intelligi etiam debet de naturalibus. Si enim verè es pauper spiritu, agnosces bona hæc non esse tua, vt qui ex te ipso adeò sis pauper, vt nec habeas, nec possis quicquam, si recipias à Deo, ipsius naturæ authore: à quo tuum esse, & conservatio tui, & quod aliquid possis facere, dependet. Ita vt, si Deus de sisteret à tua conseruatione, & auxilio tibi ferendo: mox abires in nihilum; nec posses quidquam. Quæ igitur maior esse potest paupertas, quàm carere omni genere bonorum, & ipsorum fundamento, hoc est, ipso Esse? Iure optimo Dauid Domino nostro dixit: l *substantia mea tanquam nihilum ante te*. Substantia videlicet mea; Esse meum, vita mea, potentiæ meæ, diuitiæ, regna, & quicquid in hoc mundo possideo, est tanquam nihilum ante te: & quamuis ea conserues, mihiq́ue omnium dominium tradas; semper tamen ego pauper maneo: quia absque actuali tuo auxilio non possum illis vti. Ex quo fit, quamuis Dominus noster legibus in ipsa natura constitutis, vsum & exercitium concesserit naturalium horum donorum omnibus hominibus: non debeas propterea duplex illud officium prætermittere, mendicandi, & laudandi, auxilium, & fauorem petens ad eadem naturalia opera in eo gratia præstanda, vt te iuuent ad consequenda bona supernaturalia; & semper eundem laudans pro omnibus, quæ tibi est largitus, & semper largiter: reddens ei gloriam vt nunquam eam tibi attribuas: ne tibi idem obijciat quod alteri illi superbo: m *nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Aut exaltabitur serra, contra eum, à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga, aut baculus contra eleuantem se.*

l *Psal.* 38. 6.

m *Isa.* 10. 15.

SED quoniam hic modus & gradus paupertatis omnibus hominibus

versùs Deum est communis: quamuis paucis notus sit, & pauciores amplectantur spiritum humilitatis, qui in eo fundatur: alium nunc proponemus, alios cum alijs hominibus conferemus. Notum est enim, quòd qui in pago aliquo ducentos habet annuos ducatos in reditibus, diues sit respectu reliquorum paganorum; pauper tamen, si cum aliquo nobili conferatur, qui mille aut decem millia singulis annis habeat. Et idem hic, qui diues censeretur si cum cæteris ciuibus, pauciora habentibus comparetur: est pauper collatus cum Comitibus, aut Ducibus, qui multò ampliores reditus habeat; & hi iudicant se pauperes, comparati cum Regibus & Imperatoribus. Hunc in modum, ait S. Dorotheus, Sancti, qui possent se diuites existimare, cum inferioribus alijs collatos: iudicant tamen, se esse pauperes, eò quòd alios videant sanctiores: & aspicientes n *Gigantes videntur sibi, esse locusta*. Et cum *Iacob centum & triginta esset annorum dixit, eos fuisse paruos, & malos collatos ad annos parentum suorum*, qui fuerunt multò plures & boni. Nec vllas est Religiosus, quantumuis feruens; qui non se iudicet tepidum, & ignauum, si vitam suam conferat cum vita Sanctorum suorum Fundatorum, eorumque priorum sociorum. Et quamuis gratias Deo agat, propter bonum, quod habet: viuit tamen in humilitate, propter multa, quæ videt sibi deesse; & contendit festinare, vt ea assequatur: nec vnquam satiatur, aut sibi satisfacit. Cuius contrarium superbi illi faciebant, quibus dixit Apostolus p *iam saturati estis, iam diuites facti estis*: & quidam alius, qui dicebat: q *diues sum, & locupletatus, & nullius egeo* cui respondit Dominus: *Nescis: quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus*? Nam in via cœlesti ille verè pauper est, qui superbè se diuitem iudicat; ille autem verè est diues, qui cum humilitate pauperem se agnoscit. Nec solùm si bona sua conferat cum infinitis Dei thesauris, cum quibus etiam Sanctorum omnium bona sunt parua, & quasi nihil; sed etiam, si ea conferat cum diuitijs aliorum Sanctorum, siue iam in cœlo beatorum, siue multorum qui adhuc viuunt in terra: inter quos semper aliquid splendet singulare in singulis, ad quos, dum alij se comparant, iudicant, se pauperiores, & minores illis esse.

Serm. 2.

n *Nu.* 13.34

o *Gen.* 47 9

p 1. *Cor.* 4.8

q *Apo.* 3.17

Cvm hoc secundo paupertatis gradu coniungitur tertius, quem SS. Bernardus & Ioannes Climacus, propriæ voluntatis abnegationem vocant. Quemadmodum enim vitium est proprietatis, contra votum paupertatis, quòd quis sibi soli vsurpet bona, quæ sunt omnibus in illa Religione communia: ita vitium est proprietatis contra paupertatem spiritualem, quòd quis suæ voluntatis vsum faciat sibi proprium, qui iuxta rectam rationem deberet ex Charitate communis esse cum voluntate omnium Fratrum; & ex obedientia, cum voluntate Dei, suorum Prælatorum. Quare is perfectè pauper spiritu censendus est, qui prauæ huic proprietati renuntians, statuit

nihil in posterum velle contra voluntatem proximorum in casibus, in quibus Charitas iubet sese illis conformare; nec contra voluntatem Prælatorum, quibus se per votum obedientiæ obstrinxit: & vniuersim, nihil velle quod non sit Dei voluntati conforme: ita vt nequaquam voluntas sit ipsius solius propria, sed ipsius & Dei, sed ita, vt suam, Dei voluntati conformet. Et hæc altissima est humilitas; quam Sanctus Augustinus ait Christum Dominum nostrum manifestasse, cùm dixit: p *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam; sed voluntatem eius, qui misit me.* Nam superbia (inquit) semper facit propriam voluntatem; humilitas autem semper se subijcit voluntati Dei. Et Sanctus Anselmus ait: in solo Deo; qui est absolutus rerum omnium Dominus, & summè sanctus, voluntas propria est bona & sancta; non enim ipse tenetur aliorum voluntati sese accommodare: quia potiùs ipse est prima Regula, cui omnium voluntates se debeant conformare; & quæ ab ea recedunt, sunt propriæ, & superbæ, arrogantes sibi rationem regulæ in ipsarum, & absolutum actionum suarum dominium. Verus autem humilis & pauper spiritu horret similem proprietatem suæ voluntatis; illamq; potiùs facit communem cum Dei, eius que ministrorum voluntate. Et tunc est verè beatus, & regnum cœlorum est eius: quia facit voluntatem Dei in terra, sicut fit in cœlo. Sed de hoc fusiùs inferiùs, cùm agemus de voto obedientiæ.

Tract. 25 in Ioan. p Ioa. 6. 38. Lib. de similitud. c. 6.

CAPVT IX.

CASTITAS RELIGIOSA ET PRÆCLARA RELIGIONIS *ad eius custodiam media.*

Secundum votum religionis.

SECVNDVM RELIGIONIS VOTVM, & præstantius quàm paupertatis, est CASTITAS perpetua. de cuius præstantia, & commodis, ac medijs ad eam conseruandam fusè actum est tract. 2. Quare ea nunc tantùm addemus, quę eiusdem voti in Religione sunt propria. Quo edito adeò Religiosus ad Castitatem seruandam obstringitur, vt non solùm non liceat ei matrimonium licitè inire: sed si id re ipsa tentaret; fictum, esset nullius valoris. Nam quemadmodùm qui vxorem habet, non potest, illa viuente, alteram ducere; ita Religiosus, quòd voto castitatis nuptias cum Christo spirituales celebrauit: inhabilis manet ad carnales humani mundi celebrandas. Ex quo oritur maior firmitas statûs continentiæ in Religione, quàm in sæculo: vbi votum; quod simplex dicitur, reddit quidem illicitum matrimonium, vt non sine peccato contrahatur: sed, si re ipsa contrahatur, non redditur nullum. Quamuis autem Religiosum vinculum sit magis strictum, simul tamen est felicius, ac fortunatius. si enim vinculum cedit in maius nostrum commodum: quò illud est strictius ac fortius, eò est excellentius; & quò minor est spes illud dissoluendi, eò est magis gloriosum.

illo esse colligatum. Quare quicquid in laudem voti Castitatis dictum est, locum habet cum maiori excellentia, quando illud est solenne, ac Religiosum. Et quamuis omnes Religiones (vt ait Sanctus Bonauentura) sint æquales in huius voti substantia, eò quòd virginitas, aut Castitas Religiosa non admittat gradus extensionis, aut perfectionis maioris aut minoris, quos habent paupertas & obedientia: quia omnes æquè tenentur esse casti in omni genere cogitationum, verborum, & operum: in modo tamen eam custodiendi, & mediis ad eius conseruationem adhibendis varij sunt modi perfectionis. Illa autem Religio, quod ad hoc votum spectat, erit perfectior, quæ in Regulis suis efficaciora habebit remedia, magisque proportionata ad eam firmandã, præueniendo pericula eam transgrediendi. Quamobrẽ dicere licet, castitatem in sæculo esse quasi florem in campo, & lilium conuallium: quæ difficile custoditur: eò quòd multi illam aspiciant, eius percipiant odorem, tangant & arripiant, vt euellant: at in Religione, ob votum & clausuram, est tanquam flos & lilium in horto septo, & concluso: vbi facilè conseruatur: quia pauci eò ingrediuntur; nec permittitur ingredi, de quo præsumitur quòd intendat illam abscindere, euellere, aut contingere. Verum quidem est, Diuinam protectionem custodire florem hunc in campo; & infernalem serpentem etiam ex ipso horto eum deprædari, eò quòd omnia penetret: vt neque sæcularis animum abijciat; neq; Religiosus tutum se esse existimet. Nec tamen dubitandum est, quin Religio multò meliùs florem hunc custodiat, & Deus ipse illum in ea conseruet.

In exposit. Regul. c. 10. circa fin.

§. 1.

1.

EX His deducemus paulatim aliquas excellentias statûs continentiæ Religiosæ. *Prima* sit, quòd cùm Religio sit generalis quædam ex mundo, omnibusque eius vitijs fuga: ideò potentiùs ac certiùs de luxuria triumphat: quæ (vt S. Augustinus perpendit) fugiendo vincitur, & quò magis procul quis fugit: eò tutiùs eam vincit. Quare Apostolus, suadens resistere & pugnare contra reliqua vitia: dum ad hoc peruenit, ait: a *Fugite fornicationem*. hoc insinuans, quòd fornicatio fugiendo vincatur: quæ fuga non est timiditas, aut pusillanimitas contemnenda; sed prudens & laudabilis fortitudo: quemadmodum magna fuit gloria Ioseph b *reliquisse in manu domina sua pallium, & fugisse*. Contra libidinis impetum ait Sanctus Augustinus, apprehende fugam; si vis obtinere victoriam: nec tibi verecundum sit fugere, si Castitatis palmam desideras obtinere. Ne dicas volo potiùs in ipsa occasione manere, vt habeam quem vincam: hoc enim est desiderare labi. Si dicas, te velle hostem tuum tenere captiuum: caue ne captiuus iste præualeat contra te: & vbi cogitabas gloriosum obtinere triumphum, in æternum te præcipites contemptum.

Ser. 150. de tempore.

a 1. Cor. 6. 18.

b Gen. 39. 12.

Quare

Quare nemo seipsum falsa securitate decipiat, nec viribus suis periculose confidat; sed obediat Apostolo dicenti: *Fugite fornicationem.* Hoc igitur consiliū tutissimè impletur in Religione, quæ viros à fœminis separat; & Religiosas in suis monasterijs includit, ne possint cū viris cōuersari; & Religiosos separat à fœminarum communicatione, & familiaritate. Imò interdū incedūt in solitudines ac deserta, vt ab his occasionibus sint remotiores. Etsi cèt hoc non fiat: tamen ipsamet Religio vocatur solitudo, ac desertum spirituale: eius enim Professio est, esse in tali secessu ac recollectione; quam suis legibus ac Regulis optimè sepit ac munit.

Religio solitudo vocatur.

2. MVLTVM ad id iuuant, qui in ipsa Religione sunt constituti ad custodiam huius horti cōclusi, & magno zelo tuendā Castitatē, quā Religiosi profitentur. Hi autē sunt Prælati, Spiritus Magistri, Cōfessarij ac seniores; quibus reliqui parent, eosq; venerantur: suntq; c *sexaginta illi fortes ex Israel, qui lectulū Salomonis ambiūt: oēs tenētes gladios & ad bella doctissimi: vnusquisq; ensis super femur suū propter timores nocturnos.* Hi nunquā dormiūt, sed vigilāt semper, nec arma sua deponunt, sed semper in manibus & in prōptu habēt; nec sunt in militia Tyrones, sed doctissimi & exercitatissimi Duces: non solū ad hostes vincēdos, qui ipsos aggrediuntur, sed etiā insurgētes cōtra lectulū Salomonis; cuius ipsi sunt custodes: hoc est, congregationē Religiosarū animarum, in quibus verus Salomon Christus D. N. requiescit. Dæmones enim nō desistunt, Religiosos turbare tētationibus carnis, quas hic *nocturnas* tempestates appellat; eò quòd vehemētius in nocte eos aggrediātur iacētes in lectis quiete; aut ex tempore non præuisæ; aut pallio aliquo pietatis operta: quòd sint fœdissimæ, studeant se occultare: pudet enim sese aperire, & illas deponere. Sed strenui isti pugnatores ambiunt hunc lectulum, armisq; fortiter contra Dæmones vtuntur, tentatos ipsos adiuuantes monitis, consilijs, exhortationibus, variisq; remedijs: quibus victores euadant. Quemadmodum enim ægrotus, qui domi suæ medicum habet, faciliùs curatur: eò quòd facilius & frequentius morbi sui rationem ei reddere, & paroxismos incidentes aperire potest: & ipse medicus potest frequentius illum visitare, & videre ad oculum quod refert infirmus; aptumque remedium tempestiue illi applicare: ita Religiosi, habentes in suis Conuentibus spirituales animarum suarum medicos, faciliùs curari possunt, quàm sæculares: quia in promptu illos habent, vt suarum conscientiarum rationes eis reddant, suasque tentationes animique afflictiones aperire, & ad Confessionem, cū primi se vident, accedere; & medici ac Confessarii frequentiùs possunt eos adloqui, monere, animumque illis addere: & quoniam sibi notissimos habent citiùs efficaciora adhibent remedia. Adde: quòd ipsa rationis reddi-tio', & tentationis inhonestæ manifestatio', antidotum sit valde apta

c *Can.* 3. 7.

quo

quo adhibito illa euanescit: fugit enim luxuria humilitatem, quæ in his tentationibus aperiendis elucet,

Hvic claritati & apertioni tentationis, si obedientia coniungatur, adeò 3.
vtraque Dæmones terret, vt animæ lectulum ita quietum relinquant, ac tranquillum; vt ipsimet tantam pacem habenti, fiat sibi suspecta. Quemadmodum euenit Sancto Dorotheo: qui verebatur deceptionem aliquam subesse ingenti tranquillitati, quam in hoc genere in se sentiebat: donec Abbas eius ei dixit: tranquillitatem illam, fructum esse charitatis & obedientiæ, cum qua erga suos Superiores agebat. Nam obedientiæ votum, si, vt oportet, custodiatur: est magnum Castitatis præsidium: sicut inobedientia contrà valde exstimulat, fouetque luxuriam. Si anima inquit S. Bernardus possidere cupit sui corporis terram, & pacificè regnare super suæ carnis membra: necesse est, eam mitem esse, suoque Prælato subiectam: talem enim experietur suum inferiorem: qualis illa erga suum fuerit Superiorem. Armatur enim creatura ad vlciscendam sui iniuriam Creatoris: & ideò nocuerit anima, quæ rebellem sibi inuenit carnem suam, se quoq, minùs quàm oporteat superioribus potestatibus esse subiectam. Mansuescat igitur ipsa & humilietur sub potenti manu Dei altissimi; subiecta sit Deo; & his pariter, quibus viæ eius debent obedire, Prælatis: & continuò corpus suum inueniet obediens, & subiectum. Hoc ipsum confirmat Cassianus sententiâ omnium Patrum qui erant in Eremo: qui dicebant, necesse esse Monachum valde sedulò agere de mortificandis propriæ voluntatis actibus, ad continẽdas & vincendas effrenes carnis suæ appetitiones. Quod si oculos conijciamus in id, quod in paradiso cœlesti accidit, inueniemus, quamdiu Adamus & Eua perstiterunt in Diuini mandati obedientia, eos nullum sensisse motum indecẽtem, nec puduisse, quòd se nudos viderent: eò quòd caro esset spiritui subiecta, sicut ipse spiritus subijciebatur Deo. Statim tamen atque spiritus ex inobedientia (vt perpendit Sanctus Gregorius) contra Deum rebellauit: caro contra spiritum insurrexit, edendo multos sensuales motus. Cùm igitur in Religione fiat speciale votum obedientiæ Deo, & superioribus Religiosorum: si Religiosus fidelis est, in hoc voto reddendo, & custodiendo: aderit ipsi Deus, vt non deficiat in custodia voti Castitatis: vt corpus & spiritus in obsequio sui Creatoris coniuncti sint & vniti.

Ser. 1. Omnium Sanctorum circa medium.
»
»
»
»
»
»
»
Lib. 4. c. 8.
Lib. 26. c. 13.

Nec minus præsidium votum paupertatis præstat voto Castitatis: reddunt enim hæc vota sibi mutuò bonum, quod ab inuicem accipiunt. In confesso enim est (vt ait S. Chrysostomus) non potuisse promitti paupertatẽ, nisi propter Castitatẽ. Coniugatos enim oportet aliqua bona possidere, vt statûs sui onera portare possint. Quare promissio Castitatis Religiosæ, quæ hominem liberat ab illo statu, facilitatem adfert ad paupertatis votum ser-

4.
Lib. de virgin. c. 7.

uandum & hoc reddit illi hoc bonum, quod aufert illi occasiones labendi; & impedimenta, quæ lædunt Castitatem: quia aufert illi diuitias, ac delitias, quæ sunt fomenta sensuum voluptatum: quemadmodum ignis imminuitur & extinguitur, si ligna auferantur, quibus ille alitur & fouetur.

5. Hvc accedit, quòd Religio domet carnis insultus, vt magis sit subiecta dictamini rationis: vita enim Religiosa est vita crucis, & mortificationis continuæ; & Religiosi sunt in eorum numero, de quibus dixit Apostolus d *Gal. 5. 24* d *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Qui autem magis censebitur esse Christi, quàm qui se obstringunt voto eum sequendi, eiusque perfectionem Euangelicam imitandi? Qui etiam magis mortificati: quàm qui propriam libertatem reliquerunt, vt voluntatem diuinam amplecterentur? Semper caro est in cruce: quia semper aliquid fit in quo mortificatur. Crux est, paupertas, & abstinentia; crux, disciplina, & Cilicium; crux, vigiliæ & oratio; crux obseruatio Regularum; & crux, viuere iuxta voluntatem alienam abnegata propria, vt illam expleat. Quomodo igitur caro non erit casta, tot crucibus affixa? si e *inimicorum crucis Christi* (vt idem dixit Apostolus) *Deus venter est*: amicorum eiusdem crucis hostis erit carnis illecebra, & indulgentia; ideoque perpetuum contra sensualitatem bellum gerunt. Ac propterea Sanctus Dyonysius ait; quando Habitus Monacho tradebatur, postquam ille respondebat, se renuntiare natæ coniugatorum, diuitiæ; & cogitationibus, curisque diuitis hominum secularium: statim Episcopum signo eum crucis signasse: quæ mortificationem omnium Carnalium cupiditatum signat: in qua mortificatione debent se continuò exercere, vt sui status continentiam assequantur; & eadem obsignati sunt, ad eam conseruandam, & ab hostibus suis propugnandam. Imo addit; quòd abscinderent illis capillos capitis, in signum, quòd ipsorum vita deberet: esse purissima, absque fictionibus, superfluitatibus, & ornamentis, & elegantijs mundanis: vt solùm aspirarent ad perfectam Christi crucifixi imitationem.

e *Phil. 3. 19. Eccles. Hierar. c. 6.*

§. II.

6. NOVIMVS etiam: Religionem esse scholam omnium virtutum, quæ sunt custodia & propugnatio Castitatis sororis suæ. Quæ (vt S. Chrysostomus ait) si sola esset, non posset se defendere: sed adeò bene stipata beneque munita, est etiam tuta. Ac proinde in nullo loco tutior est, quam in schola vbi docetur, & in praxi habetur modestia, temperantia, mansuetudo, & Patientia, exercitiaque orationis, & meditationis: quæ copiosa cœlestia auxilia impetrant. Ac propterea solebat S. Hieronymus dicere Castitatem difficilè conseruari inter splendidas epulas. Ama studium Diuinarum scripturarum, & non amabis vitia carnis. Quid igitur de humilitate dicemus, quæ adeò

Lib. de virgin. c. 80.

Epist. 47. & 40

est huius

est huius status propria, ac potens ad protegendam Castitatem? Verum est, quod proximo capite diccbamus: a *aquilam grandem* superbiam scil. duabus suis alis volare ad *Libanum, & auferre medullam Cedri*: quia aufert spiritum ipsorum Religiosorum, vt & ipsam castitatem amittant. Qui tamen, si velint, facile huic aquilæ resistent, eiusque alas abscindent: si inanes excellentiæ appetitus mortificent, seseque duro rudique pœnitentiæ & Humilitatis cortice obtexerint; ne cor penetrare, & spiritum ac deuotionem tollere valeat.

a Ezech. 17. 1

Quod si videre libet præclarum exemplar victoriæ, quam obtinere potes Castitatem defendens in Sacro monte Religionis: audi, quid sponsus cœlestis dicat animæ castæ: b *veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum: de montibus pardorum*. quasi dixerit ei: tu sponsa, quæ habitas in Monte Libano, veni mecum deambulatum in hoc monte, & in alijs tribus ei coniunctis: vt in eis intoneris fragrantibus floribus, quos colligemus absque timore alicuius leonis a leonibus, & pardis, sua cubilia & latibula in eis habentibus. Nec grauis, & absque fundamento hanc sententiam applicare possumus. Statui Religioso, quem supra diximus significari per montem Libanum, ob candorem, & puritatem sanctitatis, quam tribus votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ profitetur; adiunctis alijs varijs exercitijs, & virtutibus: quæ vota significantur per reliquos tres montes Amana, Sanir, & Hermon: quæ voces significant fidem, mutationem aut nouitatem, & dedicatum aut consecratum Deo. Tam enim tria vota, quàm reliqua Religiosa exercitia innituntur fidei; & tendunt ad mutationem & nouitatem vitæ, vt se Deo dedicent ac consecrent, discedentes à strepitu huius mundi. Vocat igitur Dominus noster Religiosam animam, non semel, sed ter; vt ambulet, & spatietur per hos montes, exercens varios actus Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; & multos alios cæterarum virtutum iuxta suas Regulas. Qui actus tanquam flores sunt fragrantes, & sponso cœlesti suaues ac iucundi: ex quibus serta texit & coronas, quibus sponsam suam coronat, ob insignes & illustres victorias, quas eis exercendis promeretur: ita vt nec rugitus & terrores nec tentationes Dæmonum eam terreant: qui leonum & pardorum more hos montes frequentant, vt Religiosis in eis ambulantibus sint molesti, eosque deuorent. Nam Diuinæ vocationis gratia & Christi Domini nostri Societas frequentibus suis inspirationibus, eos protegit, animat; & ad victoriam de suis hostibus obtinendam adiuuat.

b Cant. 4. 8.

7.

In insinuat. Mart. Dol. Rio.

Nec iuuat parum exemplum aliorum Religiosorum, eandem Castitatem sectantium, nam alij alijs eam persuadent operibus potiùs, quàm verbis: ostendentes (vt ait Sanctus Basilius) possibile esse, imò facilè ac iucundum,

8.

Reg.17.ex-Fusis.

quod multarum personarum Congregatio, diuersarum ætatum, & complexionum seruat. Et quid aliud dicunt tot virgines, & iuuenes in Religione custodientes Castitatem: nisi quòd alij similes sancto Augustino in quadam visione, quam habuit, dixerunt: Nunquid non poteris tu, quod isti & istæ possunt? aut isti & istæ possunt esse continentes proprijs viribus, & non potiùs gratia Dei sua? Proijce igitur te in eum confidenter: eius enim auxilio poteris continentiam seruare, quam tot alij seruant.

Lib.8 conf.cap.11.

9. DENIQVE quemadmodum Christus Dominus noster renunciantibus ipsius amore diuitijs promisit centuplum, propter quam promissionem fit iucundum illas deserere: ita eiusdem amore relinquentibus vxorem, & filios; & renunciantibus nuptijs idem centuplum promisit: quibus tantus spiritus delicias, totque subsidia ad perseuerandum in continentia largitur, vt hæc fiat centies iucundior, ac suauior ipso matrimonio. Nam (vt ait S. Macharius) si vxoris amor adeò est vehemens, vt vir libenter c *relinquat patrem & matrem vt adhæreat vxori suæ*: cur non amor Dei ita erit vehemens, vt faciat, eum libenter deserere vxorē; vt conuersari liceat cum ipsomet Deo optimo Sanctus Ephrem in laudem huius virtutis exclamat, O Castitas mater dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio! O Castitas, quæ homines Angelis similes reddis! O Castitas quæ cor possidentis te lætificas, & animæ ad cœlestia alas adiungis! O Castitas, quæ spiritale gaudium paris & mœrorem aufers! O Castitas, quæ passiones minuis, & animum à perturbationibus liberas! O Castitas, quæ rosæ instar, in medio animæ & corporis flores; vniuersamque domum odoris fragrantiâ reples! O superna Castitas, quid de tua dicam dulcedine? Tu enim es d *ros* & *pruina decidens super terram*, & prædens pluuiam *Man*, cuius dulcedo tanta erat, vt nemo nosceret, nisi qui libabat. Tu enim concupiscentiarum ardorem, Diuinæ gratiæ, quæ te comitatur, rore mitigas & restinguis: te autem sequitur Man dulcedinis cœlestis cuius præstantia adeò est excelsa ac diuina, vt solus eam nouerit, qui ipso opere degustat. O anima, si prætiosam hanc Castitatis Margaritam habere cupis, amplectere Religionem: vbi illa erit tuta. Ne tali ignominiæ contemptu remadeò prectosam afficias; vt eam colloces in loco, in quo minùs erit tuta; & vehementius impugnabitur. Quis ait Cassianus) in huiusmodi conflictibus versatur, qui non interdum vulnus aliquod accipiat? Si igitur tales congressus in mundo sunt frequentiores, magisque horrendi: cur non refugis ad Religionem, in qua maior est securitas, & vis maior ad fortitudo ad victoriam de eis obtinendam. Quòd si dixeris: etiam Religiosos aliquando impingere: respondebo cum Sancto Chrysostomo: id multò frequentiùs & grauius accidere sæcularibus: &, qui in Religione labuntur citiùs resurgere; & paucorum in ea lapsum occasionem esse maioris secu-

Hom.4. c Ge.2.24.

Serm.de Castit.

d Ex.16.14. Num.11.7.

Coll.12.c.12. Lib.6.c.4.

In Apolog. pro Statu Monast. Lib.3.

ritatis

ratis multorum: qui ex alieno damno cautiores fiunt magisq; humiles; & attenti in adhibendis multis mediis, quæ in Religione ipsa habent, vt non succumbant.

CAPVT X.

CLAVSVRA RELIGIOSA AD CASTITATIS CVSTODIAM; & cautela in agendo cum fœminis, & iunioribus.

CVM IN RELIGIONE NON CESSENT pugnæ, eò quòd Dæmon cibum hunc electum maximè esuriat: expedit Religiosos in promptu habere documenta, in Tractatus secundi capitibus 9. & 10. posita, & remedia adhibere, quæ in ipsa sunt Religione, & insinuauimus in citatis locis capitis proximi; & nominatim dare operam, vt Religiosi agentes cum fœminis; aut Religiosæ cum viris, has tres conditiones obseruent.

PRIMA EST, vt id faciant cum facultate & approbatione Prælatorum; nullo verò modo contra eam: inobediens enim nunquam cantabit victoriam. *Secunda* est, vt hæc licentia & facultas petatur ex necessitate, & causa aliqua legitima, non autem propter oblectationem, aut sensuale solatium. Si enim hoc quæratur, etiamsi Prælatus facultatem det, annuatque petenti: non erit illa securitas, quam adfert vera obedientia: cum in hoc potiùs suam faciat voluntatem, quàm Prælati. Et hinc oritur *tertia* conditio, & quidem magni momenti: vt Religiosus, quod in ipso est, auersionem potiùs & repugnantiam habeat ad huiusmodi colloquia; ideoque, quicquid potest faciat vtea excusetur; eoque solo nomine acceptet, quòd intelligat, Deo id placere; & Prælatus id approbet: quia necessitas, aut Charitas, aut officium id exigit. Nam tunc locum habet, quod Sanctus Gregorius dixit; perfectam obedientiam in rebus delectabilibus non debere aliquid habere de suo, sed omnia debere esse Dei, ex se autem potiùs resistentiam & auersionem habēdam: nam tunc securitatem futuram assistente diuina protectione ad Castitatem in occurrentibus periculis tuendam. Quemadmodum euenit cuidam iuueni Monacho, qui cùm à suo Abbate mitteretur in Ciuitatem, timēs valde imbecillitati suæ petebat humiliter, ne mitteretur, neque tali periculo exponeretur: sed quoniam necessitas vrgebat, iussit Abbas ire confidentem Domino, qui non esset ipsum deserturus. Et ita euenit: nam cum sibi hospitis, ad quem diuerterat, ipsum aggrederetur, & ad peccatum inuitaret: Monachus, eleuatis in cœlum oculis, dixit: Deus Patris mei adiuua me.

1.

Lib. 25. Mor. c. 13.

Et in momento Angelus Dei adfuit, qui inde eductum constituit in cella ipsiusmet Abbatis, & patris spiritualis: eripiens eum à periculo, in quod non sponte sua se conieccrat, sed ex obedientia, & propter necessitatem in illud inciderat.

2. Ex quo licet deducere causas, ob quas aliqui Religiosi aut Religiosæ, misere incidunt in huiusmodi occasiones, in quibus valde inficiuntur & maculantur. Alij enim propterea cadunt, quòd conuersationem & colloquia talia quærunt propter merum solatium: exeunte scilicet Religioso ad fœminam aliquam visitandam; aut Religiosa admittente sæcularis viri visitationem, non ob aliam causam, quàm vt garriant, & leuiter vaneque sese illo tempore recreent. Incutit certè metum quòd Sanctus Basilius cuidam Monacho dixit, exhortans eum, ne in publicum prodiret: egressus inquit es è cella tua? ibi continentiam reliquisti. Ob periculum scilicet, cui te exponis eam amittendi; & laqueos, quos tendet tibi mundus: & minimùm, cum reuerteris, non venies tam fortis, atque exiuisti. Hoc Sanctus hic dixit ad eos reprimendos, qui leuiter & absque iusta causa exeunt. Quod si oculos ad Religiosas conuertamus: quid aliud est Monialis in Locutorio cum viro sæculari: quàm Eua in paradyso cum serpente super arborem scientiæ boni & malì colloquia miscens, & noua curiosaque audiens, quæ in ipsius graue damnum cedant? Fugiat igitur huiusmodi serpentes, & has curiositates mortificet, si vult esse firma, & à lapsibus libera.

ALII labuntur, eò quod aduertentes suum periculum, cùm obedientia in huiusmodi occasionibus eos exponit: nolunt Prælato suam imbecillitatem aperire, existimantes, se honoris sui iacturam facturos. Quem honorem cùm pluris faciant, quàm animam: permittit Deus, vt tum anima in culpam impingat, tum honoris iactura faciant. vt hac ratione anima resurgat, & agnoscat periculum ac debilitas, quam honoris studium tegebat. Alij impugnt eò quòd in occasione etiam innocenter constituti, non statim recurrunt ad orationem cum humilitate & fiducia in Deum, & in sancta Obedientia. Si enim hæc adesset: non deesset Deus verbo suo; & statim mitteret de cœlo sanctum suum Angelum, mansurum cum ipsis in fornace Babilonia, ne comburantur; aut eos inde deducturum in locum tutiorem: vt impleatur quod scriptum est; a *Vir obediens loquetur victoriam*, triumphans de hostibus, qui ipsum, suam obedientiam exequentem, aggrediuntur.

a Prou. 21. 28

3. HVIC documento alterum addamus summi momenti: vt Religiosus aut Religiosa affluescant suæ Professionis exercitijs: reponentes suam delectationem & solatium in ipsa recollectione, quam profitentur. Propterea enim aptè conuenit Religioni, quod dicitur in Canticis, quod sit b *hortus* bis conclusus & *fons signatus*. Duo enim vota Castitatis & Paupertatis sunt, quæ

b Cant. 4. 12.

duæ

dæ ſeræ, aut ſepes huius horti: cuius flores & fructus ſunt exercitia virtutũ, quæ Regulæ in materia horum votorum præſcribunt. Obedientiæ autẽ votum eſt ſigillum fontis intra hortum manentis: Obedientiâ enim obſignatur quicquid à voluntate & libero arbitrio procedit. Et quemadmodum ſigillum nouam addit ſecuritatem rei, ſub illo incluſæ (ſicut c *Rex Darius regio ſuo annulo Lacum obſignauit*, in quem Daniel fuerat coniectus) ita votum obedientiæ reliqua duo tuta, & ſecura reddit: & per illud tanquã per aquæductum fluit aqua gratiæ ac deuotionis, quam Dominus Religioſis communicat. Qui nullum alium fructum comedere; nec florem alium olfacere debent, quàm ex hoc horto; nec aliam aquam bibere, quàm ex hoc fonte fluentem: hic enim cibus & potus ſufficiet ad ipſos ſatiandos. Et quocunque ierint, & vbicunque manſerint ſemper debent huiuſmodi ſepes & ſeras cũ ſuo ſignaculo (quod eſt Regium Chriſti Domini noſtri ſignaculum) habere: cuius obedientiâ obſignari debent omnia eorum opera, vt tuta ſint ac ſecura, iuxta illud Canticorum: d *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*: vt & affectus & opera tua meis correſpondeant.

c Dan. 6. 17.

d Cant. 8. 6.

DEBET præterea hortus eſſe bis concluſus, duabus ſcilicet clauſuris; altera exteriori, qua libẽter domi maneat, & inuitus exeat; altera interiori, qua occludantur portæ ſenſuum, oculorum, aurium, & linguæ: ne aditus pateat Dæmonibus, ad auferendos flores, & fructus huius horti. Vtraque autem clauſura magis adhuc eſt neceſſaria fœminis Religioſis: quarũ clauſuram reformauit & coarctauit ſacrum Concilium Tridentinum, valde ſeuerè, ne earum Caſtitas, quæ imbecillior eſt, periclitaretur. Virgines, ait Sanctus Ambroſius, imitari debent ſuam Reginam, quæ cũ eſſet trium annorum, recepit ſe & clauſit in templo. Et quando Angelus eam ſalutauit, inuenit in domo ſua incluſam: vbi nullus hominum poſſet eam videre. Et cum ex DEI inſpiratione opus eſſet cognatam ſuam Eliſabetham viſitare, e *abiit cum feſtinatione*, vt citiùs perueniret, & in eius domo etiam eſſet incluſa. In domo (ait Sanctus Ambroſius) ſera, feſtina in publico: nam clauſuram ſemper habeat in votis: exitum autem, cum aliud facere non poſſet: vt ſcilicet obedientiæ & Charitatis legibus pareret. De ſponſo ipſo cœleſti dicitur, quod ſit f *flos campi, & lilium conuallium*: quia nimirum paratus eſt, & expoſitus, vt omnes in ſuam vtilitatem ipſum accipiant, & fruantur. de ipſa verò ſponſa dicitur, quòd ſit lilium horti, quò ſolus ſponſus ingreditur, vt illud colligat.

4.

Seſſ. 15. c. 5. de Regularibus.

Lib. 2. in Lucam.

e Luc. 1. 39.

f Cant. 2. 1.

Caſtitas enim virginum ſoli Chriſto debet reſeruari. Et quemadmodum lilium amittit ſuum candorẽ & pulchritudinem, quando manibus tractatur: ita virginitas ſplendorem & pulchritudinem ſuam amittit, ſi diſcurrat per plateas, & hominum manibus contrectetur. Et vt Tertullianus aduertit, virginalis puritas aliquod patitur detrimentum ex eo ſolo, quod videatur;

Lib. de doctrina virginit.

præcipuè cum eadem occasio, qua ipsa videtur, etiam efficit, vt ipsa videa[tur]. vt S. Basilius ait: oculi sunt quasi manus incorporeæ, & inuisibiles, quæ tu dijs suis contrectant, defædant, ac lædunt Castitatem. Quamobrem præ[cau]e sanctè in recollectionibus monasterijs Locutoria ipsa ita sunt disposita, [ut] nec videre ipsæ possint, neq; videri. Sed & intra ipsas portas aliud documentum maximi momenti est seruandum. Cum enim Religio innitatur charitati fraternæ, & cordium coniunctioni cum vero spirituali amore: solerter cedere Dæmon, vt in carnalem illum conuertat, fouens particulares aliquas amicitias, quibus multum ineſt sensualitatis, contra puritatem, quam perfecta Castitas exigit. Nã (vt supra ex S. Basilio retulimus) spiritualis & sensualis amor valde prope habent portas, etiam vbi non est sexus diuersitas. Itaq; qui existimat se ingredi in domum prioris, inueniat se immersum in pectore prioris domo. Quare necesse est, valde attẽdere, vt euellatur ex corde quicquid sensuale miscebitur spirituali. Debent enim Religiosi sicut nautæ diligentem dare operam, vt animæ nauis sit bene solida, & ita accommodata vt nulla sit trimula, per quam vel guttula aliqua sensualis ad Creaturam alicuius amoris possit penetrare. Quod si contingat intrare: arripiendum est instrumentum ad eam exhauriendam accommodatum: mortificatio scilicet cum magno spiritûs feruore: vt solus & purus Iesu amor viuat in eorum cordibus: ita vt illo colligentur & coniungantur reliqui omnes amores, & affectus. Iuxta illud Sancti Augustini: per continentiam colligimur & reintegramur in vnum, à quo in multa defluximus, Minus enim te amat, Deus, quam cum aliquid amat, quod non propter te amat.

Tract. 2. 6. 9.

Lib. 10. Confess. c. 29.

A D Hoc idem propositum adfert S. Basilius aliqua monita circa cautelam habendam in agendo cum ijs, qui paruæ sunt ætatis: sed statim prætermittere, ne in hac materia ad singularia & minuta descendamus. Tanto re existimans, si vnum proposuero, quod tum in se multa complectatur, tum est summi momenti ad tuendam ipsam Castitatem: vt scilicet quilibet magno & generoso animo constituat, summè fugere quamcunque rem, quæ ipsam Castitatem aliquo modo maculet; etiamsi res in se parua videatur. Nunquam leuem iudicare culpam, quam sciens & volens admittit: eò quòd ordinariè sit ingens periculum, quod in talis culpæ natura interna latet. Caro enim nostra caro est tanquam fomes aut sulphureus pulvis; delectatio autem sensualis est sicut ignis, cuius quælibet scintilla in illum decidens, si aduertenter hærere permittatur, inflammat & comburit. Quare qui adeo arrogans & parum cautus, vt apertis oculis, & sciens volensq; talem hostem in suam admittat domum, & in ea hærere permittat, iudicans se posse illum intra limites continere in re, quam iudicat esse paruam: citò experietur manifestam Dei desertionem, vt deceptionem suam manifestam deprehendat.

Nam, vt Ecclesiasticus dixit, à g *scintilla vna* parua ingens *augetur ignis*, qui eius animam comburat. Et Nazareus Deo cõsecratus, qui obsectatur vuarum grauis comedendis, sciens id esse contra legem: quia tamen rem iudicat paruam, parui eam transgressionem facit, cùm minus cogitauerit placebit etiam h *Vuas recentes & siccas comedere, & vinum bibere*; vt, quod priùs non cogitabat, etiam inebriatum se videat: talis enim temeritas talem meretur districtionem: & i *qui* suum *amat periculum* (vt dixit Ecclesiasticus) *in illo peribit*, cum irreparabili suo detrimento. Et k *qui* ita *spernit modica* cum tanto suo periculo *paulatim recidet* in illud, vt sententiam Saluatoris subeat dicentis: l *qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*. Quod, vt Sanctus Augustinus explicat, significat, non intrabit in regnum cœlorum. Omnes enim qui illud ingrediuntur sunt magni: & peccatum, quod quis exiguum iudicabat: in Dei iudicio iudicatum est magnum, attentis omnibus eius circumstantijs. Ament igitur Religiosi Castitatem, & puritatem Angelicam, quam profitentur: quæ scienter & aduertenter non admittit maculam, etiam quæ valde parua videatur. Vt enim supra dicebamus, in veste adeò candida & preciosa quælibet macula magnam adfert fœditatem, & turpitudinem.

g Eccle 11.34

h Num. 6.4

i Eccl. 3.27.
k cap. 1.17
l Matt. 5.19
Lib. de ser. Domini in monte c. 15.

Tract. 2. c. 11

CAPVT XI.

VOTVM OBEDIENTIÆ, ET EXCELLENTIÆ ac vtilitates eius in genere, in omnibus quæ Deus præcipit.

TERTIVM RELIGIONIS VOTVM quod est obedientiæ Prælatis exhidendæ, præstat (vt supra cœpimus dicere) reliquis duobus: non solùm in eo quòd offerat Domino nostro aliquid precioſius, quàm illa sed etiam, quòd (vt ait S. Thomas) illa in se includat, multaque alia superaddat. Nam & paupertas & Castitas sunt etiam Obedientiæ materia: præter illa, quæ leges ac Regulæ præscribunt, & Prælati iniungunt. Quamobrem in aliquibus Religionibus Professio fit, expresso solo voto Obedientiæ iuxta Regulam: comprehenduntur enim hoc voto reliqua duo, Cùm igitur hæc virtus præcipua sit, & ad plura in vita Religiosa sese extendat: operæpretium erit hic explicare quicquid ad eius perfectionem pertinet, tam in genere, quàm in particulari huius Statûs. Notum est enim huius virtutis in genere munus esse, implere præcepta Superioris, quicunque ille sit relinquendo, si opus est, proprium sensum & voluntatem; vt impleat, quod ille vult, & mãdat. Cùm autem duplex sit Superior, Deus scilicet, & homo: ita est duplex modus Obedientiæ. Prima & præcipua inducit ad implenda Præcepta Dei, in quibus Diuina eius voluntas elucet: quæ prima est & suprema Re-

Tract. 3. c. 5

2. 2. q. 186. a. 8. & q. 104. a. 3. S. Benedicti Carthusia. & S. Dominici. Vide Azor. 2. lib. 12. c. 4. S. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2

gala omnium creatarum voluntatum; quæ innotescit creaturis ex Præcepto quæ ille ponit in materia omnium virtutum: licèt non in omnibus earum actibus: quemadmodum in decursu inferiùs dicemus. Altera Obedientia exhibetur hominibus superioribus, authoritatem habentibus ab ipsomet Deo; qui per eos gubernat, & aliqua Præcepta præscribit: volens vt eis obediatur. Hæc igitur virtus inclinat illorum subditos, ad exequendum quidquid illi iubent, quod non aduersetur ijs, quæ Deus in sua lege seruanda

a *Act. 5. 29.* præscripsit. Nam vt Apostoli dixerunt: a *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Quare nunquam faciendum est quod homines iubent, si aduersatur ijs, quæ iussit Deus. Sicut inter ipsos homines potiùs obediendum est Prælato Superiori, quàm inferiori potestatē ab eo accipiēti: nec inferiori est parendum in eo, quod præcipit contra mandatum superioris. Ex quo fit, vt secunda hæc obedientia primam semper includat, eidemque ita immiscatur, vt ex vtraque fiat vna valde perfecta. Cuius excellentias & vtilitates ad breuem hic summam redigemus, vt pro meritis æstimetur.

2.2. q. 104. a. 2. *Serm. de Obedien. & Hum. Tom. 9. Ad finem.*

PRIMVM, HÆC OBEDIENTIA (vt ait Sanctus Thomas) fundamentum est, & causa nostrorum omnium meritorum; nihil enim apud Deum habet meritum, nisi quatenus Diuinæ eius voluntati est conforme. Et in hoc sensu, ait Sanctus Augustinus: nihil æquè Deo placere atque Obedientiam. Hæc summa est, & vnica virtus in nobis: & sola præstat cæteris omnibus. Quidquid enim boni fit, nisi proueniat ab Obedientia, procedit a Superbia nisi enim fiat ad placendum Deo: fit ad placendum sibi, aut alijs hominibus: ideoque mera erit vanitas, & propriæ voluntatis inordinatio. Hinc igitur licet laudes huius virtutis auspicari: ex connexione quam habet cum Charitate omnium Regina, & præcipuo nostrorū meritorum fonte quæ consistere non potest absque comite obedientia: ita vt quo gressu amore crescit, etiam crescat Obedire. Ideoque b *Iustorum nationem* ait Ecclesiasticus, *esse obedientiam & dilectionem.* Obedientia præcedit tanquam dispositio dilectionis, hæc verò profert postea cum maiori perfectione fructus ipsius Obedientiæ, iuxta illud quod Christus suis Apostolis dixit: c *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione* mea, *sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Et Sanctus Ioannes; d *qui seruat verbum eius, vere in hoc Charitas Dei perfecta est.* Quod si adeo magnifica sunt quæ diuina scriptura dicit de Charitate; quā erunt præclara quæ illa sentit de obedientia, ex qua Charitas adeò depēdet; & in qua adeò illa eminet, ac elucet.

I.

b *Eccl. 35.*

c *Ioan. 15. 10*

d *1. Ioan. 2. 5.*

QVOD facilè licet intelligere ex opinione & æstimatione, quam ipsemet filius Dei de illa habuit: si quidem dixit: e *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me;* & iterum: f *descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et quamuis mundi redemptor

2.

e *Ioa 5. 30.*

f *6. 38.*

esset,

ret opus adeò excelsum,& præclarum:non tamen venit propter excellentium,quam opus illud in se habebat,sed,quia Pater eius voluit,vt opus illud in se susciperet:cuius obedientiæ executio fuit altissimus finis eius in mundum aduentus.Ideo g *ingrediens mundum* (vt Apostolus perpendit statim illud psalmi dixit:*Ecce venio:in capite libri scriptum est de me,vt faciam,Deus,voluntatem tuam.* In quibus verbis tertia insinuatur excellentia Obedientiæ. Liber enim ille,cuius hic fit mentio, est æternæ prædestinationis, in quo omnes huius Domini excellentiæ officia,& opera sancta,ac prodigiosa,quæ facturus erat,scripta erant.Quorum primum ac præcipuum, quod reliquorum veluti summa quædam erat, fuit æterni sui Patris voluntatem exequi in omnibus, quæ ille iuberet:ponens eius legem & præcepta in medio cordis sui,tanquam rem maximè sibi charam, & quam maximi ipse faceret: In cuius rei fidem,statim in primo suæ conceptionis instanti,hanc sui fecit obligationem, promittens, vt supra diximus, exequi quicquid Pater mandabat. Ac propterea gloriabatur, quod Pater corpus & animam ei dedisset bene propensa & apta,ad exactè obediendum:*corpus*, inquit,*aptasti mihi* vel:*aures perfecisti mihi*.Corpus quidem,vt ferre posset,quæ iubebas;& aures ita perfecisti,vt anima,tua præcepta audire & exequi posset. Quomodo ergo amplius virtutis huius excellentia extolli, & exagerari potest: quàm quòd Filius ipse Dei adeò de ea glorietur; & quòd Liber prædestinationis eadem tantopere exornandus? Gaudeat itaque Religiosus: quòd pignus habeat suæ in cœlum prædestinationis: & intelliget,in principio Libri illius scriptam esse Obedientiam,quam exhibere debet Deo, suisq; Prælatis,tanquã generali medio, in quo reliqui actus modo quodam continentur, quibus promereatur gradus sanctitatis, & gloriæ,ad quos est prædestinatus. Sibi etiam persuadens, Deum per gratiam vocationis daturum ipsi corpus & animam apta & propensa ad obediendum in omnibus,quæ ipsi iniungentur. Et cum hoc sensu, statim atque Religionem ingreditur, dicat Deo : Ecce venio, non vt faciam voluntatem meam, sed tuam : cuius sanctam Legem collòco in medio cordis mei,tanquam rem mihi maximè charam; & quam in hac vita plurimi facio. Quod si,vt promittit,exequetur: erit è fœliciſſimo numero prædestinatorum,h *quos*(vt Apostolus dixit)*prædestinauit Deus conformes fieri imaginis filii sui* imitantes in omnibus eius Obedientiam.

g *Hebr.* 10 5 *Psa.* 39 7. 3.

h *Rom.* 8. 29 *Lib.* 35 *mor.* c. 12. 4.

Et His licebit reliquas huius virtutis excellentias deducere quæ sensim generat in anma reliqua prædestinationis media,inseritque in eãdem (vt S Greg dixit)reliquas virtutes. Tũ quod illa præcipuum auferat impedimentũ omnium virtutum ad suos actus exercendos,hoc est propriam voluntatem, omnium radicẽ peccatorum:Et sic cordis nostri ager bene cultus,ac dispositus remanet ad plantas omnium virtutũ recipiendas:tum quòd Obedi&tia

potestatem & actiuitatem suam extendat ad omnia, quæ sunt voluntatis Dei quæ in omnium virtutum exercitijs elucet. Vt autem Deo ipsi placeat, & quòd ipse vult exequatur: eas excitat, & vrget, ne otientur; sed suas actiones ita faciant, vt integræ sint ac perfectæ. Ac propterea ipse Christus Dominus noster Obedientiam appellat cibum, & animæ nutrimentum, dicens Apostolis suis: i *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me: vt perficiam opus eius.* Quemadmodum enim cibus corporis in omnia eius membra & partes corporis distribuitur, vt cuique det nutrimentum necessarium: ita obedientia alimentum est potentiarũ & sensuum boni Religiosi, omniumq; virtutum, quæ in eius anima sedem suam habent; Nã cũ ea oculi aperiuntur & claudũtur; lingua loquitur & tacet; pedes ambulant & sistunt; voluntas & appetitus diligunt & oderunt; intellectus & phantasia sua opera exercent & ab eis desistunt. Quæ omnia, cùm ab hac virtute obedientiæ diriguntur, sunt cibus valde substantialis, cõseruans, augens, ac perficiens vitam gratiæ, magnumque robur & fortitudinem adfert, ad omnia huius statûs exercitia præstanda. Quare etiam per ipsam Obedientiam saturitas illa obtinetur, de qua ipse Christus dixit: k *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Si enim esuris, ac sitis omnes virtutes, quæ nomine Iustitiæ continentur: hoc solo quòd Deo eiusque ministris obedias: saturaberis, & votorum tuorum fies compos. Si eluris sanctitatem: obedias, & Sanctus eris: si deuotionem sitis: obedias, & pius ac deuotus euades.

i Ioan. 4. 34

k Matt. 5. 6.

§. I.

Serm. de Obedi Patient. & Sapientia.

SED quoniam cibus Obedientiæ (vt Sanctus Bernardus ait) austerus est, & carni insipidus est; ideoque condimento aliquo opus habet vt mollescat & sapiat, quò possit cum voluptate comedi: condimentum hoc est sapientia cælestis, iucunda scilicet & grata Dei scientia cum eius gratia, deuotione, & solatijs cœlestibus. Quæ scientia est sicut illud a *lignum*, quod cum *Moyses misisset in aquas amaras, in dulcedinem versæ sunt*, & sicut b *farina* quam *Eliseus misit in ollam, & non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla.* Nec est vlla obedientia carni adeò amara, & hominis spiritui insipida, quæ sale diuinæ Sapientiæ, cœlestisque solatij condimento non dulcescat, fiatq; sapidissima. Sed quis diuinam hanc sapientiam obtinebit? aut qua ratione licebit eam comparare?

a Exod. 15. 23

b 4. Reg. 4. 41.

§.

Serm. 46. in Cantic. lib. 4. mor. c. 18.

c Apoc. 3. 18

HÆC igitur est alia insignis huius virtutis excellentia, quòd cœlestem Sapientiam impetret, quæ illam faciat iucundam. Nam vt idem S. Bernardus dixit delectatio & iucunditas contemplationis, quæ est actus Diuinæ Sapientiæ, non alteri quàm Obedientiæ debetur. Hanc ait S. Gregorius, esse pretium, quo aurum illud à Deo emimus, de quo ipse cuidam Episcopo dicebat: c *suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum: vt locuples fias.* Aurum

inquit,

sequit, emimus, cùm accepturi sapientiam, priùs Obedientiam præbemus. Sic enim Ecclesiasticus dixit: d *Fili, concupiscēs Sapientiam, conserua Iustitiam, eiusq; mandata; & Deus præbebit illam tibi.* Ne prætendas paupertatem: nam in potestate tua est pretium Obedientiæ: neque Deus cuiquam aliquid præcipit, nisi quod implere possit: & hoc pretio, si vis, comparare potes aurum sapientiæ cœlestis, accensæ igne Charitatis, & vitæ innocentia purificatæ. Vide tanta prouenit dulcedo: vt propriæ voluntatis mortificationem valde iucundam reddat: quò possit Diuinam implere. Quia Deus implet etiam, quod per Isaiam promisit neganti propriam voluntatem, vt ipsi obediret. e *Tunc, ait, delectaberis super Domino; & sustollam te super altitudines terræ & cibabo te hereditate Iacob Patris tui.* Quod licèt præcipuè impleatur in cœlo, vbi abnegantes hic suam voluntatem, vt obediant diuinæ, sustentabuntur cibo Diuinitatis cum summa saturitate & lætitia: datur tamen bona eius pars etiam in hac vita. Propterea enim Saluator noster iussit à Patre suo peti, vt f *fiat eius voluntas in terra, sicut fit in cœlo*: vt dulcedine illa cœlesti etiam in terra reficiamur; & sapor, quem cibus hic in cœlo habet, etiam in terra percipiatur. Et quemadmodum Pater noster cœlestis in omni quidem est loco, sed singulariter in cœlis, vbi suam omnipotentiam, Sapientiam, & bonitatē ostendit; satiando, consolando, ac delectando Beatos: ita etiam est singulariter in perfectè obedientibus, quos Obedientia conuertit in cœlos ipsius Dei, qui indicia suæ præsentiæ dat multa, cùm multos eis exhibet fauores.

d *Eccl.* 1. 31.

e *Isa.* 58. 14.

f *Matt.* 6. 10

6.

Ex quo apparet: per hanc Obedientiam obtineri experimētalem cognitionem Dei, & eiusdem maghalium, ac mysteriorum: tanta certitudine fidē eatū excitātem & illustrantem, vt animam vehementer recreet, summamque pacem & gaudium ei adferat ex eorum cognitione & sensu. Ac propterea Christus Dominus noster dixit: g *si quis voluerit voluntatem eius, qui misit me facere: cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit*: significans (vt dicunt SS. Cyrillus & Chrysostomus) obedientem Dei mandatis obtinere lucem ad intelligendum, quod ipse reuelat; & ipsa experientia percipere: esse Dei, quod Fides docet; talesque effectus propter suam Obedientiam in se sentire, vt manifestent Deum esse illorum Auctorem. Et eandem ob causam dicebat Dauid de seipso: h *Super omnes docentes me intellexi; quia testimonia tua meditatio mea est.* Et *super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui.* Et *à mandatis tuis intellexi*: quia scilicet illa fuerunt mihi tanquam Magistri, qui intellectū meum illustrarunt: vt tua mysteria intelligerem. Nam (vt ait Sanctus Bernardus) aspectus hic & cognitio adeò perfecta incipit ab auditu, per quem non solū Fides, sed etiam Obedientia ingreditur. De qua dicitur: i *Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non contradico.* Et k *Beati qui audiunt verbū Dei & custodiunt illud*: nam, qui illud custodiunt, videbunt, quam suauis sit Do-

g *Ioan.* 7. 17.

In Ioa. c. 43. *Homil.* 48. *in Ioan.*

h *Psal.* 118. 99. & 104.

i *Isaia* 50. 5.

k *Luc.* 11. 28.

minus, cui obediunt; nam sic implent quod dictum est sponsæ: l *Audi filia, & vide*: quasi ei dixerit: audi, vt videas: qualis enim erit tua Obediētia, talis erit & tua visio, siue aspectus. Ita vt dicere possis: m *sicut audiuimus, sic vidimus* & ad mensuram eius, quod audiuimus, & cui obediuimus, fuit quòd vidimus, ac degustauimus.

Ex hac obedientiæ excellentia alia oritur vtilissima: quòd scilicet magnam excitet in Deum fiduciam: ac proinde efficit, vt orationes exaudiantur, & feliciter expediantur. Qui enim vocem Dei audit: dignus est, cuius vocem Deus quoque ipse exaudiat, iuxta illud Sancti Ioannis: n *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodiuimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Est enim Deus valde benevolus ac liberalis, & libentissime facit, quod videt placere ei, qui facit, quod ipsi placet; datque, quod petit, impleti, quod ipse iubet. Ac propterea Sanctus Eusebius Emisenus ait: quantò obedientiores fuerimus Præpositis & Patribus nostris: tantùm obediet Deus orationibus nostris. Idem etiam insinuat Scriptura sacra de Iosue, qui fuerat obsequentissimus Moysi, cuius erat minister; & ipsi Deo in omnibus, quæ ei præcipiebat: qui cùm dixisset: Sol & Luna ne moueamini: statim Sol & Luna steterunt: o *obediente Domino voci hominis*, eò quòd homo obediret voci Dei. Et ita S. Bonauentura ait: Quò quis in obedientia magis profecerit: eò Deus magis eum exaudiet; & creaturæ ad obediendum homini destinatæ, subiectæ illi erunt, & seruient. Idem confirmat Sanctus Gregorius in suis dialogis admirabili quodam exemplo S. Florentij, qui Deum habebat quasi ad nutum, vt obtineret quicquid petebat. Cuius rei reddens rationem, ait: Quid mirum, si Florentius in prece sua citiùs audiebatur, qui præceptis suis Dominum citiùs audiuit? nos autem postulantes, tardè Dominò audimur, qui præcipientem Dominum aut tardè, aut nullo modo audimus. Et vt Sanctus Augustinus dixit: Citiùs auditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptorum. Et potiùs vt Sapiens dixit p *Oratio eius erit execrabilis qui declinat aures suas, ne audiat Legem.* Quemadmodum enim ipse claudit aures suas, ne audiat præcepta Dei: ita Deus claudit suas, ne eius audiat Orationes. Non enim respondent opera verbis: sed potiùs quod lingua petit, opus negat, & abijcit. Et de assiduè orāte nec obedientē, potest (ait Sanctus Bernardus) dici illud Isaac: q *Vox quidem vox Jacob est, sed manus manus sunt Esau.* Deus autem noster ad manus potiùs attēdit, quā ad voces. Ideoq; cùm oramus, vult simul nos leuare puras manus ad cœlū, in signum Obedientiæ & subiectionis nostræ ad ipsum: & ideò Dauid dicebat r *subditus esto Domino, & ora eum*: quasi dixerit: priùs te oportet cum humili obediētia subijcere Deo: & postea licebit petere magna cū fiducia quod volueris.

l *Psal. 44.* m *Psal. 47.9*

n *1. Ioa. 3.21*

Homil. 3. ad Monachos & S. Aug. Serm. 61. ad Fratres in Eremo.

Iosue 10.14

De Proces. 6. Religion. c. 24.

Lib. 3. c. 3.

" "

" "

" "

" "

Lib. de operc Monac. c. Prou. 28. 9.

Homil. de duob. discip untib. in Emaus.

q *Gen. 27.22*

r *Psal. 36.7.*

8.

Hinc etiam prouenit, vt Obedientia insignem generet magnanimitatem ad facinora valde egregia aggredienda, & fortitudinem admirandam ad grauissima quæque certamina vincenda. Fiducia enim & orario radices sunt ad fontes bonorum huiusmodi euentuum; & obedientia Iustum reddit dignum eorum. Abraham ob insignem, quam habuit Obedientiam, victorias obtinuit & magnalia, quæ de eo referuntur; de Isaac verò eius filio, cui æquè Deus fauit, atque eius parenti: nullum aliud egregium legimus factum, quàm insignem Obedientiam, qua se tradidit Parenti suo sacrificandum. Et Pater Machabeorum recenset multos viros obedientes, quiob eam obedientiam valde fuerunt præclari, dicens: f *Joseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus Ægypti Iesus* (hoc est Iosue) *eam implenit verbum, factus est Dux in Israël. Elias, dum zelat zelum Legis, receptus est in cœlum:* Et Eliseus obediens ipsi Eliæ, tandem (vt Sanctus Bernardus ait) *accepit duplicem eius spiritum.* Obedientia enim, quam suo Magistro exhibuit, fecit eum hæredem & successorem in eius officio. Sed multò adhuc præstantius est, quod Christus Dominus noster promisit, cùm dixit: u *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei: ipse meus frater & soror, & mater est,* vt intelligeremus: (ait Sanctus Chrysostomus) pluris ipsum facere obedientiam, quàm dignitatem fratris & matris: vna enim nobilitas sola est, facere Dei voluntatem: sine qua x liqua nihili fiunt. Nec virgo sanctissima adeò fuit beata, quòd Christi Domini carnem conceperit, quàm quod x *audiuerit & custodierit verbum Dei.* ex hoc enim facta fuit Spiritualiter mater Christi generando in anima sua viuam filij sui imaginem: imò & in animabus multorum fidelium, qui per hoc medium sunt conuersi. Ex quo apparet, Obedientiam iustos facere fratres Christi per imitationem in sanctitate; & per hæreditatem gloriæ: imò & matres Christi eos facit, propter efficacitatem, quã eorum verbis & operibus tribuit, ad conuertendos peccatores; & Christum in eis spititualiter generandum, qui suæ obedientiæ tribuit conuersiones, *quas* per seipsum fecit, cum ait: y *eum qui venit ad me, non eiciam foras: quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. hæc est autem voluntas eius, vt quod dedit mihi non perdam ex eo.*

f *1. Machab. 2. 53.*

Lib. de ordine vitæ. t 4. Reg. 2. 15 u Mat. 12. 50 Homil. 45. in Matt. tomo 2.

x *Luca. 11. 28*

y *Ioan. 6. 38*

Denique Obedientia adeò est ardua & heroica virtus, vt sit præcipuus lapis Lydius, ad reliquarum virtutum ac donorum, quæ in hominibus eluceat, veritatẽ agnoscendã ac discernẽdam. Quare ipsemet Deus ad fidelitatẽ & sanctitatẽ suorũ electorũ probandã, solet præceptum aliquod imponere siue aliqua valde difficili, aut inusitata, vt supra est dictum. Quod facilè reciarant verba illa, quæ Deus ipse dixit Abrahamo, cùm vidit, quanta promptitudine ipsi obediret in proprij filij sacrificio z *nunc*, inquit

Tract. 5. c. 5.

z *Gen. 22. 12*

cogno-

cognoui, quod times Deum: nunc scilicet feci innotescere toti mundo, quod timeas & ames Deum tuum, cui in re adeò grauí paruisti.

CAPVT XII.

ALIÆ EXCELLENTIÆ ET COMMODA OBEDIentiæ Religiosæ; & inobedientiæ detrimenta.

EXCELLENTIÆ HVIVS VIRTVTIS in proximo capite positæ communes sunt omnibus iustis, quorum iustitia & sanctitas innititur ipsorum obedientiæ: sed præcipuè splendent in Religiosis: quorum vita & Professio tota est Obedientia; vt qui seipsos omnino consecrant, ac dedicant, vt secundùm eā viuant non proprio iudicio & voluntate; sed iudicio ac directione Prælatorum, qui Dei nomine illos gubernant. Quamobrem Obedientia Religiosa est via quædam ad cœlum, & ad sanctitatem: quæ hæc quinque habet proprietates, quòd sit *certa, secura, breuis, suauis, & efficax*. Est *certa*: eò quod valdè clarè nouerit, quæ sit volūtas Dei per ipsos Superiores, quorum vocem percipit corporeis auribus: & ipse Dominus dixit de eis, a *Qui vos audit, me audit*. Est *secura*: qui enim Dei directionem per suos ministros sequitur, non errabit. Et periculum errandi potiùs in ijs est, qui gubernant: qui etiam rationem reddent eius, quod imperant, quàm in ijs qui obediunt, & iussa exequuntur. Supponitur tamen, eos nō debere obtemperare, quando, quod iubetur, est apertè peccatum, vt supra etiam est dictum. Est via *breuis*, & compendiosa: nam in eo animi decreto, non faciendi suam voluntatem, continentur reliquæ omnes mortificationes; & in proposito obtemperandi semper Dei & Prælatorum voluntati, continentur omnes virtutes. Et quamuis non sit compendium absque aliquo dispendio, hoc tamen est valde iucundum, & suaue: nam cùm semel & vno, vt dicitur, tractu propria relinquitur, aufertur tristitia; quæ solet semper euenire quando aliquid accidit contra illam; & cùm seriò sese conformat cum eo, quod Deus vult: vno etiam tractu ingreditur lætitia. Nam (vt ait Ecclesiasticus) b *nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini*. Denique est via *efficax*, ad conscendendum montem altissimæ perfectionis: nam Deo ipsi incumbit vires præstare ad exequendū quicquid præcipit; & adiuuare ipsum obedientem. Quamobrem Sanctus Ioannes Climacus viam obedientiæ appellat nauigationem securam, quæ profectio fit ferè dormiendo, & exculat hominem coram ipso Deo. Nam (vt ait Sanctus Bonauentura) qui viuit sub obedientia, est sicut qui bona naui in mari nauigat, sub perito gubernatore. Nam ille semper pergit, siue comedat, siue bibat, siue dormiat, siue negotia tractet, pergit absque viæ solicitudine quia fidit nauis gubernatori: & cum minimo

a Luc 10.16.

b Eccl. 23.37

c. 4. In Dicta salutis tit. 4. c. 2.

cogitat

cogitat, inuenit se in ipso portu. Ita qui nauigat in Obedientiæ naui, in omnibus quæ facit, proficit, & vlteriùs progreditur. Nam siue dormiat, siue comedat, laboret, aut quiescat, negotia tractet, aut quiduis boni faciat: si id est vt Obedientia, in omnibus Deo placet, & aliquid promeretur; & in omnibus liber est ab anxia solicitudine: quia omnes suas curas gubernatori ipsum nomine Dei gubernanti relinquit: in quo totam suam solicitudinem præcipuè collocat, sciens (vt ait Sanctus Petrus) quod c *ipsi sit cura de nobis*; & quidem multò maior de eo, qui Diuinæ ipsius gubernationi se totum committit, magna cum pace & securitate sperans, quòd suo tempore sit ad optatum portum peruenturus. Nam ipsemet dixit: d *ego sum Dominus Deus tuus, gubernans te in via qua ambulas; vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut fluuius pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.* Hinc etiam ortũ habuit, quòd sancti Patres inter modos varios vitæ Religiosæ tutiorem ac securiorem iam perindicarunt modum & ordinem Cœnobitarum viuentium cum subiectione vni Prælato, quàm Eremitarum habitantium in solitudine, nec habentium ibi superiorem, cui obtemperarent: nam hos carere fructu obedientiæ; & solicitudine attendendi suis rebus esse oneratos; illi verò vtraq, hac commoditate gaudent, cùm à Prælatis gubernantur: in quos omnes curas coniiciunt. Nam (vt ait Cassianus) proprius horum Religiosorum finis est, propriam voluntatem mortificare, & crucifigere; nec solicitos esse de crastino. Et quamuis non perueniant ad excessus contemplationis, quam habent Eremitæ, & solitarij; hic tamẽ defectus compensatur Obedientia humili, & à curis expedita, quæ est in Conuentibus. Nam (vt S. Thomas ait) Obedientia extollit merita & operum valorem. Et quodcunque opus ex Obedientia factum magis placet Deo, maiusque præmium meretur, quàm si ex propria electione fieret: quatenus oblationi ipsius operis coniungitur oblatio voluntatis & cordis: quod donum Deus pluris facit.

c 1. Pet. 5. 7

d Isa. 48. 17

Collat. 19. c. 8. & 5.

2. 2. q. 126. a. 8.

§. I.

PERGAMVS explicando amplius hanc veritatem ex eo gubernationis modo, quem Deus Dominus noster seruauit cum primis nostris parẽtibus in statu innocentiæ, deducens eos per viam Obedientiæ: eò quòd ita certior esset, tutior, breuior, suauior, & efficacior; quæ teneri poterat ad conseruanda septem præstantissima dona, quæ illis dederat, ac promiserat: gratiam scilicet, & supernaturales virtutes, quæ animam sanctificant; subiectionem carnis spiritui absq; passionum rebellione, sanitatem integritatẽ, & immortalitatem corporis: dominium pacificum omnium animantium; perpetuã in terreno paradyso habitationẽ; & promissionẽ, quòd si ipsi in hac Obedientia perseuerarent: omnia hæc dona essent etiam ipsorum successo-

ribus communia; ac denique mutandum illis terrestrem paradysum in coelestem, in quo æternùm viuerent felices ac beati. Ad hæc tanta dona conseruanda, & ampla adeò promissa consequenda, vnicum tantùm præceptum positiuum eis tradidit, dicens: *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas*, quod erat obseruatu facile, vt facilis esset perseuerantia in Obedientia, & omnibus his donis, cum summa pace & concordia gauderent. Quod igitur maius indicium Deus dare potuit, vt intelligeretur, quanti ipse faceret Obedientiam: quàm quòd illam tanquam fundamentum iecerit statûs adeò felicis; & conseruationis præstantium adeò donorum, ac securitatis obtinendi adeò ingentia promissa? Explicat hoc Sanctus Augustinus in hunc modum: seruiebant parentes nostri Deo cum Obedientia, quæ illis fuerat valde commendata, & qua solus Deus honoratur: quæ quàm magna sit, ac sufficiens ad creaturam rationalem sub Domini protectione retinendam: non potuit melius ostendi, quàm impositio præcepto, ne fructum comederent, qui aliàs non erat malus.

a Genes. 2. 17

Lib. de peccatorum merit. & remiss. c. 11. Tom. 7.

EODEM CONSILIO VSVS est Dominus noster in Religione: cuius finis (vt ait Sanctus Basilius) est, restituere nos eo modo, quò possit fieri, felicitati illi, quæ fuit in statu Innocentiæ. Fauet enim ipse Dominus Religiosis, tribuens eis dona & promissa prædicta: quæ omnia pro fundamento, cui innituntur, habent Obedientiam, qua obtinentur, & septem aliæ excellentiæ conseruantur, sicut prædictæ, felicis illius status. Nam

De Constitu. Monast. c. 19.

1.

Obedientia conseruat augetq; gratiam, & reliquas virtutes supernaturales. Imò Sanctus Augustinus eam appellat matrem & custodem omnium reliquarum: matrem, quia illas generat ac nutrit; custodem, quia illas conseruat ac protegit.

Lib. 14. de Ciuit. c. 12.

2.

Deinde per Obedientiam Caro subijcitur spiritui; & passiones rationi: nam si voluntas humana seipsam abnegat, vt Diuinæ conformetur: Deus ei ita fauet, vt eius appetitiones ipsi sese accommodent. Ac propterea Ecclesiasticus vtrasque simul coniunxit dicens: b *post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Sanitatem etiam corporis conseruat Obedientia; eamque producit iuxta illud Salomonis: c *Fili mi, ne obliuiscaris Legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat, longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Et quamuis à temporali morte non præseruet: efficit tamen vitam aliam feliciorem, quæ nunquam habet finem. Scriptum est enim: d *Quoniam vita in voluntate Dei est*: & is eam obtinet magis, qui eius explet voluntatem. Sicut insignis ille obediens Abbas, de quo refert Sanctus Ioannes Climacus, quòd cùm esset sepultus, & à Sancto quodam Abbate interrogaretur, an esset mortuus; respondit: quomodo est possibile, Pater, vt obediens moriatur. Perfectæ quoque Obedien-

3.

b Eccl. 8. 30

c Prou. 31.

d Psal. 29. c. 4

tubijcit-

subijciuntur feræ, pacemque cum iustis colunt: quibus propterea creaturæ obediunt: quia ipsi obediunt Creatori: quemadmodum sæpe obediuerunt Sanctis Martyribus, Sancto Francisco, alijsque Sanctis Eremitis qualis ille fuit, qui ad Obedientiam sui Abbatis leenam cœpit, & ad ipsum perduxit: & ita impletur quod scribitur in Iob: e *Bestiæ terræ non formidabis, quia pacifica erunt tibi*, quatenus id ad obsequium Deo præstandum expediet. Præterea Obedientia est quæ constantem & perseuerantem adfert habitationem in Paradyso Religionis; eademque plenitudinem obtinet delitiarum & consolationum cœlestium, quæ per centuplum significantur: nec vllus ab hoc Paradyso reijcitur, nisi propter inobedientiam. Ex quo etiam prouenit, vt Religiosorum obedientia continuare faciat, & vigere vigorem sui Instituti in Successoribus. Cum enim ipsi feruore suo eum rigorem seruent, eundemque spiritum Successoribus suis communicant: remnnerat Deus in filijs, parentum Obedientiam. Et Rechabitis, qui erant quasi Religiosi, promisit Deus in præmium insignis eorum obedientiæ: f *non defutura eorum de eorum stirpe, qui staret in conspectu ipsius cunctis diebus.* Per Obedientiam denique obtinetur palma victoriæ, & vita æterna. Scriptum est enim g *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Et h *Vir obediens loquetur victoriam*: eius enim obedientiæ debetur vltima corona gloriæ.

e Iob. 5. 22.

5.

6.

f Ierem. 3. 19

7.

g Mat. 19. 17

h Pro. 21. 28

SED QVID DICO vltimam? potiùs dicendum erat: totam vitam perfecti obedientis esse continuam quandam victoriam: triumphat enim semper de omnibus suis hostibus: quia vincit omnia vincibilia eo modo quo vinci possunt. Et hæc sunt illa septem, quæ iam insinuauimus: peccata scilicet ac vitia maximos nostros hostes; carnis passiones; proprij iudicij rebelliones; imò & voluntatis propriæ tentationes Dæmonum; feritatem & molestiam animalium, & reliquarum rerum, quæ sensu carent; contradictionem denique & calumnias hominum sæcularium. Nam, vt idem Salomon ait: i *Cum placuerint Domino via hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem*: quos etiam nostris pedibus subijciet: quia nos ipsos eius voluntati subijcimus in omnibus, quæ de nobis constituit. Ac propterea Hebræis dixit: k *Si vos odieritis mandata, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea: disperdet Dominus gentes istas ante faciem vestram; & possidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis sunt.*

i Pro. 16. 7.

k Deut. 31. 122.

SED his omnibus addamus, quòd Obedientia vincat etiam Deum ipsum, alias inuincibilem: deducens eum ad faciendam voluntatem ipsi obedienti nulla enim re adeò eum deducere possumus, ad faciendum quod petimus: neq; cùm facimus quod ipse præcipit; & amplectimur quod vult. Ac propterea S. Bonauentura dixit: eos, qui hanc habent cum Deo conformitatem, esse quasi Deos omnipotentes in sua voluntate: nam vnientes eam cum Deo,

in dicta salutis c. 1. rom. 8.

voluntate, possunt in eo quicquid volunt. Ex quo fit, vt septem illa præmia, quæ Christus Dominus noster in Apocalypsi promisit, non solùm ei, qui vicit priùs; sed etiam nunc vincenti: omnia pertineant ad obedientem, qui est propriè vincens. Nam ita vincendo pergit, sicut obediendo. *Primum* præmium est, cùm dicit: l *vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei. Secundum: qui vicerit non lædetur à morte secunda.* Tertium: *vincenti dabo manna Absconditum & calculum candidum; & in calculo nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Quartum: *qui vicerit & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes.* Quintum: m *qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Sextum: *qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei.* Septimum: *qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Quod verò hæc præmia obedienti promittantur, indicium est, quod ad singula repetat verba illa: *qui habet aures audiendi audiat, quid spiritus dicat Ecclesiæ.* Per Ecclesiam enim virtutem significat Obedientiæ, quæ verbum Dei audit, & custodit. Cum magno verò mysterio aliquando hæc verba ponit, antequam præmia exprimat; aliquando autem post expressa: vt obediens animetur ad seipsum vincendum; & promptè obediendum ipsi præmiorum, quæ accepturus est; & ea eorum parte, quæ datur cum vincit, quasi prompta pecunia præmium reddatur, quod, dùm se vincit, promeretur.

l *Apoc.* 2.7. 11.17.26:

m *cap.* 3.5. 12.21.

§. II.

ALIA ADHVC supereſt via magna OBEDIENTIÆ bona cognoscendi: consideratio scilicet grauium incommodorum & malorum, quæ adfert INOBEDIENTIA. Nam vt Philosophi dicunt: illud est melius, cuius oppositum est peius; & illud magis amatur, pluris fit & maiori præmio à Deo remuneratur: cuius contrarium magis ipse odit, contemnit ac punit: talis autem est Obedientia. Ascendamus (ait Sanctus Augustinus) ad montem Obedientiæ; & impleamus, quod Deo promisimus: nihil enim est Obedientiâ præstantius; nec peius inobedientiâ. Adamus perijt: quia fuit inobediens; Christus autem resurrexit: quia obediuit Patri suo.

Serm. 14. *ad Fratres in Eremo*

Hoc exemplum sufficeret ad cognoscendam grauitatem huius peccati, quod fuit radix omnium peccatorum & miseriarum huius mundi: cuius ægra non potuissent secundùm æqualitatem reparari, nisi per Dei incarnati Obedientiam: Iuxta illud Apostoli: a *sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obeditionem, iusti constituentur multi.* Inobedientia enim Adami in causa fuit, cur omnes ab eo descendentes cum originali culpa nascerētur, & subiecti essent miseriis, quas ipse propter eius crimen incurrit, quæ fuerunt septem valde luctuosæ. Quarum *prima* fuit, b *quod oculi*

a *Rom.* 5.19

I.

b *Genes.* 3.7

aperti

aperuerit, qui priùs clausi tenebantur; & oculos corporis & animæ perturbaret: vt ipsa experientia viderent ac sentirent miserias, quas antea non sentiebant; & dilaberentur in curiositates & iudicia temeraria contra proximos, & mãdata superiorum; & ad videndos modos, quibus culpam suam tegerent, aut excusarent; & ad reliqua, quæ sunt esca peccati. *Secunda* miseria fuit, quòd animæ nuditatem adferret, exuendo illam gratiâ & iustitia originali, ac reliquis supernaturalibus donis: quæ in illo felici statu eam exornabant: iuxta illud quod scriptũ est: c *nudans spoliauit eam, & proiecit eam*, quasi inutilem, ita vt miseri homines æquè nudi nascantur in anima, atque in corpore. Et hinc *Tertia* miseria, damnumque profluxit: rebellio scilicet carnis contra spiritum; & sensualitatis contra rationem: nam passiones (vt ait Sanctus Augustinus) rebellarunt contra eam; quia spiritus rebellauit cõtra Deum. Ita vt inobedientia animum addiderit d *latronibus* contra *hominem descendentem a Ierusalem in Iericho: vt illum spoliarent* pulcherrimis virtutum ornamentis, & *plagas imponerent* à pedibus vsque ad caput in omnibus eius facultatibus, & potentijs: *relinquentes eum semiuiuum*, & semimortuum. Pestis enim inobedientiæ, etsi libertatem ei non abstulit: cum tanta tamen ad bonum faciendum debilitate; tantaque propensione ad malum illum reliquit: vt hoc omnino sequatur, propriam sequens voluntatem, Diuinamque contemnens. Post hoc detrimentum secutum est *quartum*: confusio scilicet & pudor, quòd se nudos viderent, turpesque motus experirentur, quos nunquam antea senserant. Ex quo prouenit, vt statim, atque strepitum senserunt Domini ad ipsos venientis, sese pudore affectos absconderint e *vocem*, inquit, *tuam audiui in Paradyso: & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me*. O quantum est malum inobedientia, quæ sic hominem abijcit, vt non habeat animum in diuina Præsentia comparendi, fugiat Deum, & abscondat sese, ne illum videat, meritam timens reprehensionem. Sed neque Deum fugere potest; nec fuga, quam conatur, ei prodest: siquidem nec potest fugere seipsum; neque reprehensionem & cruciatum vitare, quem adfert illi propria conscientia. Et quamuis folijs ficûs partem illam cooperuerit, quæ maiorem illi pudorem adferebat: semper tamen erubescebat, quòd se nudum videret: nulla enim humana diligentia sufficit ad culpæ pudorem remouendum quamdiu Deus illam non remittit. Sed neque hic fuit damnorum inobedientiæ finis: quia tria alia attulit corpori valde grauia: quorum vnum fuit, perturbatio & inordinatio humorum corporis, qui tunc quasi fræno quodam continebantur. Ex qua perturbatione morbi oriuntur, dolores, & ipsa mors, quam Deus in pœnam fuerat minatus. Alterum damnum fuit inobedientiæ audacia brutorum animalium: quæ priùs erant illi ad nutum subiecta; nunc autem contra ipsum se erigunt, inuadunt, & per-

Vide Lauren Iustin. lib de Obed. c. 2.

2.

c *Ioël* 1. 7. *Osea* 2. 3.

3.

d *Luc*, 10. 30

4.

c *Gen.* 3. 10.

sequuntur. Ac denique quòd expulsus fuerit è Paradyso voluptatis, & exul missus in hunc miserum mundum, & vallem lacrymarum: vbi iniuriæ temporum elementorum asperitas, & furiæ crudelitatesque hominum mutuæ, carnifices sunt inobedientiæ. A quo tempore cœpit opere impleri quod Sapiens dixit: f *Armabit Sapientia creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*, hoc est rebelles & inobedientes. Cum tamen hoc totum veluti pictura quædam sit, si conferatur cum expulsione à Paradyso cœlesti, & damnatione ad inferni carcerem, quem inobedientia replet: & hac remota, non fuisset opus igne eius æterno.

f Sapient. 5. 8. 21.

QVID autem dicemus de horrendis supplicijs ac pœnis, quibus Deus Dominus noster punit renouantes hanc inobedientiam, imitantes patrem suum Adamum? non parcit regnis, non Regibus, non Pontificibus, nec Prophetis: etiamsi priùs fuerint sanctissimi, magnaque ediderint miracula, & egregia facinora. Nam accedente inobedientia & repugnantia; nec amicitia amplius nec pax supereſt cum Deo. Inobedientia Pharaonis eiusque populi, causa fuit decem plagarum Ægypti: & prout rebellio ac pertinacia crescebat: ita augebantur plagæ. Cur Hebræi fuerunt in deserto adeò horrendis flagellis puniti: nisi, quòd audientes Dei vocem, rebelles ei & inobedientes fuerunt? Hæc inobedientia abstulit Sacerdoti Heli, eiusque filijs dignitatem sacerdotalem, & ipsam vitam. Hæc Saulem vitâ & regno spoliauit, sibi & suis successoribus. Propter hanc Ionas missus fuit in mare, & à Cete piscè deuoratus: vbi perijsset absque vllo remedio, nisi propositum obediendi illi adfuisset. Propter hanc quidam alius Propheta, qui magna etiam miracula ediderat, fuit à leone interfectus: & fera, quæ inobedientis corpus inuasit iumentum tangere non est ausa: quod symbolum erat subiectionis, quam suo Creatori debuit exhibere. Denique vxorem Loth inobedientia mutauit in statuam salis ad cautelam omnium inobedientium; nam aliquorum pœna multos debet in officio continere.

Quis igitur ex his non videat stupenda obedientiæ commoda, quæ à tot damnis liberat; totque supplicia & pœnas auertit? Quòd si miserè incidisti in aliqua inobedientiæ mala: non est alia via eis euadendi; quàm vt redeas ad viam Obedientiæ. Illa enim tegit animæ nuditatem, pudoré auferet & confusionem culpæ, & animum addit, vt aperta facie audeat coram Deo comparere. g *Tunc* (ait Dauid) *nõ confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* O Sancta Obedientia (ait Sanctus Augustinus): quid de te dicam? tu sponsa es Dei viui, perfecta cœli scala, & currus in quo iustus sicut Elias defertur in Paradysum. Tu porta es per quam iusti in cœlos intrant, tu es clausura, ne peccatores, qui ad te redeunt teque amplectuntur, ad inferos descendant. Tu humilitatem nutris, Patientiam exerces, complecteris

g Psal. 118. 6 Serm. 7. ad Frat. in Eremo.

mansue-

mansuetudinem. Sitis igitur fratres obedientes : dantes Cæsari quod est Cæsaris;& Deo, quod est Dei. vt locupletissimis gratiæ & gloriæ suæ donis Obedientiam vestram remuneret in æternum, Amen.

CAPVT XIII.

QVOMODO SIT OBEDIENDVM DEO, ET OMNIBVS SUPERIORIBVS; bonis & malis, qui eius nomine gubernant.

QVAMVIS OBEDIENTIÆ VOTVM sit omnibus Religionibus commune: non tamen est sicut votum Castitatis: quod quoad substantiam est in omnibus æquale; sed sicut votum Paupertatis: quod varios habet gradus. Et (vt Sanctus Bonauentura ait) aliquæ Religiones excellentiorem profitentur obedientiam, quàm aliæ. Quod ex varijs causis & radicibus prouenire potest, ob rerum varietatem; quæ ad huius virtutis perfectionem confluunt. Aliæ ex parte eorum, quibus Obedientia, debetur; & rerum in quibus illa præstatur: aliæ ex parte subditorum, qui obediunt; & ipsius modi obediendi. Illa autem Religio excelsiorem ac perfectiorem censebitur obedientiam profiteri: cuius Regulæ maiori cum perfectione conferunt quicquid ad quatuor has radices pertinet, vt ex ijs apparebit, quæ de vnaquaque earum adferemus: quamuis, quòd omnes valde inter se sint colligatæ non facilè poterunt aliæ sine alijs explicari. Quicunque tamen suæ perfectionis erit cupidus, contendere debet, in omnibus eminere: quò enim magis in Obedientiæ gradibus proficiet eò etiam crescet amplius in proprij statûs sui perfectione. Illud tamen aduertendum: non attendi hic gradus Obedientiæ, aut inobedientiæ, eo solo nomine, quòd sit specialis virtus aut speciale vitium, quod amplectatur, aut reijciat rem, quę est præcepta aut prohibita; sed etiam ratione quadam generali; quæ, vt dictum est, omnes virtutes & vitia comitatur.

In expos. Reg. Minorum c. 1.

Nam executio omnium bonorum operum, vniuersim appellatur Obedientia: eò quòd sit Dei voluntati conformis, omnis verò omissio, & opus prauum, quacunque id intentione fiat, erit inobedientia. Et in hoc sensu dixit S. Ambrosius: peccatum non aliud esse, quàm inobedientiam contra Dei legem. Iuxta quam doctrinam, omnes gradus Obedientiæ, quos ostendemus pertinent vniuersim ad omnes Christianos circa præcepta ipsis tradita: sed præcipuè, & cum maiori excellentia pertinent ad Religiosos, quos, nullo excepto, Obedientiæ votum obstringit Religionis enim Hierarchia, etiamsi varios habeat personarum gradus, omnes tamen aliquam habent subordinationem. Particulares enim Conuentuum Religiosi

Ex S. Tho. 2. 2. q. 104. a. 2. ad 1. Lib. 2. de Paradyso c. 8.

debent

debent immediato suo Superiori & Prælato obedire; & hic Prouinciali; hic autem Generali: omnes autem tam maiores quàm minores obedire debent Summo Pontifici: qui est Christi Domini nostri vicarius in terra. Quicquid iam debet ipsimet Christo obedire, & iuxta ipsius leges alios gubernare. Quò etiam Prælatus erit maior: eò eius obedientia ad sibi Superiorem magis gloriosa est ac necessaria: ob exemplum bonum, quod alijs meritò dare debet; in obedientia autem eius erit etiam pernicioſior, ob scandalum & malum exemplum reliquis datum. Et fortè luet etiam hic in eodem genere, permittente Deo, vt nec subditi ipsi obediant: sicut ipse suis maioribus non obedit. Contrà verò etiam hic remunerabit gratum ipsum obedientiæ, efficiens, vt & subditi similem erga ipsum habeant. Non præteribo tamen illud insinuare: quod subditorum sors, etsi arctior & constrictior, sit tamen securior ac felicior. Quare pulchrè Sanctus Bernardus ait: subditos Religionum transire copiosum huius mundi fluuium, non pedibus vadantes, sicut sæculares: qui submersionis periculo sunt expositi; neq; naui, sicut Prælati qui cum maiori laxitate per quamcunque fluminis partem traijciunt: non tamen absque periculo: sed traijciunt per pontem, quæ via plana est ac secura; custodientes suas Regulas & obedientes superioribus. Quò enim minus habent libertatis, eò habent plus securitatis.

Serm. de tribus ordinib. Ecclesi.

I. INCIPIENTES igitur ab Obedientia ex parte personarum, quibus exhibetur: hæc habet multos gradus, quorum omnium fundamentum est Obedientia Deo Domino nostro debita, qui primus est; cui obedire tenemur; eò quòd vnicus sit, & supremus Dominus, Creator, & vniuersalis gubernator magnæ huius mundi domûs, & omnium creaturarum quas ille complectitur. Quo nomine omnes tam Angeli, quàm homines tenentur, non proprio suo iudicio seipsos gubernare, sed Legibus ac Præceptis ab ipso traditis. Hæc ratio Sanctum Iob permouit, vt diceret a *Amandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius. Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius; & anima eius quodcunque voluit, hoc fecit.* Quod idem est, (vt Sanctus Gregorius explicat) atque si dixisset: obedio Deo, eò quòd ipse sit vnicus Dominus & gubernator omnium; à quo reliqui accipiunt gubernationem, quam habent, adeoque est potens & Sapiens, vt nullus possit eius impedire consilia, vt facere prætermittat quod efficaciter fieri voluit. Quamobrem magnæ prudentiæ est, libenter ei obedire meaque obedientia voluntatem & gratiam ipsius ad me allicere. Huc accedit, quòd Angeli & homines speciali Dei gratiâ eleuati sint ad supernum quendam finem, narram eorum superantem, & consistentem in clara Dei visione, quæ obtineda est per media & præcepta rerum supernaturalium, ipsimet fini proportionatarum. Et in his tenentur obedire Deo titulo Saluatoris, & glorificatoris,

S. Tho. 2. 2. q. 104. a. 4. a Iob. 23. 12.

b Ibidem.

sequentes directionem sibi ab eo propositam. Cùm autem nec intellectus humanus, nec Angelicus per seipsos solos sufficiant ad cognoscẽdum quicquid ad ipsorum gubernationem in rebus adeò excelsis pertinet: tenentur abnegare sese, & iudicium suum captinare in obsequium Dei sui, audientes & credentes quod ipsis dicit; & opere exequentes, quod præcipit. Et hanc ait Sanctus Augustinus, fuisse supremam Luciferi eiusque sequacium Angelorum superbiam: quod voluerunt esse sicut Deus, qui nemini subest, nec eius gubernationi subijcere se voluerunt. Et in eandem superbiam impegerunt etiam primi nostri parentes, volẽres liberi esse, & absq; subiectione viuere: ac propterea Dei præceptum cõculcarunt. At Sanctus Michael eiusque socij Angeli fundarunt sese in humilitate, agnoscentes se creaturas, ex ipsis ignaras, debiles, Deoq; suo subiectas: ideoque perfectè amplexi sunt subiectionem & obedientiam Creatori suo: de qua semper gloriati sunt, & gloriantur tanquam ministri, & famuli destinati ad faciendum, quicquid eorum Dominus mandare dignabitur. Quorum obedientiam voluit Saluator noster, homines imitari ideoque iubet, nos petere, vt Patris voluntas fiat in terra, sicut in cœlo. Hic primus obedientiæ gradus absolutè est excellentissimus, & vim habens omnes obligandi: licèt aliquid vlterius habeat secundus gradus, qui est obediendi alijs propter ipsummet Deum. Quem, ait Sanctus Bonauentura, in hoc priorem excedere, quod indicium præbeat maioris humilitatis, & subiectionis: cùm non solùm supremo gubernatori obediat, quòd omnibus est honorificum; sed alijs etiam creaturis, quas ille suo loco substituit. Quod duobus modis fit primùm ob generalem suã prouidentiam, qua constituit, varios esse gradus maiorum & minorum; & vt minores pareant maioribus, à quibus gubernantur. Ita vt intra ipsosmet Angelos (vt aiunt Sancti Patres, & ex ipsa scriptura sacra deducitur) hæc inueniatur subiectio & Obedientia aliorum ad alios, innixa præstantiæ naturæ & gratiæ, quam vna Hierarchia habet super aliam. Inter homines tamẽ inuenitur varijs causis, propter quas filij tenentur obedire parentibus, vxores viris suis, famuli heris; seruiDominis; & ciues omnibus gubernatoribus, ac iudicibus iuxta generalem Apostoli sententiam, dicentis: b *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autẽ sunt, a Deo ordinatæ sunt.* Qui ordo exigit, vt in qualibet republica, Ciuitate, ac domo sit caput aliquod, cui reliqui obediant, & subijciantur. Aliàs magna esset confusio ac discordia: regnum autem & familia quæque diuisa omninoperit. Ac propterea Sanctus Augustinus dixit: quòd Obedientia seruet concordiam in Angelis, pacem in Monachis, & in ciuibus tranquillitatem: sine qua nec respublica diu stare, nec familia bene regi potest. In quo tamen gradu multò ampliùs eminet obedientia Religiosorum, qui sponte

De verbis Domini. Serm. 14. tom. 10.

2.

De grad. virt. c. 2.

S. Diony. c. Cœlest. Hierar.
S. Greg. Homil. 34. in Euang.
S. Ber. Homil. 1. Super Missus est.
Zacha. 2. Apoc. 7. & 16.
b *Rom. 13.*
Serm. 7. ad Fratr. in Eremo.

sua vitam perfectam profitentur, seseque obstringunt voto obediendi Prælatis & maioribus: non solùm ob generalem rationem, quòd in omnibus communitatibus debet esse aliquis; qui illas regat, cui reliqui subijciantur: sed ob alias magis particulares, & magnæ perfectionis. *Primùm*, vt occasionem habeant sese ampliùs humiliandi, subijciêtes se alteri homini: qui more & ordine huius mundi non est maior, imò sæpe minor, vt insinuat Isaias, cũ dixit: d *Puer paruulus minabit eos*. Quod (vt ait S. Hieronymus) impletur, cùm huius mundi magnates obediunt humilibus Ecclesiæ Pastoribus. Deinde, vt imitentur in hoc Obedientiam & humilitatem filij Dei, qui factus homo, non solùm æterno suo Patri, sed alijs etiam hominibus obediit, dicente S. Luca quod e *erat subditus illis*; Sancto scilicet Ioseph, & virgini matri suæ. *Tertiò*, vt habeant occasionem mortificandi & vincendi seipsos, abnegantes proprium iudicium & voluntatem, vt alienam sequãtur. Implentes quod dixit Saluator. f *Qui vult venire post me abneget semetipsum*. *Quartò*: vt procul magis sint à periculo errandi, ac decipiendi seipsos: cum habeant in suo superiore Magistrum, qui ipsos doceat; consiliarium, qui monear; medicum, qui curet; Ducem, qui ducat; & protectorem, qui ipsos tueatur ac defendat. Ac deniq; propter reliqua omnia bona & vtilitates prædictas ipsius Obedientæ, tum in proximo capite, tum in alijs nostris tractatibus recensitas.

d *Isaiæ.* 11. 6.

e *Luca.* 2. 51.

f *Mat.* 16. 24

In Duce spirit. tract. 4 c. 2.

ET HIC Obedientiæ modus ita placet Deo, vt ipsemet per Superiores, quos cõstituit, dirigat quicquid intendit facere cum suis electis. Quod pulchrè perpendit Sanctus Gregorius in exemplo Samuelis, quem Dominus vocauit voce simili voci Heli Prælati sui, vt ipsum accederet; &, quid vellet, interrogaret. Nec priùs voluit Dominus voluntatem suam aperire, donec Samuel, parendo Heli mandato, Deo dixit: f *Loquere Domine: quia audit seruus tuus*. Vt intelligatur, ipsum velle, vt etiam desideria, quæ ipse inspirat, executioni mandentur cum facultate superiorum: Opus namq; subditi (ait idem Sanctus) diuinitus inspiratum, tunc gratum Deo esse cognoscitur, si maioris imperio, aut permissione peragatur. Et quid aliud est, Deum vocem imitari Sacerdotis Heli, quàm significare: Vocem Prælati, esse vocem Dei ipsumq; Deum per os Prælati loqui: cùm hic aliquid eius nomine præcipit? Ex quo Sanctus Basilius deducit, quod quemadmodum Deus, qui Pater est omnium summam à filijs suis exigit Obedientiam: ita spiritualis Religiosorũ Pater, qui eos iuxta Dei Leges & Præscripta gubernat: meritò ab eis requirat Obedientiam perfectissimam: cùm non ipsi propter ipsum Obediant, sed propter locum & officium, quo fungitur, in quo refert ipsum Deum.

Lib. 2. in l. Reg. 6. 4. ante mediũ.

f *1. Reg. 3. 10*

" "

" "

e

De Constit. Monast. c. 10

3.

SED vlteriùs pergit in hoc obedictiæ modo tertius eius gradus: qui subijcitur non solùm Prælatis bonis ac sanctis, quorum vita conformis est vitæ

S. Bona u. Supra.

Supremi

Supremi Gubernatoris Christi Domini nostri; sed etiam improbis, & in vita modoque gubernandi peruersis: modò quod iubet, non sit malum. Id quod expressè docuit Sanctus Petrus Apostolus, dicens seruis: g *subditi estote Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis: hæc est enim gratia*, & quidem maximi facienda, vt suo loco perpendimus. Quantò igitur amplius tenebuntur Religiosi obedire suis Prælatis, quos loco Dei habent? Si enim Deus adeò est bonus, vt etiamsi illi mali sint, ab officio tamen illis inuncto eos non remoueat: æquum est, subditum adeò esse bonum, vt nec ipse eis obedire prætermittat; sed custodiat Christi Domini nostri Consimillud & monitum, quod suis discipulis proposuit: h *super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.* quasi distinctiùs eis dixisset: cũ Cathedra, in qua illi sedent; & authoritas, qua funguntur bona sit; nec eos Deus ab ea remouet: obedite eis, & imperata facite: nihil enim vobis nocebit eorum malitia, modò in ea eos non imitemini. Hoc ipsum perpendit S. Gregorius in exemplo Samuelis, cui Deus cõstituerat reuelare magna supplicia quæ eius Prælato, & Magistro Heli, propter propria eius peccata, inferre cogitabat. Et nihilominus hanc reuelationem non priùs aperire ei voluit, quàm ad ipsum Heli eius Magistrum, vt dictum est, dirigeret. Vt ex hoc (ait) intelligamus: semper mandata maiorum esse veneranda, etiamsi eorum vita sit contemptibilis. Quamobrem Superbi, eorum doctrinam contemnunt, humiles verò qui eam audiunt, extolluntur ad culmen familiaris consuetudinis cum ipso Deo. Nec debẽt subditi valde esse anxij, quòd tales ipsis obtigerint Superiores: Sicut nec ipsi Superiores, quod rebelles habeant subditos. Diuina enim prouidentia totum hoc permittit in bonum suorum electorum: conuertens in eorum vtilitatem aliena mala, ac dispensans. Per subditos inobedientes exercet Deus bonos Superiores; & per hos imprudentes & seueros exercet cœlatq; bonos subditos: vt eorum Patientia & mansuetudo magis augeatur, & Obedientia ac humilitas maiori sit admirationi: quia in ministro improbo agnoscunt vocem, & authoritatem ipsius Christi.

g 1. Petr. 2: 18. Tomo 2. tract. 3. c 2. S. Laur. Iustinia. Lib. de Obedien. c. 12. h Mat. 23. 2.

Possvmvs cum S Bonauentura addere hic *quartum* Obedientiæ gradum: quo illa non solùm Prælatis & maioribus sese subijcit; sed extendit se etiam ad omnes homines, eum in modum, quo dixit Apostolus: i *In humilitate Superiores vobis inuicem arbitramini*, & k *subiecti estote inuicẽ in timore Christi.* Et S. Petrus: l *subiecti estote omni humanæ Creaturæ propter Deum.* Quod intelligẽdũ est, quoad affectum, & internam animæ promptitudinẽ; vt quisq; paratus sit iudicium & voluntatem suam, aliorum iudicio & voluntati, etiã maiorũ, subijcere: quando id expediet ad gloriam Dei; & ipsa prudentia faciendum

4. In speculo disciplinæ parte. 1. c. 4. i Philip. 2. 3. k Ephes. 5. 21. l 1. Petr. 2. 13.

dictauerit, vt sic propẽdeat semper magis ad subiectionem & Obedientiam, quam ad superioritatem aut imperium. Præcipuè cum Dominus noster non rarò minoribus vtatur, ad instruendos maiores; & per paruos, voluntatem suam magnis aperiat. Et interdum per subditos loquatur Superioribus, sicut per Samuelem loquutus est; & aperuit cõfilia sua Summo Sacerdoti Heli. Et qui humilis esse cupit, & excellenter obediens, etiamsi Prælatus sit senior, & eruditus: paratus esse debet (vt Sanctus Augustinus de seipso dicebat) alterius etiam inferioris iudicium sequi in omnibus. Qui Obedientiæ gradus securiùs potest in Religione ad praxin deduci, & nominatim ab ipsis Nouitijs, & Tyronibus; humiliantibus sese ac subijcientibus alijs omnibus in quacunque re aliquid ipsis iuberetur: modò tamen non contra Regulam, aut ordinem superiorum. Hac enim ratione proficient ampliùs in mortificatione sui iudicij, & voluntatis propriæ; & in ipsius obedientiæ perfectione. Siquidem, qui sibi æquali aut minori obedit: melius etiam obediet maiori. Et cùm Christus Dominus noster se subiecerit minoribus: quid magnum erit, quod eius discipuli, etiam minoribus se subijciant. Iuxta id quod
m *Mat.* 3. 15. fidem Dominus dixit suo Præcursori excusanti se ab eo baptizando: m *sic decet nos implere omnem Iustitiam.* Te quidem parentem meo præcepto, qui maior sum; & me subijcientem me tibi qui minor es.

CAPVT XIV.

RES IN QVIBVS EST OBEDIENDVM; ET DEFECTVS contra hunc Obedientiæ gradum.

EX DICTIS IN PROXIMO CAPITE transire licet ad gradus, quos hæc virtus habet ex parte rerum: in quibus Obedientia est præstanda. Supponendum est autem; (vt Sanctus Thomas aduertit) Deo Domino nostro parendum esse in rebus omnibus, quas iubet nulla excepta, etiãsi sint actus interni, qui ad solum cor spectant: statim enim atque constat, aliquid ipsum iubere: non potest id non esse bonum & studiosum. Quemadmodum enim ex eo quòd ipse sit summa veritas, nihil quod falsum sit, reuelare potest: ita ex eo quòd sit summa bonitas, nihil potest iubere, quod malum sit. Et quemadmodum Fides inclinat ad credendum quicquid Deus reuelat, iudicans, illud esse verum; etiamsi intellectus non assequatur eius rationem: ita obedientia impellit, ad implendum quicquid Deus iubet, iudicans, illud est iustum; quamuis interdum Præcepti rationem non satis intelligat sicut contigit in aliquibus rebus extraordinarijs, quas iussit ob fines quos mox subijciemus. Nam ordinariæ semper adeò sunt cum ratione coniũctæ, vt Dauid a *Præcepta Domini* appellet *lucida.* & b *testimonia eius credibilia nimis.* In hac tamen Obedientia tres gradus distinguere licet. PRIMVS, &

Deoparendum est in omnibus.

a *Psal.* 18. 9.
b *Psal.* 92. 5.

qui-

quidem maximè necessarius est, implere mandata legis naturalis, & Euangelicæ: in quibus omnes virtutum actus ad salutem nostram necessarij indicti sunt. Qualis est credere, sperare honorare, & amare Deum, alijque similes. Ad quem gradum spectat obedientia Diuinis inspirationibus & vocationibus debita, per quas Dominus noster in particulari nos impellit ad horum Præceptorum executionem: quibus si resistatur, est inobedientia. Sed cum alij sint actus virtutis ex consilio tantùm, ad maiorem perfectionem obtinendam, nostramque salutem securiorem reddendam: hi actus sunt materia *Secundi* gradus Obedientiæ: quatenus indicia sunt voluntatis ac desiderij, quo ipse Dominus tenetur, vt omnes perfecti simus. Et qui hoc fine & intentione eos exercet existimans, ita Deum velle, & illi placere: talis, inquam, præstantiorem exercet Obedientiã. Consilium enim non aliud est quàm quòd ipse Dominus noster insinuet: placere quidem sibi si id præstet; sed nolle, te ad id præstandum obligare. Perfectè autem obediens respondet: O Domine etiamsi intelligam, quòd nolis me obligare: volo tamen id facere, vt tibi placeam. Ad hunc Obedientiæ gradum spectat, obsequi inspirationibus Diuinis, significantibus nobis, quid ipse Dominus à nobis velit, circa huiusmodi consilia. Et hinc *tertius* prouenit Obedientiæ gradus: cùm scilicet Deus inspirat res valde arduas, valdeque perfectas, qualis est Castitatis perpetuæ, Religionis, & profectionis ad infideles, aut hæreticos conuertendos, & aliæ similes. Et sic explentur & perficiuntur tres modi seu gradus c *voluntatis Dei*, quam Apostolus appellat, *bonam, beneplacentem, & perfectam.* c Rom. 12. 2

§. I.

Obedientia Regularum, & ordinationum Prælatorum.

SIMILES ALII GRADVS INVENIRI possunt in Obedientia Religiosa, quæ complectitur Regulas & Ordinationes Superiorum. In quibus (teste Sancto Thoma) sunt quædam de Præcepto: qualia sunt, quæ spectant ad ipsa vota; & ad quæ ipsa Regula expressè intendit ad culpam obligare transgredientem; & cùm ipse Prælatus in virtute sanctæ Obedientiæ aliquid iniungit. Et hæc omnia pertinent ad primum obedientiæ gradum. cuius transgressio peccatum erit grauius, aut leuius iuxta materiæ præceptæ grauitatem. Sed præter hæc, multa in Regulis continentur, quæ de Præcepto non sunt, nec sub aliqua culpa obligant: quia solùm sunt directiones & Ordinationes, aut statuta, quæ iuuant ad obtinendam celsitudinem perfectionis, quam tales Religiosi sectantur. Quare transgressores tantùm sunt rei pœnæ in eis præscriptæ, aut à Prælato constituendæ. Et huius generis sunt Regulæ Ordinis S. Dominici, & nostræ Societatis: quarum transgressio nisi ex cõtemptu oriatur, nec lethale nec veniale erit peccatum; sed imperfectio 2.

2. 2. q. 189. a. 9.

fectio quædã contra id, quod magis cõforme esset voluntati Dei, explicare à Prælatis, qui talia statuta confecerunt, aut verbo constituunt. Qui non intendũt ad eorum custodiam sub culpa obligare: ne Regula fiat laqueus peccatorum imbecillibus, frequenter impingentibus: fiat verò occasio præstantioris obedientiæ feruẽtioribus. Excellior enim ac generosior est modus obediendi quem nunc referebamus eius, qui diceret: quamuis Regula sub culpa non me obliget: volo tamen, quod illa proponit, seruare; eò quòd hæc obseruatio placeat Deo. Id enim est facere voluntatem Dei, nõ solùm boni & placentem, sed etiam magis perfectam. Cùm igitur Religiosus teneatur studere perfectioni in Regulis suæ Religionis propositæ; vt, qui à tali studio omnino cessaret, Regulasq; contemneret, ad eam obtinendam iuuantes ac dirigentes, grauiter censeretur peccare: ideò titulo & nomine perfectè obedientis tenetur, omnes obseruare; ita vt si eas transgrediatur, etsi non in culpam; in imperfectionem tamen incidat, contra id, quod sui statûs perfectioni debet. Præterea, cùm leues culpæ disponant hominẽ ad lethales admittẽdas: etiã inobedientiæ contra Regulas & ordinationes Superiorum disponent ad culpas leues, & etiam ad contemptum, qui est culpa lethalis. Quare zelosus suæ Religionis ac perfectionis, vt remotior sit à culpa, quæ illam offendit & corrumpit, debet meritò omne id cauere, quod ad illam disponit, quamuis non aliud sit, quàm imperfectio aliqua contra Regulam: quæ imperfectio vt plurimùm est alicui culpæ valde affinis, eò quòd desit illi bonus finis, aut aliqua debita circumstantia. Neque enim gratis, vt superiùs dicebamus. iubebat Deus, a *Nazareos non solùm abstinere a vino, & vino; sed etiam ab* ipsis *acinis*. Exprimit enim acinos, qui ficci sunt & insipidi: quia talis comedens vix potest bonum finem habere; aut certè ordinariè erit actus otiosus, aut alicuius inordinatæ voluptatis: sicut qui lutum, aut gypsum masticando oblectaretur. Vult itaque Deus Dominus noster, veros suæ nouæ Legis Nazareos monere, ne contenti sint, non admittere culpam lethalem, quæ iudicium & rationem inuertit ac perturbat; nec venialem, quæ ad illam disponit: sed contendant non admittere etiam imperfectionem contra Regulam, quæ prope accedit ad culpam. Vix enim bonus finis adhiberi potest cùm quis sciens & volens Regulam transgreditur. Et ordinariè, aut erit actus otiosus; aut nimius amor proprius; aut sensualis & inordinata voluptas, vt palato suo satisfaciat; aut tepiditas & spiritus laxitas, quæ vitium est Acediæ. Remorsus etiam, quem talis transgressio in conscientia relinquit, testimonio est maculæ, quam in anima efficit; si adsit aliqua ex tribus circumstantijs, cum quibus talis trangressio adiunctam habet culpam: quas S. Thomas appellat *contemptum, negligentiam, & libidinem*; hoc est pro libitu, absque ratione, aut propter delectationem aliquam sensualem. Studeat itaque

Dispositio ad peccatum fugienda.

a *Num.* 6.

2. 2. q. 186. a. 9. ad 1.

Religio-

Religiosus adeo in sua Obedientia gloriari vt integrè impleat quicquid in Regulis continetur. & superiores constituūt: nec b *Iota vnum aut vnum apex*, vt Saluator dixit) nec minimam Regulam aut partem siue circumstantiam eius minimam prætereat. Cumque omnes Christiani teneantur aspirare ad Celsitudinem perfectionis Christianæ, quæ in ipsius Dei amore & perfecta legis ipsius obseruatione continetur, cum ea excellentia: quam in primo tomo explicuimus, multò certè maius studium ponere debent Religiosi in hac perfectione procuranda: cui studio sese addixerunt & consecrarunt.

b *Mat.* 5. 18

Tract. 1. c. 6 & 8.

Eum in modum, (ait S. Dorotheus) quo qui nouam valdeque pretiosam vestem induerunt, magna cautela attēdunt, ne laceretur, aut aliqua macula etiam paruula conspurcetur; nec luti aliquid aut pulueris ei adhæreat: quod si aliquid tale adhæreat, statim curant excutere, & purgare. Ita feruens Religiosus, qui præstantem gratiæ vestem induit, & Euangelicam perfectionem profitetur: studet, eam in toto suo splendore ita conseruare: vt nec culpa nec imperfectio aliqua ei adhæreat.

Serm. 2.

3.

Sed vlteriùs adhuc pergere debet, & adspirare ad tertium Obedientiæ gradum multò perfectiorem, non adstrictum Regulæ. Quamuis enim in rigore nullus Religiosus virtute voti, Obedientiæ obligetur ad obediendum Prælato, nisi iuxta suam Regulam. Et (vt S. Thomas ait) non tenetur obedire quando aliquid præcipit Superior contra suam Regulam, aut supra eam: nam in his transgreditur limites suæ iurisdictionis: ideoque ad ea non est legitimus Superior. Perfectus tamen obediens meritò debet se offerre ad obediendum in rebus omnibus, etiam Regulam suam excedentibus. Cum enim obedientia Religiosa sit holocaustum Deo oblatum, nil de propria voluntate sibi retento; qui reseruat sibi, quod excedit Regulam non offert Deo holocaustum tam perfectum, atque is qui nihil sibi reseruat; sed offert se ad obediendum in omnibus. Hæc fusè docet S. Bernardus his verbis: Is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodā sed determinatè secundùm Regulam: vt oporteat eum qui præest, non frena suæ laxare voluntati super subditos: sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram. nec enim se valet extendere potestas Imperantis: nisi quatenus attigerit votum Profitentis: vt non imperet aliquid vltrà, nec citrà, & multò minus, quod est contra ipsam Professionem. ergo Prælati iussio vel prohibitio non prætereat terminos Professionis: nec vltrà extendi potest, nec contrahi citrà.

2. 2. q. 104. a 5. ad 3.

q 186. a. 5. ad 1.

Lib. de Præcep. & Dispensa. Cap. 3.

» »
» »
» »
» »
» »
» »
» »
» »
» »

Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi; nec plus exigat, quàm promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate; nec minuat sine certa necessitate. Necessitas quippe nō habet legē: & ob hoc excusat dispē-

sationem

sationem, quæ eius causa sit. Cæterùm subiectus huiuscemodi Obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam. Nam perfecta Obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs Professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem Charitatis, & ad omne quod iniungitur spontanea: vigore liberalis, alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur: quæ nec metam nec limitem ponit Obedientiæ. Hæc est illa, de qua signanter Apostolus Petrus *Obedientiam* appellat *Charitatis*: pulchrè ipsam per hoc sequestrans ab illa inerti & seruili obedientia; non charitati prompta, sed obnoxia necessitati. Hæc iusti illius, cui Apostolus dicit legem non esse positam, propria est: non quòd ille viuere debeat sine lege; sed quòd non sit soli legi adstrictus, neq; contentus voto cuiuscunque Professionis, quam magna superat animi deuotione Hæc omnia in Summa S. Bernardus.

1. Pet. 1, 22.

1. Tim. 1. 9.

Ex His licet cum Sancto Bonauentura colligere: si perfecta Obedientia non arctatur ad id quod Regula iubet, quia hæc limitem habet & terminum in eo quod præcipit: obedientiam illam fore excelsiorem, cuius Regula erit excelsior: eò quòd in ea nihil excludatur, nisi quod vergat in detrimentum nostræ salutis, & perfectionis. Quem obedientiæ modum profitetur nostra Societas Iesu, vt clarè apparet in eius Constitutionibus: in quibus Pater noster Sanctus Ignatius dicit, vt in omnibus rebus, ad quas potest cũ Charitate se obedientia extẽdere, Superioribus nostris pareamus. Hæ autem sunt omnes illæ, in quibus peccatum non cernitur manifestè. Quare solum peccatum excluditur; reliqua autem omnia sunt Obedientiæ materia, etiamsi proficiscendum sit ad Indos, aut ad Regiones hæreticorum, & infidelium, ad Catholicam Fidem prædicandam, aut pueros & rudes Christianam doctrinam docendos. Et in ipsa Professione solenni, fit expressa mentio harum duarum rerum: quarum altera adeò est excellens ac difficilis; altera verò humilis & facilis. vt tales professi intelligant, se teneri ad prærendum in rebus omnibus, nulla exclusa qualiscunque illa sit.

In expos. Reg. Minorum c. 1.

Parte 6. c. 1. lit. B.

§. II.

Varij inobedientiæ modi contra gradus Obedientiæ prædictos.

2. 2. q. 105. a. 2.

Ex Gradibvs Obedientiæ in hoc & in proximo capite positis, facile intelligentur gradus inobedientiæ: cuius grauitas (vt Sanctus Thomas ait) præcipuè desumitur ex maiori authoritate præcipientis, & ex magnitudine rei præceptæ. Ex quo fit, vt inobedientia contra Deum, eiusque Præcepta, grauior sit, quàm contra homines. Nam quò tituli & nomina, quæ nos ad obediendum obstringunt, maiora sunt: eò maior est culpa nõ obedire; & quò maior est eius excellentia, eò est etiam maior incivilitas negligere quod iubetur. Cuius rei illud est magnum indicium: quòd vt

1.

supra diximus, nulli homini parendum est contra id quod præcepit Deus quare, ne quis Deo sit inobediens, conculcare debet quodcunque hominũ mandatum. Et in hoc sensu explicat S. Bernardus illud Heli Sacerdotis ad filios suos: a *Si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus: si autem in Dominũ peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Quocirca cùm aliquis homo alterum hominem etiam suum Prælatum offendit, non obediendo ei; ne ipsum Deũ offendat: non est, quod timeat: Deus enim erit ipsi propitius, apud quem est innocens: quamuis homo existimet, se iniuria affectum. Si autem cõtra Deũ peccet, vt homini placeat & obediat: non erit excusatus, sed reus: neque erit homo qui possit ipsum à culpa illa liberare, nisi Deus ipse pœnitenti eã remittat. Eadem ratio locum habet inter diuersos Prælatos, maiores, & minores. Cùm enim maiori obedientia sit primo loco præstanda: ideò turpius est eidem non obedire. Quare grauior erit Religiosi culpa, quòd sit Summo Pontifici, qui omnium est supremus Superior, inobediens; quàm si nõ obediat suo Generali: ac proinde inobedientia huic præstita, grauior erit, quàm si Prouinciali, aut alteri ex alijs minoribus Superioribus obedientia denegetur. Et quemadmodum excelsior est humilitas, qua quis minimo omnium prælatorum se subijcit: ita Superbia erit maior; quòd quis rebellet cõtra maiorẽ eorũ: ac proinde erit suprema si rebellet contra ipsum Deum.

a 1. *Reg.* 2. 16. *De prec. & Dispens.*

2.

Etiam desumitur inobedientiæ grauitas ex magnitudine, & præstantia, aut necessitate rei præceptæ: neque enim Præcepta omnia & Regulæ æque obligant; sed aliæ plus alijs; eò quòd præcipiant aliquid magis necessarium, & expediens ad finem à Legislatore intentum: siue res alioquin sit facilis, siue difficilis, quæ impleatur. In qua re hanc S. Bernardus tradit Regulam: quòd Obedientia in rebus arduis ac difficilibus sit præstãtior; eò quòd ad eorum difficultatem superandam maiori sit opus fortitudine: estque magnum indicium reuerentiæ & amoris erga Deum, quod quis eius causa & amore rem adeò grauem exequatur. Ac propterea adeò fuit laudata Obedientia b *Abraham volẽtis proprium filiũ sacrificare*; & mul ò ampliùs fuit laudedigna Obedientia Christi Domini nostri, qui c *factus est obediens vsque ad mortem* & quidem *mortem crucis*. Et in his casibus inobedientia aliquẽ habet excusationis prætextum: contra verò in rebus facilibus est magis damnanda: eò quòd inobediens eas negligens, non habeat excusationem: estque magnus Dei contẽptus, quod eius Diuina voluntas negligatur & cõculcetur in re, quam ipse adeò commendat, ac iubet: cum illa sit alias facilis factu. Ac propterea iudicata est adeò grauis inobedientia Adami, & Euæ, & vxoris Loth: vt facilè ostendit punitio vtriusq; statim consecuta. Et ita intelligendum est dictũ illud Saluatoris: d *Qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est*, qui enim præceptum, quod facilè seruare potest transgreditur: citiùs

b *Genes.* 22. 12.
c *Phil.* 2. 8
d *Luc.* 16. 10

trāsgredietur difficilius;& qui à debili hoste ſuperatur:faciliùs dedet & tradet ſe fortiori.Et quamuis Obedientia in rebus paruis & facilioribus nō ſit adeò inſignis,ob paruam in executione difficultatem:nihilominus, ſi propterea ſeruatur,quod voluntas Diuina maximi fiat:ea ipſa eſt indiciū ſeruidæ & adhibēdæ in rebus difficilioribus. Ac propterea dixit Chriſtus Dominus:*qui fidelis eſt in minimo:& in maiori fidelis eſt* Qui .n.adeò Deum reuerētur,ac diligit,vt timeat illi diſplicere & non obedire in modico: ſignum eſt, quod non audebit ei diſplicere in magno. Quare hoc nomine,qui perfectus eſt obediens,non eſt cur diſcrimē faciat inter præcepta magna & paua. Nam in ipſius oculis quæ parua ſunt, debēt haberi magna:vt ea exequatur,& nullā ob cauſam tranſgrediatur;magna autem debent haberi:āquam parua,ob facilitatem,& promptitudinem ad ea ſeruanda:ſiquidem vbi magnus eſt amor: magnus labor cenſetur eſſe paruus: ſicut etiā ignauia & torpor in amore,cauſa eſt, cur paruum præceptum exiſtimetur eſſe magnum.

1. SED ad inobedientiam redeuntes,varios in ea gradus diſtinguere poſſumus circa res ipſas præceptas.Eſt enim quędam inobedientia clara omnino & aperta,quæ interdum oritur ex præcipiti aliqua & forti paſſione:cùm ſcilicet Religioſus aduertit, ſe malè facere tranſgrediendo Regulam, & non obediendo Superiori: paſſio tamen iræ,aut ambitionis,celeriter ipſum trahit & raptat,vt ſuo palato ſatisfaciat:quamuis vehementiā illā tranſactā facti illum pœniteat.Quæ inobedientia ex hac parte eſt tolerabilis. Qualis fuit inobedientia illius filij,de quo Chriſtus dixit,quòd, cùm e *Pater* amaret *illi diceret fili,vade hodie,operare in vinea mea. Ille autem* impudenter *reſpondens ait: nolo. Poſtea autem pœnitentia motus abiit*:quam ob cauſam idem Chriſtus Dominus filium illum tanquam obedientem laudauit, eò quòd opere ipſo præſtitiſſet voluntatem patris.Et ſæpe huiuſmodi inobedientiæ ſunt tanquam aquæ guttæ in Caminum miſſæ,quæ primùm quidem ignem mortificant; ſed ſtatim ille cum maiori feruore reuiuiſcit: ita hæ culpæ remittunt feruorem Charitatis; ſed,qui eas admiſerunt,ex pudore ſuæ inurbanitatis, eiuſque pœnitentia excitantur ad maiorem feruorem Obedientiæ:quò præteritam iacturam reparare poſſint.

e Mat. 21. 29

2. INTERDVM inobedientia oritur ex contemptu & malitia:& hæc eſt deteſtanda,præcipuè cùm tranſit in conſuetudinem, & accedit obſtinatio & pertinacia.Qualis fuit Saulis:cui dixit Samuel: f *Repugnare Deo,& nolle ei acquieſcere,eſſe quaſi ſcelus idololatriæ.* Et aduertit Sanctus Bernardus: non dixiſſe Saulem:non acquieſcere;ſed nolle acquieſcere, & repugnare cum pertinacia& contemptu,quaſi detectans ſubiectionem,& volens laxam deponere vitam,Sicut etiam populus ille,de quo Ieremias dixit:g *A ſeculo confregiſti iugum meum,rupiſti vincula mea, & dixiſti:non ſeruiam*, nec alligatus eſſe

f 1. Reg. 15. 23

g Iere. 2. 10.

volo

volo præceptis eius. Quod est indicium Diabolicæ superbiæ, quasi Luciferi; quem imitatur miser ille, de quo in libro Iob: h *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natũ putat*; qui nec onus ferre, nec aliquod ligamen, quo contineatur vult tolerare. Qui inobedientiæ modus est omnino sini Religiosi contrarius: qui præter vincula præceptorum, votis etiam seipsum ligauit, seque obtulit (vt ait Dauid) i *vt sit iumentum in domo* ipsius Dei; & semper sub eius disciplina. Et in rebus quidẽ grauibus est semper hæc inobedientia perniciosa; in leuioribus autem valde periculosa: quia certa imminet ruina. Iuxta illud Ecclesiastici: k *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Quid autem est *decidet*, nisi de statu excelso, quem elegit, in profundã miseriam decidere, quam priùs euaserat, reuersus sicut canis ad vomitum.

h *Iob.* 11. 12.

i *Psal* 72. 23

k *Eccl.* 19. 1

ALIVS EST modus inobedientiæ tectæ, quæ ex duplici oritur radice. Aliquando enim procedit ex aliqua ignorantia, obliuione, aut inaduertentia: quia non cogitatur esse inobedientia: cùm tamen & aduerti potuit, ac meritò debuit, esse talem. Quæ culpa est hominum, quam rarò, etiam valde perfecti euadũt: scriptũ est enim: l *in multis offendimus omnes*; & m *septies* in die *cadet iustus*: nã licet ex ignorantia & inaduertentiâ, cadit tamẽ in die: quia non propterea Diuinæ gratiæ lumen amittit; nec lumen illi deest, ad cognoscendam statim suam culpam, & surgendum ex ea, sed interdum eadem inobedientia oritur ex detestanda astutia iudicij proprij, cæci, & ignorantis: quod ita illam obducit, vt iudicet, esse Obedientiam. Et hanc ait Sanctus Bernardus, esse lepram tantò perniciosiorem, quantò minus est cognita. Cuius malitia & Curatio distinctiùs apparebit ex dicendis in proximo capite.

3.

l *Iacobi* 3. 2.
m *Prou.* 24. 14.

CAPVT XV.

PERFECTIO OBEDIENTIÆ IN ABNEGATIONE proprii iudicii, & voluntatis promptitudine.

HABET ETIAM OBEDIENTIA SVOS Perfectionis gradus ex parte subditorum, qui obediunt. Præmittendum tamen est: quemadmodum omnes obedire tenentur: ita singulos teneri ad hoc, vt totus homo interior & exterior; anima & corpus; spiritus & caro verè obediant. Spiritus cum suis internis potentijs, intellectu & voluntate; corpus autẽ cum omnibus suis membris ac sensibus. Ex quo tres insigniores Obedientiæ gradus deducere licet: ita vt in singulis nostris actionibus offeratur Deo, proprij iudicij subiectio; propriæ voluntatis abnegatio; & vniuersalis mortificatio reliquarum omnium potentiarum in omnibus necessarijs, ad exequendum quod iubetur. Obedientia enim (vt supra dictum est) perfectum quoddam est holocaustum, quo Religiosus seipsum totum offert, nihil sibi reseruato quod proprium vocari possit; & non commune Deo, ac prælatis, quorum dispositioni plenè se subijcit, renunciantem proprietati nobiliorum spiri-

Obedientia holocaustum perfectum.

tûs potentiarum, intellectus & voluntatis: quia iugulat proprietarium earum vsum pro suo libitu, vt iudicium suum & voluntatem conformet cum Dei eiusque ministrorum voluntate & iudicio; reliquasque suas potentias his duabus tanquam Reginis subiiciat. Quare (vt Sanctus Augustinus dixit) Obedientia meritò præfertur sacrificijs, quibus aliena caro iugulatur: siquidem in hac iugulatur Propria voluntas, simul cum propria carne; & proprium ipsum iudicium cum reliquis potentijs, eius ductum sequentibus. Ex quo fit, vt Religiosus non censeatur satisfacere, si potentias suas externas applicet ad executionem eius, quod iubetur: etiamsi totum perficiat: id enim etiam possunt præstare serui, & mancipia, & coacti; sed necesse est applicare etiam promptam voluntatem illud ipsum præstandi: & huius factæ potissimam oblationem ac mortificet repugnantias & tædia, quæ oriuntur ex voluntate malè propensa, ad sibi magis placendum, quam alteri. Sed vlteriùs etiam progredi oportet & applicare ipsum intellectum ad bene iudicandum & sentiendum de eo, quod Deus iubet; & approbandum, quod ille præscribit, non requisitis alijs rationibus, aut causis, cur ita præscribat. Debet obediens imitari a *Seraphinos*, quos vidit Isaias, *habentes sex alas*, quarum duas habebant extensas, & mouebant, *quasi vellent volare* ad significandam (vt ait S. Dionysius) promptitudinem, celeritatem, ac velocitatem, qua ascendunt ad æterna contemplanda; & accurrunt ad implenda quæcunque Deus iubet. Ac propterea Dauid eos appellat: b *potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius*, hoc est statim atq; eius vocem audiunt. Sed quoniam hæc promptitudo duos habet vitiosos: alterum ex parte intellectus, qui est quasi oculus voluntatis; alterum ex parte sensuum carnis appetituum, qui quasi pedes sunt eandem voluntatem trahentes ad id, quod illi appetunt: ideò alijs duabus alis tegunt faciem suã ac proinde etiam oculos; vt ostendant, se subijcere suum iudicium, & sancta quadam cæcitate obedire; non scrutantes, aut examinantes præcepta Dei: hoc solo contenti, quòd sciant, ea esse ipsius. Non volunt volare detectis facie & oculis; sed tectis, & non alio tegumento, quàm alis proprijs, suis scilicet considerationibus & affectibus: quia ipsimet sponte & libenter sese tegunt, considerantes ignorantiam, qua ex seipsis laborant; & imbecillitatem, ad agnoscenda Diuinæ Sapientiæ arcana in omnibus, quæ constituit circa suas creaturas; summamque eius rectitudinem in omnibus, quæ circa earum gubernationem disponit. Cui considerationi propriæque cognitioni varios adiungunt affectus, humilitatis, reuerentiæ, admirationis, & contractionis in Diuina præsentia. Captiuantes intellectum suum, vt credat approbet & tanquam verum ac sanctum acceptet, quicquid Deus reuelat, & constituit: mortificantes etiam, & præcidẽtes omnes discursus & ratiocinationes,

Serm. 7. ad Frat. in Eremo.

a *Isaiæ. 6. 2. De cæles. Hierar. c. 15.*

b *Psal. 102. 20.*

quæ

rum contra id insurrexerint. Præterea alijs duabus alis suos tegunt pedes, ad significandum, quòd etiam præcindant & mortificent appetitus inferiores, ne proprio suo libitu moueantur ad res terrenas: sed solùm ad exequendum, quod iubet Deus: sequentes bona voluntatis rationalis propositum, sicut famuli suum sequuntur Dominum. Alæ, quæ huic rei deseruiunt, sunt considerationes vilitatis, & abiectionis, quam caro ex seipsa habet; & seruilitas ad voluptates & bona terrena malè inclinata; & affectus virtuum motalium, quæ hos appetitus tegunt, & exornant: mortificantes ac domantes eorum passiones. Remotis his duobus impedimentis, proprij iudicij & amoris proprij, remanet cor promptum & paratum ad celeriter implendum quicquid Deus ordinat, dicens cum Dauide: d *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Bis ait, se paratum habere cor, quo significat duas alas, quas habet extensas & præparatas, ad explendum, quod iusserit Deus: & sanctus Bernardus eas appellat, *agnitionem & deuotionem. Agnitio* siue cõsideratio debet esse omnium titulorum & nominum, quibus obstringimur seruire & obedire Deo, tam ex ipsius, quàm ex nostra parte. Nam ille est noster Deus, Creator, & gubernator, Saluator & glorificator, & omne bonum nostrum: nos autem sumus eius Creaturę, serui, & famuli: vt ipsi seruiamus & Obediamus: & in hoc nostra bona fortuna consistit, extra quod summa est miseria. *Deuotio* complecti debet omnes affectus amoris, fiduciæ, laudis, & gratitudinis: qui promptos nos, celeresque faciunt & expeditos in rebus omnibus diuini obsequij: ita vt magnam felicitatem, summique gaudij materiam reputemus: quod iubeat aliquid, in quo ei obediamus; & quod occasio aliqua occurrat, in qua ei placeamus. Hoc est alas esse extensas, & moueri quasi ad volandum aptè, & propensè; tantùm expectantes ipsius Dei nutum: vt statim volent. Et quoniam talis promptitudo oritur ex Charitate: qui eam promptitudiuem habent, vocantur Seraphini, hoc est amore accensi: eò quòd in modum ignis & flammæ mouent semper sese in altum, suspirantes ipsum Deum; & optantes adesse velociter omnibus, quæ illi placent. Et hac ratione implent, quod S. Petrus suadet: e *Castificantes animas vestras in obedientia Charitatis.* Quæ scilicet obedientia oriatur ex amore, & tendat in amorem: satisque sibi reputet esse motiuum amoris, qui ipsum comitetur in omnibus quæ agit, vt Dei mandatis obediat: ita coniungens simul amoris & obedientiæ præceptum, vt amet & obediat ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis.

d *Psal. 56.8.*

Serm. 4. de verbis Isaiæ.

e *1. Pet. 1. 22*

§. I.

VT Quis ad perfectam adeò Obedientiam perueniat, quæ iudicij abnegationem & veram voluntatis promptitudinem complectatur, iacendum est hoc fundamentum: quòd perfectus obediens non debeat præ-

cipuè obedire Deo, eò quòd rationes aliquæ adsint, cur res præcepta sit executioni mandanda; sed quòd sit Deus qui iubet: non quæsita alia causa, cui eius Obedientia innitatur, vt præclarè Sanctus Augustinus perpendit, reddens causam cur Deus primis parentibus prohibuerit comedere de ligno scientiæ boni & mali, quod ex se indifferens erat, & potuisset absque peccato aliàs comedi. Quod, vt ad rem magis explicet, instituit quendam quasi dialogum inter Deum & ipsum Adamum, in hunc modum. Noli (inquit Deus Adamo) hanc arborem tangere. Sed Adamus ait: Quæ arbor hæc est? Si bona: cur eam non tangam? sin mala, cur manet in Paradyso? Respondet Deus, Propterea manet in paradyso, quod bona sit: sed ego nolo, vt tu illam tangas: Sed cur non tangere debeo? Eò quòd velim te obedientem, & nò repugnantem. O serue, audi primum tui Domini mandatum: & tunc disces imperantis consilium. Bona est arbor: sed nolo, vt eam tangas: nam ego Dominus sum, tu autem seruus: hæc tota est causa. Quam si parui momenti esse existimas: dedignaris esse seruus. Sed quid tibi aliud magis expedit, quàm tui Domini gubernationi subesse? Quomodo autem eius gubernationi subiectus eris: nisi aliquod tibi præceptum iniungat? Si igitur multum refert, quod aliquid ille iubeat: expedit prohibere tibi, ex hoc ligno comedere nò ob eius malitiam, sed ob tuam obedientiam. Non potuit Deus distinctius explicare, quantum bonum sit obedientia, quàm rem prohibendo, quæ nò esset mala: in qua, Obedientia palmam obtineret; inobedientia autem pœnam acciperet. Hæc Sanctus Augustinus. Ex quo apparet, quàm sit res antiqua, quod Dominus Deus noster res huiusmodi indifferentes præcipiat, nullam reddens rationem seruis suis, cur ita præcipiat. vt discant perfectionem Obedientiæ cum iudicij sui subiectione absque alia causa aut ratione, quàm, quòd ita iubeat Deus. Hoc modo iussit Abrahamum a *egredi de terra sua, ac de domo patris sui*; & vt b *eiiceret ex domo sua filiũ suum Ismaëlem*; & quod grauius adhuc est, vt c *offerret ipsi filium suum Isaac in holocaustum*. certum tamen illum interiùs reddens (vt S. Thomas ait) ipsum Deum esse, qui id mandaret: quod ei satis fuit, vt omnino absque aliqua contradictione, aut repugnatia sese abnegaret, & subijceret. Et eodem modo iussit fratrem eius Loth (vt supra perpendimus) non respicere retrò, vt Sodomam pereuntem videret: nulla ratione proposita, cur id præciperet. Et in nouo testamento fuit valde frequens hic obedientiæ modus: & S. Chrysostomus eum valde commẽdat & exagerat in Apostolo, explicans illam eius sentẽtiam ad Romanos: *Nolo vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc. Vide*, inquit, mentis iuram fidelis huius serui Obedientiæ, multamque simul æquanimitatem & animi gratitudinem. Quod prohibitus sit, dicit. Quamobrem autem, non item. Non enim scrutatur Domini propositum, sed

a Gen. 12. 1.
b c. 21. 12.
c c. 22. 2.
2. 2. q. 171. a. 5.
Tract. 3. c. 8
Homil. 2. in ad
d Rom. 1. 13.

simpliciter obsequitur. Atqui mirum videri poterat, cur tantum Doctorem
Deus ne diuerteret ad vrbẽ adeò splendidam, adeoque magnam; & quam v-
niuersus orbis suspicit, præpedierit, idque tãto tempore: facillimè siquidẽ, si
potent hac vrbe victor euasisset, reliquas subditas cepisset. Iam cùm
regulem hanc Ciuitatem relinquit, solisque infimis & subditis incumbit,
quam omnium Reginam & caput negligit. Verùm nihil horum curiosè
curatur, quin potiùs incomprehensibili prouidentiæ cedit, partim animi
suimoderationem spectatam faicẽs: partim erudiens nos omnes, ne factorũ
rationem vnquam à Deo exigamus: etiamsi quàm plurimos quæ gesta sunt
conturbent. Domini siquidem solius est præcipere: seruorum verò parêre.
Propterea, quòd prohibitus sit indicat; cuius verò rei gratia, nõ item. Quasi
dicat neque ipse causam cognoui; nec scisciscitari Dei consilium & sentẽtiã vo-
lui. Non enim dicit creatura Factori suo, quid me ad hunc modum fecisti?
Cuiusnam gratia, dic mihi, istud discere quæris? Nescis, quòd omnium ille
curam habeat quòd Sapiens sit, quòd nihil agat præter rationem, nihil fru-
stri? Illum te magis amare, quàm proprij parentes ament, ac longo interual-
lo & paternam pietatem, & maternam solicitudinem superare? nihil igitur
praeterea quæras, neque vltra hæc septa transilias. Satis siquidem sunt ista,
superque satis ad consolationem. Neque dubites, sapienter ab illo omnibus
prouisum. Hæc S. Chrysostomus. Cuius rationes quemcunq; Christianum
intellectum conuincunt, vt subiectus sit, ac promptus, ad omnia, quæ Deus
iubet ac dirigit: etiamsi eorum causam ipse ignoret.

Sed vlteriùs progrediendum est perfectæ Obedientiæ Religiosæ: vt
scilicet eadem iudicij proprij abnegatione Prælatis suis obediat in rebus,
quæ non videntur apertè esse malæ. In huiusmodi enim rebus præcipuus
gubernator, cui Obedientia præstatur, est ipsemet Deus. Quamuis enim
homo in eo, quod præcipit, possit decipi: non tamen potest prouidentia Di-
uina falli in eo, quod intendit. Cum igitur Prælati mandatum non est ini-
quum: sufficit, vt ei obediatur, hoc intelligere, quòd Deus infinitè sapiens,
potens, ac iustus per eius os loquatur; & per ipsum gubernet: intendens in
omnibus commodum eius, qui candidè pro eius amore obedit. Et hac rati-
one obtinetur perfecta Obedientia, quam Sancti cæcam vocant. Sancta sci-
licet illa cœcitate, qua gaudebãt Adamus & Heua, antequam serpens oculos
eis in ipsorum pernicie aperiret: cùm causam quæsiuit, cur Deus ipsis come-
dere prohibuisset ex arbore scientiæ. Dicitur autem hæc obediẽtia propte-
rea cœca, quòd non habeat curiosos oculos ad examinandam & iudi-
candam præcepti causam: sed habet tamen simplices & prudentes, ad præci-
piam & totalem causam aspiciendam: quod scilicet Deus eiusque minister
id mandet: & hoc solo contenta est. Arbor, ait Sanctus Bernardus, scien-

Obedientia cur cæca dicatur.

tiæ

Ad Fratres de Monte Deo.

tiæ boni & mali debet esse in Patre Spirituali, qui iudicaturus est, non autē iudicandus: ipsius est discernere, quid bonum & quid malum sit: vt alterum iubeat & prohibeat alterum. Non pertinet autem ad subditum huic iudicio se immiscere: sed ijs, quæ præcipiuntur, obedire. Si enim de huius scientiæ arbore comedat sicut Adamus; eijcietur ex ipso Paradyso. Nonenim potest diu in Religione perseuerare Nouitius, qui se reputat prudentem; nec subditus, qui arrogat sibi, quod sit sapiens. Quòd si verè *sapiens esse cupit, stultus fiat*, humiliter & candidè obediendo; non quæ sita, aut examinata causa eius, quod præcipitur. Religiosi (ait Sanctus Basilius) sequi debēt suum pastorem, sicut oues, audientes eius vocem, eumque sequentes per quamcunque viam ille duxerit; non scrutando curiosè, qua via illas ducat, sed huius rei curam, Pastoris prouidentiæ committentes, cui ex officio incumbit super eas *pernigilare quasi earum rationem reddituro*: ipsis autem omnibus non aliud incumbit, quàm sequi & obedire: nam huius rei ratio tantùm exigetur ab eis. Oues (ait Sanctus Gregorius Nanzianzenus) nolite pascere pastores vestros; nolite vos erigere supra id, quod ad vos spectat; ne iudices vestros iudicetis; nec Leges vestris Legislatoribus feratis. Non venitis ad Religionem, vt iudicetis; sed vt iudicemini: nolite alienum officium vobis arrogare, vestrum verò relinquere: in vtroque enim offendetis; & damnabimini. Obedite tanquam simplices: & à Deo approbabimini. Sed fusius Sanctus Gregorius Papa hoc explicuit, adhibito exemplo Samuelis. Quem iam iacentem Deus vocauit, non aperiens ei quorsum, aut quare vocaret, sed ille mox surrexit: & cogitans, se vocari à suo Prælato Heli; eum accessit, vt, quid ille vellet, intelligeret. Et cùm Heli iussisset redire & decumbere, ille id fecit. Id quod ter ei euenit: exemplum præbens celsissimæ Obedientiæ: quæ (ait) nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, qui squis perfectè didicerit obedire. Puer itaque Samuel nec vocatus nec repulsus offenditur: quia vocantis aut repellentis animum examinare noluit, qui in hoc solo gaudere nouerat, quod obediuit. Et quia surgere ad laborem; redire autem ad dormiendum pertinet ad quietem: quid insinuat, nisi quia vtramque nobis vitā præparat: si obedientis animus in eo, quod agit, nō nisi obedientiæ bonum pensat? Præceptum namque in hoc solo pensari debet, quod maioris præceptum est: & qui Obedientiæ bonum exequitur, non iniunctum opus debet considerare; sed fructum: quia ad promerenda æternæ vitæ gaudia, non exquiritur qualitas operis; sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis. Vnde & Paulus ait: *Circumcisio nihil prodest, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Iam ego apud omnipotentem Deum nec ea quæ

1. Corin. 3 18 De Const. Monast. c. 23

Heb. 13. 17.

Orat. 9.

1. Corint. 7. 19.

au lano-

ad laborem; nec ea; quæ ad quietem pertinent, parua sunt: si æternam vitam parare obedientibus possunt. Hæc S. Gregorius. quæ S. Bernardus præclara illa sententia confirmat: ipsum, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in iis, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus. Cõtenti eius respõsione, nonalio adhibito præcepti examine. Porrò imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est: Statuta Seniorum studiosiùs discutere; hærere ad singula, quæ iniunguntur; exigere de quibusque rationem; & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit: neque vnquam libenter obedire, nisi, cùm audire contigerit, quòd fortè libuerit; aut, quod non aliter licere, seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est huiusce modi obedientia. Non planè hæc illa est, quæ ex Regula traditur, Obedientia sine mora. Intelligat itaque Religiosus, Prælatum (quemadmodum Sãctus hic loquitur) esse ipsius quasi vice Deum in terra: ideoque ei cum eadem perfectione obediat, qua ipsi Deo integra scilicet Iudicij proprij abnegatione, intuens tanquam totale, aut præcipuum motiuum, & scopum suæ obedientiæ: eam esse Dei voluntatem, vt Superioris præceptum omnino exequatur.

" Tract. de præcep. & dispens. colum
"
"
"
"
"
"

Hoc est velamen illud Ianthinarum pellium, quo Deus iubebat operiri vasa altaris, & tabernaculi. cum Aaron illa distribueret Leuitis portanda: ita vt illi ea non tangerent, nec viderent, an essent aurea, aut ærea, aut lignea; neque an eleganter essent fabrifacta, an ruditer: quæ omnia operiebat prædictum velamen, quod erat coloris cœlestis: ad significandum (vt alibi fusiùs est dictũ) quòd obedientes accipere debeãt rem præceptam, hoc cœlesti motiuo tectam, quòd scilicet illa sit voluntas Dei: non hærentes in ea cogitatione: an res præcepta sit præclara, an vilis; pretiosa, an contemptibilis; dulcis an amara; an bene vel malè, constituta ac directa: sed eam acceptent, qualiscunque sit: propterea quòd Deus illam iubeat nolentes curiosè inuitrare reliquas commoditates, & rationes humanas, quæ sub illo titulo & motiuo continentur: vt eis innitantur.

In Duce spirit. Tract. 2. c. 8 §. 3.

Et quamuis quædam opera sint ex se ipsis excelsiora & perfectiora, quàm alia: quando tamen aliquod illorum Deus iubet: illud est cæteris præferendum, licèt ex se sit vilius. Tũc enim hyacinthus voluntatis Diuinæ illud reddit cæteris pretiosius. Non tamen propterea negamus licere huic obedientiæ motiuo alia adiungere; & rationes humanas addere, quibus illud fulciatur, & confirmetur. Nam iacto illo fundamento, animique decreto parendi, eò quòd Deus iubeat: non est alienum, hyacinthum illum exornare cõmoditatibus spiritualibus, aut temporalibus ex ea Obedientia prouenientibus. Ac propterea idem ipse Dominus præceptis suis promissa addit præmiorũ, & pœnarum minas: quibus intellectus iuuetur & conuincatur, ad iudican-

dum, bonum sibi esse, quòd illa acceptet. Qui tamen interdum etiam rationem addit: cur aliquid iubeat, quemadmodum Angelus dicens Sancto Ioseph, vt puerum & Matrem eius acciperet, & fugeret in Ægyptum, adiecit; *futurũ est enim, vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum*. Semper tamẽ attendẽdum est, ne Obedientia his præcipuè rationibus, aut commoditatibus innitatur, ita vt illis deficientibus, executio quoque deficeret; aut vera ad exequendum promptitudo. Id enim esset indicium, quòd tale opus non fieret ea recta intentione, vt mandato Dei satisfieret; sed propriæ vtilitatis, aut commoditatis intuitu. Quamuis enim in externa specie videatur esse Obedientia: interiùs tamen potiùs esset propria voluntas, coniuncta proprio iudicio, suggerenti & suadenti, quòd illi arridet. Quamobrem tutior & excelsior modus Obedientiæ est; qui Diuinæ voluntati purè innititur. Vt enim Saluator noster dixit: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: insinuans hac sententia, quòd si intellectus oculus sincerè ac simpliciter vnicum eum finem respiciat placere scilicet Deo in suis actionibus, non inserendo alia motiua commodorum, aut humanorum respectuum: omnes illæ actiones erunt puræ & sanctæ absque tenebris culparum. Qui tamen oculus intellectus si offuscetur humoribus iudicij proprij ac curiosi: quod sibi complacet in suis ratiocinationibus, suaque commoda respicit: tunc actiones valde erunt obfuscatæ leprosi sui Ducis leprâ.

Matth. 2.3.

Matt. 6. 22. Luc 11. 34

CAPVT XVI.

OCCVLTÆ INOBEDIENTIÆ PROPRII IVdicii, & ratio qua eas contegit.

EX IIS QVÆ DICTA SVNT, facilè cernere licet, quantum Religiosorũ referat infestissimè cum proprio iudicio contendere. Proprium appellatur quod à cõmuni Ecclesiæ aut Prælatorum & maiorum suorum sensu ita seseparat, vt nolit eorũ iudiciũ sequi, nec cũ alijs de suis rebus cõferre: quia propriæ prudentiæ fidit: cuius proprietates sunt, stultũ esse, temerariũ, curiosũ, inquietũ arrogãs, & superbũ. Aduersùs quẽ hostẽ, ex innumeris malis ac dãnis, quæ adfert, sumenda nobis sunt arma ad illũ detestandũ ac deturbandũ: vt fusè in Duce spirituali diximus: quo Religiosum Lectorem remittimus. Nũc autẽ laruas ei detrahemus, quibus ad nos decipiẽdos vtitur: tũc enim grauius nos lædit, & ferè sine remedio, accedens sicut lupus ouilla pelle tectus.

Tract. 4. c. 7

1. PRIMVM hic latro imitatur pallium hyacinthinum, volens inobedientiam, Obedientiæ pallio tegere. Ait enim, se non obedire homini: eò quòd velit obedire Deo. Quasi Deus iuberet, sequi quod proprium dictat iudicium, non verò quòd Prælatus præscribit. Ita sentiebat insignis ille proprio iudicio addictus Rex Saul, qui cùm fuisset summè inobediens Dei mandato, gloriabatur tamen, quasi valde obediens. nam Samueli ipsum obiurganti

quod

quod non obediuisset Deo, respondit: a *Imò audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quã misit me Dominus* quasi ipsum Samuelem ipse obiurgaret, dicens: valde deciperis Samuel, cum inobedientiæ me notas; nam potius fui valde obediens, Nam tu iussisti mactari quicquid esset in Amalech: & ita ego feci; sed, quod optimum erat in grege ous, reseruaui, vt sacrificium Deo offerrem, iubenti offerri sibi sacrificia ex optimis, sicut fecit Abel. Sed optimè respondit ei Propheta: hanc falsam eius obedientiam, esse quoddam genus idololatriæ & ariolationis: quam non iussit verus, sed fictus Deus, per proprium ipsius iudicium, quod in hoc casu consuluit. Qui falsus Deus meritò debet odio haberi à vero obediente, cogitante, sibi dici à Domino: b *Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum & implebo illud.* quod fuit dicere: si vis mihi perfectè obedire, non fabricabis proprio tuo iudicio Deos nouos in corde tuo; nec trades te dijs alienis, iudicium sequens hostium meorum. Ego te eduxi ex mundo, & constitui in Regione, in qua statui bene te dirigere ac gubernare: aperi itaque os tuum, vt de rebus agendis me, meosque ministros consulas: & ego illud implebo, dans plenum responsum in omnibus quæ desideras.

a 3. Reg. 15. 20

b Psalm. 80. 10.

Etiam obtegitur proprium iudicium titulo cuiusdam puritatis: fugit enim Obedientiam, iudicans se hac ratione culpam euadere: cùm tamen incidat in pertinaciam & repugnantiam, quæ culpa est multò grauior. Quemadmodum infidelis ille, ac superbus Rex, qui iussus c *petere sibi signum à Domino Deo* victoriæ, quam illi pollicebatur, respondit: *non petam, & non tentabo Dominum.* eo enim colore, quod noluit Deum tentare, (vt aduertit Sanctus Hieronymus) suam occultauit inobedientiam, sed meritò attendere debuit: non esse, Deum tentare si fiat quod ipsemet Deus iubet. Imò & in viris Sanctis aliquid huiusmodi euenire solet: quamuis absit proteruia, vt apparuit in Ezechiele excusante se à præstanda re quadam, quam iubebat Deus; ac dicente: d *non est ingressa in os meum omnis caro immunda.* Et quando vox cœlestis iussit, Petrum occidere & manducare quadrupedia & serpentia terræ, quæ illi ob oculos ponebat, excusauit se Petrus, dicens: e *absit Domine, quandunquam manducaui omne commune & immundum.* sed eadem tamen vox correxit errorem iudicij eius, dicens ei: *quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Præceptum enim Dei mundum illud facit: cum ipse nihil præcipere possit, quod non sit mundum. Nec tu huius rei iudex esse debes; sed executor eius, quod Deus iubet.

2.

c Isaia. 7. 10

d Ezechiel 4. 14.

e Actu. 10. 14.

Generosam Hanc Opinionem & æstimationem habebant Prophetæ, qui paruerunt Deo in rebus, quæ parum decentes videbantur, iudicantes sufficere sibi Dei mandatum adhoc, vt res illæ

apud ipsos sanctificatæ, ac decentes, & in honore haberentur; etiamsi in opinione hominum immundæ viderentur, & ignominiosæ. Ita Isaias, cùm iuberetur à Deo f *ire nudus & discalceatus* per plateas Ierusalem: id fecit absque vlla replica, etiamsi vir esset alias nobilissimus. Et Oseas iussus à Deo g *sumere sibi vxorem fornicationum*, quamuis id sua grauitate indignum videretur, non dubitauit tamen *accipere Gomer*, absque vlla excusatione. Vbi enim est iudicij Obedientia: non est ignominiæ nota, aut iusta reprehensio.

f Isaiæ.20.1 g Oseæ. 1,2. Vide Riberam ibi.

3. ALIQVANDO etiam iudicium proprium tegit suam inobedientiam exemplo aliquorum Sanctorum: existimat enim, omnia sibi licere, quæ illi fecerunt: non aduertens, deesse sibi Spiritum & specialem motum, quem illi habuerunt; sine quo nec illis licuisset. Quemadmodum Monachus ille, de quo refert Cassianus, quòd, vt Abraham Obedientiam imitaretur voluisset proprium filium sacrificare: subijciunt iudicium suum falso Angelo, id iubenti; cùm in re tali subijcere nō deberet. Pro cuius rei explicatione aduertendum est: aliquando voluisse Deum particulari sua inspiratione aliquem inducere ad huiusmodi iudicij abnegationem in rebus extraordinarijs, alioquin non licitis; eamq; Obedientiam miraculis comprobasse. Quale refert Seuerus Sulpitius de feruente quodam iuuene. Cui petenti habitum Religionis, respondit Abbas, vt iret ad aliud monasterium: eò quòd non posset ipse ferre disciplinæ seueritatem, quæ ibi seruabatur; neque res adeò difficiles & asperas exequi, quę ibi iniungebantur. Qui iuuenis magno feruore respondit: se promptissimum esse ad obediendum, & præstandum quicquid iniungeretur etiam ad ingrediendum in magnum aliquem ignem: Cumque prope esset furnus valde accensus, paratus ad panes statim coquendos, Abbas, vt eum probaret, iussit ingredi furnum illum: iuuenis autem absque vlla mora sese intus proiecit; & mansit absque vlla læsione, sicut tres illi pueri, qui missi fuerant in fornacem Babylonicam. Hoc autem, ait, Deus ita disposuit, vt nec Abbas ob asperum durumque suum præceptum nec discipulus ob præstitam Obedientiam & executionem, affligeretur. Qui quamuis Tyro & in prima probatione, inuentus est tamen perfectus: quia in iudicij sui abnegatione fuit perfectus. Nullus tamen ex hoc exemplo occasionem sumere debet alicuius temeritatis; nec superior ad præcipiendum, nec subditus ad obediendum. Non enim extraordinaria huiusmodi inspirauit Deus, vt alij imitentur; sed, vt omnes intelligant: quanti ipse modum hūc Obedientiæ faciat in rebus de se non malis. Quare in huiusmodi rebus nullus debet proprio suo iudicio fidere; sed ordinariam legem sequi, & opera sua cum aliorum consilio facere, cautiores facti ex facto Iephte, de quo Scriptura Diuina refert, quòd, cùm se h *voto* obstrinxisset *offerendi in holocaustum Domino eum, qui primus ex domo sua egrederetur, sibiq; reuertenti occur-*

Collat. 2. c. 7

Dialog. 1. de virt S. Martin.

h Iudicum 11. 31. 39.

ore; cùmq; prima ei occurreret *vnigenita filia sua, eam obtulit in holocaustum*, existimans Deo se obedire, sic implendo suum votum: quemadmodum fecerat Abraham in oblatione filij sui; aut venturum aliquem Angelum & id prohibiturum, sicut alter prohibuerat sacrificium Isaac. Sed errauit, & inuenit se deceptum: nam vt ait Sanctus Ambrosius, oportebat considerare quòd ipsemet Deus, qui sacrificium Isaac iusserat, cùm vidit Patris & filij promptitudinem, prohibuit sacrificium: ita insinuans, se nolle huiusmodi humanæ carnis oblationes. Quare si Iephte consuluisset legis illius peritos: illi hoc responsum dedissent. Sed quoniam proprio suo iudicio rem egit: noluit Deus eius deceptionem, & iniustum ac temerarium sacrificium impedire; præter alias causas, quas in alio loco attulimus huius euentûs. *Lib. 3. de virg. circa med.*

In Duce spirituali. Tract. 4. c. 9.

4.

Aliquando etiam iudicium proprium, quamuis sit filius superbiæ, occultat inobedientiam pallio quodam humilitatis, cùm eius studioso & amanti honorificum aliquid iniungitur. Quod etsi initio recusare, non sit damnandum: si tamen iudicij pertinacia perduret: id verò iam humilitatem veram, & obedientiam destruit. Cuius rei fidem facit quòd euenit S. Petro, cùm Christus vellet eius pedes lauare: nã in primis obstupefactus, dixit: *Domine tu mihi lauas pedes?* cui Christus: *quod ego facio tu nescis modò: scies autem postea.* quasi dicens ei: tu neque finem neque causas, cur id faciam, intelligis: subijce tuum iudicium, & acquiesce mihi, volenti pedes tuos lauare. Sed cum adhuc repugnaret, & specie humilitatis resisteret: respondit ei Christus verbis seueriſſimis: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*: inobedientiã enim nemo potest proficere, nec in mea schola perdurare. Et hinc est, quod sæpe Sancti Patres, vt experirentur Obedientiam Nouitiorum, eis iniungebant aliqua, quæ contra humilitatem tendere videbantur: vt viderent quomodo in eis iudicium suum subijcerent. De S. Basilio scribitur, quòd, cùm venisset ad quoddam monasterium, probauerit hac ratione fernentem quendam Tyronem: iussit enim adferre aquam, ad lauandos pedes; eamque illam attulisset: dixit ei S. vir, se velle lauare pedes ipsiusmet Nouitij: qui statim acquieuit, Iussit præterea, vt sequenti die in templo coram omnibus, ab ipso peteret Sacros ordines; qui iudicium suum subijciens id fecit. Ideoque apud S. illum Prælatum, tanquam perfectè obediẽs est habitus. *1 Ioan. 13. 6.*

5.

Interdum etiam proprium iudicium tegit suam inobedientiam pallio necessitatis, propter quam existimat se excusari à transgressione præcepti, quasi non obliget adeo strictè ac seuerè. Quemadmodum Saul, videns, populum à se dilapsum, & hostes in proximo esse, vt ipsum inuaderent, *obtulit holocaustum* contra mandatum Samuelis. Cuius rei causam reddens Samueli, dixit: *necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Cui statim Propheta dedit dignum eius temeritate responsum: *stultè* inquit *egisti, nec custodisti man-* *1. Reg. 13. 9. 11.*

data Dei tui, quæ præcepit tibi: neque enim hæc necessitas tuam excusat inobedientiam. Pallium hoc arripit facilè proprium iudicium in occasionibus innumeris, conculcans præcepta & regulas: quasi necessarium sit ad conseruandam sanitatem, aut honorem, aut officij authoritaaem, aut ad subueniendum alicui, miseriæ propriæ, aut alterius, qui ad ipsum aliquo modo spectet. Sed omnes sunt deceptiones & fraudes amoris proprij consulentis in suis necessitatibus Idolum iudicij proprij: & hoc semper illi respondet iuxta eius desiderium & votum. Quare n *si cœcus cœco ducatum præstet, ambo in foueam cadent.* Perpendit hoc pulchrè Sanctus Basilius explicans illud Christi Domini de diuite illo qui cogitabat intra se dicens: o *quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos?* Quem inquit consulis? Ex teipso captas cõsilium? planè imprudenti veteris consiliario. Nam ille tibi suadebit quod tu desideras, dicet enim tibi, vt *horrea tua maiora facias*, & illuc congreges omnia tua: si autem Christum consuluisses, præstantiorem vtique consiliarium suauisset tibi, vt fructus istos pauperibus distribueres. Hunc in modum quicunq; in se aduertit affectum aliquem inordinatum ad delitias, honores, aut commodum proprium: non eligat consiliarium, proprium suum iudicium, à quo non expectet rectum consilium; sed dicat cum Dauide, p *consilium meum iustificationes tuæ, & testimonia tua*: consulat quoq; quæ Christus Dominus docuit in suo Euangelio, & fideles eius ministros: tunc enim non errabit.

n Mat. 15. 14 Homil. 6. ex varijs, in eum locum.

o Luc. 12. 16

p Psal. 118. 24.

6.

DENIQVE, quoniam Charitas operit multitudinem peccatorum, non ea dissimulando, sed planè euellendo: proprium iudicium solet ipsam charitatem adducere ad sua occultanda, excusando scilicet suas inobedientias sub titulo Charitatis: transgrediens Regulas prætextu alijs benefaciendi. existimat enim, se eas non transgredi: vt faciat quod iudicat esse secundùm legem Charitatis: cùm tamen potiùs sit carnalitatis aut vanitatis. Sicut Religiosus ille, de quo fertur, quòd tempore silentij, & recollectionis, & absque Prælati facultate, illi inciderit desiderium visitandi quendam ægrotum, vt illum consolaretur, & solatium aliquod ei adferret. Cum autem pergeret, transeuntem prope imaginem Christi Crucifixi pungebat conscientia, quod tali tempore, & sine facultate Superioris ægrotum visitaret: quem remissum vt componeret, dicebat sibi ipsi: Charitas est, charitas est, bene potes illam exercere. Et tunc prodijt vox ex Crucifixo dicens: *Non placet mihi ista Charitas*, quia potiùs erat propria voluntas, falso hoc titulo cooperta. Vera enim Charitas nunquam separat se ab Obedientia. Nam quemadmodum amor proprius excæcat oculos rationis; propriumque iudicium post se trahit, ad iudicandum quod ille cupit: ita Diuinus amor, spiritus oculos claríficat, vt videat quid iubeat Deus illudque abnegato proprio iudicio exequatur.

CAPVT

CAPVT XVII.

PERFECTIO OBEDIENTIÆ EX ABNEGATIONE & mortificatione propriæ voluntatis.

CVM OBEDIENTIÆ VIRTVS sedem suam in voluntate tanquam in proprio subiecto habeat; ideò in ea præcipuè proprios suos effectus exerit. Inter quos primus, & tanquam reliquorum fundamentum eminet, quòd Religiosus voluntatem subijciat Dei & suorum superiorum voluntati: efficiens, vt in omnibus, quæ vult, aut non vult, sit illis conformis. In qua subiectione & conformitate debet totam suam perfectionem collocare: vt his verbis S. Gregorius affirmauit: operator strenuus vitæ socialis, & communiter secum Deo seruientium pius æmulator, si æterni meriti ampliorem retributionem per Obedientiæ bonum adipisci desiderat, in hoc solo se cognoscat excellere: si præ cæteris arbitrio maioris propriam subdiderit voluntatem. Nam nec magna lucra ieiunij, nec asperæ vitæ studia, deuotis Christi militibus cum maiorum præcepto sunt conferenda. Maioris etenim est meriti Charitatis iniuncta refectio, ieiunio propria deliberatione suscepto. Qui enim iussus, carnem reficit inuitus, ieiunij præmium deuotione promeruit: & ampliorem mercedem Obedientiæ manducando conquisiuit. Samuel itaque magna promptitudine surgens è lecto, ad Sacerdotem Heli accessit: vt, quid vellet, intelligeret: & cum eadem promptitudine iussus ab eo redijt vt dormiret: nihil enim eorum, quæ iubentur, etiamsi minimum, est contemnendum. Hæc in substantia S. Gregorius. Eidem confirmat omnibus rationibus superiùs cap. 12. positis, ad huius virtutis præstantiam cõprobãdam. Cuius secundus effectus est, strenuè & viriliter mortificare omnes actus & affectus propriæ voluntatis. Propriam autem cum S. Anselmo appellamus eam, quæ pro prima Regula suorum actuum non Diuinam voluntatem, sed seipsam accipit, libitum suum sequens, quasi alium Superiorẽ non haberet, à quo dirigeretur. Aut (vt S. Bernardus ait) volũtas propria est quæ neque Dei est, neque Prælatorum, nec boni communis; sed est eius solius, qui illam habet cõm inordinata ad id, quod ipsam delectat, propẽsione: quamuis in eo conculcet, quod reliquis placet. Cuius damna & incommoda innumera retulimus fusè in Duce spirituali. Quæ licèt in omnibus Christianis perniciosissima sit, & omnium peccatorum radix: eius tamen obliquitas & inordinatio maximè apparet in Religiosis, qui Obedientiæ voto eam Deo Domino nostro sacrificarunt: quam tamen in suis postea actionibus resumunt, & vsurpant. Qui est modus quidam prædæ: quia auferunt Deo partem holocausti, cùm totum obtulissent; accipiũt autem sibi, quod optimum est & quod maximè Deus desiderabat, cor scilicet & libertatem.

Hoc mirificè declarauit Spiritus Sanctus duabus admirandis sententijs, quibus

2. Lib. de similit. c. 6.

Serm. 3 de Resurrect.

Tract. 4. c. 19.

quibus ad hanc rem est vsus, *Prima* est, quam dixit, loquens cum Cain: nam cum ipse acceptasset sacrificium Abel, quod obtulit de primogenitis gregis sui; & reiecisset sacrificium Cain, quod obtulit ex fructibus terræ; & hic vehementer propterea fuisset iratus Deus, vt causam manifestaret eius, quod fecerat, loquens cum illo, inter alia dixit ei (iuxta translationem 70. Interpretum, quàm multi Sancti Patres sequuntur) a *nonne si recte offeras non recte autem diuidas peccasti?* quasi distinctiùs ei dixerit: bonum fuit propositum, ac desiderium tuum offerendi mihi sacrificium: sed tempore executionis defecisti: non enim ita bene diuisisti, atque frater tuus Abel: qui dedit mihi primogenita gregis sui, quæ optima sunt, & reliquis pretiosiora, retinens sibi reliqua: tu verò contrà, quod deterius erat, hoc est fructus terræ mihi dedisti, retinens tibi quod melius erat, & ego plurisfaciebam. Sed maiorem spiritum ex hac sententia deducit glorioſus Doctor Sanctus Augustinus, dicens quod Cain in suis operibus (quæ S. Ioannes b *maligna* vocat) male diuidebat: dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum: quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantur voluntatem, &c. quam, dum retinent seruant sibi melius, quod ipsi habent; Deo autem dant deterius. Cain (ait Rupertus Abbas) fuit reprobatus: quia cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo. Deus autem a *cor* potiùs (vt postea dixit) *ab eo requirebat*, intellectum scilicet & voluntatem, quæ sunt gregis potentiarum nostrarum primogenita: & quamdiu hæc primogenita Deo non tradimus, non placent ei nostræ oblationes: quia iniquam facimus earum diuisionem. Intelligitur igitur Religioſus, voluntatis suæ proprietarius, quòd licèt initio, cùm Religionem est ingressus bene obtulerit; eiusque sacrificium fuerit à Deo acceptatum, sicut Abel; eò quòd fuerit ex suis primogenitis propter tria emissa vota, & præcipuè obedientiæ: postea tamen in omnibus, quæ sola sua propria voluntate facit, non rectè diuidit: ideoque ab ipso Domino reprobatur; eò quòd similia sint fructibus terræ, quos obtulit Cain, & valde terrena orta à terrena quadã volũtate, ad seipsam & ad terrena bona valde propensa & addicta. Cumq; hoc q deterius est, Deo offerat: sibi retinet, quod melius magisque pretiosum est, voluntatem scilicet & cor suum. Ex quo quid aliud ei euenit, quàm euenit ipsi Cain? Nam inprimis propria voluntas semper Diuinæ inspirationi resistit: neque scit, quid sit, suum peccatum agnoscere, neque pœnitentia duci: sed potiùs indurescit, & pergit, ac ruit semper, sicut Cain, in peius. Quamuis enim Deus illi dixisset: *quiesce*, ac desiste à prauo illa voluntate, quam nunc habes: ipse autem non obediuit, sed indurit potiùs; &, quod voluntas suggerebat, executus est: educens per fraudem fratrem suum foras, & occidens eum. Nam (vt Sanctus Bernardus ait) vbi propria voluntas imperat, non habet locum charitas: quæ b *non quærit quæ sua sunt*,

a Gen. 4. 4. *Vide Pererium in eũ locum.*

Lib. 15. de Ciuit. Dei c. 7.

b 1. *Ioan. 3. 12.*

Lib. 4. in Genes. c. 2.

a *Pro. 23. 26.*

1.

apud LXX.

b 1. *Cor. 13. 5*

sint, sed quæ sunt Dei, & fratrum suorum: ac propria voluntas semper quæ sua sunt, &, quæ sibi placent, & commodum aliquod adferunt, quærit etiamsi huius rei gratiâ, opus ei sit, Dei voluntatem & proximi commodum conculcare. Sed vlteriùs adhuc durities eius & rebellio progreditur. Nam quemadmodum Cain reprehensus à Deo propter hoc crimen, voluit illud Deo ipsi occultare, & imprudenter respondit: c *Num custos fratris mei sum ego?* ac mentitus est, negando se scire, vbi frater suus esset: ita propria voluntas adeò est audax & proiecta: vt sua peccata excuset, etiam interdum mentiens, vt ea occultet hominibus. Et, vt idem Sanctus ait, vellet etiam occulta esse Deo; ne Deus illa nosset: quod est, optare quodammodo, ipsum non esse Deum. Non enim esset Deus, qui hominum improbitates non nosceret, nec punire posset. Et hæc suprema miseria est infelicissimæ huius voluntatis. Cuius maxima pœna in hac vita est, quod dixit Deus Cain: *vagus & profugus eris super terram*. Nam voluntas propria à Deo deserta (vt Sanctus Ambrosius ait) semper vaga est, inconstans, & mutabilis: fugiens cœlum, & reptans super terram. O quàm rectè his, qui propriam voluntatem sequuntur, dicere licet illud Sancti Thadæi Apost. d *Væ væ illis, qui in via Cain abierunt*, sequentes propriam voluntatem. Incident enim in easdem miserias, in quas infelix ille incidit; & reprobabuntur odioque habebuntur ab ipso Deo Domino nostro. Qui per Isaiam protulit secundam sententiam in rem præsentem: e *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto*: quando scilicet aliquid subtrahitur eorum, quæ oblata mihi fuerant. Et quoniam hæc rapina est rei, Deo per votum sacratæ, Sancti eam appellant Sacrilegium. Et Sanctus Bernardus adeò rem exaggerat, vt dicat: Nullum sacrilegij crimen reperitur deterius, quàm in voluntatem semel obtulì Deo, recipere potestatem. Quò enim res oblata maior est, eò grauior est rapina, si eadem recipiatur. Cumque voluntas sit fons operum bonorum & malorum: qui eam Deo subtrahit, sibique propriam facit, periculo exponitur, sese ingrauia peccata præcipitandi, & in eis pereundi. An ex collegio Apostolico (ait idem Sanctus) reprobari quis potest, nisi loculos habens? sunt enim loculi non modò pecuniæ, sed etiam propriæ voluntatis, vsurpatæ scilicet contra Deum, qui eius est Dominus.

ET QVAMVIS res, quæ fit, sit ex se bona & sancta, ait Sanctus Basilius, tamen rapina est eam facere contra prohibitionem Superioris: nec vtilis erit, sed noxia. Deus enim odio habet rapinam in holocausto, hoc est eum odit, qui, quod alienum est, accipit eo titulo, vt aliquod Deo obsequium præster. & sicut qui furaretur: vt eleemosynam faceret: talis eleemosyna odio haberetur à DEO: eò quod fieret cum iniuria proximi: ita DEVS odio habet oblationem operis boni, quod ei offert Religiosus contra

3.

c *Gen.* 4.9.

4.

Lib. 1. *de vocat. Gent.* c. 2. d *in epist. ver.* 11.

e *Isaiæ.* 61.8.

Epist. vltima.

In Declama. Ecce, nos reliquimus omnia *prope finem.*

Serm. de abdic. rerũ Reg. 17 & 38. *breuiorum.*

Serm. 7. in Cantica.

Prælati obedientiam: non enim offert, quod suum est; sed quod Prælati, cuius voluntati priùs traditum erat. Voluntas præterea propria & ipsa Diuina proprietates habent valde repugnantes. Propria enim (vt ait Sanctus Bernardus) conuertit bonum in malum, & pretiosum in vile: & ieiunium ac sacrificium, quod ex se fuisset Deo valde gratum, odio habetur, quando infecitur lepra propriæ voluntatis. At obedientia conuertit vile in pretiosum, & quod abiectum est exaltat in magnam sublimitatem. Ac propterea Samuel dixit Saul: f *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quam victimæ; & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* quasi distinctiùs dixerit: nullum opus, etiamsi optimum, magnique meriti videatur: si cum obedientia comparetur, alicuius momenti esse iudicabitur. & Religio ac pietas, siue deuotio, contra id, quod Deus iubet, tendens, falsa prorsus est. Solum enim Diuinæ voluntatis fundamentum veram dat bonitatem, stabilitatem, & valorem omni operi studioso fundamento sublato propriæ voluntatis.

f 1. Reg. 15. 22.

Collat. 10. c. 8. In speculo disciplinæ. par. 1. c. 4. De vita spirit. num. 12. Lib. 85. quæstionum q. 36. tom. 4.

Ex quo deduco: supremam veri obedientis curam versari debere circa mortificationem affectuum, & impulsuum propriæ voluntatis. Hunc enim ait Cassianus, esse finem vocationis eius: & in hoc, ait Sanctus Bonauentura, omnem Religionis eius perfectionem consistere. Et vt Sanctus Ephrem dixit: eò proficiet magis, quò amplius mortificauerit, ac subiecerit propriam voluntatem. Eum in modum, quo Sanctus Augustinus dixit imminutionem cupiditatis, incrementum esse charitatis; & huius perfectionem, esse, omni cupiditate carere. Quare dicere licet: maximam propriæ voluntatis mortificationem esse augmentum Obedientiæ, qua Diuina voluntas executioni mandatur: perfectionem autẽ executionis Diuinæ voluntatis consistere in plena propriæ voluntatis spoliatione, & amplena supremæ Spiritûs paupertatis, quæ hominem exuit & euacuat à seipso, & omnibus voluntatis propriæ actibus, vt superiùs est dictum.

c. 8.

Serm. de abdicat. rerum.

AD HANC perfectionem his gradibus ascenditur. *Primus* est, nihil vnquam facere contra expressam Prælati prohibitionem; neque contra id quod creditur eius esse voluntatis. Et hinc ad *Secundum* ascenditur, quem Sanctus Basilius vocat, non facere quicquam in occulto cum desiderio, ne Superiori innotescat. Nam quamuis verum sit, licere Religioso multa bona opera facere, sibi non prohibita, nec petitâ à Superioribus facultate: desiderium tamen ea occultandi ex timore, quod Prælatus, si sciret, prohiberet: effectus est propriæ voluntatis, non Deum sed seipsam quærentis: ideoque quicquid Superiore insciente fit, id quodam modo furtum est. Quare qui maiorem perfectionem desiderat, *tertium* gradum conscendere debet, quo desideret, quoad fieri possit, approbationẽ Superioris habere

ad om-

omnes suas actiones: sic enim magis illæ erunt meritoriæ, magisq; secu- Lib. 4. c. 10.
rum in modum, quo antiqui Monachi (vt Author est Cassianus) facultatem hanc etiam ad res exiguas, & necessarias petebant: quò magis mortificarent suam voluntatem, & inanem gloriam. *Quartus* gradus est, nunquam quærere directè aut indirectè Superioris voluntatem in huiusmodi facultate concedenda, flectere, & ad suam pertrahere: sed ex animo optare, vt liberè & absque vllo respectu ille constituat, & præscribat quod magis expediet; eamque resignationem habere, de qua nunc dicemus.

CAPVT XVIII.

INDIFFERENTIA ET RESIGNATIO PROPRIÆ voluntatis voluntati Dei & Prælatorum; & ratio facultatem ab eis petendi, seq; ad id quod illi volunt, sed non iubent, offerendi.

PERFECTA PROPRIÆ VOLVNTATIS MORTIFICATIO, de qua hactenus diximus, secum adfert fideles duas heroicæ obedientiæ socias, quas *indifferentiæ resignationem* appellamus. INDIFFERENTIA in eo est posita, vt Religiosus non magis ad vnam partem incliner, quàm ad alteram. Quemadmodum stateræ bilances, quarum examen ita rectum stat, vt neque ad vnam, neque ad alteram incliner, donec pondus impositum alteram demittat: ita perfectus obediens, quamuis decreuerit omnia exequi, quæ sunt ex præcepto, Regula, aut Ordinatione: fugere verò quæ illis repugnant, & quæcunque sunt mala: ad reliquas tamen res pendet; &, quod in se est, non inclinat pondere affectus alicuius inordinati: sed æquè est indifferens ad eas præstandas, vel relinquendas; expectans pondus obedientiæ aut ordinationis Superioris: vt quò ille voluerit, absque repugnantia, aut contradictione eò tendat; non agens, vt Superior ad aliam partem inclinet. Ita enim voluntatem suam ad huiusmodi res rectam habet ac indifferentem, vt omnino sit ita Superioris voluntati resignata; vt pleno Dominio & potestate vtatur ea, ad quam partem voluerit. Eum etiam in modum, quo quis beneficium, aut officium, quòd habet, ita alteri resignat; vt totum ius suum in eum transferat ad liberum eius vsum.

RESIGNATIO est animi decretum & generalis resolutio ad faciendum quicquid Superior voluerit, seruans tamen indifferentiam ad quæuis particularia, donec Superior aliquid indicet aut decernat. Eum in modum, quo Saulus dixit Christo Domino: a *Domine, quid me vis facere?* hoc est, iube quicquid volueris: sum enim indifferens, resignatus, & promptus, ad exequendum quicquid iusseris. O verbum (ait Sanctus Bernardus) breue, sed plenum, viuum, efficax, omnique laude dignum! *Breue* est, eò

a *Actuum 9. 6: Serm. in cõuers. S. Pauli.*

quòd sine circuitu aperit quod sentit; est *plenum*: quia ad omnia, quæ Deus iubere voluerit, sese offert, nulla re excepta, quantumuis difficili, amara, & contemptibili; est *viuum*: quia oritur ex magno feruore Spiritûs, à Diuina gratia viuificati; est *efficax*: eò quòd prodeat cum adeò firma resolutione: vt factum putet, quòd Deus iniunxerit. est denique omni *laude dignum*: quia in eo verbo, quasi compendio quodam Christiana ac Religiosa perfectio continetur: ideoque valde proprium est eorum, qui talem perfectionem sectantur, qui propterea meritò deberent cum simili feruore illud proferre suis Prælatis & Magistris; & qui hoc modo incipit, sicut Sanctus Paulus, iam in ipsis initijs est perfectus. Et, vt idem Sanctus Bernardus dixit, ferè ante perueniet, quàm ire cœperit: nam in hac adeò heroica resolutione, quasi in semine sunt omnes virtutes vitæ Religiosæ.

S. Bern. suprà.

SED PAVCI TAMEN sunt, qui illud verbum cum tanta perfectione proferant: multi enim ad duo vitiosa extrema declinant. Alterum eorum, qui ore quidē Superiori dicunt: *quid me vis facere?* corde autē & opere optāt Superiorē ipsis respōdere, quod Saluator noster duobus illis cęcis dixit: b *Quid vultis, vt faciam vobis*; & annuere ipsis in omnibus, quæ ipsi petunt: nec quicquam negare. Aperiunt autem ipsi falsam suam resignationem in ijs, quæ petunt, quatuor indicijs. *Primum* est, quòd petant precibus importunis, adhibentes multos intercessores. *Secundum*, quòd replicent & contendant instantiâ nimia; etiamsi semel & iterum negetur, quod petunt. *Tertium* est, quòd conquerantur de Superiore ac contra ipsum murmurent, si neget, magnamque ostendant tristitiam: vt propterea Superior, eorum petitioni annuat. *Quartum*, quòd varias allegent rationes, argumenta, exaggerationes, & animi affectus prodant: non quibus veritatem, & necessitatem manifestent; sed vt persuadeant, concedi sibi, quod petunt. Nam neque animum habent, ad mortificandas suas propensiones, & vehementia desideria, quæ in eorū corde feruent, suntque manifesti propriæ voluntatis effectus: neque tamen volunt ea palam & apertè sequi, contra iudicium & voluntatem Superioris; sed flectere eum conantur, vt ipsorum voluntatem ille approbet. Quasi dicerent: iubeas me hoc facere: quia valde mihi arridet, vt faciam. Quamobrē, vt idem Sanctus Bernardus ait, in oculis Dei tales non sunt verè Obedientes, neque ipsi Prælato: sed Prælatus potiùs eis obedit, cum iniuria voluntatis Diuinæ, qua tanquam pallio vtuntur: vt eius hostem, voluntatem propriam, tegant. Et solet exitus eorum fraudem aperire: nam, vt plurimùm, quæ ipsi in suum commodum quærunt: vertitur in proprium detrimentum: vt ex multis exemplis constat: quæ in vitis SS. Patrum referuntur. Nam quidam vi obtinuit à Prælato facultatem recipiendi se in desertum locum, vbi fuit à Dæmone deceptus. Alius importunè facultatem extorsit eundi

b *Mat. 20. 33 Luc. 18. 41.*

Serm. de tribus ordinib. Eccles.

ad In-

ad Infideles, vt esset Martyr: & in ea occasione cõstitutus fidẽ negauit. Alius, qui in Culina manens, donum habebat lactymarum; facultatem obtinuit orandi semper in cella, in qua donum, quod habebat, amisit. Alij importunè facultatem obtinent ad mutanda loca, & perfectiones alicuius solatij, & res alias ad delitias & honorem pertinentes. Quas si superior neget, illi replicant, & instant, donec concedantur.

ET tunc ipsi contenti manent, iudicantes se illa facere ex Obedientia: cùm tamen in oculis Dei inobedientia sit, & propria voluntas. Ideoque meritò Deus permittit, ne finem obtineant, quem quærebant; sed contrarium. Eum in modum quo refert scriptura Sacra, quod cùm Absolon rebellaret contra Regem Dauid Patrem suum, eiusq; exercitu dissipato, fuisset ipse à Duce Ioab interfectus. c *Achimaas petiit a Ioab facultatem ferendi ad regem Dauid eius victoriæ nuntium*, honorarium aliquod sperans. ad quem Ioab dixit, non expedire ipsi, nuntium esse in tali occasione, qua Absolon esset mortuus: quare alium ipse nuntium misit. sed instante Achimaas, etiamsi blandè secundò Ioab denegasset, tertiò tamen instante, & contendente illo, annuit Ioab: & ipse eodem momento discessit; & per compendium quoddam præuenit alterum nuntium; & ita primus Regi nuntiauit victoriam.

c 2 Reg. 18. 9.

SED BREVI eum pœnituit: quia se aduertit deceptum. Dauid enim, cùm intellexit mortem Absolon, gaudium ex victoria conuertit in tristem planctum, quo omnes repleuit tristitia. Hunc in modum multi sunt adeò importuni in eo quod petunt, vt Prælati etiam videntes non expedire illis; annuant tamen: tum vt seipsos à molesta illa importunitate expediant; tum quòd maius aliud detrimentum vereantur ex aperta inobedientia, & repugnantia, si negent illis facultatem. Imo interdum, cùm Deus videt subditorum corda non satis resignata, quamuis id ore non ostendant, eos tamẽ punit, permittens, Superiores errare, annuendo ipsis. In quo locum habet, quod ipse per Ezechielem dixit: d *Iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitatem erit respondentis.*

d Ezech. 14. 4.

QVAMOBREM si Dei voluntatem nosse desideras, esseque verè Obediens: quærenda tibi illa est (vt Sanctus Augustinus ait) corde sincero, proponens tuam necessitatem ac desiderium breuibus ac sinceris verbis: & ostendens veram indifferentiam, ac resignationem: & Prælato liberum relinquens, vt iuxta id, quod tibi magis expedire iudicauerit, id concedat, aut neget. Hoc enim erit tibi quod Deus a te vult, &, si id præstiteris, eris obediens, Imitatus modestum illum ac resignatum modum, quo obediens illa Ruth (vt suo loco diximus) petijt à Noëmi licentiam exeundi ad laborandum, dicens: e *si inbes, vadam in agrum, & colligam spicas.* Dixit *si vis*

Conci. 2. in Psalm. 31.

Tom. 1. tract. 2. c. 9.

e Ruth. 2. 1.

& *iubes*: quia subditus nunquam debet cum Superiore loquens hoc verbo vti *Volo* aut *nolo*: eò quòd sit inurbanum, audax, & non resignatum. Quale fuit duorum illorum discipulorum, qui Christo Domino nostro dixerunt: f *Magister* VOLVMVS *vt quodcunque petierimus facias nobis.* Qui cùm, quid vellent, aperuissent, acceperunt dignum sua propositione responsum: dixit enim illis Dominus: *Nescitis quid petatis* nec modum quidem petendi aptum tenetis: non enim dicendum erat, VOLVMVS; sed, Magister, si vis, & ita expedit, da nobis hoc, quod cupimus. Vt plurimùm enim cor non benè resignatum, sicut in modo petendi, ita etiã in eo quod petit, impingit. Defectus enim resignationis oritur ex Superbia, aut sensualitate, aut cupiditate: quæ impellunt ad petendum, quod honori indulgentiæ, aut lucro est magis conforme: non curantes, an expediat, nec ne. Sed obliquis hisce affectionibus mortificatis, quæ vt propriam voluntatem, ita alienam flectere conantur; sicut adhibetur modus resignatus, & intentio bona in petendo: ita etiam, aut petitur quod æquum est; aut si ex ignorantia aliquis est defectus, prudentia Prælati reparatur; & subditus æquè manet contentus siue concedatur, siue non: quod petit: non enim, quod sibi placeret, intendebat; sed quod Deo, per Superiorem significatum.

f *Marci.* 10. 35.

ALTERVM extremum, in quod aliqui sub indifferentiæ & resignationis prætextu impingunt, est, quod neque petere aliquid velint, nec facere præter ea, ad quæ iuxta suum statum tenentur; sed expectare donec Superior expressè aliquid iniungat: Quod interdum procedit ex scrupulo: quia existimant, quicquid ipsi petant, à propria voluntate prouenire; ideoque tutius esse manere in eo, quod Sanctus Paulus dixit: *Domine quid vis, vt faciam?* & ita exuere omnem propriæ voluntatis actum nullo particulari indicio relicuius insinuato ipsi Prælato. Aliquando etiam oritur ex tepiditate spiritus, aut ex repugnantia sub prætextu non faciendi suam voluntatem: cùm tamen in hoc potiùs eam sequatur, quàm in illo alio. Cùm enim non libenter crucem ferant: nolunt ad ferendam se offerre; sed expectare donec alius illam eis imponat, ac iubeat, quid sit agendum. Et hoc extremum est quoque valde noxium: multi enim sunt casus, in quibus perfectus obediens posset ac debeat expressam Superioris voluntatem præuenire; & aliquid ab eo petere, aut suum desiderium proponere, modò id id fiat cum resignatione iã dicta.

Aliqui nihil faciunt nisi quod iniungitur.

I. PRIMVS casus est, cum Superior insinuat, se cupere, vt aliquid faciamus: quamuis iustis ex causis nolit expressè mandare: quasi expectans, vt id ab ipso petamus. Et tunc id petere, & ad præstandum se offerre, est multò maior perfectio. Quemadmodum fecit Isaias Propheta, cum ei Dominus apparuisset Seraphinis stipatus, qui cùm vellet seuerum quendam & terribilem nuntium ad populum suum mittere, dixit: g *quem mittam? & quis*

g *Isaiæ* 6. 8.

bit, no-

in nobis? quam vocem, vt audiuit Isaias, statim dixit: *Ecce ego, mitte me.* Quis dubitet in tali occasione valde perfectam fuisse, Deoq́, placuisse hanc obedientiam? & fuisset sanè Isaias valde parcus, nisi se ad eam obtulisset. Similiter fuit heroicum trium insignium virorum facinus, qui statim atque audierunt Dauidem dicentem: h *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam,* Illi statim, non expectantes Dauidis mandatum, *irruperunt Castra Philistinorum,* qui transitum in Bethlehem prohibebant, & cum periculo vitæ *hauserunt aquam de cisterna, & attulerũt ad Dauid,* vt bibere in quo facto voluntatem & animi promptitudinem ei seruiendi ostenderunt, Vt ex hoc milites veri Dauidis Christi Domini nostri intelligant: qua ratione promptos se offerre debeant ad voluntatem Diuinam exequẽdam, non solùm cùm aliquid ipse per suos ministros expressè iubet, sed etiã quando aliqua dant indicia suæ voluntatis aut desiderij ad gloriam Dei.

h 2 Reg. 23. 16.

SECVNDVS casus qui priorem magis illustrat, & moderatur, est, cùm res bona, quam Superiores cupiunt iubere, aut nos optamus facere, laboriosa est nostræque carni molesta, vilis, & abiecta in oculis mundi; & quam ex ipsa natura horremus. Tunc enim insignis propriæ abnegationis indicium est, ad rem illam exequendam nos offerre, antequam Superior eam iniungat. Sic enim nihil decedit Obedientiæ, sed potiùs perficitur: vt Sanctus Gregorius docet, & nos alibi fusiùs declarauimus. Nam quemadmodum nõ est contra perfectam resignationem, horrere, quod in nobis est, res honorificas & blandas, quas mundus & caro desiderant: vt sic melius nostrum imitemur Saluatorem: ita non aduersatur eidem etiam, ad Christi Domini imitationẽ, si amemus ac desideremus ex parte nostra, res viles & molestas, quas caro & mundus perhorrescunt. Nam Christus, vt mundo manifestaret voluntatem ac desideria, quibus tenebatur, patri suo obediendi, eiusque mandatum seruandi, i *processit obuiam venientibus ad ipsum comprehendendum*, & obtulit se sponte & promptè, ad cruciatus omnes, quos ipsi inferre vellent.

2.

Lib. 31. mor. c. 3. In Duce spirit. Tract. 4. c. 10. §. 4.

i *Ioan.* 18. 4.

TERTIVS casus est, cùm magnos in nobis Diuini Spiritus impulsus sentimus ad res aliquas præclaras in nostrum siue proximorum nostrorũ profectum exercendas. Quæ, quòd tales sint, nec possunt nec debent absq; cõsultatione & approbatione Superioris exerceri. Ac proinde ipsemet Deus, qui feruentia adeò desideria inspirat, vult, illa manifestari & proponi; & offerre nos, quod in nobis est, ad ea præstanda paratos. Cum ea tamen resignatione, vt cum illa Ruth solùm dicamus: *si inuenes vadam in agrũ*; hoc est, si probos, faciam talem pœnitentiam, aut suscipiam talem peregrinationem, aut aggrediar tale cœptum apud Indos, aut hæreticos: quod si non probas: neq; ego volo: neque enim aliud velle habeo, quàm Dei; per eum mihi manifestatum, quem ipse suo loco substituit.

3.

AD EAN-

AD EANDEM perfectionem spectat, vt cùm Prælatus aliquid faciendum iniungit, offeramus nos, ad alia etiam, quæ iuuant ad plenius perfectiusque illa præstanda: quamuis hæc ille non iubeat, iuxta illud Apostoli ad Philemonem: k *confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico facies.* Nam perfectè Obedienti non satis est, quod Obedientiæ præceptum sonat, sed promptam voluntatem ostendit faciendi quicquid conijcit, Deum & Prælatum in eo casu optare: vt præceptum opus sit valde perfectum. Eum in modum quo Dauidi pètenti ab Areuna l *aream ad ædificandum altare Domino, in quo sacrificium offerret.* Ille eam statim obtulit, dicens: *accipias aream; habes quoque boues in holocaustum. & plaustrum, & iuga boum vsum lignorum:* quæ obtulit præter aream petitam: quia videbat, ea omnia spectare ad faciliùs exequendum, quod Dauid intendebat.

SED multò magis in hoc proposito elucet Saluatoris nostri Obedientia: qui ex patris præcepto mortuus est pro hominum redemptione, sicut ipse sæpius est protestatus. Quod tamen præceptum non se extendebat ad omnes circumstantias & mortis suæ crudelitates; sed ipse immensa sua charitate, & feruenti Obedientia non solùm obtulit se ad mortem crucis sibi imperatam; sed etiam ad flagella, spinas, & opprobria; & reliqua quæ mortem ipsam præcesserunt: m *exemplum præbens* perfectissimæ Obedientiæ omnibus suis discipulis: *vt sequerentur,* sicut Sanctus Petrus dixit, *vestigia eius* valdeque eminenter eius præcepta custodirent.

IN IDEM secundum extremum impingunt etiam alij, alia via valde diuersa. Qui conseruandæ indifferentiæ & resignationis titulo, acceptant absque vlla replica aut oppositione, quicquid sibi præscribitur. *Prima via* est, quando ea, quæ iniunguntur, sunt ex se honorifica & splendida, aut palato & carni valde grata: in quibus tamen aliquod subest periculum. Nam iuxta Sancti Gregorij doctrinam: quemadmodum est indicium humilitatis & feruoris spiritûs, quòd quis se offerat, vt laboriosa & contemptibilia sibi iniungantur: ita etiam refugere eorum contraria, eandem virtutem prodit. Sicut videmus Moysen & Ieremiam refugisse officium honorificum, quod illis Deus iniungebat: adferentes pro se, quod non essent ad talia munia sufficientes: Et multi Sancti replicarunt, cùm illis proponebantur officia gubernandi: in qua re perstiterunt repugnantes, donec accederet præceptum siue mandatum, quo ad acceptandum obstringerentur. Nam tunc ita facere debet resignatio suum officium: vt collum suum Obedientiæ iugo subijciat.

ALTER casus & via est, cum subdito ipsi aliquæ rationes occurrunt alicuius momenti; & existimat, Prælatum non esse earum conscium: nã, si noscet, non talia iuberet. Tunc inquam præstat, eas Superiori proponere; non cum

k *Ad Philem. ver. 21.*

l *2. Reg. 24. 16.*

S. Tho. 3. p. q. 47. a. 7. Suarez, tomo. 1. in 3. P. Disp. 43. Sect. 3.

m *1. Petri 2. 21.*

1.

tra-

rudicendi animo, sed veritatem explicandi: vt absque deceptione Superior eligat, quod iudicauerit magis expedire. Nam (vt S. Gregorius quendam casum referens ait) non est res noua, quòd Superiores tanquam homines decipiantur, siue, quòd ipsi non satis attendant, quid constituant; siue, quòd alij fallis informationibus ipsos decipiant. Quemadmodum Dauid, etiamsi esset Propheta, deceptus est, proferens sententiam contra innocentem filiũ Ionatæ ex falsa Sibæ famuli eius informatione: & cùm innocens rationem sui, Dauidi redderet, reuocauit partẽ eius, quod ex mala informatione priùs constituerat. Et quoniam Diuina prouidentia non reijcit nostram cooperationem ac diligentiam ad errores præueniendos: non aduersatur, sed potiùs est conforme prouidentiæ, Prælatum informare de incommodis, quæ eius ordinatio adferet: cum resignatione tamen ad exequendum, quod vltimò ille decreuerit, vbi non erit manifestum peccati periculum. Et idem S. Gregorius cõfirmat hoc exemplo S. Nonnosi Monachi, qui audiens: Abbatem mittere Monachos ad laborandum in Oliuetis sæcularium, vt parum aliquid olei colligerent, quò Monasterij paupertati subueniretur: Sanctus ille proposuit Abbati ingens periculum, cui illos exponebat amittendi spiritum: quare demissè petijt, ne eos mitteret: cuius viti Sanctum zelum Deus insigni quodam miraculo confirmauit: multiplicauit enim modicum olei, quod domi habebant in multò maiorem quantitatem, quàm ipsi Monachi collegissent.

Lib. 1. dialo. c. 4.

2. Reg. 16. 3. & c. 19. 26. 29.

Lib. 1. dialo. c. 7.

TERTIVS casus est, quando res, quæ præscribitur, adeò est laboriosa, & molesta vt imbecillis caro naturaliter refugiat, eam aggredi: Et quamuis magna sit fortitudo, in huiusmodi casibus tacere, & rem aggredi, & experiri, an leo ille adeò sit ferus, atque primo aspectu apparet? Qui tamen valde graue onus experitur, poterit cum animi demissione ac resignatione imbecillitatem suam proponere. Eum in modum, quo Christus Dominus noster ad solatium debilium, cùm videret animam suam præ tristitia & passionis instantis timore afflictam, & præcepto eam acceptandi constrictam: dixit Patri suo: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* In primo ostendit carnis suæ imbecillitatem: in secundo manifestauit resignationem & promptitudinem sui spiritus. Quæ potest cum magna perfectione conseruari, etiamsi caro aggredi recuset. Cuius indicium est: si statim, atque vltima Superioris resolutio ei innotescit, animum ipse assumat (vt ait sanctus Basilius) ad suam Obedientiam exequendam, etiam valde amaram ac difficilem: quemadmodum Saluator ipse ex Oratione statim surrexit ad bibendum calicem suæ passionis: quia vidit eam esse æterni sui Patris voluntatem.

3.

n *Matt. 26. 39.*

De Const. Monastica c. 28.

CAPVT XIX.

QVAM PVRA INTENTIONE, REVERENTIA, *hilaritate, & promptitudine Obedientia sit exhibenda.*

EX IIS, QVÆ HACTENVS DIXIMVS licet facilè cognoscere reliquas conditiones, ad hanc virtutem pertinentes in modo obediendi Prælatis. Quarum summam quandam collegit Apostolus, monens seruos & famulos, vt suis Dominis obediant, sic dicens: a *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam vnusquisq; quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* In quibus verbis insinuat Apostolus multas perfectæ Obedientiæ proprietates, quas supra fusiùs explicuimus. Quæ proprietates cum assignentur seruis & famulis, qui vel iure seruitutis, vel necessitate aliqua temporali subiecti esse coguntur: meritò debent eædem amplius in Religiosis elucere: quorum Obedientia (vt S. Bonauentura dixit) non debet esse seruilis, ob timorem pœnæ in transgressores Regularum constitutæ. Is enim finis valde vilis est, & spiritus mancipiorum, aut inuitè seruientium. Nec debet esse eorum obedientia ob aliquod lucrum & humanos respectus, aut commodum temporale, vt pluris in ipsa Religione fiant: nam & hic esset finis valde sæcularis, & spiritus famulorum aut mercenariorum; & indignus Religiosis, qui ingenuè renuntiarunt omnibus diuitijs, & sæcularibus honoribus: vt expeditiùs suum sequerentur Saluatorem. Decet itaque obedientiam eorum esse filialem, & purè ex amore: sicut boni filij parentibus suis obediunt, Cumque Prælati non carnales, sed spirituales sint Patres; ita amor erga illos debet esse spiritualis. Qui quoniam referunt Christum tenentque locum Dei in terra, vt supra est dictum, oportet eis cum eo amore obedire, quo filij Dei, ipsimet Patri suo cœlesti obediunt; agnoscentes in Superiore infinitam dignitatem personæ, quam referunt. Nam si Apostolus iubet seruos obedire dominis suis sæcularibus sicut Christo: quantò magis, ait S. Basilius, id commendabit Religiosis, qui sponte sua Prælatos suos accipiunt loco Christi Domini? qui de Superioribus dixit: b *Qui vos audit, me audit*: Aduertitur bene hoc discrimen in eo euentu, quo Hebræi à Samuele Propheta, à quo gubernabantur, petiuerunt, vt ipsis Regem assignaret, qui eos gubernaret, sicut reliquæ nationes habebant. Et ipse Deus Prophetæ dixit: c *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me: ne regnem super eos.* Sed an cum Respublica Re-

a Ephes. 6. 5. Colos. 3. 22.

Tom. 2. tra. 3. c. 3.

De profes. 6. Religi. c. 27.

De Const. Monast. c. 21.

b Luc. 10. 16

c 1. Reg. 8. 7

gen-

gem habet, à quo regatur: non regat Deus in ea? Rex enim nõ regnat, nisi propter authoritatem, quam à Deo habet. Sed aliter tamen Deus regnat in Ecclesia & Religione per Prælatos Ecclesiasticos, assistens earum gubernationi magis speciali prouidentia, quàm gubernationi sæcularium, per eorum Reges. Nam etsi verum sit: hos etiam regere nomine ipsius Dei: id tamen fit prouidentia magis generali, quæ; cum altera illa collata, est quasi subditi nolint, Deum in ipsis regnare. Cùm igitur pater cœlestis Religiosos gubernet per Samuelem, hoc est, per Prælatum, speciali sua prouidentia ipsis assignatum: hunc diligere ac reuereri, eidemque obedire sicut ipsi Deo debent; & quidem multò exactiùs, quàm sæculares subditi temporalibus Dominis obtemperant. Neque degenerat ab hac significatione nomen Samuelis, quod, teste S. Hieronymo, significat: *nomen eius Deus*. Superiores enim Ecclesiastici cùm maiori eminentia Dei nomen & authoritatem habent, quàm seculares. Quod etiam comprobat sententia illa Dei ad Moysen: *Ecce constituite Deum Pharaonis*.

Rex propter authoritatem à Deo regnat,

EX HAC veritate cordi bene infixa, deducuntur reliquæ proprietates Obedientiæ Religiosæ, vt illa perfecta sit. Nam *in primis*, non debet esse Obedientia tantùm exterior: qualis illa est, quæ puris hominibus exhibetur, non videntibus, nisi res ipsas exteriores: Sed debet esse etiam interior, sicut Deo debita, videnti ac penetranti ipsa corda. Ac propterea habere debet hoc nomine tres prædictas præcipuas conditiones. Vt scilicet exhibeatur cum pura gloriæ ipsius Dei intentione; vt ei placeat, & sancta eius voluntas fiat. *Deinde*, vt adsit integra conformitas & subiectio iudicij proprij ac voluntatis. *Tertiò*, vt fiat cum vero amore ac reuerentia non solùm politica, sed & religiosa: ita vt Superiorem iuxta dignitatem, quã habet, magni faciat: etiamsi is ob vitam suam prauam, dignus non sit, qui ametur, aut sit veneratione. Eum in modum quo veneramur Crucifixi imaginem: non quòd aurea sit, vel argentea: sed quòd Christum ipsum nobis referat; hoc autem etiam præstat lignea vel fictilis. Ex quo fit, quòd hæc reuerentia & Obedientia non tantùm sit in præsentia Superioris exhibenda, sed etiam in eius absentia. Nam etsi ille sit absens: Deus tamen, propter quem obedientia exhibetur, est præsens. Ac propterea Dauid d *post quam præcidit oram Chlamydis* Saulis Regis, qui ipsum grauiter persequebatur, etiamsi ipse lateret in spelunca, nec à Saule ipso visus esset, *percussit* nihilominus *cor suum*, eò quòd Christum Dominum tetigisset. Sufficit enim, quòd Prælatus, vnctus sit, & electus, & vices Christi gerat: vt bonus Religiosus & publicè, & priuatim debitam ei reuerentiam & Obedientiam exhibeat, etiam eâ indigno. Qui si in aliquam imbecillitatem, aut defectũ pudendũ inciderit, sicut Patriarcha Noë: ne propterea eum irrideat, sicut fecit *Cham* nequã eius filius; sed tegat

I.

d 1. Re 24.6

e Gen. 6.2.

& excuſet *Sem & Iapeth* boni eiuſdem filij fecerunt. nec accipiat tanquam ſuæ Obedientiæ Ducem, oculum Superioris; qui tantùm videt, quod fit cũ præſens eſt; ſed oculum Dei inuiſibilis, qui omnia cernit. Et eodem feruore debet in omni loco obedire, cùm præcipuus Superior ſit vbique, qui remunerare, aut punire poteſt f *bonum* aut *malum quod vnuſquiſque fecerit.*

f Epheſ 6. 8.

2. Ex Quo apparet, in omni loco & tempore obediendum eſſe, cum cordis lætitia: quæ duplex eſt, ſicut ſolet etiam eſſe deuotio. Altera eſt lætitia ſenſibilis ac tenera in inferiori & ſentiente animæ parte, quam appellant concupiſcibilem: cuius effectus valde placent corpori: quia ipſum cor dilatant propter quietem & ſolatium, quo afficitur, cum præſentem habet ac poſſidet rem, ex qua illa lætitia oritur. Qua afficiebatur Dauid; cum dixit: g *Viam mandatorum tuorum cucurri, & dilatasti cor meum.* Altera eſt lætitia ſpiritualis & ſubſtantialis in ſuperiori animæ parte, voluntate ſcilicet: quæ, cũ aliquid deſiderauit, & habere ſtuduit; & illud habet, ſentit quietem & ſolatium in eo. Prima lætitia non eſt ſemper in noſtra poteſtate: præcipuè, ſi quod ex obedientia iniungitur: carnis propenſioni repugnat: quam vult Deus nobis deeſſe, vt obedientiæ noſtræ præſtantia innoteſcat: Quare Chriſtus Dominus noſter, etſi ſemper magno Paſſionis ſuæ deſiderio teneretur eamque valdè optaret ac diligeret: quando tamen imminebat, non voluit lætitiam illam ſenſibilem admittere; ſed eius loco triſtitiam admiſit, timorem, tædium, & agoniam vſque ad ſanguinis ſudorem. Habuit tamen lætitiam & gaudium Spirituale, quo illam acceptauit; & requieuit, videns ſe voti compotem fieri: ideoque tanto animo & ſpiritûs promptitudine ad executionem ſe obtulit, atque ſi ea fuiſſet corpori valde iucunda. Ac propterea de eo dicitur, quod h *exultauerit vt Gigas ad currendam viam: à ſummo cælo*, vnde egreſſus fuerat, *vſque ad ſummum eius*, quo fuit reuerſus. Et hæc præcipua eſt lætitia, quam à nobis requirit Dominus, vt aduertit S. Bernardus explicans illud Dauidis: i *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Quomodo, inquit, Propheta Sancte, iubes, nos ita abſolutè in Domino delectari? quaſi hęc lætitia in noſtra eſſet poteſtate. Sed Propheta non de affectu dulci loquitur, ſed de exercitio virtuoſo: cum ſcilicet quòd poſſibile eſt, facimus, vt placeamus Deo in omnibus, quæ nobis mandat: nam hoc eſt quod dicimus, quod in te eſt delectari & gaudere: quaſi dixerit: delectare in Domino, id eſt, ad hoc tende, ad hoc conare, vt in Domino delecteris; & quietem ac ſolatium interiùs in eo poſitum putes, quod eius voluntatem impleas; tuisque Prælatis obedias, etiamſi caro repugnet ac triſtetur. Nam ſimul cum hac diligentia id quæris, vt corpus & anima; ſpiritus, & omnes interiores facultates in Deo viuo delectentur, & in obedientia mandatorũ eius: & par eſt te ad id contendere, vt illi k *ſeruias* (vt ait Dauid) *in lætitia &*

g Pſ. 118. 23

h Pſa. 18. 6.

i Pſal. 36. 4. ſerm. 5. in Quadrageſ. circa finem

k Pſal. 99. 1

exulta-

mutatione: non propter propriam delectationem, sed vt opus Obedientiæ ei maiori diligentia ac perfectione perficias. Nam (vt Philsophus dixit) delectatio perficit opera. Et quoniam Deus essentialiter est iucunditas & lætitia, ideò vult sibi cum lætitia obediri. Nam (vt Apostolus dixit) l *hilarem dat orem diligit Deus.* Neque ea hilaritas & lætitia valde difficilis ei erit, qui certissimæ Fidei oculis intuetur non hominem, sed Deum, qui præsens adest: propter quem obedit, & à quo fauores & præmia expectat suæ obedientiæ: quamuis homo ea contemnat, aut non remuneret. Scriptū est enim m *Benedictionem dabit Legislator.* Quis autem Legislator eam dabit? nō terrenus, sed cœlestis. Cui autē eam dabit? Obedienti & custodienti legem eius. Et quānā dabit benedictionem? spiritualem, descendentem de cœlo per Christū, cuius unore cor dilatatur, ad currendum velociter per viam mandatorum Dei. n *Recordare* igitur, quod aspiciat te Deus & *delectaberis*, sicut Dauid, & *exercitaberis* in eius Obedientia. & tunc beatitudinē illā obtinebis, de qua idē Dauid: o *Beatus vir, cuius in lege Domini voluntas eius*; aut, vt habet alia versio, *voluntates eius.* Dices q; p *quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*

Ex eadem radice oritur promptitudo obediendi ad nutum, vel imperfecta (vt Cassianus ait) literā relicta, vt sine vlla mora applicet se quisque ad quod vocatur. Nam Religiosus (ait S. Basilius) neq; ad vnum mometum suipsius potestatem habere debet, ad faciendum quod pro suo arbitrio volet. Quare si absq; legitima causa in aliquo hæret: iam suæ propriæ satisfacit voluntati: & quamuis Prælatus id non videat: videt tamen Deus, cui nec minima hæc mora latet. Nam (vt S. Chrysostomus ait) cum tanta celeritate vult sibi obediri, vt nec ad instans temporis moras trahamus in exequēdo, quod iubet. Quemadmodum q *filii Zebedæi & S. Matthæus* cùm *eos Christus vocauit, statim, relictis retibus, & omnibus, secuti sunt eum*; & sicut Samuel, qui vocatus Deo, statim ac celeriter surrexit ex lecto; & quater eadem nocte vocatus, cum tanta promptitudine ac velocitate ad quartam vocationem surrexit, qua surrexerat ad primam.

PLENIVS hæc intelligentur, si discurramus per quinque capita, in quibus Deus Dominus noster vult nos ad nutum promptos esse ac paratos: quę omnia generatim pertinent: ad materiam obediētiæ. *Primum* caput siue primus res est, vt Diuinis eius inspirationibus, & internis vocationibus statim & absque mora locum demus, & consentiamus: vnusquisque enim Dominus libenter videt, vt cum ipse pulsat famuli statim aperiant ei. Sic enim dixit Salnator: nos debere esse r *similes hominibus expectantibus Dominum suum, vt, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Si enim moras traxeris, fortè iratcetur Dominus; vt quando aperire volueris, se subtraxerit, ac discesserit. Quemadmodum euenit s *sponsæ*, quæ cunctata est in aperiendo portam *spōso suo:*

10. *Eth. c. 4*

12. *Cor. 9. 7*

m *Psa. 83. 8*

n *Psa 76. 4*

o *Psal. 1. 2*

p *Ps 118. 103*

2. *Li. 4. c. 12. De const. Mona. c 18*

Homi. 14. in Matth.

q *Mat. 4. 21 & c 9. 9.*

r *Luc. 12. 36.*

s *Can. 5. 6.*

suo: qui propterea, cùm postea illa aperiret, *declinauerat ac transierat.* Secunda res, in qua Dominus requirit promptitudinem nostram, est resistentia, qua hostis tentationes repellamus, occludentes statim, atque illę comparent, voluntatis nostræ portã: vt ne ad momentũ illa pateat. Quælibet enim mora valde est periculosa: ne contra nos hostis pręualeat, t *veniens nobis per superbiæ* (vt ait Dauid) & cuiusuis mali affectus; *& manus peccatoris* furioso suo impetu *nos moueat*, ac deijciat. *Tertia* res, qua nos vult esse promptos, est in implendis votis & bonis propositis, non differentes executionem, neque occasiones quærentes hærendi, etiam sub prætextu aliarum virtutum. *Quarta* res est, vt faciles simus in reddendo proximis, quod à nobis petent; siue id iure petant, siue ex gratia & misericordia: si tamen id præstare possimus, iuxta illud Salomonis: u *ne dicas amico tuo vade, & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Ac *deniq;* vult, nos promptos etiã ad nutũ in obediẽdo Prælatis, ita vt eorum præcepta & ordinationes exequamur, absque fuco & excusationibus quæsitis ad trahendas moras, iuxta illud: x *cum votũ voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatũ.* Ita vt nobis persuadeamus quamcunque etiam paruam morã, esse aliqui inobedientiam; & quasi Deo diceretur: promisi quidem, Domine, hoc facere: sed nunc volo aliquid temporis voluntati & palato meo tradere: postea tuæ voluntati satisfaciam. Nam hæc occasio efficit, vt post has moras alia trahantur maiores; sensimque eò deueniatur, vt promissum opus prætereatur & negligatur. Ac propterea odit Deus sermonem illum populi iniquitatis: y *manda remanda, manda remanda; expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicũ ibi, modicũ ibi.* Quam sententiam licet cum S. Victore accommodare tepidis Religiosis: qui tenentur magno desiderio, vt Deus aliquid ad suum obsequium spectans illis iniungat; sed, cùm ad executionẽ venitur, excusationes quærunt, & causas differendi: & hærentes modicum in vna occasione, & modicum in altera: tandem omnino recedunt; & quod antea desiderabant, deserunt. Sed alij sunt peiores: qui existimantes, se multa habere præcepta, Regulas, & ordinationes, à suo torpore defatigati, & quasi tædio quodam affecti dicunt: toties manda & remanda: ergo expectet & reexpectet; hæreamus modicum in hac occasione, & iterum modicum in altera: quia non multum refert tantopere festinare in ijs, quæ præcipiuntur. Sed hæc phrasis cedit in ipsorum ruinam. Nam dum modicum hærent, & facilẽ Dominum, qui aliquid illis mandat, modicum expectare; deserit illos specialis eius prouidentia; ac permittit, hostem illos deijcere in abyssum inobedientiæ. Quod si hoc periculum times, horreas ineptum hoc canticum: & statim atque Dei aut tui Prælati vocem audieris, ad executionem accurre, sicut fidelis ille populus, de quo dicit DOMINVS:

t *Psal.* 35. 12.

u *Pro* 3. 28.

x *Deut.* 23. 21

y *Isa.* 28. 10 13.

Li. 4. de gra cont. c. 1314.

populu, quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. Quasi Deus (vt ait Sanctus Bernardus) loquens cum suis Angelis diceret: non mirum est, quòd vos, quos ego noui, & beatos effeci, sitis mihi in omnibus obedientes; & alas habeatis, ad exequenda cum festinatione iussa mea: sed illud valde mirum, quòd populus, quem ego quasi abieceram, ac deseruerat: inexpertè mihi adeò feruenter seruire, & obedire: vt nunc absque vlla mora ad me redeat; vt quicquid iussero, exequatur. *Ser. 40 parvorum.*

4.

Sed quoniam aliqui, etsi promptè & ad nutum obedientiam auspicẽtur, tantamen in eius executione torpentes, ac remissi, ideò necesse est, vt & principium sit feruens; & executio ac progressio diligens & solicita: vt ipsum opus sit perfectum. Per huiusmodi enim obedientiam obtinetur familiaritas cum Deo, & sanctis eius: iuxta illud, quod Sapiens dixit: a *vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit: nec erit inter ignobiles.* Diligens enim seruus adeò exactè perficit quod iubetur: vt sui Domini voluntatem ad se alliciat, ac pertrahat; & in sua diligentia ab eo honoretur. Et Ecclesiasticus dixit: b *In omnibus operibus tuis esto velox: & omnis infirmitas non occurret tibi.* Diligentia enim in agendo, remouet defectus, & errores omnes; sicut negligentia mater est inobedientiæ, adeò deficiens in exequendo, quod iubetur; vt sæpè peius sit ita agere, quàm si omnino omitteretur. Ac propterea dixit Sapiens: c *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.*

a Pro. 22. 29

b Eccl. 31. 27

c Pro. 18. 9.

CAPVT XX.

OBEDIENTIÆ INTEGRITAS ET PERSEVERANTIA.

EX PRÆDICTO OBEDIENTIÆ FERVORE sequuntur duæ vltimæ eius proprietates præcipuæ: vt scilicet illa plena sit, & constans vsque ad finem operis. Non enim sine causa dixit Saluator: a *Beatos esse, qui esuriunt & sitiunt Iustitiam.* Quemadmodum enim qui valde esurit, comedit, quicquid apponitur, vsque ad satietatem; qui autem nausea laborat: valde parum comedit, & statim desistit, anteqnam sumat, quantum opus esset: ita feruens, qui obedientiæ cibum appetit, eam integre & plenè peragit, nulla eius parte prætermissa: tepidus autem, qui nauseam aliquam ex ea concipit: sumit eius vnam partem, vt Superiori satisfaciat; cæteram verò relinquit, vt suo tædio aut nauseæ det locum. Quamobrem meritò in Apocalypsi b *tepiditas* confertur cum aqua *tepida*, quæ calorem & frigiditatem ita diuidit, vt vtriusque mediam partem accipiat. vt *nec* omnino

a Mat. 5. 6.

1.

b Apoc. 3. 16

si t fri-

sit frigida nec omnino *calida*:& ita tepidus diuidit virtutes & opera:hinc accipiens aliquid,vt virtutis ſtudioſus videatur;inde verò aliam omittat,vt ſuo palato ſatisfaciat. Diuidit obedientiam faciens, quod eſt facile:& honori ſuo conforme;omittens verò,quod pœnam adfert,& contemptum aut ſubijciens ſe Prælatis maioribus:quia id non videtur adferre vtilitatem;cõtemnere verò inferiores:quia videtur abiectum. Diuidit humilitatem, acceptans eam humiliationem ex qua ipſe honorem obtineat humilis;reijciens verò eam,quæ aliquam adfert ignominiam. Etiam charitatem mille modis diuidit, vt paulò poſt dicemus. Qua diuiſione eam deſtruit; & reliquæ virtutes diuiſæ pereunt:quæ in omnibus partibus amant integritatem.Eum in modum,quo Sanctus Iacobus dixit:c *patientiam habere opus perfectũ:vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes* eorum, quæ Deus iubet; & cum perſeuerantia per totum tempus, quo ille perſeuerandum conſtituit. Quod ſeuerius adhuc obligat Religioſos;nam continuatio & perpetuitas eſt trium votorum proprietas;ac proinde etiam operum,quæ ſunt illorum propria. Cuius figura ponitur in Leuitico,cum dicitur:d *Bouem & ouẽ aure & cauda amputatis voluntariè offerre potes:votum autem ex eis ſolui non poteſt*. Hoc eſt:ſeptuaris non obſtrictus Religionis votis,poteſt offerre Deo opus, quod voluerit;& ceſſare ab eo,quando voluerit.Et quamuis deſit ordinatio Prælati, & perſeuerantia in opere perficiendo:non propterea deſinet eſſe acceptum. At Religioſus, qui tria hæc vota edidit:nullum ſacrificium, aut opus aliquod magnum, aut,paruum offerre debet cum obedientiæ & perſeuerantiæ defectu:non enim placebit Deo, quod fecerit contra Superiorum voluntatem;aut non perfecerit, quod eſt ab eis conſtitutum.Æquiſſimum enim eſt, vt principium & finis operis dirigantur ab obedientia Domini, qui principium eſt & finis rerum omnium:ita vt inchoetur,quando ipſe iubet;& perſeueretur donec perficiatur,aut ipſe aliud iubeat. Perpendit Sanctus Ambroſius,quod quando e *Noë aperuit feneſtram arcæ,& vidit ceſſaſſe diluuium & terram tam areſcere*:videbatur expedire,vt ſtatim exiret ex arca: & quidem propterea tantùm in eam ingreſſus fuerat,vt diluuium euaderet:& tamen exire noluit,donec Deus id iuberet.Iuſtus enim (ait) nihil ſuo arbitratu vult facere,ſed Dei:vt qui cœleſti fuerat ingreſſus oraculo, cœleſte oportuit,vt egrederetur,expectare reſponſum.Quemadmodum Angelus S. Ioſeph dixit, vt in Ægyptum fugeret, ibique maneret,vſque dum aliud ei ſignificaretur:quod fideliter ille præſtitit.

2. ISTVS obedientiæ modi inſigne exemplar præceſſit in populo Iſrael: cùm per deſertum pergerent in terram promiſſionis: de quo ait Scriptura ſacra:f *ad imperium Domini proficiſcebantur:& ad imperium illius figebant tabernacula*, obedientes cum magna promptitudine, reſignatione, ac perfec-

tione.

Vide S. Gre. infra citandum.

Lib. de Noë & Arc. c.21

c *Iac.1.4.*

d *Leu.22.23*

e *Ge.8.15.16*

f *Num.9.18*

rantia: in hunc modum, vt quamdiu nubes, quæ tabernaculum præteribat, in quo erat arca, stabat: ibi castra metabantur; & tamdiu hærebant, quamdiu ipsa nubes: siue id per diem vnum esset, siue per duos, siue, per mensem aut vltra: cum autem ex tempore ablata esset nubes, tunc illi statim proficiscebantur, eamque sequebantur quocunque iret; quæ si repentè sistebat quocunque loco & tempore, & ipsi statim & eodem loco manebant. Et hoc modo perseuerarunt per quadraginta annos, donec ad terram promissam peruenirent. Quare g *nubes* illa, quasi vox & imperium Dei erat, cui obediebant; & quem sequebantur in tanto illo itinere.

g *Exo.* 13. 21. *Interlinear. ibid.*

PRAETEREA: quàm proprium censetur esse obedientiæ, victoriam obtinere, vt supra est dictum: tam etiam est proprium perseuerantiæ: sine qua non potest esse victoria. Frustra (inquit S Gregorius) currit, qui antequam ad constitutam metam perueniat, subsistit. Nec multum prodest, hostem in primo congressu superasse: si ipse nos superet in postremo. Et qui opus obedientiæ inchoat, nec perficit, h *illudent ei* hostes, *dicentes: Hic homo cœpit ædificare &*, quia defuit illi virtus, *non potuit consummare.* Vis videre: quân Deus faciat perseuerantiã in obedientia? recordare quòd cùm Iosue prælium iniisset cum quinque Regibus, & dies iam iam esset finienda: Deus prodigiosè illam ad multas horas produxit; vt inchoatum opus finiri posset. *Obediente Domino voci hominis*, id ab ipso petentis, vt iniunctam sibi obedientiam explere posset,

Lib. 1. moral. c. 20.
,,
,,
h *Luc.* 14. 30.
i *Ios.* 10. 14.

MEMOR etiam esto ingentium calamitatum, quæ infelici Sauli euenerunt, eò quòd non plenè & perseueranter executus fuerit mandatum Dei in delendis Amalechitis, eorumque gregibus. Scriptum est enim: k *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*, aliquid scilicet eius subtrahens, aut illud non perficiens, quæsitis fictis rationibus, quasi cupiens, si posset, iubentem ipsum decipere. Quod ampliùs idem Dominus per Malachiam declarauit, dicens: l *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum* (hoc est sanum & integrum) *& votum faciens, immolat debile & claudum Domino: quia rex magnus ego & nomen meum horribile in gentibus.* Quasi dixerit: si talis votum non feciſſet; aut in grege suo sanum & integrum pecus non habuisset, quod offerret: dissimulassem vtique, eiusque parcam oblationem accepissem: sed, si voto se obstrinxit; potestque illud implere, offerens masculam, integram, & perfectam oblationem; non cæcam, aut claudam, aut cui membrum aliquod desit, aut maculam aliquam habeat: nisi id faciat, dignus est, qui puniatur. In hoc enim me contemnit, paruique facit meam maiestatem. *Offer* (inquit ipse Dominus) *munus illud*, claudum scilicet & languidum *Duci tuo; si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam.* Quod igitur Duci tuo non placet; quomodo vis, vt placeat mihi? & quod non fuisses

k *Ier.* 48. 10
l *Mal.* 1. 14.
Vers. 8.

ausus terreno alicui Principi offerre: quomodo audes offerre mihi Regi totius creaturæ? Hæ sunt querelæ, & minæ Magni nostri Dei, qui dolosos & maledictos pronuntiat non eos tantùm, qui editis votis omnino nõ satisfaciunt; sed eos etiam, qui cùm possent bene & plenè illa implere, offerentes
m *Gen.4.4.* sicut m *Abel primo genita*, & optima *sui gregis*, id non præstant; sed potiùs vilissima & contemptissima, quæ habent offerunt cum multis aliis defectibus
Cap.18. in ijs quæ agunt: quasi non libenter illa offerant, parui facientes ipsum Dominum, cui ea offerunt. Quamobrem meritò repellentur sicut Cain, vt supra est dictum.

IMPONAMVS tandem finem dicentes, plurimùm referre, vt oculos aperiamus ad bene cognoscendos Sathanæ dolos & fraudes contra hãc obedientiæ integritatem & perseuerãtiam. Propterea enim de eo dicitur, quod
n *Gen.3 15.* n *insidietur calcaneo* nostro, fini scilicet operis & vitæ, accedens tanquam traditor à tergo, ne agnoscatur; & proponens speciẽ aliquam virtutis apparentis, ad faciliùs decipiendum. Quando apertè aggressus est Prophetam, quem
3. *Reg* 13 18. Dominus iusserat quopiam proficiscì, præcipiens ne quid ibidem comederet: aut biberet: non potuit eũ à sua obedientia deijcere: quando autẽ transfigurauit se in Angelum lucis, illum decepit & abstulit ei perseuerantiam, & primæ victoriæ gloriam. Et idem conatus est facere contra Christum Dominum nostrum, suadens ei descendere de cruce, ad quam ex obedientia ascenderat: proponens ei, quod o *si descenderet, Principes Sacerdotum* & reliquus
o *Mat.* 27. 42. populus conuerterentur, & *crederent ei*. Sed quoniã Christus nouit eius fraudes, contempsit eius promissa, & ita perseuerauit in sua obedientia vsque ad
p *Ioa.* 19.30 finem, cùm dixit: p *Consummatum est* quicquid mihi fuerat mandatum. Et tunc *inclinato capite, tradidit spiritum* in signum obedentiæ & subiectionis, in
q *Phi.*2.8. qua moriebatur. q *Factus* (vt ait Apostolus) *obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*; in qua obedientiæ cibum vsquæ ad vltimum bolum comedit.
r *Ioan.*4.34 Eius enim r *cibus fuit* non solùm *facere voluntatem eius qui eum miserat*, sed etiam *perficere opus eius*. Quo exemplo docuit discipulos suos constantiam, qui in operibus obedientiæ seruare debeant; suspectã habentes quamcunq; suggestionem, suadentem ab ea declinare, etiam cum titulo rei alicuius melioris: siquidem nulla potest æquiparari obedientiæ vsq; ad mortem perseuerantì; maximè cùm ipsa mors acceptatur, vt obedientia perficiatur. Quemadmodum ipse Saluator mortem subijt, vt Patris sui impleret mandatum. Quare si cupis cum summa perfectione illum imitari, ita perseuerare debes in obedientia vsque ad mortem: vt ipsum mori sit obedire; imponens tuæ vitæ finem heroico obedientiæ actu, & mortem acceptans cũ omnibus horrendis eius pœnis; propterea quod Deus vult te mori. Nec defuerunt inter antiquos Monachos, aliqui adeò suis Abbatibus & Patribus spiritualibus o-

bedientes

bedientes, vt etiam constituti in ipso mortis agone, voluerint ex hac vita decedere, &, exspirare ex obedientia, & mandato eorum, ita annuente Domino nostro pio eorum desiderio. O *si beati mortui, qui* ita *in Domino moriuntur!* t *moriatur anima mea morte iustorum & fiant nouissima mea horum similia.* Viuat spiritus meus perpetuò in obedientia propriæ voluntati mortuus: vt etiam ex hac vita exeat cum obedientia, abnegans voluntatem, quæ viuere cupiebat. Si enim u *vir obediens loquetur victorias:* viuens & moriens in obedientia victimam obtinebo victoriam, & æternam gloriæ coronam.

s *Apo.* 14. 13.
t *Nu.* 23. 10.
u *Pro.* 21. 28

CAPVT XXI.

QVANTVM REFERAT RELIGIOSIS CONTENTOS MANERE *in quocunque loco ab obedientia designato, nullo alio ex propria voluntate quæsito.*

VNVM EORVM, IN QVIBVS RELIGIOSI, obedientiæ suæ perfectionem ostendent, est resignatio manendi in loco à Prælatis designato: idque, quamdiu ille constituerit, ita vt neque pro mutatione loci, nec prò eo retinendo iuxta propriã voluntatẽ inflẽt, sed eam vtroq; nomine mortificent. Illa. n. libenter loca ea eligit ad habitandum, in quibus magnas habeat cõmoditates, ad indulgendũ suo palato, & honorem aliqué retinendum, aut obtinendum; ad quos multas excogitat rationes, fucos, & necessitates fingit; potentes adhibet intercessores, atque violenta media ad Superiorum voluntatem flectendam, vt vori sui compotes fiant. Quæ omnia valdè à via recta abducunt; & aliena sunt à vocatione Religiosa, & obedientia, quam profitentur. Nam qui tantũ animi habuit, vt obediret Deo iubenti exire de mundo, è terra sua, ex domo parentum, & renuntiare affectibus omnibus ad res terrenas, vt Religionem ingrederetur: cur non eundem induat animum, vt suis Prælatis obediat, cum iubent egredi ex aliquo loco, in quo libenter manet; & migrare aliò, in quo non manet libenter? Qui maiorem fecit mutationem, & tot graues conculcauit difficultates; cur non faciet minorẽ, in qua minores sunt difficultates? Num Religiosus patriam aliquã habet particularẽ, cui se in hac vita addicat: nisi id fiat ex obedientia? Neque enim vacat mysterio, quòd quando Deus Abrahamo dixit: a *egredere de terra tua, & veni in terram quam monstrabo tibi;* Non ei tunc particularem aliquam designarit: imò Apostolus ait; b *exiit, nesciens quò iret.* Vt intelligat Religiosus (cuius vocationem illa Abrahæ significat) quòd debeat prouidentiæ Diuinæ fidere, etiam quoad locum habitationis sui; nec aliam habere terram, siue patriam, quàm quę ipse Deus per eius superiores illi assignauerit. Et quemadmodum Abraham tunc ostendit, se obedientem, & promptum ad eundum ad qumacunque terram,

I.

2.

a *Gen* 12. 1.
b *Heb.* 11. 8.

quam Deus illi ostenderet, siue propè illa esset, siue procul; siue iucunda, siue aspera; inter amicos: aut inimicos, siue circumeundum esset, sicut reuerâ fuit; siue rectâ pergendum: ita Religiosus resignare se debet Diuinæ voluntati, ad manendum in ea terra, quæ sibi assignabitur, cuiuscunq; illa fuerit conditionis. Et quemadmodum idem Abraham, vt refert Apostolus, c. 3. *morabatur* in terra, quam Deus illi ostenderat, *tanquam in aliena*, & quasi peregrinus; ita Religiosus iudicare se debet peregrinum in hoc mûdo, vt quilibet eius locus sit cordi suo tanquam terra aliena, cui non adhæreat, nec afficiatur propter proprias vllas commoditates: ac proinde, vt sit paratus eis deserere, quandocunque Deo placuerit. Et qui resignatus & paratus esse debet ad vltimum ex terra in cœlũ discessum: quid mirum, si etiam paratus sit, 4. ab vno in alterum locum mutari? Et qui ob sua scelera dignus erat, qui infernum perpetuò habitaret: quid mirum, si se resignet, vt sit hìc in loco, vbi aliàs nollet manere; aut aliò ire, vbi minus ipsi placet? si homines ob sua scelera exulant à sua patria, & in pœnã damnantur, vt maneant in aliena; aut in Insulis valde remotis: quid mirum, quòd Religiosus se ipsum condemnet 5. propter peccata, quæ aliquando commisit, ad locum acceptandũ à suo Prælato designatum: etiamsi exilium illud reputet. Christus D.N. ab infantia sua cœpit exire ex patria sua, & quidem ad loca valde incommoda, & molesta. Nam primùm obediens mandato Augusti Cæsaris d *ascendit in Bethlehem*, vbi natus est in quodam valde paupere tugurio, magno frigori expositus: & e *Mat. 2. 23.* vix e *in Ciuitatẽ suam Nazareth redijt*, cùm statim debuit ex obedientia fugere in Aegyptum: vbi septem circiter annos cum magno incommodo vixit. Et cũm cœpit Euangelium prædicare, nullum habuit locum propriũ ad quif *Mat. 8. 20* escendum. Et quamuis f *vulpes foueas proprias habeant, & volucres cœli nidos: filius tamen hominis* nullum proprium habebat locum, *vbi caput suum reclinaret*: vt hinc eius discipuli intelligant, quod non debeant proprietatem vllam habere, quod ad locum attinet propriæ suæ habitationis: sed omnia remittere prouidentiæ Diuinæ.

§. I.

HINC IGITVR PRAECIPVVM fundamentum accipiendum tibi est huius resignationis, pro certo tibi persuadẽs: in nullo loco te posse habere maiorem profectum, & securitatem, nec maiorem quietem, honorem, leuamen, & solatiũ, quàm in loco tibi à Diuina prouidentia per tuos Superiores designato? qui & Diuinæ voluntatis sunt interpretes, & gubernationis eius instrumenta. Contrà verò in loco, quem propria voluntas contra Prælatorum voluntatem elegeris: nec spiritualem habebis profectum, nec securus eris nec lætus, nec honorem & requiem habebis, quã cogitas: sed contrà, defectiones, pericula, tristitias ac desolationes, aliaque gra-

uia

nia incommoda. Præcipua enim securitas ac prosperitas in omnibus nostris euentis, non tam pendet ex loco, quàm ex speciali Dei nostri protectione: quæ prouenit à benenola eius prouidentia. Ac propterea dicebat Dauid: a *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Et S. Iob ait Deo: b *visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Hanc autem protectionem ordinariè adhibet Deus erga eos, qui ipsius sequuntur ordinem præscriptum, manentes in loco, in quo illos posuit: & qui inde discedentes alium pro suo libitu eligunt, fiunt ea indigni, magisque periculis sunt expositi: quæ omnia ipsis tribuuntur, eò quòd Diuinæ prouidentiæ Ordinem relinquentes, propria consilia sequi voluerint. Quòd si aliqua huius rei exempla habere velis: conijce oculos in illos duos insignes viros Abraham & Loth; Quorum itinera & mutationes valde diuersos habuerunt exitus: eò quòd diuersa planè consilia in eis mutationibus sint secuti. Nam Abraham in omnibus suis perfectionibus ordinem sequebatur à Deo sibi præscriptum, illudque amplectebatur, quod suo Creatori placere intelligebat. Qui illum protexit in omnibus, & à magnis periculis, in quæ inciderat, eripuit, dicens ei: c *Nolitimere Abraham ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et eadem promissa fecit postea eius nepoti Iacob in profectionibus, quas ex Diuinæ prouidentiæ consilio inchoabat, dicens ei: d *Ego ero custos tuus, quocunque perrexeris.* Et ita præstitit toto tempore, quo mansit in Mesopotamia; etiam quando redijt ad locum, vbi eius parentes erant: dans ei semper prosperos valde rerum euentus Sed quid de Loth dicemus, cuius felicitas valde fuit magna, quamdiu simul fuit cum Abraham patruo suo, sequens diuinæ prouidentiæ ordinem & consilia? Cùm autem adeò multiplicarentur vtriusque greges, vt opus esset ab inuicem separari: Abraham tanquam magis humilis dixit ipsi Loth: e *Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me obsero.* Indicium enim Diuinæ voluntatis reputabat, vt ipse in eo loco maneret, quem alter desereret. Loth autem acquieuit propositæ conditioni: & inde eius cœperunt infortunia. Nam in ea electione secutus est tanquam homo, iudicium sensuum suorum, qui semper sunt propensi ad ea, quæ sunt magis iucunda & magis arrident: Ideoq; elegit *regionem circa Iordanem prope Sodomam, quæ tunc erat* valde fœcunda, & *quasi Paradisus Domini.* Sed breui tam deprehendit deceptionem: nam paulò post captus fuit, & cum reliquis Sodomæ ciuibus ductus in captiuitatem: in qua per totam vitam mansisset, nisi Abraham ipsum liberasset. Sed redeunti ad eundem locum multiplicatæ sunt eius calamitates, & pericula corporis & animę, ob detestandos mores ciuium Sodomorum; cùm quibus perijsset nisi Diuina misericordia ex ciuitate illa execranda illum eduxisset. Vt ex hoc exemplo appareat, quantus sit error, eligere locum suæ habitationis pro suo solo libitu, aut com-

a *Psal.* 126. 1.
b *Iob.* 10 12.
c *Gen.* 15. 1
d *Gen.* 28. 15
e *Gen.* 13. 9.
2 *Pet.* 2. 7.

moditate aliqua temporali: non habita ratione incommodorum, quæ possunt animæ euenire, neque quæ sit à voluntate Dei, quæ potest nos ab eis liberare. Quamuis enim Diuina misericordia tanta sit, vt soleat ex periculo eripere etiam eum, qui ex propria voluntate, nec satis attendens quid ageret, in illud se coniecit: non expedit tamen, tentare Deum, & ex proprio iudicio & consilio locum eligere, qui videtur iucundior: cùm possit per Prælatum intelligere, quid Deus velit: & in eo certius erit eius auxilium: quòd cum maiori fiducia licebit ab eo petere.

SED non hic finitæ fuerunt ipsius Loth calamitates ex eò quòd non se plenè subiecisset Diuinæ prouidentiæ directioni. Angeli enim, qui de Sodomis illum educebant, dixerunt ei, vt f *vitam & animam suam in monte saluaret*: Et cum oportuisset statim iudicium suum subijcere: tantam ostendit in exitu & ascensu ad montem repugnantiam: vt peteret alium locum iudicio suo securiorem, ciuitatem scilicet paruam, quæ appellabatur Segor. Et hinc aliæ miseriæ sunt ortæ, quas superiùs retulimus, Nam, cùm prius ipse, quàm eius vxor, ingressus esset Segor, statim pluit Dominus ignem super Sodomam: & *respiciens vxor eius post se, versa est in statuam Salis*: ipse verò Loth mansit viduus, afflictus, & solus in terra aliena: &, cùm aduerteret se turbatum ex illo euentu, pœnituit eum, quòd talem locum elegisset: & statim ascendit in montem: in quo alia fœdior ei accidit calamitas cum proprijs filiabus: Cuius fortè causa fuit, quòd hic ascensus non fuit, vt obediret priori Dei mandato; sed quod timore concussus, iudicarit, in eo se fore ab incendio securiorem. Quid autem hoc aliud est: quàm Religiosos monere, vt ex alieno periculo cautiores fiant; nec locum dent excusationibus, & inanibus suis timoribus, adinuenientes rationes, quibus impediant, aut obtineant mutationes, quas eorum Prælati facere constituunt? Securitas enim non consistit in loco, quem ipsi sibi commodiorem iudicant, eò quòd propinquior & planior sit, sicut Segor, sed in eò, quòd Deus illum designet: etiamsi asperior videatur, & ab hominum commercio remotior. Omnia enim pericula patent Diuinæ Sapientiæ, quæ potest facilè ea præuenire; aut Diuina Omnipotentia ab eis liberare. Ac propterea assignat ipse suis electis locum, qui magis eis expedit, vt sint securi. Quod si aliquando non habent bonum exitum in monte, & loco à Deo eis assignato: fortè id prouenit ex eo, quòd tot præcesserint repugnantiæ, replicæ, ac difficultates ad impediendum: vt quandò eò se conferunt, id non sit purè, vt obediant; sed quia aliter non possunt, aut ob aliquos timores & motiua humana ac politica. Cum sit talis obedientia multis defectibus sit referta, punitione potiùs est digna, quàm fauore.

f *Gen.* 19. 14

Tract 4 c 4

§. 2.

SIMILEM HVIC exitum habuerunt Hebræi, cùm Deus iussit eos ire ad terram promissionis, cùm enim audirent, in ea esse Gigantes, tantum conceperunt timorem, vt voluerint in Ægyptum redire: sed cùm postea aduerterent, se in hoc malè fecisse; & horrendas minas, quibus Deus iurauit: *nullum illorum visurum terram* illam *promissam*, dixerunt Moysi: b *Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccauimus.* Quibus Moyses respondit verbis grauissimis, & timorem ingentem incutientibus: *nolite ascendere: non enim est Dominus vobiscum*: quòd si ascenderitis absque Deo vestro, *corruetis coram inimicis vestris.* Et ita euenit: nam illi rebelles Prælato suo Moysi, *statim ascenderunt in verticem montis*: vbi existimantes, se tutos esse, venerunt eorum hostes, *eosq; percutientes atque concidentes*, perfecti sunt.

a *Num.* 14. 13. 40.
b *Deut.* 1. 41

CVI non magnum incutiat metum sententia & responsum Moysis: ne ex propria voluntate locum contra diuinam mutet? Quis adeò erit temerarius, vt ad locum aliquem ire audeat; sciens, se ire solum, absque Dei fauore, & auxilio? Et quomodo audebis dicere Deo, vt tecum eat ad locum: quòd ita contra eius voluntatem, vt tuam sequaris, vis pergere? respondebit enim tibi, vt solus eas; & te ipsum à periculis, quibus te exponis, eripias. Et ita deserens te, permittet, perire ob tuam stultam temeritatem. Et hoc ipsum dixit idem Dominus eisdem Israëlitis: b *non ascendam tecum: quia populus duræ cervicis es: ne forte disperdam te in via: & semel, ascendam in medio tui, & delebo te*, ob tuas inobedientias. Contra verò si in his omnibus Dei voluntatem sequaris; causam habes & titulum sufficientem, ad petendum, vt veniat tecum ad locum, quo ipse te mittit: non quod Deus ab vno in alterum locum mutetur, qui vbique est per essentiam, præsentiam & potentiam; sed quod speciali cura assistat loco, in quo ipse nos ponit, vt suo nos auxilio foueat. Et hinc aliam rationem valde efficacem licebit deducere. Nam, cùm neque horam, neque locum scias, in quo tibi sit moriendum: quomodo audes pro tuo libitu locum eligere tuæ habitationis? Si enim ibi te mors inuadat, plane experietis, te abiecto esse animo, ad fauorem Dei in illis angustijs petendum. Si tamen inuadat te mors in loco, vbi te Deus collocauit, orietur tibi maior animi fortitudo & attende diligenter: non expedire tibi, in eo loco & statione viuere, in qua nolles mori.

b *Exo.* 33. 3.

DENIQVE si pacem optas inuenire in deserendis, obedientiæ causâ, rebus omnibus, quas diligis & in eundo quò alias nolles: assuesce in omnibus obedire, vt supra dicebamus: non conijciens oculos in tuas commoditates, neque in rationes humanas; sed in id solùm, quòd DEVS

ita

ita velit ac iubeat, hæc enim sola ratio est, quæ omnes difficultates expedit, & vincit repugnantias: cum aliæ eas potiùs augeant. Magnam mihi affert admirationem, quòd, cùm Deus iuberet Abrahamum egredi de terra sua, & de domo patris sui: non legatur, eum habuisse vllam repugnantiam, aut graue illi fuisse, ita egredi, & suos parentes deserere; sicut nec cùm ipsi offerri sibi filium eius vnicum Isaac, rem ab ipso maximè dilectam. Quando autem Sara ei dixit: c *eiice ancillam hanc* Agar, *& filium eius* Ismaëlem: ut Scriptura diuina: *durè hoc accepisse Abraham*, hoc est, graue illi erat, magnamque sentiebat difficultatem ac repugnantiam. Quamuis certò existimem Saram, vtpote fœminam piam, & iustam, non petijsse rem adeò duram, & contra pietatem; sed ex speciali Dei impulsu, qui ei reuelauit mysterium, quod postea Apostolus declarauit. Quando autem Deus iussit exequi, quod Sara ei suggesserat, & dixit: *non tibi videatur asperum super puero & super ancilla tua*: statim eius repugnantia cessauit, & difficultatis apprehensio: priùs enim aspiciebat, quod Sara dicebat tanquam rem humanam, tectam rationibus, quæ aliquod incommodum inuoluebant: sed postea omnes has rationes abiecit, & solum acceptauit illam, quòd Deus id iuberet: hæc enim vnica omnes ei difficultates expediebat, & duritiem emolliuit, ac dulcorauit amaritudines. Aspice igitur omnes mutationes, & consilia Prælatorum, non nunquam humana & incommodis referta, quæ tu tibi fingis, aut reuerà deprehendis: sed consideratione teipsum eleua, & intelligas: Deum esse, qui illa consilia probet, ac exequi iubeat; ne ea dura reputes: nam sibi incumbet reparationem incommodorum, quæ ex eo oriri possunt; & auertere damna, quæ timere potes: sicut reparauit damna, quæ timebat Abraham, si ejiceret è domo sua Ismaëlem. Quod si hac fide ac fiducia te subieceris: pacem & quietem in anima habebis; & Deus intercidet incommoda, quæ times; & vbi existimabas, multa incommoda te inuenturum: inuenies commoda multa, vt in proximo capite fusiùs dicemus.

c *Gen.* 21. 10

Vide Pererium ibid.

Galat. 4. 30

(∴)

CAPVT

CAPVT XXII.

DISCRIMEN INTER RELIGIOSOS SVBIECTOS *Dei voluntati, & eidem rebelles in mutatione locorum & officiorum; & in reliquis ad obedientiam spectantibus.*

QVAMVIS in decursu huius tractatûs studuerim hactenus indicare præmia, fauores, & stupenda bona, quibus verè obedientes gaudent, & pœnas, desertiones, & miseranda mala, quibus inobedientes & rebelles afficiuntur: constitui tamen, rem hanc præclara quadam imagine concludere: quæ discrimen nobis ob oculos ponit inter Religiosos, Dei & suorum Prælatorum voluntati subiectos, & eidem repugnantes, tam in locorum & stationum mutationibus prædictis; quàm, in alijs mutationibus ac distributionibus officiorum, & occupationum: & vniuersim in rebus omnibus, quas Obedientia commendat. Vt ex hac differentia deprehendatur veritas eius, quod dixit Malachias Propheta: a *Conuertimini & videbitis quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo & non seruientem ei*: Et similiter inter eum, qui obedit voluntati Dei, abnegata propria, & qui suam sequitur, & explet, repugnans diuinæ. a *Malac. 3. 18*

Hoc apparebit, allatis, ad declaranda & ampliùs confirmanda, quæ in proximo capite diximus, duobus casibus non minùs horrendis, quàm admirandis, & vtilibus duorum generum personarum, quæ fuerunt in Ierusalem, cùm Nabuchodonosor Rex eam impugnabat. Nam, cùm Deus Ieremiæ Prophetæ reuelasset, suæ voluntatis esse, vt ciuitas Regi illi se dederet, & Ciues cum illo irent in Babyloniam; & nullo modo in Ægyptum: Aliqui subiecerunt se, & paruerunt huic mandato: quod aliàs durum valdè videbatur: alij tamen obedire noluerunt, existimantes, se à Propheta decipi, & ita constituerunt, proprium sequi consilium. Vt autem discrimen inter has personas deprehenderetur, b *ostendit Deus Ieremiæ duos Calathos plenos ficubus, positos ante templum Domini: Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt solent ficus esse primi temporis: & Calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eò quòd essent malæ.* Et aperiens mysterium huius visionis, dixit Deus: calathos illos significare duo genera hominum: quosdam non solùm bonos, sed etiam in bonitate præstantes, eò quòd fuerint in obedientia eminentes: quales sunt, inquit *ficus valde bonæ, sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum.* Quamuis enim mutatio hæc sit ad captiuitatem, à furore & superbia cuiusdam Tyranni quæsitam & quamuis res sit grauis, & calamitas quædam, propriam patriam deserere, & ad alienam migrare: ego b *Iere. 24. 1.* Calathi duo genera hominum denotant.

tamen sum; qui mea prouidentia rem ita direxi; nec sine mea permissione potuisset aliquid Tyrannus efficere.: Ac denique quod ego permisi & ita constitui, non cedet in illorum damnum, sed in maiorem vtilitatem. Cum igitur illi verbo meo fidem abhibuerint, meæq; ordinationi sese dediderint experientur in bonum proprium cessisse, quod mihi obediuerint. O vtinam attenderes ac benè penetrares rationum vim, quæ hic insinuantur: procul dubio subijceres te cuiuis mandato, & mutationi loci, quem tibi Dominus per suũ Prophetã, tuũ scilicet Prælatũ significaret. Quis enim non se dedat ac subijciat; si credat, esse Deum, qui id statuat; & in propriũ commodũ dirigi: & si acceptet, Dominum ipsum cogniturum, approbaturum, & opus remuneraturum? Et quamuis Prælatus progrederetur tanquam homo cum aliquo affectu & passione, sicut progrediebatur Nabuchodonosor (cum ipse Deus velit in tali ordinatione, quæ aliàs non est mala, ei obediri) hoc non poterit commodum impedire sese ei subijcientis.

1. QVOD si agnoscere cupias, quantum hoc sit emolumentum: audi suauissima ac iucundissima promissa huiusmodi obedientibus facta. *Ponam* inquit, *oculos meos super eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc: & ædificabo eos, & non destruam; & plantabo eos, & non euellam. Et dabo eis cor, vt sciant me, quia ego sum Dominus: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum &c.* Quibus verbis tres insignes promittit fauores. *Primus* est: quod vbicunque fuerint, beneuolis eos aspicit oculis, vt eis compatiens, ex illis calamitatibus eos eruat; afficiens eos honore, ac ditans, eisque indulgens in eius enim potestate est, facere quod voluerit. Quemadmodum fecit cum Rege c *Ioachin* qui huic mandato paruit, & postea ita eius rem disposuit, vt *liberaretur à carcere*, magniq; fieret, & *poneretur eius thronus tanquam Regis*, etiamsi adhuc captiuus teneretur. Et eodem modo semper oculos suos habuit in Danielem eiusque socios; & in Mardochæum, & alios similes: quos etiam honore affecit, & exaltauit in despectum hostium suorum, eruens illos ab ingentibus periculis, & creans Principes, ac potentes dominos: non est enim in mundo potestas ad opprimendum, quem Deus voluerit exaltare. Quod si oculos suos conijciat in aliquem inter barbaros existentem: etiam ibi faciet eum inter illos eminere. Quæ igitur maior felicitas euenire tibi potest, quàm hoc verbum à Deo habere, quod *suos oculos ponet super te*, vt misericordiam exhibeat, si in loco manseris, in quo ille te collocauerit?

c 4. Reg. 25. 28.

2. SECVNDA promissio fuit: *Reducam eos in terram hanc*, ex qua eos educebat, remunerans eorum obedientiam, quam exeundo præstiterant, prospero ac felici reditu; & ædificans eis iterum templum, domum, & familiam cum magna soliditate. Vt ex hoc intelligas, non solùm te cura

fore

fore Deo in loco, ad quem te permiserit mitti in exilium, aut in captiuitatem; aut vbi te persequentur, aut quò tuus Prælatus te miserit: sed etiam curæ illi erit te ad tuum proprium reducere: quod quidem nunc desideras; sed ipse faciet, quando erit opportunum; tibique magis vtile. vt licet videre in eo quod sanctum Euangelium narrat de sancto d *Ioseph, cui* existenti in Nazareth *apparuit Angelus in somnis, iubens, accipere puerum & matrem eius, & fugere in AEgyptum, & esse ibi, vsque dum aliud ei diceret: Nam Herodem quæsturum puerum ad perdendum eum:* quem tamen Deus hac via volebat liberare. Et cùm Ioseph ad nutum, & magna cum resignatione obtemperasset, curæ fuit eidem Domino, cessante periculo ipsum monere, *vt in terram Israël rediret.* qui cùm etiam hoc mandatum ad nutum exequeretur dubitanti, ad quemnam locum conferre se deberet, reuelatus etiam ei fuit locus, in quo tutior maneret. Quæ omnes tres reuelationes factæ ei fuerunt dormienti, hoc est, cùm homines minimè sunt de rebus suis soliciti: vt ex hoc intelligas: quando iustus dormit, Deum vigilare, & quando ille de suis periculis non cogitat, Deum esse de eis solicitum, prouidentia sua præueniendo & intercipiendo illa. Cui prouidentiæ fidere debes in omni mutatione, quam ipse constituerit. Si enim iubet, te ex hoc loco migrare, id fortè propterea facit; quod videt, hic tibi periculum imminere: à quo te vult per talem mutationem eripere. Cessante autem periculo, inueniet ipse modum, quo redire possis ad tuam quietem, & solatium. Cumque ipse dicat: *esto ibi vsque dum dicam tibi:* signum est, ipsum in se recipere, vt tempestiuè te moneat, si tu es paratus, in omnibus ei obtemperare.

d *Mat.* 2. 13. 19.

Aliam denique fecit eis promissionem spiritualem, valdè celebrem, quâ esset impleturus in loco, ad quem eos mittebat, dicens: e *Dabo eis cor, vt sciãt me, quia ego sum Dominus: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum: quia reuertentur ad me in toto corde suo.* Quasi distinctiùs dixerit: ego illorum resignationem remunerabo, illustrãdo eorũ cor, vt verè agnoscant bonũ, quod in me habent: & sic accipient me illi in Deũ suũ, & ego eos in populũ meũ, cuius singularẽ gerã curam, vt in virtutibus omnibus proficiant: Scriptũ est enim: f *Beatus vir cuius est auxilium in Deo: ascensiones in corde suo disposuit in loco, quem posuit. etenim* ad eũ accedens *legislator, dat ei* copiosam *benedictionẽ, vt eat de virtute in virtutẽ.* Hi sunt viri, de quibus Ierem. quod essent *ficus primi temporis,* hoc est, Apostoli ac discipuli & primæui Christiani: qui omnes valde prompti & parati erant, ad quemcunque locum ire, ad quem Deus ipsos mitteret; aut in exilium mitti permitteret: scientes, se in quocunq; loco Deũ secũ habituros: in cuius comitatu & societate nihil putabãt sibi deesse. Huiusmodi autem meritò esse debent Religiosi, Apostolicam vitam se-

3.
e *Ier.* 24. 7.

f *Psal.* 83. 6.

ctantes: quales sunt Mendicantes, & qui ex suo instituto habent, proximos in via Dei adiuuare. Ac propterea Religiosi Societatis Iesu non sumus alligati ad vnam domum, aut collegium: sed nostræ vocationis est profiscisci ad quamcunque mundi partem, quò nos miserint Superiores, etiam ad Gentiles, aut Hæreticos: confidentes diuinæ Omnipotentiæ, quòd cum tali protectore simus ibi tuti futuri. Hunc spiritum habuit S. Catharina Senensis, etiamsi esset fœmina, cùm enim Summus Pontifex eam mitteret Neapolim, vt ageret de reuocanda Regina, quæ schismatica erat: sed Confessarius ipsius Virginis tot incommoda eius missionis Pontifici proposuit, quasi virgo iuuenis in re tanta magnis periculis exponeretur, vt Pontifex mandatum primum reuocauerit. Quod cùm S. Virgo intellexit, reprehendit cum humilitate exiguam sui Confessarij fidem, dicens: Non angulum dare securitatem, sed protectionem diuinam. Ideoq; cùm Deus illam Neapolim ad Schismaticos, & rebelles mitteret: nihil esse timendum; nec propter humanos timores, animum abijciendum.

TRANSEAMVS nunc ad *ficus malas* adeò, *vt comedi non possint*; quæ sunt symbolum & imago resistentium Dei consilijs, & volentium habitare, vbi Deus non vult. Quales fuerunt Rex Sedecias, eiusque principes, & plurimi alij ciues; qui contra consilium & voluntatem Dei per Ieremiam illis significatam, iuerunt in Ægyptum: quibus minatur Deus, dicens: g *Dabo eos in vexationem, afflictionem q; omnibus regnis terræ in opprobrium; & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ eieci eos. Et mittam* h *in eis gladium, & famem, & pestem donec consumantur de terra.* h *Et gladius* (*inquit*) *quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti. Et fames, pro qua estis solliciti, adhærebit vobis in Ægypto, & ibi moriemini.* Qui enim consilium Dei sequi non vult, sed proprium: incidet in ea mala, quæ timet. Nam, vt ait Scriptura: i *qui timent pruinam, irruet super eos nix,* k *& fugienti a facie leonis, occurret vrsus.* Cùm enim contendit euitare pericula, quæ timebat: fugit ad locum, quem suo iudicio securum reputat: & ibi inuadunt eum maiora mala de cœlo missa in pœnam suæ inobedientiæ. Quod enim maius malum esse potest, quàm esse ficus malè maturas, aut putridas; quæ comedi non possunt? Non enim Deus inobedientes, sibi adiunget, nec amicitiam cum eis inibit, nec bonum ipsi ex consilijs suis exitum habebunt: nisi ea deserentes & pœnitentia ducti, diuinis acquiescant.

ATTENDE igitur ad duos calathos ficubus plenos, quos vidit Propheta ante templum Domini; quod est eius Ecclesia, cuius pars est sacra Religio: & cogita eos esse quasi duos greges; alterum ouium, alterum hædorum; alterum obedientium, alterum repugnantium & rebellium: qui nunc quidem simul permisti ambulant: sed l *in die nouissimo ab inuicem separa-*

buntur,

g *Ierem.* 24.

h c. 42. 16.

i *Iob.* 6. 16.

k *Am.* 5. 14.

l *Mat.* 25. 32

iuntur. Et *reprobi*, qui seipsos proprio iudicio gubernant, propriamque sequuntur voluntatem conculcantes diuinam: *statuentur ad manum sinistram*, in loco quodam infami inter dæmones; & quasi sicut putridæ proijcientur in sterquilinium inferni. Iusti autem sunt sicut oues, non eligentes pro arbitratu suo loca, in quibus pascantur, aut quiescant; m *nec vocem sequuntur alienorum pastorum*; sed legitimi sui pastoris, *quem sequuntur*, quiescuntq;, vbi is eas collocat, confidentes beneuolæ ipsius prouidentiæ; quòd collocabit, vbi magis eis expediat: vt pascua habeant & solatia spiritualia in hac vita, & in cœlo postea æterna: vbi assignabit eis honoratissimum locum ad manum suam dextram: & sedem magnæ gloriæ, propter conformitatem, quam cum diuina voluntate in rebus omnibus habuerunt.

m *Ioan.* 10. 4

SED, vt finem huic puncto imponamus, aduertendum est: neminem debere se omninò securum iudicare, etiamsi in eo loco maneat, in quo Deus eum posuit. In hac enim vita omnis locus subiacet mutationibus propter arbitrij nostri libertatem & mutabilitatem; & hostis ac tentatoris nostri magnam astutiam. Cuius rei sufficiens probatio est, quòd Deus D. N. n *primum hominem collocauerit in Paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.* Quod S. Augustinus interpretatur significare: vt ipsemet Deus ibi operaretur, & custodiret hominem. Quemadmodum si quis pretiosam margaritam aut imaginem, quam fecit, poneret propria sua manu in aliqua cista, vt ibi tuta seruaretur. Sed nihilominus serpentis astutia aditum inuenit, vt hominem tentaret, ac deijceret. Vt omnes profundæ humilitati in rebus suis innitantur; & agnoscant, se omninò dependere à protectione diuina: vt propterea diligenter reprimere debeant superbiæ & sensualitatis motus, qui nostræ sunt causa ruinæ. Propterea siquidem dixit Ecclesiastes: o *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.* Quasi dixerit: Si te inuaserit superbiæ, ambitionis, iræ aut alterius passionis spiritus, contendens contra te prævalere: ne te dedas ei; nec locum deseras, in quo Deus te posuit; vt tuum sequaris palatum: mortificatio enim violenti huiusmodi spiritus impediet peccata, ad quæ ille conatur te trahere: & Deus tibi suppetias feret, vt firmus & constans manens, victoriæ coronam obtineas.

S. Bern. ser. de ligno fœno & stipula.
n *Gen* 2. 15. *Li.* 8. *de Genes. ad lit. c.* 10.

o *Eccl.* 10. 4

QVAE hactenus diximus de resignatione circa locorum mutationem, locum etiam habent in officijs, ministerijs, & occupationibus tam domesticis, quàm cum proximis. Ad quod debent Religiosi esse valdè resignati voluntati Prælatorum: ad quos spectat, nomine Dei huiusmodi officia suis subditis distribuere, dantes cuique, quod ei expedit, & pro tempore conuenienti; Et ad aliud officium mutantes, quando eis videbitur magis expedire. Eum in modum, quo summus Sacerdos p *Aaron* ex mandato Dei

distribuebat onera tabernaculi, quæ Leuitæ portarent, disponens opera singulorum, & diuidens, quid portare quisq; deberet. Et quidem inuoluta pallio hyacinthino, cuius superiùs fecimus mentionem. Ad subditos enim spectat, huiusmodi onera suscipere; quia Deus illis ea imponit; & portare, quamdiu Deo placebit; eaque deponere, & alia suscipere, quæ ipse imponet. Quare resignati ipsi, & ad omnia parati esse debent. Et qui ita se gerunt in Religione, sunt sicut ficus, quas Ieremias appellat *valdè bonas*: eò quòd in suis officijs valdè placeant Deo & hominibus, & ipsi proficiunt, & alios faciunt lætos esse ac iucundos. Qui tamen propriæ voluntatis viam tenent, sunt sicut ficus valdè malæ; faciunt enim officia sua adeò ineptè, vt & sibi noceant, & alijs scandalum adferant. Quod etsi in omnibus officijs ac ministerijs Religionis meritò est seruandum: id tamen multò magis fieri debet in ministerijs spiritualibus Confessariorum, Concionatorum, Magistrorum, & Præpositorum: ad quæ neq; accedendum est, neq; diutiùs in eis hærendum, nisi per vocationem Dei. Vt constabit ex ijs quæ adferemus in tractatibus de eis instituendis.

CAPVT XXIII.

QVI CVPIVNT RECTITVDINEM SERVARE IN OBEDIENTIA, *debent suis Superioribus & Magistris omnia sua interiora & occulta conscientiæ manifestare; quò illos iuuare possint, ad rectam eorum gubernationem, & directionem.*

Media ad obedientiam obtinendam.

ALIVD quiddam summi momenti adhuc superest declarandum: vtqui desiderant valdè in obedientia eminere possint cum facilitate & securitate ad huius felicis palmæ culmen peruenire, eiusque dulces fructus colligere, & glorioſis triumphis gaudere; ipsaque experientia sentire stupenda, quæ prouidentia diuina per eam operatur, ac perficit. Quod obtinebunt, si ex parte sua diuinæ prouidentiæ cooperentur in gubernatione, quam seruat erga suos electos, & obedientes Religioſos. Quæ cooperatio exigit, & complectitur duo genera rerum: alias ex parte Prælatorum ac Magistrorum gubernantium; alias ex parte subditorum, qui ab eis gubernantur; & vtrique obtinetur, quod Sapiens dixit de diuina Sapientia: a *quod attingat a fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter.* Illa enim docet ac dirigit Prælatos in altiori loco constitutos; & subditos in inferiori; vtrosque adiuuans: vt quisque quod suum est, perficiat; nihil detrahendo fortitudini ob nimiam suauitatem; nec suauitatem lædendo, vt fortitu-

a *Sap.* 8.1.

do ſer-

do seruetur. Et quoniam suauis fortisque Superiorum cooperatio multum ab ea dependet, quæ ad subditos pertinet: præmittemus breuiter de illa, quod ad nostrum facit institutum.

§. 1. *Tria ad Prælatos pertinent, vt recta sit eorum gubernatio.*

1.

PRÆLATORVM & Magistrorum cum Dei gubernatione cooperatio, vt rectè ipsi gubernent, tria nominatim exigit. *Primum* est, vt subditos suos exactè cognoscant, & omnia interiora animarum eorum, propensiones, talenta, vires, passiones, & affectus bonos & prauos. Hæc enim cognitio valdè est necessaria, vt tanquam eorum Duces eos dirigant; tanquam medici curent; & tanquam pastores gubernent: imitantes Dominum, qui dixit: a *ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas*; & facientes quod suadet Salomon, cùm dicit: b *diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera*, aspiciens proprijs oculis, & studio, ac diu penetrans quicquid in eis est. Nam (vt S. Basil. ait) non potest qui modò intelligens moderator est, vniuscuiusque mores & affectus; & animi motus diligenter exquirere, & ad hæc accommodatum etiam singulis remedium adhibere.

a *Ioan.* 10. 14.

b *Pro.* 27. 23.

„ *De Const* „ *Monast.* „ *c.* 23.

2.

Ex quo *secundum* sequitur Prælatis & Magistris necessarium, vt scilicet magnam adhibeant prudentiam ac discretionem in imponendo singulis suis subditis, quod cuique iuxta propriam bonam propensionem, talenta, & dotes, ac vires, magis expedit: vt onus Obedientiæ & Religionis, cum suauitate & constantia feratur ne declinet in torporem, aut laxitatem si onus sit leue; nec in pusillanimitatem & impatientiam, si sit nimium. Propterea enim Deus iussit, c *Aaron & filios eius ingredi tabernaculum fœderis, & sanctum Sanctorum, & disponere opera singulorum Leuitarum; & dividere quid portare quisque deberet.* Aaron & filij eius (ait Sanctus Bonauentura ad hoc propositum) sunt Prælati Religionis maiores, & minores: qui adire debent occultas subditorum conscientias & talenta, viresque cognoscere; & vnicuique tantum oneris ex obseruantia Religiosa imponere, quantum ad maiorem eius profectum expedit.

c *Num.* 4. 4. 19.

Opusc de sex alis Seraph. c. 7.

3.

DENIQVE *tertiò* est necessarium, vt ipsi sanctitate vitæ valdè exemplaris præluceant; tum, vt iubendi ac gubernandi modus sit cum amore & suauitate paterna; tum, vt exemplo suo alios præcedant: ac dicere possint. quod Gedeon suis militibus: d *quod me facere videritis, hoc facite: & quod fecero festinate*; & quod ipse Saluator Apostolis suis dixit: e *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos* ad inuicem *faciatis.* Nam alioquin tales Superiores essent sicut Pharisæi, sedentes in Cathedra Moysi: tum f *alligantes onera grauia & importabilia, & imponentes in humeros*

d *Iudic.* 7. 17.

e *Ioan.* 13. 15.

f *Mat.* 23. 4.

hominum

hominum, contra dictamen prudentiæ; tum *nolentes digito suo ea mouere*, qui est defectus boni exempli. Hæc tria sunt puæcipua in quibus eminere debent Prælati: vt, quod in ipsis est, obedientiæ gubernatio feliciter cedat. De quibus tamen susiùs agetur in septimo tractatu quarti tomi.

§ 2. *Commoda & vtilitates ex redditione conscientiæ.*

1. EX PARTE etiam subditorum sunt alia tria necessaria, respondentia illis tribus, quæ diximus de Prælatis, ad perfectè cooperandum gubernationi prouidentiæ diuinæ. *Primum* ac præcipuum, de quo nunc agendum, est adiuuare Prælatos: vt possint integram & perfectam ipsorum cognitionem habere: reddentes eis rationem omnium rerum suarum internarum, siue bonæ illæ sint siue prauæ: idque valdè clarè & apertè, vt melius illi in via perfectionis gubernare ac dirigere eos possint. Quamuis enim Superiores valdè sint periti, & experti, omnemque adhibeant diligentiam, & varias probationes, vt subditos benè agnoscant: nihilominus verum est, quod Apostolus dixit: a *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Imò sæpè ipsemet, qui sentit, quid interiùs in se geratur: non satis agnoscit, nec penetrat, Sitne bonum, an malum? Ac propterea Dominus noster dixit per Ieremiam: b *Prauum est cor omnium, & inscrutabile: Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor*: ideoque necesse est, subditum reddere rationem sui; & eorum quæ in suo corde geruntur sicut ipse intelligit: Ex quo fiet, vt Superior possit ipsum sufficienter agnoscere: & quod amplius est, iuuerit multum, vt ipsemet melius seipsum agnoscat. Et hic alter fructus, est qui ex hac conscientiæ manifestatione prouenit. Est enim (vt S. Basilius ait) difficillimum, agnoscere ac curare seipsum: nam amor, quē ab ipsa natura erga se & res suas habet, efficit, vt in eis cognoscendis facilè decipiatur. Contra verò, valdè facile est ab alio agnosci, & curari, & maximè à Superioribus, & Patribus spiritualibus, qui non laborant impedimento illo amoris proprij erga subditum. Et Deus cœlestem suam lucem communicat ad cognoscendos ac discernendos spiritus: & sic ex eo quod subditi eis manifestant; penetrant ipsi etiam ad occultiora, quæ subditi non aduertebant; quia locum hic habet, quod communiter dicitur: ex vngue leonem agnoscere, & ex filo glomus: producendo in apertum, quod prius erat occultum, etiam ipsi habenti. Et omnia iuuant ad hoc, vt gubernatio rectiùs procedat.

a 1. Cor 2. 11.

b Iere. 17. 9

De Const. Monast. c. 23.

HANC veritatem, quæ tanti est momenti, docuerunt, valdeque commendarunt duo Religionum lumina: alterum in Oriente, alterum in Occidente, supponendo eam tanquam fundamentum, super quod perfectio

& ic-

& securitas vitæ Religiosæ ædificaretur S. Basilius in Oriente, cùm videret multitudinem Monachorum in solitudinibus ac desertis locis habitantium cum periculo labendi, quos ipsa experientia docebat labi in tepiditates, illusiones, & frequentes errores, propter astutiam sathanæ transfigurantis se in Angelum lucis, vt eos deciperet: adinuenit consilium & modum, quo illos ad tutiorem vitam in conuentus, & monasteria reduceret: constituens, vt ipsi eligerent sibi aliquem Abbatem, Patrem, & Magistrum spiritualem, prudentem, sapientem, & expertum: cui animas suas aperirent, & in rebus omnibus obtemperarent. Quòd, cùm sæpiùs repetat in suis Constitutionibus & Regulis; & in specialibns instructionibus, quas eis dabat: nominatim in Regula 26. hæc grauiter ac prudenter dicit: Debet vnusquisque eorum, qui inferiores sunt, siquidem memorabilem vllam facere progressionem studet, & ad perfectionem vitæ illius, quæ præceptis Domini nostri Iesu Christi est consentanea, peruenire, cùm nullum animi sui motum apud seipsum celatum retinere; tum in sermone nihil non diligenti antè cura consideratum proferre; sed mentis suæ arcana aperire fratribus ijs, quibus datum illud negotium sit; vt adhibitis facilitate ac misericordia, ægrotantes curent. Hoc enim modo fiet, vt & quod laude dignum sit, in nobis confirmetur; &, quod minùs probandum, congruo remedio sanetur: atque ex huiusmodi mutua exercendi inter nos consuetudine, per modicas accessiones ad perfectionem perueniamus. Hæc S. Basilius. In quibus *tertium* posuit fructum præcellentem huius manifestationis, *profectum* scilicet in hac via, & incrementum virtutum, donec perfectionem assequamur, quam profitemur, & Christus Dominus noster in suis præceptis & consilijs Euangelicis nos docuit. Nam auxilio periti patris spiritualis purificatur cor, ab ea prauitate & imperfectione, quæ manifestatur & agnoscitur; & confirmatur magis in bono; & excitatur, animumque sumit ad proficiendum cum feruore, donec perueniat ad id, quod est perfectissimum. Experti sunt hoc Monachi Ægyptij, quibus hæc doctrina adeò altè insedit, (vt refert Cassianus) vt quasi primum principium & fundamentum spiritualis vitæ ponerent, vt nec suas cogitationes occultarent; sed confestim, vt exortæ essent, suo patefacerent Seniori, qui illorum curam gerebat. Et S. Ioannes Climacus refert: Monachos Angelici illius monasterij, in quo ipse ad aliquot dies fuerat commoratus, gestare solitos ex Abbatis sui consilio albas tabellas è cingulo pendentes, in quibus annotabant omnes incidentes cogitationes: vt earum rationem suo tempore ei redderent. Qua obseruatione ac obedientia euaserunt valdè perfecti.

Hocidem amplius confirmabitur ex ijs, quæ Sanctus Benedictus, Monachorum in Occidente lumen, docet. Qui in sua Regula bis commen-

3.

Purificatio cordis.

Lib. 4. c. 9.

Instrum. 50 & 51.

dat valdè hanc conscientiæ manifestationem, tanquam maximi momenti. Explicans enim in capite quarto instrumenta bonorum operum, quibus Religiosa perfectio obtinetur: hæc duo simul coniungit: cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad CHRISTVM allidere; & seniori spirituali patefacere. Illud ergo est vnum remedium, vt statim atque prauæ cogitationes

c *Psal.* 13: 09

in corde exurgunt, illa c *ad petram*, qui est CHRISTVS Dominus *allidamus*, & comminuamus. Sed ne solis nostris industrijs fidamus, iudicantes nos posse absque aliorum præsidio ac directione eas vincere ac destruere, addit alterum instrumentum siue medi tm, manifestandi eas Patri spirituali: sic enim remanebũt omnino victæ. E nhic *quartus* est fructus huius manifestationis: quẽ adeò experti sunt Monachi antiqui, teste Cassiano, vt sola manifestatione tẽtationis, antequam Abbas remedium adhiberet, illa tanquam

4. *Collat.* 2. c. 10. & 11.

funus euanesceret, fugiente dæmone, qui prauas cogitationes excitabat, ac fouebat: cùm eas videt Prælato innotescere. Contra verò, ait, tamdiu in nobis execrandas suggestiones hærere, quamdiu illas occultas tenemus; nam

d *Psal.* 31. 3.

pernicioso hoc silentio feruorem amitti, & robur spiritùs; iuxta illud Dauidis: d *quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea*. Hoc est, virtutes internæ

c *Iob.* 16. 9.

feruorem & fortitudinem, quam priùs habebant amiserunt. Inueteratis autem ossibus, mox cernitur in facie senectus: cuius *erugæ faciei*, & manuum *testimonium dicunt*, cùm deficit modestia & obseruantia exterior perfectionis Religiosæ. Superbia enim secreta, ex qua pernicioſum illud silentium prouenit, sensim deuorat ac deuastat totam virtutem animæ.

c. 7.

Quamobrem glorioſus Patriarchà Benedictus eandem manifestationem denuò commendat, cùm, referens duodecim humilitatis gradus, dicit quintum esse non celare suas cogitationes & peccata occultè admissa Abbati suo: sed cum humili confessione ea manifestare. Estque valde credendum: Sanctissimum patrem in vtroque loco non solùm de confessione sacramentali loqui, cuius cognitione Prælati non possunt in externa sua gubernatione vti; sed etiam (vt graues eius Religionis viri sentiunt) loqui de ea confessione, quæ fit Abbati tanquam Patri & Magistro, vt eum

Anton. de Yepez in Chronico tom. 5. anno 944.

iuuet, dirigat ac gubernet. Et quamuis solùm faciat mentionem prauarum cogitationum, eò quòd in eis difficilior fit hæc manifestatio, & in ea magis splendeat humilitas, intelligendus tamen etiam est de cogitationibus

Reg. 26. ex fusis.

bonis: quæ eo fine (vt Sanctus Basilius ait) sunt manifestandæ, vt eas Abbas probet, dirigat, ac ad progrediendum foueat: imò etiam propterea quòd sæpè nos cogitemus bonos & pios esse affectus, quos in nobis sentimus; qui tamen sint praui: & esto essent boni, si tamen ex superbia occultentur, facilè in pernicioſos mutabuntur. Neque exiguus est fructus huius manifestationis, quòd in ea humilitas in gradu adeò heroico exer-

ceatur

ceatur: habet enim hæc virtus tantam cum reliquis connexionem, vt quo passu illa augetur, etiam reliquæ crescant. Ac propterea dixit idem Sanctus animi in virtute progressum: in humilitate progressum esse. Nam Deus gratiam suam præbet humilibus, iuuatque vt puri ac perfecti euadant, præseruans eos ab illusionibus, laqueis & lapsibus. Quamobrem etsi valdè sis in Religione antiquus, & in vita spirituali ita exercitatus, vt non sit opus talem tui rationem reddere, vt benè dirigaris: debes tamen libenter eam reddere, (vt Cassianus dixit) ad exercendam humilitatem, & extirpandam occultam tuiipsius arrogantiam. Quemadmodum Sanctus Gregorius faciebat: qui etsi adeò esset expertus, cùm libros Moralium scripsit, in fine eorum ait: fraternis auribus omne quod in me latenter reprehendo, incunctanter aperio. Et sanctus Augustinus non minùs humilis, quàm S. & Sapiens, voluit palam facere toti mundo omnes suas imperfectiones, Et, cùm esset Episcopus valdè senex, dixit: paratum se esse, doceri ac dirigi a quocunque alio etiam iuuene. Et S. Clemens Papa cuius sententia refertur in decreto, constituit; nullum Episcopum prætextu senectutis, aut nobilitatis debere erubescere, ab alijs doceri, etiam valdè paruis & minùs sapientibus, vt hac bona dispositione conculcaretur superbia & pertinacia, quæ facit homines membra dæmonis, vt fusiùs est dictum in Duce spirituali.

Serm. de Abdic. verit. in fin.

Collat. 1. c. 12.

„ *In libris* „ *Confessi.*

Epist. 75. & refertur 24. q. 3. c. si habes.

Epist. 3 refertur D. 38. c Nullus. Tract. 4. t. 2

§. 3. *Quæ bona prouenient ex coniunctione manifestationis conscientiæ cum obedientia.*

PRÆDICTVM duorum Ecclesiæ luminarium doctrinam amplexus est, ac mirificè declarauit Patriarcha noster S. Ignatius in suis constitutionibus sæpè commendans hanc conscientiæ manifestationem, & insinuans etiam in particulari, quæ sint manifestanda, tam bona quàm mala; & personas, quæ eam reddere debeant, nemine excluso etiam Professo, & antiquo; & tempora, in quibus reddenda est: semel scilicet in anno, aut bis, aut etiam frequentiùs, prout Superiori videbitur; & modum, quo est reddenda siue in Confessione, siue extra; cum magna puritate, humilitate, & charitate. Et vt omnes intelligerent, quanti rem hanc facere deberent, ita rem aggreditur: Re in Domino considerata, visum nobis est in diuinæ Maiestatis conspectu, mirum in modum conferre, vt Superioribus subditi omnino perspecti sint: quò meliùs regi & gubernari, & per eos in viam Domini dirigi possint. Et postea aliquas rationes adfert, quæ reducuntur ad duplicem ingentem fructum huius manifestationis: alterum ad commune totius Religionis bonum; alterum ad particulare cuiusque. Ad Superiorem

In Exam. c. 4. §. 34. & 35. & p. 3 c. 1 §. 12. p. 4. c. 10. §. 5.

„ *Exa c. 4* „ *§. 34.*
„ „
„ „

enim, vt dictum est, spectat, diuidere subditis cum magna attentione ac prudentia, officia, occupationes, & onera Religionis; aspiciendo tum ad commune bonum; tum ad cuiusuis particulare. Et quoniam Superior tanquam homo decipi facilè potest, eiusque prudentia exigua est: si tamen quantum in se est, & potest, faciat, DEVS supplet eius defectus, & speciali sua prouidentia eum iuuat, vt rectè huiusmodi occupationes distribuat. Ad quod tamen etiam opus est, vt subditi ex parte sua cum diuina hac prouidentia cooperentur; & Superioris prudentiam in gubernando adiuuent, reddentes illi apertam suijpsorum rationem, & acceptantes onus, quod ille imponet: confidentes supremo gubernatori Deo Domino nostro, quod omnia cedent in maius ipsorum bonum. Si enim ex parte tua hæc duo coniunxeris, candorem scilicet animi, siue manifestationem tuijpsius, & obedientiam ministris DEI: ad paternam eius prouidentiam spectat, ita Superiorem tuum dirigere, vt rectè ille te gubernet. Quod si aliquos eius permiserit errores, ex eis educet ipse maius tuum commodum; & profectum; & eripiet à periculis, quibus te exposuerit: quemadmodum euenit cuidam Monacho, cuius supra fecimus mentionem: qui cùm à suo Abbate ad Ciuitatem mitteretur, & ille suam imbecillitatem aperuisset, ac periculum, cui exponeretur tentationis, & lapsûs proposuisset: & nihilominus Abbas iussisset ire, ille obediuit: & cùm reuera ingens ei periculum à filia hospitis occurrisset: clamauit ad DEVM, & in momento fuit ab eo liberatus, & ad suam cellam ab Angelo deductus. Si autem Superiori tuo celes prauas tuas propensiones, tentationes, & imbecillitatem: errores ab ipso propter hanc causam in gubernatione admissos, ponentur ad tuas rationes, cedentque in tuum detrimentum. Nec tunc habebis sufficientem ex parte tua causam petendi à DEO, vt illos remoueat, quamdiu obfirmato eris animo, te non manifestando, ponis enim tunc obicem Ordini eius prouidentiæ; nec illa media vis adhibere, quæ ille ad te iuuandum constituit. Sicut peccator, qui constituit peccatum suum Confessario occultare, frustra ad DEVM clamat, vt illud remittat; nec reuerâ remittet, etiamsi alia mediâ pœnitentiæ adhibeat: quia reijcit illud, quod DEVS constituit. Et in hoc sensu dixit Dauid: a *quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, cùm clamarem tota die.* Clamor enim orationis, etsi valdè continuetur, nunquam culpæ remissionem obtinebit, quæ ex pudore tacetur. Præterea, si te velis Superiori occultare, iam quod in re est, vis illum decipere: ac proinde dignus es, vt DEVS hanc deceptionem ex ipsa permittat, iuxta illud, quod per Ezechielem Prophetam dixit: quod b *iuxta iniquitatem interrogantis, sic miquitas Prophetæ erit.* Et illud Salomonis: d *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.*

a *Psal.* 31. 3. *Ita Titelm.*

b *Eze.* 14. 10

d *Pro.* 28. 13

Ex HIS, quæ hactenus diximus, concludo, quod vtilitates & com-

modi

moda viuendi sub obedientia, quæ in huius tractatus decursu sunt indicata, & illius speciatim obedientiæ, quàm Sancti sanctè appellant cæcam, præsupponunt hanc conscientiæ manifestationem erga Superiores, vt recta sit illorum gubernatio, & in obediente sequatur finis & fructus ad quem dirigitur. Et tunc obedientia non erit imprudens, nec insipienter cæca; sed valde prudens, & oculis plena: quia innititur prudentiæ Superioris, cuius oculos reputat suos. Et cur dico Superioris, cùm potiùs innitatur prudentiæ ipsiusmet DEI, cuius oculi respiciunt ad gubernationem subditi candidè agentis, & cum obedientia conceditque in magna copia fructus huius felicis palmæ, quam per Isaiam appellat e *mare iustitiæ, & flumen pacis*: quia ingenti sanctitate eum ditat, & pace spirituali, gaudio, quiete, & conscientiæ securitate replet. Quod expertus est Sanctus Dorotheus, vt supra insinuauimus, qui de seipso refert, tantam fuisse pacem ac lætitiam animæ suæ, cùm nullam sentiret tentationem aut turbationem: vt cæperit dubitare, an rectam teneret viam, eò quòd audiuisset: omnes bonos aliquibus molestijs ac difficultatibus affici. Et cùm suum Abbatem ea de re consuleret, respondit ei: ne timeas, fili: ista enim lætitia & pax, qua frueris, fructus est claritatis & obedientiæ, quam præstas. Quòd si omnes Religiosi, se gererent sicut hic Sanctus: experirentur eandem vtilitatem & profectum; & tota ipsa Religio magno ac præclaro exemplo eluceret. Quamdiu enim claritas hæc & obedientia floret: ipsa quoque Religio floret omni sanctitate; eò quòd sit indicium, & humilitatem, & charitatem, fiduciam in DEVM, ac desideria rectè sequendi diuinam voluntatem, exacta esse ac perfecta. Quæ omnia f *inueterascent* in te, quando taces: *etiamsi clames tota die*: quia taces, vt ait Sanctus Augustinus, quod esset manifestandum; & manifestas, quod esset occultandum. Occultas enim quod malum est prædatore; manifestas autem, quod videtur esse bonum, propter inanem gloriam & teipsum proprio iudicio gubernas, quasi non haberes, qui te dirigeret; & incidis in eadem damna & pericula, in quæ incidunt, qui duce & directore carent: vt suo loco est dictum.

Fructus obedientis.

e *Isa.* 48. 18.

Exemplum Candoris.

f *Psal.* 31. 1. *Ibidem.*

In Duce spirit. tract. 4. *c.* 2.

§. 4. *Quo spiritu reddenda sit ratio conscientiæ.*

SVPEREST explicare, quo spiritu ratio hæc conscientiæ sit reddenda: quem Pater noster Sanctus Ignatius breuiter indicauit, dicens debere esse magna cum humilitate, puritate, & charitate. In quibus tribus virtutibus reliquæ conditiones continentur, quæ seruari debent ad legitimè id faciendum; & vltimum quod ex parte sua subditi præstare debent, ad cooperandum gubernationi Dei, eiusque ministrorum. HVMILITAS radix est puritatis intentionis, & verborum: & consistit in hoc, vt viriliter, magnoq; animo pudor vincatur, & timor ignominiæ, qui deterret, ac prohibet manifestationem vitiorum, passionum ac tentationum, & similiter conculcetur vanitas, quæ immisceri solet, cùm propriæ virtutes, ac pietatis opera referuntur, & manifestantur: immò interdum (quæ nostra est miseria) miscetur aliquid inanis gloriæ, cùm ipsa nostra vitia & defectus aperimus: quia dicuntur, vt humiles ex tali confessione iudicemur. Sed si verum habes humilitatis spiritum: omnes tuas miserias aperies; non vt humilis habearis, sed vt verè humilieris: desiderans, talem te haberi apud homines: qualem credis te esse apud Deum. Sicut ægrotus, qui sua quædam vulnera, etiam cum aliquo pudore ostendit: quia id necessarium est ad sanitatem recuperandam. Tanta etiam puritas in verbis est seruanda, vt non excusationes aut præterea admiscas, quibus tui defectus videantur imminui, & leuiores iudicari. Et cùm bona tua aperueris, etiam valdè extraordinaria, & præclara: ne illa facias cum aliqua arrogantia, vana complacentia, aut inani honoris ambitione; sed in spiritu humilitatis, quasi homo ignarus, & alterius directione egens, nec fidens iudicio proprio, sed timens aliquam fraudem aut deceptionem; & vt DEVS in suis operibus glorificetur; & quia ille ita vult: vt propterea eadem animi promptitudine, & voluntate, & mala & bona aperias.

AD quæ omnia multum confert ipsa CHARITAS, vt hæc cum Superioribus communicatio fiat cum spiritu amoris, quemadmodum filius cum patre suo agit; infirmus cum medico; ac discipulus cum suo Magistro. Hic enim modus agendi & aperiendi sese, magnum gignit amorem in pectore Superioris; propter magnam confidentiam, quam ostendis; & amorem, quo erga eum manifestas, dum eum facis occultorum tuorum participem: quæ non communicantur, nisi intimis amicis: & ita permouebitur, (vt Pater noster S Ignatius dixit) ad magis tibi attendendum, & maiori amore, solicitudine, ac diligentia ad te iuuandum, Et hic est vnus ex præcipuis huius

com-

Reg. 40. Summarij.

Similitudo.

Exam. c. 4. §. 35.

communicationis fructibus, vt dixit S. Ambrosius, & post eum S. Bernardus his verbis: Magnum enim huius vitæ solatium est; vt habeas cui pectus tuum aperias: cum quo arcana participes: cui committas secreta cordis tui: vt ames & sequaris eum: qui tibi pateſna pietate in tristibus compatiatur: in persecutionibus adhortetur: & in prosperis gratuletur. Felix talis Societas, talisque amicitia: qua nihil est in rebus humanis pulchrius. Hæc S. Bernardus. Quod si superiores, & subditi ea quæ diximus diligenter observent: experientur procul dubio dulcissimos huius amicitiæ, & adeò felicis societatis fructus.

„ Lib. 3. de „ officijs c. „ 16. „ Lib. de „ ordine „ vitæ.

Ex omnibus, quæ in hoc capite proposuimus licebit tibi rationum arma arripere, ad profligandos huius manifestationis conscientiæ hostes; timorem scilicet, quod ignominiam tibi comparabis apud Superiorem; quòd amplius tibi non fidet, neque officium honorificum commendabit, quòd cupis, sed imponet, quod maximè horres. Si tamen diuinæ fidei oculos habes, nec specie humana duceris: persuadere tibi debes. *Primum*, te non solũ nihil honoris amittere, si teipsum aperias; sed potiùs honorem consequi: sæpè enim maiori pectore & fortitudine opus est, ad sperandum pudorem aperiendi culpam, quàm ad eam euitandam: quod Sanctus Gregorius docet: & fusè nos explicuimus cùm egimus de Confessione. Quod si aliquam honoris iacturam faceres apud homines, consolare te, quod eum potiùs augeas apud Deum, & Angelos eius. Cùm igitur DEO fidas, eiusq; gubernationite subijcias; & vt ei pareas, tuos defectus manifestes: crede Deum in se recipere, vt honorem tuum propugnet: cuius verbum & promissio est, quòd *qui se humiliat, exaltabitur*: sicut è contra: si ex superbia te occultes, humiliaberis. Et in nouissimo iudicij die dedecore, & ignominia afficieris coram vniuerso mundo, propter id, quod nunc cum culpa occultas. Timere siquidem potes, quod qui modò assueſcit leues suas culpas occultare: paulatim eò deueniet, vt graues etiam occultet, ac propterea damnetur. Et cui dubium est, multò melius esse, in cœlum intrare vnum oculum habentem, etiamsi eum aliquo pudore ac dedecore hic viuas, eò quòd sis luscus: quàm duos oculos habentem in gehennam mitti: vt in mundo cum magno viuas honore: Quod si aliquando aliquod tibi accidat temporale incommodum ex Prælati malitia; ne amittas confidentiam; nam suo tempore DEVS illud conuertet in emolumentum. Memento quid euenerit Ioseph, cùm patre suo & fratribus dixit: *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* Et quamuis Pater eum increpauerit, vt arrogantiam reprimeret, quam talis narratio præferebat: *rem* tamen ipse *Pater tacitum considerabat*, & filij mysterium venerabatur: fratres tamen natu maiores, accipientes inde occasionem fouendi suam inuidiam, &

1.

Li. 22. Mor. c. 10. Tom. 1 trac. 3. c. 5.

2.

3.

4.

5.

6.

Gen. 37. 9.

odium

odium, & conantes ipsum perdere, facti sunt Dei instrumentum ad illum exaltandum. Hunc in modum boni Prælati, significati per Iacob, cùm subditi res aliquas valdè præclaras eis aperiunt: hinc ostendunt, se illos abijcere: ne ex huiusmodi rebus euanescant, inde verò taciti, Dei magnalia venerantur, iuuantque, ne tales subditi pereant. Superiores autem imperfecti, per fratres Ioseph maiores significati, si ex manifestatione subditorum occasionem sumunt, ad eos verè contemnendos ac persequendos; non tamen voti sui fient compotes, vt eos perdant: sed per eadem media, 7. quibus ipsi eos perdere conantur, Deus eos exaltabit. Certum denique est, (vt superiùs est insinuatum) quod quemadmodum bonus Prælatus, faciens quod sibi incumbit, & tenetur in tribus illis capitibus, quæ ad ipsum spectant nihil coram Deo amittet, etiamsi subditi repugnantes sint ac rebelles, sed potiùs ex ea occasione plurimum lucratur ob ea, quæ ab ijs patitur. Epist. 73. Nam (vt Sanctus Bernardus ad hanc rem aptè dixit: quantum grauaris, tantum lucraris) ita etiam bonus subditus; qui, quantum in se est, implet quæ ad ipsum spectare diximus: nihil coram Deo amittet, etiamsi habeat malum Prælatum, qui officio suo non satisfaciat: sed potiùs ea occasione multum sibi boni comparabit ex eo, quod patitur; eum tolerando, eique obediendo. Supremus autem Prælatus, qui est Deus Dominus noster, supplebit, quod eius ministro defuerit. Satis enim est, quòd is tanquam bonus pastor, infinitè sapiens, & potens, oues suas cognoscat, earumque vires nouerit: vt non permittat, propterea quod subditi eis obediant, qui eius locum in terra occupant: fructu fraudentur suæ obedientiæ; aut non perueniant ad culmen felicis huius palmæ, cuius dulcissimis fructibus, tum in hac vita, tum in altera æternùm fruantur.

TRACTATVS SEPTIMVS.

DE SVPREMA RELIGIOSI PERFECTIONE IN CVSTODIA CONSTITVTIONVM ET REGVLARVM SVAE Religionis.

CAPVT I.

RELIGIOSI MAIOREM SVAM PERFECTIONEM *& perfectæ* DEI *voluntatis cognitionem in suis Constitutionibus & Regulis quærere debent.*

QVEMADMODVM OMNES FERE ARTES AC Scientię proprios habent libros, ex quibus earum sectatores eas discunt: & vnaquæq; specialem aliquem habet, qui sit reliquorum Fundamentum, ab Auctore siue Inuentore eius editum seu concinnatum: ita Christianæ perfectionis scientia proprium habet fundamentalem librum, in cuius lectionem & studium est incumbendum, Nouum scilicet Testamentum, in quo tota Lex Euangelica est expressa. Et similiter Religiosæ perfectionis scientia in vnoquoq; Instituto, præter Scripturam sacram, specialem alium habet librum, in quo Constitutiones & Regulæ cõtinentur. Cuius libri mentio facta est superiùs: in cuius lectione debent Religiosi occupari, vt scientiam discant, & exercitium virtutum: ita vt possint perfecti euadere non solùm eas intelligendo, sed etiam opere exequendo: ad hoc enim studium & exercitium sese per vota obligarunt. Nam, vt dictum est, in ipsis Regulis continetur modus, quo vota ipsa sunt seruanda; & media præterea, quæ ad proprium suæ Religionis & vocationis finem consequendum sunt adhibenda. Quas Regulas & Constitutiones nisi bene intelligant, difficilè poterunt obseruare, & perfectionem obtinere, ad quam tendunt; nec ipsam quidẽ salutem: si ex negligentia & incuria nõ implent, quod promiserunt. Quare aptè accommodatur libro Regulæ, quod Baruch Propheta dixit: *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum: omnes, qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerint eam, in mortem. Conuertere Iacob & apprehende eam ambula per viam ad splendorem eius.* Attendat itaque Religiosus, quam sibi obligationẽ imposuerit; & pergat in via suaad splendorẽ grodeuntem ex Regula, quã profitetur: ambulans enim per eã ad æternam perueniet vitam; si autem ab ea declinet, incidet in mortem sempiternam:

MEMOR sit Religiosus, hunc suæ Regulæ librum aperiendum in die iu-

Trac. 3. c. 5.

1.

2. Baru. 4. 1.

2.

b Apo. 20. 12 dicij, cum b *aperientur libri* conscientiarum, *vt iudicentur mortui ex iis, quæ scripta erunt secundùm opera eorum.* Quod si conscientiæ ipsius liber conformis sit libro Regulæ, honorabitur à Deo coram Angelis suis, & omnibus hominibus; recipietque suorum bonorum operum & obsequiorum præmium. Sicut etiam grauiter punietur, si conscientia inuenietur repugnasse Regulæ: quia parui eam fecit.

3. QVOD SI frui cupiat pace, lætitia, reliquisque præmijs, promissis renuntianti rebus omnibus propter Christum: debet Regulam suam obseruare, & per eam se dirigere: sub tali enim pacto promissa fuerunt, vt Saluatorem suum sequeretur in Regula, & vitæ ratione sibi præscripta: De qua illud Apostoli dicere licet: c *Quicunque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israël Dei,* quia scilicet sunt veri Israëlitæ Dei, fortes, & constantes in eius obsequio: ac proinde digni, qui remunerentur pace, quæ exuperat omnem sensum; & misericordia, quæ præripit ac præseruat ab omni miseria: scriptum est enim: d *Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.*

c Gal. 6. 16.

d Ps. 118. 16.

4. SED quænam scientia in mundo esse potest excelsior & vtilior, aut quod studium cœptumque præstantius ac iucundius scientia & cognitione voluntatis Dei, & conatu eam perfectè adimplendi? Hæc autem cum particulari excellentia inuenitur in Regulis Religionis ab Ecclesia approbatæ, vt fuit dictum est suprà. Quemadmodum igitur Scriptura sacra (vt S. Gregorius loquitur) similis est cuidam epistolæ, quam Deus ad omnes mittit fideles, in qua aperit illis suam voluntatem, & quid ab vnoquoque requirat: ita Religionis Regula est quasi epistola, licèt breuis & compendiosa, valde tamen clara ac certa: quam Dominus noster mittit ad Religiosos, & significat, quid ab eis requirat, vt in ipsius oculis sint perfecti. In hac regula inuenient celestem illam scientiam, quam Apostolus postulabat dari fidelibus, cùm dixit: e *non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali: vt ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes.* In quibus verbis tres insinuat Apostolus conditiones & proprietates perfectæ cognitionis voluntatis Dei, omnes cum excellentia inueniuntur in Religione. *Prima est,* vt sit plena, cum verbo (*Impleamini*) exprimitur, nihil ignorando eorum, quæ Deus in statu requirit: quemadmodum S. Ioannes dixit: f *vnctionem Spiritus Sancti docere eos de omnibus.* Omnia, dicit, quæ quisque scire debet, vt Deo in statu suo placeat. Quæ plenitudo in nullo statu est tam copiosa, atque in Religione, in qua omnia inueniuntur, quæ cognitionem adferunt voluntatis Dei: scilicet Euangelica cum suis omnibus præceptis & consilijs, generalis Ecclesiæ mandata; Constitutiones & Regulæ Religionis; & speciales officiorum

e Col. 1. 9.

I.

f 1. Io. 2. 27.

quæ

quæ ad singulos spectant; Prælatorum Ordinationes; conscientiæ dictamina, & boni spiritus illustrationes; & ipsamet occupationum distributio, quæ signo campanæ indicatur. Hæc inquam omnia Dei voluntatem manifestant, plenamque eius cognitionem conferent, & Religiosus *beatum se* posset iudicare, g *quia* (iuxta Baruch Prophetam) *quæ Deo placent, manifesta sunt nobis*. Et hoc præcipuum eius esse debet studium iuxta consilium Sapientis: h *altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*. Quod si operam tuam in libro regularum tuarum frequenter euoluendo posueris; in eo inuenies, quæ Deus præcepit tibi, & sufficiens principium ac fundamentum ad reliqua cognoscenda.

g Bar. 4. 4
h Eccl. 3. 22

2.

Non sufficit tamen, quòd hæc cognitio plena sit, nisi simul sit spiritualis & iucunda. Est enim quædam voluntatis Dei cognitio merè speculatiua, qualem habēt peccatores per lumen Fidei, & naturalem rationē: de quibus dixit Dominus: i *seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm eam; vapulabit multis, qui autem non cognouit, vapulabit paucis*. Nā eam cognoscere, & non explere, est quodammodo eam contemnere. Ideoque huiusmodi cognitio nō sufficit, nisi altera accedat, quam Apostolus appellat: k *in omni Sapientia, & intellectu spirituali*, talis enim est iucunda ac benevola: quia intellectus penetrat, æstimatque magnitudinem & sanctitatem latentem in Dei voluntate, eiusque legibus, ac Regulis: ita vt voluntas nostra amet, approbet, magnaq; voluptate acceptet, quod intellectus agnoscit, & tanti facit. Et idem Apostolus hoc ipsum cōmendauit, dicēs: k *reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta*: & delectemini (iuxta S. Hieronymi explicationem) bono, meliori, & optimo, quod voluntas Diuina nobis cōmēdat. Et hinc oritur, quòd cognitio hæc tali affectui coniuncta, valde sit subtilis, penetretq; nec quiescat, cū solū cognouerit, quod primo aspectu præceptū & Regula sonat; sed (vt Cassianus ait) cognoscat etiā interiora & excelsiora in eis cōtenta. Amor enim exstimulat intellectū, vt subtilius inquirat, multaq; inueniat, quæ non amāti sunt occulta; sed ipsemet Dominus ea manifestat amanti in præmium amoris quo ea inquirit. Quod significauit Ecclesiasticus, dicens: l *cogitatum tuum habe in præceptis Dei & in mandatis illius* meditandis *maximè assiduus esto: & ipse dabit tibi cor*, & animi fortitudinem: *& concupiscentia Sapientia dabitur tibi*.

i Luc. 12. 47
k Rom. 12. 2
Coll. 14 c. 11.
l Eccl. 6. 37.

3.

Hinc etiam oritur tertia huius cognitionis proprietas, ad quam cæteræ dirigūtur; quòd scilicet sit practica, & faciens quod nouit, adimplens voluntatem Dei, sicut implendam intellgit. Et hoc est quod maximè refert ad nostræ beatitudinis plenitudinē, dicēte Christo Domino nostro duodecim suis discipulis: m *si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea*. Quasi apertè dixerit: non propterea beati eritis, quòd ea sciatis; sed quod faciatis. Quod & alibi

m Ioa 13. 17

n *Luc.11.28* o *Ioa.13.18.* ipsemet dixit: n *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Ac propterea (vt ait Sanctus Augustinus) adiunxit: o *Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim.* atque si clariùs dixisset: est inter vos falsus quidam discipulus, qui præcepta & consilia mea audiuit, & nouit: beatus tamen non est: quia nec diligit, nec magni facit, nec vult opere exequi. Intelligat itaque Religiosus, quòd licet in eo sit felix, quòd adeò plenè Dei voluntatem agnoscat, prout in eius Regulis continetur: non tamen propterea beatus est, quòd eam nouerit; sed quòd opere ipso eas custodiat. Cognitionis enim scopus est, quem insinuauit Apostolus, cùm dixit: p *vt dignè ambuletis, Deo per omnia placentes, & in omni opere bono fructificantes.* Quid autem est ambulare dignè Deo: nisi (vt S. Thom. ait) viuere cum ea grauitate, quæ decet seruos Dei? Quemadmodum enim Regum ac Principum domestici famuli non ita se induunt, & in reliquis gerunt prout ipsos secundùm proprium statum decet; sed secundùm dignitatem & amplitudinem dominorum, quibus inseruiunt; ita omnis nostra cogitatio ac solicitudo esse debet, vt voluntatem Dei impleamus, sicut infinita eius dignitas & Maiestas promeretur: studentes in omnibus illi placere, obedientia quadam adeo perfecta, quæ verè digna sit Domino, qui eam imperat. Ad quam dirigitur, quod Christus D. N. iubet nos petere, vt q *Patris voluntas fiat in terra, sicut in cœlo*: vbi dignè impletur prout à Creatura impleri potest voluntas adeò immensi Creatoris.

p *Col.1.10. S. Tho. ligit. Ambuletis dignè Deo*

q *Mat.6.10*

CAPVT II.

SPIRITVS AC FERVOR QVO REGVLÆ AMPLECTENDÆ *sunt & obseruandæ, & ratio eas cum vtilitate legendi.*

EX DICTIS DEDVCENDVS EST SPIRITVS obseruandi Regulas, optando scilicet, perfectè in eis Dei voluntatem agnoscere, amare, æstimare, & opere exequi: vt vitam ducamus dignam propriæ Professione; & ipso Deo, qui ad eam vocauit; studentes ei placere in adimplendis rebus omnibus magnis & paruis, quæ in Regulis continentur. Hoc commendauit Moyses populo suo, cùm Dei legem voluit ei promulgare, dicens: a *audi Israël cæremonias atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete.* quasi tria ab eis peteret circa legem, quam promulgabat. *Primum*: vt eam attentè audirent, etiam interno animæ auditu, per quem Fides & obedientia ingrediuntur. *Secundum*: vt eam discerent ita, vt memoriæ infixa maneret, & intellectu eam penetrarent. *Tertium*, ac præcipuum, vt eandem plenè ac integrè opere exequerentur. Quæ tria amplius explicauit Salomon dicens: b *Fili serua mandata mea, & legem meam, quasi pupillam oculi tui: liga eā in digitis tuis. scribe illam in tabulis cordis tui.* tanto, inquit, studio ac diligentia legem, & præcepta, tuique sta-

a *Deut.5.1*

b *Prou.7.2 & c 3.4.*

Reg-

Regulas custodi, quasi pupillas tuorum oculorum: illæ siquidem sunt oculi, qui te illustrant, ac ducunt in hac via cœlesti. Et quemadmodum nec festucam vnam in oculo tuo ferre potes: nam etiam minima adeò tibi est molesta, vt quietem nullam habeas, donec eam extrahas: ita nullum debes defectum contra legem & Regulam tuam admittere. Quòd si in aliquem lapsus fueris, adeò premere te debet, & mordere conscientia: vt non quiescas, donec per pœnitentiam eam elueris: cùm ex hoc pax omnis & splendor animæ tuæ dependeat. Vt enim ipse Saluator noster dixit: c *Si oculus tuus simplex fuerit* ac purus: *totum corpus tuum lucidum erit*. Debes quoq; legem hanc & Regulam d *tuis digitis alligare*, vt e *semper eam coram oculis gestes*, vt memor sis omnium, quæ ea commendat: nec aliquid eius ex obliuione prætermittas. Nec dicit: vni digito esse alligandam, quemadmodum annulus inseritur; sed in omnibus: vt intelligas; quanta soliditate & firmitate habere eam debeas in manibus tuis, vt opere exequaris. Quòd si quæras: quibus funiculis sit alliganda? respondebo: Charitatis, quam S. Apostolus f *vinculum perfectionis* appellat. Nam (vt S. Chrysostomus explicat) omnes virtutes ligat, vt hominem reddat perfectum: Quod si legem diligis, amor hic illam tuis digitis alligabit: vt semper eius memineris, & ad implendam exciteris. Nam vbi Amor est: nec obliuio, nec incuria, aut ignauia locum habet: & eò tendit, quod Salomon dixit, vt g *scribas legem*, non in tabulis lapideis, aut æreis; sed *in tabulis cordis*, hoc est, in memoria, intellectu, & voluntate: dando operam, vt memoria semper eius recordetur; intellectus eam pénetret, & assequatur; ac voluntas ita amplectatur; vt virtutes, quas lex & Regulæ cõmendant, sculptæ in anima maneant, quemadmodum ibi sunt scriptæ. Religiosus enim nõ scribit virtutes in tabulis cordis, quasi auctor librũ componens, & sententias scribens verbis, ordine, & modo, qui magis ipsi placet, sed quasi ex aliquo originali describens; qui non fungitur bene suo officio, dum sententiam, & sensum eius, quod in originali est, ponit; sed etiam debet eadem verba eodemque ordine, ac distinctione ponere: nec iota, aut apice prætermisso. Cogita igitur: Regulam esse exemplar, & quasi originale virtutum Religiosarum; & singulas virtutes esse quasi sententias; earumque proprias actiones esse quasi characteres; circumstantias verò, illas exornantes, esse quasi apices & comata: incumbere autem tibi ex officio totam Regulam, sicut verè est describere in anima tua. Nec satisfacies, si virtutem scribas pro tuo arbitratu; sed ita describere oportet, sicut in lege & Regula est præscriptum, Nec seruanda tibi est paupertas, temperantia, & obedientia pro arbitrio & electione tua; sed in rebus, & cum ijs circumstantijs, quas tua Religio commendat. Amplectendo (vt ait S. Ephræm) res æquè paruas, ac magnas ipsius perfectionis, non prætermissis iota, aut apice; hoc est, nec minimo o-

c *Matt. 6.*

d *Deut. 6. & 11. 18.*

f *Coloss. 3. 1*

g *Prou. 3.*

Ser. de vita spirit. nu. 34

minimo opere, nec minima eius circũstantia. Ad quod si opus esset, vt ipse tuus sanguis loco atramenti adhiberetur, esset ad id bene collocatus: effundendo scilicet illum, vbi id necessarium esset, ad exequendum quod Deus iubet; & resistendum peccato, quod prohibet. Quemadmodum ipse Saluator suum effudit, de quo dixit Apostolus, quod g *ex iis, quæ passus est, didicit obedientiam*; assecutus experimentalem scientiam obediendo voluntati Diuinæ in sudore vultûs sui, & effusione sanguinis. Eodem autem modo vult, vt Ecclesiæ filij eam assequantur de qua Ecclesia dixit ipse per Isaiam, quòd esset vocanda h *voluntas mea in ea*: quod nomen tanquam nouum os Domini nominauit; aut, iuxta verbum Hebræum, *perforauit & excauauit*, quasi quis literas stylo aliquo ferreo pungens, aut cœlo excauans, formet, vt omnes intelligant: Diuinæ voluntatis executionem non sculpi in anima, nisi multis adhibitis mortificationibus, & afflictionibus, quibus quisque seipsum pungit; aut infligendo pœnam, aut subtrahendo sibi omnia superflua, vt superius est dictum. Et hac ratione Regula scripta vertitur in viuam; & Institutum in Constitutionibus scriptum, efficitur viuens in cordibus. Quare perfectus Religiosus, est quasi Regula & Institutum viuens, in quo videri ac legi potest quicquid in libro Regularum est scriptum: ex hoc enim exemplari descripsit valde ad viuum.

g *Heb.* 5.8

h *Isai.* 62.4

Tract. 6.c.2

§. I.

VERVM QVIDEM EST, Hoc non vno momento, nec vno tractu effici posse; sed paulatim & continuato exercitio. Quemadmodum (ait Cassianus) Scholæ Magister proponit puero discenti scribere perfectissimi characteris exemplar: non quòd is prima die omnino similes characteres efformet & æquè scribat eleganter, atque ipse Magister; sed vt incipiat pulchram characteris formam effingere, & attendat ad scopum suum, hoc est, tam elegantem effingere characterem, atque est in ipso exemplari. Quod paulatim obtinebit, quotidie scribens, & laborans, vt quod scribit, sit ipsi exemplari simile. Ita inquam non proponitur Religiosis in Regula; heroica virtutum perfectio, quasi statim eam possint assequi; sed, vt statim incipiant eam desiderare, sibiq; procurare, & in omnibus, quæ fecerint, cum ipso exemplari, quod ante oculos habent, sese conformare, supplentes desiderio & efficaci voluntate, quod viribus deest: & ex vna parte humiliantes se, cùm videant, quàm modicum habeant, & quàm multa illis desint, vt ad tantam perfectionem perueniant; ex altera autem seipsos exstimulantes ad eam procurandam: confidentes Magistro cœlesti, qui tale eis exemplar, ea intentione proposuit, vt vitam suam cum eo conformarent. Ex quo deducit S. Basilius solennem quandam valdeq; vtilem sententiam, dicens in omnibus, quæ facimus, debere nos seruare vnicam solam Regulã & formam Do-

Collat. 10.c 7. & 9.

Reg. 5. ex *Fusi.*

sc. vo-

sc. voluntatẽ: cui nos semper accommodemus. Eum in modum, quo pictor aut sculptor perfectè facit suum opus, cùm ante oculos habet exemplar sibi datum, ab eo, qui illud iussit fieri: & in omnibus simile suum efficit opus: ita Christianus & Religiosus erit in suis actionibus pèrfectus, cùm operam dat, vt omnes, magnæ & paruæ, cõformes sint voluntati Dei; & legi, ac Regulis præscriptis æquales. Idem priùs docuit S. Dionysius, dicens: quod quémadmodum ei, qui desiderat pulcherrimam aliquam imaginem pingere, aut aliquid ex alio originali transferre: necesse est semper ad exemplar illud aspicere, ex quo opus suum formare debet; nec ad rem aliam attendere, ne aberret. Ita etiam, cùm aliquid facis, affigere debes oculos in Deum & Christum D. N. ad effingendam in te virtutum eius imaginem, easque in animam tuam transferre. Quæ virtutes, cùm in lege & Regulis Religionis sint benè expressæ: ideò attentè eas aspicere oportet, vt eis te omninò conformes; remouens oculos ab hominum applausu, mundi iudicijs, & legibus carnis, quæ te facient in omnibus, quæ feceris, aberrare.

Similitudo.

Exquo fit, vt nullius pietatis aut maioris perfectionis prætextu conculcanda sit Regula aut aliquid contra eam faciendum; sed suspectum semper habendum quemcunque impulsum, aut reuelationem, quæ ad eam transgrediendam, aut cum scandalo & offensione Cõmunitatis contemnendam, induxerit. Huc tendit insigne illud Apostoli ad Philippenses documentum, cum dixit: si quid aliter sapitis, quam ego vobis dixerim, & hoc vobis Deus reuelauit Veruntamen ad quod peruenimus, idem sapiamus, a *& in eadem permanemus Regula*, voluit enim Apostolus (vt explicat S. Thomas) ritulo & prætextu reuelationis neminem debere recedere à communi Ecclesiæ sensu & Regula vitæ quam illa tenet. Quod etiam extendendum est ad Religiones ita, vt nemini liceat pallio nouarum reuelationum, & propriorum impulsuum introducere schismata, turbationes, aut dissensiones; recedendo à communi omnium sensu; & Regulam vitæ, quam profitentur, conturbare: cùm sit ab Ecclesia approbata, & confirmata. Ordinariè enim huiusmodi impulsus non à bono spiritu proueniunt, sed à proprio: qui proprio iudicio valdè tenaciter adhæret, cuius arrogantia adeò est efferata, vt vniuersæ communitatis iudicio sese præferat. Et quæ maior superbia esse potest: (ait S. Bernardus) quàm proprium iudicium totius Religionis iudicio præferre? quasi solus haberet spiritum Dei, reliqui autem deciperentur. Hic est spiritus ille fabulator, (cuius detrimenta retulimus superiùs) capitalis hostis vitæ Religiosæ, eiusque firmitatis ac perfectionis, Quæ fundatur non in mobili arena iudicij proprij, & arbitrij particularium Religiosorum: sed in firma & fundamentali petra suæ Regulæ, confirmatæ antiquitate & sanctitate Fundatorum, qui eam constituerunt; & patrum, qui eam custodierunt;

a *Philip. 3. 5. Lect. 3.*

Serm. 3. de Resurrect. Tom. 2. tra. c. 12.

& per

& per hoc ad excelsos valde sanctitatis gradus peruenerunt. Et cõeoldé se-
Coll.13.c.4. querentur successores: si, cum proprij iudicij subiectione, eandem acceptarent, & seruarent: imitantes suos prædecessores. Vt præclarè testatur Cassianus, exhortans ad cognoscendam dignitatem Auctorum, & Fundatorum, Professionis Religiosæ: quia necesse est, (inquit) vnamquamque vitam, ad illum finem secum pertrahere sectatorem, ad quem Auctor ipsius Inuentorque peruenit Regula itaque S. Benedicti, aut S. Ignatij deducet Religiosos, eas perfectè seruantes, ad eos sanctitatis gradus, quos eorum Patres fuerunt assecuti: qui eam custodientes, adeò magni Sancti euaserunt. b *Deus autem non est personarum acceptor*, vt ait S. Petrus, *sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*, nec parciùs spiritu sancto replebit præsentes, quàm eos, qui præcesserunt: si eandem viam teneant, quã illi tenuerunt. Quamuis enim regulariter nullus ad sanctitatem sui Fundatoris perueniat, qui c *aquilæ* instar *super* omnes *filios suos volat*, *prouocans eos* exemplo suo *ad volandum*, & ascendendum ad locum, quò ipse peruenit. Id tamẽ inde prouenit, quòd nullus ad Regulam tam exactè seruandam contendat, atq; ille seruauit; neque cœlestes fauores, quos accipit, cum ea fidelitate expendit, & in opus deducit; sicut ille de acceptis faciebat. Ad quod confirmandum dixit semel Dominus Deus noster Sanctæ Angelæ de Fulgino: se non minores gratias & fauores largiturum præsentibus, quàm fecisset seruis suis Francisco, & Dominico temporibus præteritis: si in eis inueniret vas capax, dispositionemque ad eos suscipiendos.

b *Act.10,34*

c *Deu.32,11.*

Ex quibus colligtur: Religiosum cupidum obtinendi perfectionem, ad quam est vocatus, debere quasi indiuiduos comites sibi adhibere ipsas Regulas dirigendo & collimando omnes suas actiones iuxtẽ earum præscriptum, in omni loco & tempore, domi & foris in lecto, in cella, & extra eam; siue comedat, siue laboret; dormiat, aut vigilet; agendo cum Deo, aut cũ hominibus, Cogitet, dici sibi à Deo, quod olim populo Israël: d *Verba* & mandata *quæ ego præcipio tibi hodie erũt in corde tuo; & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere; dormiens atq; consurgens scribesq; ea in limine, & postis domus tuæ, & ligabis ea quasi signum in manu tua.* e *Conserua fili mi* ait Salomon *præcepta patris tui & ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, & circũda gutturi tuo. Cũ ambulaueris, gradiantur tecũ: cùm dormieris, custodiant te, & euigilans loquere cũ eis. Quia mandatũ lucerna est & lex lux, & via vitæ, & increpatio disciplinæ*, siue pædagogus, qui te in bona disciplina cõtinebit.

d *Deut.6.6 & c.11,18.*

e *Prou.6..0*

In His omnibus elucere debet zelus Regularum, quemadmodum in Elia: de quo sacra Scriptura ait, quod f *dum zelat Zelum legis, receptus fit in cælum.* Adeò enim eius zelus Deo placuit, vt voluerit, raro illo fauore eum remunerare: vt in curru igneo ad cœlum duceretur. Quid autem aliud est re-

f *1.Mac.2.58*

lare zelum legis, & Regularum quàm vehementi teneri desiderio obseruationis earum, magna verò pœna ac dolore affici: cùm aduertit, eas violari, aut contemni: & omnem operam dare, vt huiusmodi iactura omnibus vijs, quibus potest præueniatur, & euitetur. Hic autem zelus inchoari debet ab vnoquoque in seipso, diligenter attendendo, ne ipsius culpa, Regularum custodia imminuatur; nec eas ipse transgrediendo, nec alijs exemplo malo occasionem præbendo eas trãsgrediendi. Quare zelus ita ad alios extendere se debet, vt studeat, qui illum habet alios etiam Regulas magnifacere, & custodire: sicut ipse conatur custodire. Et hoc est, quod Scriptura appellat zelare zelum: hoc est, habere zelum, ne zelus ipse intepescat, aut refrigescat, sed vt in omnibus cum magno feruore ardeat. Et qui hoc modo Regularum custodiam zelauerit: ex eis hauriet adeò feruentes & præstantes virtutes, quæ quasi igneus currus eum à terra eleuent, & spiritum transferant in paradisum.

§. 2.

Modus legendi Regulas. *Cap. 45.*

SVPEREST explicare ex his, quæ dicta sunt, modum, quo Religionis Regulæ sunt perlegendæ: quod exercitium est vnum ex maximè commendatis, & frequentatis in ea. Sufficiet autem nobis pro exemplo, quod Sanctus Augustinus ad finem suæ Regulæ commendauit: vt vos ipsos (inquit) quasi in speculo aspiciatis neque ex obliuione aliquid exequi prætermittatis: legatur vobis Regula singulis septimanis. Et cum aduerteritis vos præstare omnia, quæ in ea sunt præscripta, gratias Deo agite: qui fons est omnium bonorum. Quando autem aliquis deprehenderit, se in aliquo defecisse, doleat de præteritis; & statuat, se in futurum velle emẽdare. Oret supplex Deum, vt culpam remittat; & ne patiatur labi in tentatione. Non potuit breuioribus & grauioribus verbis explicari modus tenendus in lectione Regularum. Quod autem ad frequentiam eas legendi attinet, in singulis Religionibus seruandum est, quod hac de re est constitutum: siue singulis septimanis, siue singulis mensibus. Quemadmodum tamen medici debilibus ac valetudinarijs suadent, ne simul multum comedant; sed potiùs ter, aut quater sumant, quod semel & simul sumere cogitabant: vt facilior eorum quæ sumuntur, digestio succedat: ita pro Religiosis, Nouitijs præcipuè ac Tyronibus, est bonum consilium: ne vno tractu Regulas omnes perlegant; sed quotidie aliquam partem: vt sic faciliùs eam possint digerere, & ad sua interiora trajicere. Eum in modum, quo a *Leuita* (vt ait Esdras) *legebant in volumine legis Domini Dei sui quater in die*, parum scilicet singulis vicibus, *confitentes & adorantes Deum etiam quater*: siue lectionem interrumperent laudibus; siue lectionem & laudes aptè simul commiscerent. Nam lectio legis Dei, & ipsius Regulæ non siccè, & cursim fieri debet; sed paulatim,

Similitudo.

2. *Esd.* 9. 3. Exemplum.

& cum aliqua mora: vt varij affectus ac petitiones lectioni misceantur spiritui conformes, qui in legente prædominatur; & quem eius author habebat. Nam (vt Sancti Patres asserunt) sacra Scriptura non potest commodè intelligi, nisi quis eundem induat spiritum, quo illa fuit scripta. Nonnisi enim poteris (ait S. Bernardus) sensum S. Pauli in suis epistolis; nec Dauidis in suis Psalmis bene assequi, & penetrare: nisi eundem spiritum habeas, quem illi habuerunt. Et S. Gregorius ait: Si interiùs es à bono spiritu permotus desiderio & affectu alicuius virtutis: statim capies, quæ S. Scriptura de ea dicit: quæ adhuc excitabit te, ad eam desiderandam, & procurandam. Eum in modum, inquam non satis capies & assequeris spiritum Regularum, nisi earum Authoris spiritum induas. Et cum affectus eris, & permotus desiderio paupertatis, aut humilitatis, tunc facilè penetrabis, quæ Regula ipsa de eis tradit; ipsaque lectio maiorem in te feruorem excitabit, ad easdem procurandas.

Ad Fratres de Monte Dei. Cassia. Coll. 10. c. 10. & Coll. 4. c. 9 Homil. 7. in Ezech.

SED in genere S. Augustinus tetigit spirituum ac sensuum varietatem, quibus perlegendæ sunt Regulæ: nunc spiritu compunctionis & lacrymarum aspiciendo in eis tanquam in speculo multitudinem & grauitatem peccatorum, & defectuum nostrorum, ob earum transgressionem. Eum in modum, quo b *flebat omnis populus Israël, cum audiret verba legis Dei.* Et c *Rex Iosias cũ audisset verba libri legis Domini, scidit vestimẽta sua,* præ dolore: aduertis ex eius lectione culpas admissas contra eam; & pœnas quas in eo Deus minabatur. Neque est præter rem consilium illud, vt quando Regulæ leguntur, aliqua pœna sese quisque eo die afficiat, ob culpas quæ aduertentur contra eas admissæ; aut saltem ad finem hebdomadæ, aut mensis, quando omnes erunt perlectæ. Feruens enim Religiosus statim atque culpam aduertit, dolet, ac tristatur. d *tristitia* autem *quæ secundùm Deum est, pœnitentiam* (vt ait Apostolus) *in salutem stabilem operatur.*

b 1. Esd 8. 9
c 4. Reg. 22. 11.
d 2. Co. 7. 11

HVIC spiritui valdè affinis est spiritus humilitatis & cognitionis sui ipsius, erubescens cùm Regula legitur, de suis imperfectionibus; & cogitans, quàm multum sibi desit ad perfectionem, quæ in ea est depicta. Licetque tibi cogitare: cùm eam legi audis: Dominum nostrum per os legentis dicere tibi quod dixit Ezechieli: e *Tu fili hominis, ostende domui Israël templum & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam* suam: *& erubescant ex omnibus quæ fecerunt.* Quid autem aliud est Regula in charta scripta, nisi quædam idæa & effigies sanctitatis; qua Religiosi, qui sunt viua Dei templa ornati esse debent? Hæc igitur idæa ea sic picta ac descripta, ostenditur eis singulis septimanis, aut mensibus: vt confundantur de defectibus in Regularum transgressione; & conentur eos reparare. Et vult, ipsos metiri hanc fabricam; vt bene assequantur latitudinem, & longitudinem; altitudinem,

e Ezech. 43. 10.

& pro-

& profunditatem virtutum, quas Regula proponit: vt erubescant videntes, se tam procul distare ab eis; & simul animum sumant seseque exstimulent ad eas procurandas: ædificantes in animabus suis pulcherrimum templum, huic exemplari omnino conforme.

Hic alius est finis, & scopus respiciendus in lectione Regularum: vt audientes, fabricam nostram metiamur, ad videndum quid nobis desit, & festinemus, vt illud assequamur, & totum ædificium perfectè absoluamus. Nihil enim aliud est Regula paupertatis Religiosæ, quàm idæa quædam siue figura depicta, aut descripta viuæ paupertatis, in anima nostra ædificandę quam idæam cùm legeris, metiri debes quatuor eius partes. *Altitudo* eius, est imitatio Christi in cruce nudi; *latitudo*, est nuditas in omni genere rerum temporalium; *longitudo*, est perpetuitas & continuatio per totam vitæ spatium; *profunditas*, est suijpsius contemptus tanquam veri pauperis, digni, qui ab omnibus contemnatur. Et in progressu huius mensuræ aduertere debes, quid tibi ad eam desit; & excitari ad eam implendam, non abijciendo animum, quamuis multum desse videas. Deus enim, qui tibi dedit, quod habes, reliquum dabit, quod cupis: modò gratias & gloriam pro omnibus ei reddas firmiter credens, quod sicut ipse est, qui illam idæam delineauit: ita idem est, qui præcipuè ædificium sit perfecturus. Et quemadmodũ ipse ponit ob oculos exemplar & materiam virtutum: ita idem est (vt Ieremias ait) f *qui in corde eorum eas scribet*: ac proinde ad eum recurrendum est in orationibus, cum cogitas & agis de eis in te exprimendis, dicens cum Dauide: g *Doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu*. Gubernator, & Saluator meus. Et cum eam doceas me per Regulas, adiuua quoque tuâ gratiâ ad eas obseruandas. Alia documenta alicuius momenti ad legendum vtiliter sacros & pios libros posuimus in Duce spirituali: qui vsui etiam sunt ad lectionem Regularum. Quæ, quòd à sacro Euangalio profluxerint, meritò legi debent cum ea reuerentia, attentione, ac deuotione, quam id promeretur, quòd ex fonte adeò nobili, & excellenti promanat.

Exemplum.

f *Ier.* 31. 33.

g *Ps.* 142. 10.

Tract. 2. c. 2.

(∴)

CAPVT III.

PRÆCIPVVS VOTORVM ET REGVLARVM SCOPVS *est assequi perfectionem Charitatis in supremo gradu, qui ealestem vitam imitatur, & mortificat terrenam.*

Collat. 3. c. 2 & 4.

QVI CVPIVNT VOTA SVA ET REGVLAS maxima, quæ possunt excellentia, seruare: ante omnia conijcere debent oculos (vt ait Cassianus) in eum finem, quem per hæc media assequi student; & in scopum, quò suam intentionem dirigunt: qui in ipsis Regulis est præscriptus. Qui, absque vllo dubio, est ascendere & peruenire ad sublimitatem puritatis & sanctitatis, quam Apostolus a *fructum* appellat *sanctificationis: cuius finis est vita eterna.* Hæc sanctitas est, quæ absolutè vocatur perfectio; & consistit in charitate, quæ est vita, forma, & pulchritudo animæ, & reliquarum omnium virtutum: sine qua nullus est, nec in oculis Dei vocari potest plenè perfectus quamuis in fide, in scientijs, & gratijs gratis datis; & in reliquis studiosis operibus emineat. Et quo passu Charitas hæc crescit, augetur & sanctitas, & perfectio, & ipsum *perfecti* cognomen, iuxta illud, quod Abrahamo dixit Deus: b *ambula coram me, & esto perfectus.* Non dixit esto perfectus in hac vel illa re; sed *esto perfectus* insinuàs ei, quòd talis esse deberet in rebus omnibus media charitate, quæ omnes complectitur. Nam coram Deo, nec itur, nec progressus fit versus cœlum, nisi gressibus diuini amoris. Qui si desit: omnia sistent, & hærebũt absq; vllo merito. Id enim insinuauit Apostolus, cùm dixit: c *veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*, in virtute scilicet Christi, & qui est caput nostrũ crescamus in Charitate, & in rebus omnibus ac virtutibus; & actionibus quas faciemus: quarum vita & anima est Charitas. Quæ duos habet excellentissimos actus, & vterque spectat ad perfectionem; eíque finis & scopus votorum ac Regularum, licet non in eodem gradu. Perfectissimus & nobilissimus actus, in quo præcipuè consistit perfectio, (vt ait Angelicus Doctor) est amor Dei super omnia. Ad cuius alimentum & incrementum dirigunt Regulæ exercitia illa, quibus spiritus Religiosi cum spiritu Diuino coniungitur: estque intimè ligatus & vnitus Deo suo cum intentione purissima eius gloriæ, & familiaritate cum Diuina eius Maiestate; cuius voluntate suam habet valdè vnitam & conformem.

a *Ro. 6. 22.*

b *Gen. 17. 11*

c *Ephe. 4. 15*

Opus. 8. de perfect. c. 1.

A nobilissimo hoc actu secundus procedit, amor scilicet proximi propter ipsum Deum: in quo, & propter quem Religiosi profitentur se inuicem amare, & inter seipsos vno eodemque spiritu Dei ita vnitos esse: vt alter

alterius

alterius onera portent; & sic meliùs adimpleant legem Christi, quæ lex est veri amoris. Ad cuius conseruationem constituunt etiam Regulæ multa documenta & ordinationes magni momenti. Ad remouenda autem impedimenta huius Charitatis, duorumque eius actuum, constituunt Regulæ varia mortificationis exercitia, tam in materia ipsorum votorum, quàm rerum aliarum. Nam, vt Sanctus Augustinus dixit: cupiditatis imminutio est charitatis incrementum. Quare sublato impedimento, quod aderat, per mortificationem, & mortem cupiditatis sequitur propensionem suam ascendendi & crescendi vsque ad vltimum, quo possit peruenire. Et hæc ferè est summa rerum omnium, quas Regulæ & Constitutiones Religiosæ complectuntur; easque sensim declarabimus iuxta ea, quæ omnibus Religionibus sunt communia. Nimis enim prolixum esset, cuiusque particularia adferre: & aliàs erit facilè hæc intelligere ex ijs, quæ in genere de omnibus dicentur.

Lib. 87. qq. q. 36.

§. 1.

INCIPIENTES igitur à Charitate; quæ omnium præceptorum Diuinorum & humanorum est finis: præmissis, quæ in primo tomo de Christianæ perfectionis celsitudine, quam omnes profitemur in Sacramentis Baptismi & Confirmationis, dicta sunt: vt intelligamus, quod est proprium perfectionis Religiosæ, est aduertendum: quòd quemadmodum purissimus Dei amor radix est, principium, finis, ac motiuum amoris proximorum, & nobis est primum ac supremum omnium præceptorum: ita etiam est prima Regula & mensura perfectionis Christianæ, ac Religiosæ. Et sicut hic amor quatuor habet gradus: ita quatuor sunt perfectionis gradus, quos mirificè explicat Angelicus Doctor in opusculo, quod de hac materia scripsit; & respondent quatuor gradibus virtutum, quas antiqui Philosophi proposuerunt, & appellarũt *exemplares, purgati animi purgatorias, & politicas.* Et, vt idem S. explicat: primæ sunt propriæ Dei, quæ sunt *exemplar* Angelorum & hominum; secundæ pertinent ad beatos, qui ab omni genere vitij & imperfectionis sunt mundi: & propterea appellantur *purgati animi*; tertiæ ad eos spectant, qui continuè magis ac magis *purificantur* eo animo, vt quotidie magis ac magis ad Diuinam similitudinem accedant: quemadmodum Religiosi profitentur; vltimæ, quas *politicas* vocant, sunt quas ordinariè habent homines; & vulgus Christianorum exercet. Hunc in modum *primus* Diuini amoris *gradus* & exemplar est, diligere Deum, quantum ipse est diligibilis: ita vt amor ipse sit ipsius bonitati æqualis. Et cum ipsius bonitas & pulchritudo sit infinita, ita amor sit infinitus. Et hic gradus est pro-

Tract. 2. c. 6.

Opusc. de Perf. c. 3. & sequentib. Vide Bellar. tom. 2. de Monach. l. 2. c. 61. A.

1.

prius solius Dei, qui seipsum amat quantum potest, & quantum dignus est amari. Et hoc amore diligunt se tres Diuinæ personæ, quæ sunt infinitè perfectæ cuius perfectio est exemplar nostræ, eo modo quo potest creatura suum imitari Creatorem, iuxta ipsius Saluatoris sententiam dicentis: a *estote vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: faciendo scilicet quicquid possibile est, ad eum imitandum, vt suo loco explicuimus.

a Mat. 5. 48

2. Tom. 1. Tract. 2. c. 6

SECVNDVS perfectionis *gradus* est, diligere Deum quantum est possibile vt creatura actuali & continuo amore eum amet, non separando ab ipso nec cogitationem neque affectum; neque vllum sentiendo motum amoris aut cupiditatis inordinatæ ad rem, quæ illi displiceat; sed summum repetando gaudium, quòd continuè se occupet in rebus, quæ illi placent; & impleat quicquid ille vult. Et hic gradus est proprius Angelorum & beatorum spirituum. Quos dicit Sanctus Augustinus implere integrè quod primum & supremum Diuinæ legis mandatum continet, scilicet, b *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima, spiritu, & viribus*: quod tamen etiã proponitur mortalibus tanquam exemplar amoris, quem ad suum Creatorem habere debent: & ita qui adhuc in hoc mundo viuunt, studeant perfectionem imitari habitantium in Paradiso, iuxta eiusdem redemptoris sententiam iubentis dicere quotidie in oratione Dominica: c *fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*. Hoc est cum ea perfectione, qua cã implent qui facie ad faciẽ vident iam ipsum Deum. Ad hanc perfectionem aspirabat Apostolus, cùm dicebat: d *nondum accepi* quod spero, *nec sum iam perfectus: sequor autem, si quomodo illud comprehendere* pro voto meo potero.

Lib. de perf. Iustitia. S Tho. 2. 2. q. 44 a. 6. & q 184. a. 3
b Deut. 6. 5 Mat 22. 37.
c Mat. 6. 10
d Phil. 3. 12

3. Ex quo fit, vt *tertius gradus*, qui ad hũc magis accedit, consistat in diligendo Deo quantum creaturæ in hac vita morali est possibile: repellendo à se omnia Diuini eius amoris impedimenta. seq; omnino consecrando sui Creatoris seruitio. Et hic est proprius sectantium perfectionis statum: tam Religiosorum, qui ad hanc amoris celsitudinem procurandam se mancipant; quàm Episcoporum, qui meritò deberent iam eam habere. Et in hoc gradu eò Religiosus erit perfectior, quò magis ab ipsa radice hæc euellens impedimenta, reijciendo à se res omnes & affectus, quibus per tria vota, iuxta suas Regulas, renuntiauit; & aspirando ad implendum perfecte quod amoris præceptum exigit; & occupando spiritum suum, animam, sensus, & vires omnes in ipso Deo semper diligendo: eum recenti memoria tenendo, eius q; voluntatem opere exequendo: non solùm in seruandis eius præceptis, sed etiam amplectendis consilijs, quasi persona huic tantùm rei prorsus dicata.

4. INFIMVS *gradus* consistit in eodem Deo diligendo, quantum necesse est ad illi placendum, & nunquam offendendum: ita cum super omnia a-

mando

mando, vt nihil plus quàm ipsum, imò neque tantùm diligamus: sed reijciamus à nobis, quicquid huic amori aduersabitur. Et hic perfectionis gradus est omnibus iustis communis. de quo dixit Sanctus Ioannes : e *Qui seruat verbum Dei, verè in hoc Charitas perfecta est.* Quamuis, si hæc charitas cum tertio gradu conferatur, sit eo imperfectior : vt apertè constat ex responso Christi Domini nostri dato ei, qui tota vita sua mandata custodierat : f *Si vis perfectus esse, vende quæ habes. &c.* Apertè enim significauit, eum non esse perfectum: medium autem, vt perfectus euaderet, esse, facere, quod insinuabatur nos & in tertio gradu diximus. Nam statim atque res omnes dimiserit, & impedimenta, quæ illæ adferunt, remouerit: incipiet (ait Origenes) speculatio Dei, adducere eum ad omnes virtutes, sustollendo eum per gradus suos ad earum perfectionem & culmen.

e 1. *Ioan.* 2. 5.

f *Mat* 19. 2

Hom. 8. *in Matth.* *S. Th.* 2. 2. *q* 185. *a* 1. *ad* 2

§ 2.

EX Prædicta doctrina deducunt Sancti Patres celsitudinem perfectionis, quam Religiosi profitentur in prædicto tertio gradu accedentes magis ad secundum & primum, quos habent quasi exemplaria, quæ imitentur. Id affirmat S. Bernardus dicens Monachis de monte Dei : Altissima est perfectio vestra, quæ cœlos transgreditur, & Angelis est æqualis, & similis Angelicæ puritati: non enim solùm omnem sanctitatem promisistis, sed perfectionem etiam eius totius, & vltimum culmen totius perfectionis. Non satis vobis est custodia communium præceptorum, nec aspicere solùm quod iubet Deus; sed etiam attendere, quid ille velit: approbantes Diuinam eius voluntatem bonam, bene placentem & perfectam. Sed qui fusiùs hoc declarauit, fuit Sanctus Basilius, discurrens per excellentias & magnalia Angelorum, & spirituum beatorum: vt ex eis perfectionem deducat Religiosorum propriam. Et totum postea collegit breui hac vitæ Religiosæ definitione: Abrenunciatio est transcriptio cordis ab humano viuendi ritu, ad eum qui in cœlis est: ita vt dicere possimus : nostra conuersatio in cœlis est. præsupponit enim magnus hic Pater, præter sæculatem viuendi modum, qui est peccatorum proprius, esse duos alios in Ecclesia, ortos ex duobus vltimis prædictis gradibus charitatis : altero humano, altero cœlesti. Humanus admittit res omnes licitas & hominibus permissis: quale est diuitias possidere, coniugium contrahere, prudentia propria sese gubernare, & similia: quæ ex his sequuntur sunt que ponderaq; quæ charitatis volatum retinent, quasi ad pedes aquilæ duo plumbea pōdera alligentur: cum quibus etsi volare possit, non tamen tam altè, nec tanta velocitate, atq; si illis careret. Modus viuendi cœlestis omnibus his rebus, quę sunt Spiritui graues renuntiat, (quasi ablatis aquilæ ponderibus plumbeis)

De Const. Mona c. 19. *Regula* 8. *ex Fusis. Phil.* 3. 20.

& sclin-

& relinquit liberam Charitatem: vt maxima, qua potest, celeritate volans, ad supremum cœli culmen ascendat; Deumque diligat, sicut ibi diligitur; & faciens quicquid possibile est, vt imitetur magnalia illa, quæ ibi resplendent; Contemptum scilicet diuitiarum & honorum temporalium; puritatem absque vsu marrimonij; integram subiectionem & obedientiam Deo in rebus omnibus; continuam in Diuinis laudibus occupationem, summam omnium & mutuã coniunctionem; non tamen negligens propterea curam hominum in mundi periculis existentium, sed accedens, quãdo Deus vult, ad eos iuuandos in via cœlesti. Et hæc est transscriptio quam efficit in Religiosis perfecta Charitas, virtute inspirationis Diuinæ: cuius sunt mutationes adeò admirandæ, propter quas quidam Sancti Iob amicus dixit: h *super hoc expauit cor meũ, & motũ est de loco suo.* Locus cordis (ait Sanctus Gregorius) est voluptas præsentis vitæ, cui valde afficitur: tactum tamen à Diuina inspiratione, ad alium locum mutatur, ad amorem scilicet vitæ æternæ: transferens suos affectus à temporalibus ad æterna; & à visibili hoc mundo ad id, quod est inuisibile. Et sicut scriptura dicit de Henoch: i *ambulauit cum Deo, & non apparuit*: in hoc scilicet mundo: *quia tulit eum Deus* ad alteri non degustatata morte; & posuit in paradiso, vbi vitam ducit sanctam, & quietam vsque ad constitutum tempus. Ita (ait Cassianus) perfectus Religiosus ambulat semper cum Deo, non auertens oculos ab eo quod illi placet. Et non apparet in deprauato hoc mundo, à quo Dominus noster eum eduxit, & k *transtulit in regnum filii dilectionis suæ*, paradisum scilicet Religionis, ne degustet, si voluerit, mortem peccati, nec sæculi huius amaritudines: sed viuat vitam quandam pacificam, quietam & sanctam: ad similitudinem eius, quæ ducitur in cœlo. Ac si mentis habitu (ait Sanctus Basilius) veluti in alium mundum commigrauerimus, inuisibilem scilicet & beatorum.

h *Iob* 37. 1. *ib.* 17. *nor.* 6. 9.

Gen 5. 14. *Heb.* 11. 5.

Coll. 3. 6. 7.

Coloss. 1. 13

Reg. 5. *ex Eusis.*

HINC FIT, vt quemadmodum qui ab vno regno in alterum valde dissimile transit eo animo, vt perpetuus in eo sit ciuis, non amplius in patriam suam redeuntus: dat operam, vt etiam idioma & habitum sux nationis mutet, ne aduena & peregrinus habeatur; & conatur iura & consuetudines seruare regni illius, in quo habitat: quia secundùm ea est iudicandus: ita etiam bonus Religiosus, qui ex huius mundi regno ad Christi cœleste migrat: vt in eo, l *non vt hospes & aduena, sed sicut Ciuis & domesticus Dei*, habitet in societate Sanctorum eius; studet obliuisci phrasim hominis veteris, & Adami terreni; & discere magna arte & industria phrasim hominis noui, & Adami cœlestis. Quisque enim ita loquitur, sicut ipse est: m *qui de terra est* (inquit Saluator noster) *de terra loquitur*; & qui est de cœlo loquitur cœlestia. Homo itaque terrenus libenter loquitur de rebus mundanis ac terre-

l *Ephe.* 2. 14

m *Ioan.* 3. 31.

nis,

nis; cœlestis autem de cœlestibus ac Diuinis. Parum est, quod Religiosus non loquatur phrasim hominis veteris; quæ (vt Sanctus Bernardus ait) est arrogantia, & murmuratio: nam de se loquitur cum iactantia; de alijs autem male & cum contemptu: quia iusti huius sęculi ad id quodam modo videntur adstricti: ipse autem Religiosus vlteriùs progredi debet, vt semper loquatur selecto noui hominis idiomate: de quo loquitur Apostolus, cùm ait, quòd loquendum sit semper cum Deo, aut de Deo, aut de rebus ad bonum proximi spectantibus pro gloria solius Dei. n *loquentes, vobismetipsis in psalmis, & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi*, vt vitæ mutatio per ipsam linguam manifestetur. Etiam hæc vitæ mutatio est manifestanda mutatione habitûs: non tam exterioris, vt ille sit rudis huius coloris, aut figuræ talis; quàm habitu virtutum, quæ tegunt & exornant corpus & animam, o *expoliantes* (vt ait Apostolus) *veterem hominem cum actibus suis, & p induentes nouum, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis* Præcipuè verò *induenda sunt viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*; & super omnia, opera ipsiusmet Charitatis. Et quamuis harum virtutum habitus eidem sint in omnibus iustis, siue sæculares sint, siue Religiosi: sicut tamen ex eodem panno diuersæ valde fiunt vestes, ob formarum varietatem, aut ornamentorum elegantiam: ita etiamsi virtutes, quoad substantiam sint eædem in omnibus iustis; & ex hoc omnes appellentur q *homines cœlestes*, ad imitationem *Adami cœlestis*. Religiosi tamen multò maiorem habent excellentiam, propter varios consilij actus, quibus illas exornant: vt similes sint illis, quibus cœlestes ciues se siduunt; & eodem modo calceos mutant, deponentes antiquos, affectuum scilicet ad res huius mundi mortuas. r *Terra enim in qua stant* (vt dictum est Moysi) *est sancta*: ac propterea non possunt in ea esse nisi pedes tegant *triplicino* affectuum cœlestium. Perdit valde Sanctus Dionysius, quod Diuina scriptura proponat Cherubinos ac Seraphinos, qui amore ardent, nudos ac discalceatos, proprijs tamen alis coopertos. Nam duabus tegunt medium corpus, vsque ad pedes; alijs verò duabus reliquam medietatem vsque ad caput. Vt significetur, eos, qui Dei amore ardent, sunt que homines cœlestes in vita, profiteri summam rerum omnium temporalium nuditatem; discalceantes se etiam inordinatis affectionibus ad res terrenas. Pro habitu tamen proprias habent alas, quæ sunt virtutes. Alijs tegunt caput, & superiorem spiritus partem, quæ est intellectus & voluntas: fide scilicet, prudentia, & sapientia; spe, Religione, iustitia, misericordia, & alijs similis Notæ: alijs virtutibus tegunt pedes, & inferiorem animæ partem, appetitiones sensuales: temperantia scilicet,

Serm. 30. e paruorum.

n *Eph. 5. 19. Colos. 3. 16.*

2.

o *Col. 3. 9.*
p *Eph. 4. 23.*

q *1. Cor. 15. 47.*

r *Exo. 3. 5.*
s *Eze. 16. 10. Cap. 15 de Celest. Hier. Isa 6. 2. Vide Pradū in Ezech. 1.*

castitate, modestia, fortitudine ac reliquis moralibus, quæ passiones coërcent. Et vtræque sunt in eorum cordibus defixæ, quibus adhærent sicut alæ
t *Eccl.* 3.1. ipsi aui. ac propterea Ecclesiasticus dixit: t *Iustorum nationem esse obedientiam ac dilectionem*: ita insinuans, huiusmodi virtutes esse quasi rationales propensiones, & quasi connaturales nationi iustorum propter longam earum exercitationem. Et quoniam Deum diligunt, nunquam has vestes exuunt, quæ status eorum sunt propriæ. Deus enim summè irascitur (vt quidam Propheta dixit) in eos, u *qui induti sunt veste peregrina*. Peregrinas autem iudicant,
u *Soph.* 1.8. non solùm eas, quæ à professione Christiana degenerant; sed etiam, quę sunt alienæ à Professione Religiosa.

DENIQVE Religiosi, vt mutationem suam concludant, mutant iura & leges gubernationis: renunciant enim iuri sęculi, & legibus carnis, quæ præceptis & consilijs Euangelicis aduersantur. Faciunt enim, quòd Apostolus
x 2. *Cor.* 10.3 dixit: x *in carne ambulantes non secundùm carnem militamus*; sed secundùm spiritum. quia quisque Religiosus legibus illis gubernatur, quæ in sua Regula sunt expressæ: illa enim eius est proprium forum. Et tunc extollitur, vt ait S. Basilius ad suam conuersationem & familiaritatem in cœlo habendam. Alæ enim, quæ illum tegunt, celerem reddunt ad volandum; ita vt corpore in terra degens, spiritu ascendat ad meditanda & contemplanda, quæ geruntur in cœlo. Angeli enim ostium illi aperiunt: quia delectantur cum eo agere, qui tantam cum ipsis habet similitudinem; & ipsemet Deus ad familiaritatem suam eum admittit: quia videt eum adeò exutum impedimentis, indutum verò pulchris ornamentis, quæ ipsum ad id iuuant: in his enim omnibus magnitudinem ostendit amoris, quo Deum prosequitur.

CAPVT IV.

RELIGIOSA PERFECTIO ETIAM CONSISTIT *in continuo progressu & incremento mortificationis, & exercitationis reliquarum virtutum, quas ipsa charitas vrget, & impellit.*

QVONIAM CHARITAS IN HAC VITA SEMPER perfici potest: ideò admiranda consilia & efficacitatem adhibet in quærendis medijs ascendendi ad culmen vitæ cœlestis, quam desiderat: efficiens in ipsa anima cordiale desiderium & famem insatiabilem crescendi & proficiendi in obsequio Diuino, nullo constituto termino aut limite huius desiderij. Quemadmodũ enim a *ignis nunquam dicit: sufficit*:
a *Pro.* 30.16. ita amor nunquam satiatur amando, & operando; sed quotidie vellet proficere & excellere, nulla prætermissa sui profectûs occa-

sione,

sione, magna aut parua: ideoque omnes virtutes ad id coniungit & excitat; & nominatim integram mortificationem suiipsius & suarum facultatum, ac sensuum in rebus omnibus, quæ illud incrementum impediunt; orationem, & frequentem cum suo Domino familiaritatem; cantando, aut orando, meditando aut contemplando; dexteritatem in bene examinandis & purificandis suis actionibus; & in vnaquaque coniungendis multis virtutibus, vt in singulis actionibus omnes crescant, humilitatem cordis, diffidendo sibiipsi, soli autem Deo confidendo: cuius esse debet vniuersa gloria: ac denique constantiam & firmitatem in continuandis status sui exercitijs, cum omni plenitudine, quam illorum singula petunt. Exhis alijsq; virtutibus adeò admirabile sequitur incrementum, vt ipsemet DEVS, eius aspectu recreatus, dicat illud canticorum: b *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris & vniuersi pulueris pigmentarii* periti, arte confecti? In quibus verbis præclarè proponitur prædicta celsitudo feruentis incrementi: quod anima Religiosa profitetur: cuius proprium nomen est: *quæ ascendit*: nam semper ab inferiori gradu ascendit ad altiorem; à temporali ad æternum; à creaturis ad Creatorem. c *disponens* (vt ait Dauid) *ascensiones* & incrementa præclara *in corde suo*. Nam à custodia præceptorum ascendit ad obseruantiam consiliorum; & ab vno consilio ad alterum præstantius; à paupertate ad Castitatem; à Castitate ad Obedientiam; ab vno gradu Obedientiæ ad alterum excelsiorem; & ab vna virtute ad aliam magis heroicam; pergens in hoc incremento quamdiu viuit *in valle lacrymarum in loco, in quo illum posuit Deus*, in deserto scilicet sacræ Religionis: quam vocat desertum, aut solitudinem: quia feruens Religiosus deserit ac reijcit quicquid potest ipsum ad ascesu adeò glorioso retardare. Et (vt ait Sanctus Gregorius) quamuis corpore habitet cum alijs in hoc mundo: animo tamen ita viuit, atque si esset in deserto: euellens seipsum strenua ac vehementi mortificatione à personis & rebus, quas in sæculo habebat & à diuitijs, honoribus, ac voluptatibus: quæ affixum illum tenebant ad terram: & quòd amplius est, quo modo potest, fugit seipsum, & carnem suam; vt secundùm leges spiritus viuat. Ac propterea comparatur *virgulæ fumi* rerum fragrantium, ascendentis per aërem, quasi fugiens terram & substantiam terrestrem, cui erat immersus; spargens suauissimum valdeque confortantem odorem, ob ingentem ædificationem, & admirationem, quã huiusmodi ascensus adfert: in quo non minus elucet animæ humilitas, quàm magna eius fortitudo. Ad significãdam humilitatem dicitur, *ascendere sicut virgula fumi*: quæ (vt nota Rupertus) in specie videtur exigua; &, licet multum crescat, videtur sibi parum crescere iudicat enim, se deformem & nigrũ, sicut ipse fumus: cũ in rei veritate sit fumus fragrãs: cuius color nõ offendit oculos Dei, & suauis eius odor

b Cant. 3. 6.

c Psal. 83. 6

In eum locum.

Vide Mart. Delrio, ibi.

eum placat, tanquam sacrificium, quo valde delectatur. Sed, vt eius fortitudo ostendatur, alia versio habet: *ascendit sicut columna, aut palma fumi*, quo significatur, ipsum crescere & ascendere rectâ instar palmæ, & firmiter, instar columnæ: ita vt nec venti tentationum in varias partes spargant, aut distrahant: nec eius in virtutibus profectum impediant, sed ascensionis & incrementi huius palmam ferat. Ad hæc omnia plurimùm iuuat myrrha mortificationis, & pœnitentiæ; & thus orationis vocalis ac mentalis: quæ adeo sunt in Religiosa vita frequentes. Ac propterea nominatim earum meminit, sine quibus conseruari non potest; cum illis autem suauiter & efficaciter conseruatur, crescit, & perficit ipsam mortificationem; quæ licèt amara sit, præseruat tamen à culpis; carnisq; virorem consumit, ne spiritus volatum impediat. Orationi ex officio (vt ait Sanctus Ioannes Damascenus) incumbit: vt sit ascensus spiritus ad Deum; in cuius conspectu se collocet, ad vires necessarias cum gemitibus obtinẽdas, ad reliqua exercitia Religiosa; aut ad contẽplanda & meditanda mysteria Diuina; vt suauitate, quæ in oratione percipitur, dulcescat mortificationis amaritudo. Cum hac myrrha & thure coniungi debent reliqui pulueres fragrantes reliquarum virtutum, tritarum & contusarum in modum gummi, donec in pulueres redigantur.

bi. & lib. 1. mora. c. 19.

NAM (vt ait Sanctus Gregorius) vir feruens non aggreditur, aut suscipit virtutum opera confusè; sed magna discretione ac prudentia examinat, & penetrat omnia, respiciens finem, tempus, & locum, reliquasque circumstantias: quas opera illa habere debent; nulla, etiam paruula, prætermissa. quiuis enim in his defectus displicet Deo, qui est in rebus omnibus perfectus. In cuius rei figuram iussit olim Deus, vt d *thymiama*, quod erat mixtum *ex myrrha, thure & aromaticis* alijs speciebus, valde puris ac nitidis, *contunderetur vsq; ad tenuissimum puluerem*: & hoc modo poneretur coram tabernaculo testimonij, vt suo tempore in ignem mitteretur thuribuli. Qua ratione significabat: tunc maximè sibi placere opera nostra, cùm in eis variæ virtutes miscentur, & coniunguntur: bene examinatis & ad particularia deductis, quæ ad singula pertinent. Quare quodcunque opus Religiosus perfectus præstet, esse debet tanquam thymiama quoddam, & mixtura myrrhæ, thuris, & vniuersi pulueris fragrantis. Ita vt siue ieiunet, siue cantet; studeat, aut concionetur: in omnibus debet splendere mortificatio, Oratio, Obedientia, patientia, humilitas & fortitudo, zelusq; proprij profectus ac perfectionis, & in singulis operibus crescat in omnibus virtutibus: quia omnes comitantur singulas.

d *Exo. 30 35*

SED hoc totum vnde tanquam ex origine prouenit, nisi à feruente charitate, quæ est sanctuarij ignis, quo offeruntur Deo omnia sacrificia, ac thymiamata? nam quemadmodum pulueres fragrantes neque ascendunt.

neque

neque odorem emittunt, nisi conijciantur in prunas, quarũ igne subtiliores redduntur; & afflant suauiolentem fumum; & hoc modo sensim ascendunt: ita omnia opera studiosa non possunt ad cælum ascendere sine charitate: sine qua apud Deum nec meritum vllum est, nec incrementa; nec alicuius sunt momenti res etiamsi aliàs valde videantur splendidæ. Siquidem, vt Apostolus dixit e *Si linguis Angelorum loquar, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas. & si tradidero corpus meum ita vt ardeam: charitatem autem non habuero*, nihil sum, *nihil mihi prodest*: vt vitam æternam promerear. Et fumus ex his flammis proueniens ordinariè non est fragrans, sed inanis: fumus enim erit Vanitatis, cuius radix & origo est pestilens ignis amoris proprij, expellens ex anima ignem amoris Diuini. Si tamen hic ardeat in prunario & thuribulo cordis cum accensorum affectuum prunis, purificat & attenuat omnia virtutum opera: vt tanquam fragrans odor ascendant in cælum. Tunc mortificationis myrrha fragrantiam suam spargit, & thus orationis ascendit, & peruenit ad conspectum Dei; Obedientia ordinarium terminum transcendit, crescit patientia, eminet castitas, & omnes splendent virtutes ob stupendam coniunctionem, quam efficit in eis charitas. Non ascendunt aut crescunt tumultuariè, & cum aliquo impetu; sed sicut virgula fumi sensim ascendens, & ita continuè, donec tota mixtura consumatur, ex qua prodit. Perfecta enim charitas, etsi feruens sit, non tamen est furiosa; sed prudens valde ac ordinata; disponens ascensiones moderatè & per gradus suos, quamuis valde instanter & continuè pergat in bonis operibus, donec cum omni perfectione eas perficiat.

e 1. Cor. 13. 1

Perfecta charitas Constanter pergit in bonis operibus.

NECESSE tamen est induere nos generosum quoddam & magnanimum cor: quicquid enim est excellens, & præclarum, simul est difficile; & quod pretiosum, rarum. Et in ipsa Religione etiam inuenitur vulgus: sed quod in ea est electum, adeò est admirabile, vt iure optimo de sancta hac congregatione Angeli dicant: Quæ est ista, quæ cum vulgo habitans, ambulet tamen quasi per desertum? & induta carne valde onerosa, summa celeritate in altum ascendat? quæ est ista, quæ ita nouit myrrham cum thure familiariter coniungere, amarum cum dulci, orationem cum mortificatione, & cum his virtutum multitudinem: nec tamen labore & cura eas coniungendi defatigetur? Quæ est ista, cuius cor est quasi prunarium, aut caminus: in quo semper ardet ignis sanctuarij, qui est Diuinus amor; & disponit suas continuas ascensiones vsque ad cælum, quasi fumum magni & fragrantis odoris; cum tanta humilitate: vt se reputet virgulam; & cum tanta fortitudine: vt sit quasi solida columna, & palma? opus hoc, Deus meus, est tuæ supremæ omnipotentiæ, ad ostendendam tuæ gratiæ efficacitatem in creatura adeò debili, qualis est humana natura. Sed tua esse debet ascensionis hu

ius gloria; tuoque auxilio omnes magnum concipiemus animum, ad eam perficiendam. De hoc in virtutibus proficiendi modo, cum omnibus conditionibus & proprietatibus illum comitantibus eò quòd omnibus Christianis sit communis, fusè actum est in libro Ducis spiritualis, ad quem nos remittimus Religiosum Lectorẽ. Ibi enim etiam inueniet, quod Status eius est proprium, & innititur sententiæ Dauidis, dicentis Deo: f *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: qui ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco in quo fuit positus: Etenim benedictionem dabit Legislator, vt eat de virtute in virtutem: donec videat Deum Deorum in Sion.* Ex quibus verbis cælesti luce bene perpensis, aduertent valde ignaui in Religione, radices & causas, cur tam parum in virtutibus proficiant: alij quòd non in corde, sed in operibus, & cæremonijs externis crescant, contenti cum ijs, quæ homines vident, & quod bonum apud eos nomen habeant. Quod non est ascensiones disponere in corde proprio; sed fortè in alieno. Alij, quod omnes suas cogitationes ponant in eo, vt studijs & exercitijs scientiarũ interiùs crescant in intellectu obliti affectuum cordis, in quibus virtutes consistunt. Et quemadmodum primi solùm crescunt, sicut hypocritæ, in externa specie: ita secundi, non aliter crescunt, quàm hydropici, haurientes multam aquam scientiæ, de qua Apostolus dixit: g *scientia inflat, charitas verò ædificat.* Alij parum proficiunt; quia non attendunt, nec cogitant, vt proficiant in valle lacrymarum, sed in valle delitiarum. Idque faciunt, vel quòd sint valde addicti delitijs, & voluptatibus carnis; & solatijs, corporisque commoditatibus; fugientes quicquid est pœnitentiæ, mortificationis, & crucis Christi: aut, quòd nimium afficiantur delitijs spiritus: nec Deum quærant propter ipsum, sed propter suam delectationem; nec ita se dedant exercitijs contritionis, ac doloris peccatorum, humiliationis, & confusionis propriæ: atque meditationibus rerum iucundarum ac delectabilium: quæ quamuis in se sint valde vtiles; non tamen pro ijs sunt tales, qui proprio amori sunt dediti. Et cum non ædificent super firmam propriæ cognitionis petram; sed super mobilem & inflabilem arenam propriarum sensuum delectationum: quæ non durant, sed accedunt & recedunt: ita progressus & incrementum ipsorum nec firmum est, nec solidum; & quocunque tentationis vento flante, homo deijcitur in terram. Alij etiam non progrediuntur, eò quòd non velint id facere in loco vbi Deus illos posuit; aut quòd non sint quieti & constantes in sua vocatione & Religione, ad quam fuerunt vocati: existimantes, se ampliùs ascensuros in alia; aut quod in ipsa Religione quidem manentes, non tamen quieti sunt in monasterio, aut officio, & occupationes, in quibus ab obedientia collocantur: quia existimant se in alio loco, aut ministerio maius solatium & vtilitatem habituros. Ex quo fit, vt alij non profi-

Tract. 4. c. 12. & 13.

f *Psal. 83. 6.*

Hypocritæ.

g *1. Cor. 8. 1.*

ciant.

ficiant: eò quòd non disponant suas ascensiones iuxta leges & Regulas à Legislatore propositas: cuius est alias benedictionem dare & auxilium: vt verè odiens, qui tales leges & ordinationes sequitur: eat de virtute in virtutem: eandem tamen benedictionem negat ijs, qui proprio iudicio, propriáque voluntate, aut aliis ratiocinationibus, ab Instituto & Regula suæ Religionis alienis volunt gubernari. Alii denique non crescunt, eò quòd ex indiscreto feruore nolint ascendere de virtute in virtutem, paulatim & per suos gradus progrediendo; sed vno impetu & tractu contendunt ad supremum omnium culmen salire; & fieri priùs Magistri, quàm boni fuerint discipuli, & sese statim dedere actionibus Mariæ, nondum exercitati in actionibus Martha; & multũ progredi in oratione, nõ cogitantes de profectu in mortificatione: quæ gradus est ad illam. Ingredere igitur, vir Dei, intra te ipsum ac diligenter examina: quænam ex his sex radicibus sit in te causa non proficiendi, sicut optares, in perfectione, quam profiteris: & stude, valde sedò eam, quã inueneris, mortificare & euellere: disponendo ascensiones tuas iuxta hæc documenta, quemadmodum in citato loco ea explicuimus: & sequendo omninò supremi legislatoris iussa & Regulas: sic enim licebit ab eius bonitate & liberalitate certò sperare copiosam benedictionem, & auxilium ad h *ascendendum de virtute in virtutem, donec videatur* clarè *Deus Deorum in Sion.*

Paulatim longius itur.

h *Psal.* 83.8

CAPVT V.

FINIS ET SCOPVS RELIGIOSI IN OBSERVATIONE *votorum est vivere modo quodam, mundo ipsi aduerso; simili verò, modo, quo Christus vixit: & varii mortificationis gradus, quos Regula ad id commendant.*

CVM MORTIFICATIO, vt vidimus, sit instrumentum & vniuersale medium, ad acquirendas & augendas virtutes in gradibus perfectionis, quos vnaquæq; exigit: ac propterea Spiritus sanctus, cùm hanc ascensionem & incrementum commẽdaret, primo loco eam collocauit, dicens: Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi a *ex aromatibus myrrhæ*? vt in proximo cap. dictum est. Hinc est, quòd cupidi multum proficiendi in virtute, præcipuè debeant respicere, vt multum proficiant in mortificatione; maiori tamen cura in quinque illis gradibus, qui sunt obseruationi votorum intimè coniuncti; & quorum facta est mentio supra, ita vt non desistant, donec ad supremum finem, in quem omnes diriguntur perueniatur: viuere sc modo quodam, è diametro repugnante ei, quem mundus seruat; sed ei valdè simili, quo vixit Christus. Finem hunc mirificè declarauit N. P. S. Ignatius in Regula quadam quam subijciam: quamuis enim mens mea non sit, Societatis nostræ Re-

a *Cant.* 3.6.

Tract. 6. c. 2.

gulas

Reii Summarij Examin.

gulas, sicut nec aliarum Religionum explicare: visum tamen mihi est, hanc declarare, eò quòd sit omnibus communis, sicut ipsa votorum custodia; & vt doctrinam tradam maximi momenti, & in vita spirituali valde pretiosam, in qua cum nostris loquens sic ait: Diligenter animaduertant oportet (magnifaciendo, summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantopere iuuet, ac conferat ad vitæ spiritualis profectum: omninò, & non ex parte, abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur; & admittere, & concupiscere totis viribus quicquid Christus Dominus noster amauit, & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur diligunt, & quærunt magna cum diligentia, honores scilicet, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet: sic, qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum sequuntur; amant, & ardenter exoptant, quæ ijs omnino contraria sunt: indui nimirum eadem veste, ac insignibus Domini sui propter ipsius amore, ac reuerentia; adeò vt, si sine offensione vlla diuinæ Maiestatis & absque proximi peccato foret: vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi, & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione;) eò quòd exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque vestibus, & insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum spirituales induit, nobisque exemplum dedit, vt in omnibus, quo ad eius fieri poterit, diuina gratia aspirante, eum imitari, & sequi, cùm vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.

Simile.

HÆC est doctrina cælestis, quæ meritò esse deberet insculpta in cordibus omnium Religiosorum, profitentium, se mundum fugere, tanquam hostem; recipere verò se ad scholam Christi Domini, cuius imitatio eos obligat, ad detestandum & contemnendum, quod mundus amat, & magni facit. Idque non tantùm in parte aliqua; sed omninò & vniuersim: quæ libet enim eius pars est valde periculosa; & qui partem vnam admittit; facilè admittet totum. Quale autem id est, nisi quod Sanctus Ioannes dixit[b]: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*? Ad cuius mortificationem diriguntur tria vota, vt suo loco diximus. Et idem Apostolus præmiserat: c *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Dei in eo.* Hi enim duo amores valde sibi inuicem aduersantur. Quod tamen in mundo magis emnet, & præcipuum est eius insigne, est *superbia vitæ*. Quare Antichristus caput mundanorum, in quo mundus detestandum suum spiritum deponet, eam accipiet tanquam suum nomen, & generis nuncupationem. Nam, characteres huius nominis, qui in græca lingua singuli certos numeros signifi-

b 1. Ioa. 3. 16

cant,

cant, ait S. Ioannes, c *numerum esse hominis, & numerus eius sexcenti sexaginta sex*: qui numerus inuenitur in græca voce *superbia vitæ*. Cui optimè aptatur cognomen hoc, & numerus in eo inclusus; ternaque repetitio numeri *sexti* in centenarijs, decimis, & vnitatibus: nam totus iple Antichristus erit superbia quædam vitæ in rebus omnibus visibilibus mortalis huius vitæ, quas Deus sex primis diebus condidit: in omnibus enim se plenum existimabit, confertum, & singularem in omnibus, ita vt neque in vnica sola aliquam inueniat quietem, aut solatium: quod significatur per numerum septenarium, in quo c *Deus requieuit*, & cessauit *ab omni opere quod patrarat*. De hoc enim infelici dicitur: d *Omne sublime videt, ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ*, quasi diceretur habere oculos valde elatos, nec dignari res inferiores aspicere, sed altiores. Has enim appetit, & in eis vult omnibus præferri: aut certè existimat, quod omnes excedat, aspiciens se in loco excelso; reliquos verò quasi in infimo, ac propterea eos contemnit & parui facit. Nec satis sibi esse existimat, quòd partem aliquam sublimem aspiciat; sed *omne sublime videt*, volens excellere in omnibus, quæ mundus sublimia reputat: quales sunt diuitiæ, scientiæ, dignitates, imperia, & dominia, splendor in aulis, vestibus, famulis, & ipsa mensa, ac cibis, quibus vescitur: nihil enim illi sapit absque condimento pompæ mundanæ. Et quemadmodum e *superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper*, vt dixit Dauid; ita superbia huius hostis Christi Domini ascendit etiam ad aspiciendas virtutes, in quātum eas excelsas iudicat, quas cùm non habeat, vult tamen inanem honorē ex eis. Et quod maiorem adfert stuporem, est, quod crescat, & eò vsque ascendat, vt aspiciat ipsum altissimum: quem cùm excedere non possit, vult tamen ei esse æqualis, dicens: f *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*. ad tantam autem adeoque stultam superbiam perueniet, vt g *velit haberi Deus*. Huius capitis membra sunt omnes mundani, qui filij superbiæ appellantur: quam tāquam matrem & Dominam habent; sunt que ei dedicati, vt obediant in rebus omnibus, in quibus honorem quærunt, authoritatem, famam, gloriam, & magni nominis existimationē: aspicientes omne sublime, & contendētes illud assequi. Et quamuis Antichristus nondum sit natus, nec venerit in mundum: iam tamen *mysterium operatur* suæ *iniquitatis*, habet que plurimos sui imitatores, idem sortitos nomen & numerum, *superbiam* scilicet *vitæ* eorū in suo infixam. Quos Apostolus h *inimicos crucis Christi* appellat, *quorum Deus venter est, & gloria* inanis, *qui terrena* tantùm *sapiunt*, nec aliud sciunt; aut magni faciunt. Ac propterea S. Ioannes illos appellat i *Antichristos*, quod significat Christi aduersarios: qui amplectuntur quæ mundus illos docet: Christus verò Dominus noster reijcit ac reprobat.

c *Apo.* 13. 18. *Vide Ledesm. à Valcaz. ib.*

Vide Viegas Apoc. 13 sect. exetica.

d *Gen.* 2. 2. *Iob.* 41. 25.

e *Psa.* 73. 23

f *Isai.* 14. 14. g 2. *Thess.* 2. 4 *Viegas supr. S. Tho.* 3. *P. q.* 8. *a.* 8.

h *Phil.* 3. 19

i 1. *Ioa.* 2. 18

§. I.

Lib. de vera Virginit.

INVERSO planè & contrario modo, quàm mundus adeò inordinatus, (ait P. N. S. Ignatius secutus doctrinam S. Basilij) viuere debent Religiosi, abhorrentes in omnibus quicquid mundus tanti facit, & complectitur; admittentes verò & concupiscentes totis viribus quicquid Christus Dominus noster amauit & amplexus est; adhibentes non partem aliquam virium suarum, sed quicquid illæ possunt, sequendum & imitandum caput suum; & eisdem vestibus & insignibus Domini sui indui, pro ipsius amore ac reuerentia. Et quæ istæ sunt vestes, quæ insignia: nisi quæ mundus horret ac fugit, eò quòd aduersentur concupiscentiæ carnis, & oculorum, & superbiæ vitæ? quàm, si cupis, esse perfectus Religiosus detestati debes super omnia, & horrere eius nomen; & numerum, quem in se continet, parui facere: imò & contemnere omnem amplitudinem & splendorem rerum huius vitæ.

1.

NON debes oculos altos gestare, aspiciendo quod sublime est, & excelsum in mundo; vt illud concupiscas: imo nec sublime iudicare illud debes; sed vile & abiectum, indignumque, in quod tuos conijcias oculos, tanquam in escam tuæ concupiscentiæ. Nam illud sublime in oculis mundi, stercus est & sordes in oculis Christi: & tale esse debet in tuis. Quod cùm tentator in memoriam tibi adduxerit, quasi sublime: debes tuum aspectum mortificare, & nec aspicere, nec concupiscere, sed demittere oculos in terram, ex qua fuisti formatus; & in puluerem, in quem conuerteris; & in nihilum, quod ex teipso habes; & in vestes & insignia Ducis tui Iesu; quæ sunt paupertas, dolor, contemptus, & ignominia. De quibus ampliùs gloriari debes, quàm de vllis alijs rebus; impensè optans, ad eius imitationem, iniurias & contumelias pati, & stultus haberi, ignorans, improbus, & sceleratus: modò nullam des ad id occasionem cum aliqua culpa, & summum reputes gaudium quando tale quid patieris. Nunquam te superbiæ filium appelles, sed humilitatis: eam accipiens in matrem, magistram, ac dominam, obediens ei in rebus omnibus, ad quas illa propendet; & in omnibus, quæ consonant doctrinæ de ea scriptæ. Et quemadmodum superbia semper ascendit, & proficit in peius; peruenire cupiens ad vltimum quod potest suæ inanis excellentiæ: tu contrà semper in eius odio proficere debes, & in abijciendo à te procul quicquid illa appetit; & a *allidere parvulos* huius filiæ Babylonicæ, eorumque violentos motus statim in initio confringere *ad petram* viuam, quæ est CHRISTVS humilis: cuius humilitatem accipere debes tanquam finem & scopum tuæ ascensionis & profectus; optans pro virili tua magis semper crescere, & ad eam accedere, siquidem ipse dixit: b *discite à me*, quia

a *Psal.* 136. 9

b *Mat.* 11. 29.

mitis

nius sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Non inuenies requiem, nec saturitatem, nec solatium in superbia vitæ, etiam obtenta quacunque amplitudine, quam optas: omnis enim talis amplitudo & splendor est periturus; & omnis eius computus est per numeros senarios; nec vnquam peruenit ad septimum vel octauum, in quo sit solatium huius & futuræ vitæ. Anima enim tua est spiritualis & æterna; eiusque capacitas immensa: quæ nec satiari potest, nec impleri bonis temporalibus, caducis, ac limitatis adeoque imbecillibus: vt quantumuis excelsa videantur, innitantur tamen pedibus fictilibus, quos vel minimus lapillus confringat; & machinam totam ad terram deijciat.

DEPENDENT quoque, à voluntate hominum, qui vt Luna mutantur; & quod hodie tribuunt, cras auferunt: quorum gloria est sicut flos fœni, qui vel glacie vel æstu marcescit. Si quietem quæris, illam inuenies in centro humilitatis: quod est tuum nihilum; & in imitatione Regis ac Ducis tui Iesu: cuius nomen (vt Sibyllæ prædixerunt) scriptum est characteribus quorum numerus non ad sexcentos sexaginta sex; sed ad octingentos octoginta octo ascendit: vt non sine magno mysterio; hoc numero octonario, per centenarium & denarium multiplicato, significaretur: per Messiam IESVM Saluatorem nostrum venturam nobis quietem & solatium huius vitæ, quod pertinet ad diem septimum; & ascendendum ad æternam alterius requiem, significatam per diem octauam æternitatis: in qua ipse Iesus Saluator noster erit omnia in omnibus; & habebis plenitudinem omnium bonorum. *Viegas & Valcazar. suprà.*

MEMOR esto, quòd omnes, qui nomen accipiunt Antichristi, & superbiam viæ acceptant, vt ait sanctus Ioannes, c *non habent requiem die ac nocte, & bibent de vino iræ Dei, & cruciabuntur igne & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum agni: & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum.* Cur ergo vis gloriari de ea re, quæ te spoliabit æterna requie; teque deijciet in horrenda & æterna tormenta? dele itaque, dele ex corde tuo execrandum illud nomen; nec relinquas in eo vel vnicum characterem, aut numeri eius partem: mortifica quamcunque rem, quæ superbiam vitæ redoleat, & vestigium aliquod habeat pompæ mundanæ: ne ex modico incidas in maximum. Attende, d *principem* superbi huius mundi, qui *venit*, vt aliquid suum in Christo Domino nostro inueniret, & tamen in eo *non habuit quicquam*; venturum etiam ad quærendum in te, quòd si aliquid inuenerit: accipiet te in seruum, & mancipium, & pro merito tractabit. 2. c *Apoc.* 14. 11. d *Ioan.* 14. 30.

SED quid dices, cum Saluator iudex viuorum & mortuorum, qui insignia induit humilitatis, vt tibi esset exemplo, ad te visitandum veniens 3.

indutum viderit insignibus huius mundi? nescis, quàm horrende sit minatus e *omnibus qui induti sunt veste peregrina*, extraneas scilicet, & quæ ab eorum Professione & statu degeneret. Quid igitur magis peregrinum: quàm seruû Christi insignia gestare Antichristi? & hominem Religiosum, vestem & habitum sæcularem? Si is, qui deprehensus est in conuiuio f *non habens vestem nuptialem*, fuit adeò asperè reprehensus, *vt obmutuerit, & ligatis manibus & pedibus missus sit in tenebras exteriores, vbi fletus est, & stridor dentium*: quid tibi eueniet viuenti in domo Dei, & frequens accedenti ad conuiuium Sanctissimi Sacramenti: si te deprehendet hic Dominus indutum veste peregrina, & extranea ijs, qui in tali domo habitant, & tali mensæ accumbunt? An dedignaris indui insignibus Christi, ipsumque imitari in amplectendis ignominijs, & contemptibus? Caue talẽ ei inferas ignominiam: pluet enim super te: nam & ipse dedignabitur habere te in sua societate, & postea induere insignibus gloriæ g *Qui erubuerit*, inquit, *me & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in Maiestate sua, coram Patre suo & Angelis*. Attende etiam: esse quoddam genus apostasiæ, quòd non viuas moribus mundo oppositis, sicut initio fuisti professus. Amplexus es Apostoli consilium: h *nolite conformari huic sæculo*, induentes scilicet eius mores, eumque accipientes tanquam vitæ vestræ exemplar. Quomodo igitur vis iterum ei conformari? Quicquid mundus æstimat (ait S. Chrysostomus) figura quædam est siue pictura: si cum eo, quod æternum est, conferatur, & hoc nomine id Apostolus illud appellat, dicens: quod i *prætereat figura huius mundi*: quæ igitur prudentia est, velle induere aurum ac depictum indumentum; & abijcere quod est verum? Incepisti (ait S. Augustinus aut Beda) esse toto mundo maior; & altior sæculo: ponens sub tuis pedibus quod ipse super caput suum collocat: ne igitur abijcias te iterum, vt conformes te mundo, & ponas super caput tuum, quod priùs habebas sub pedibus. Posuisti sicut mystica illa mulier in Apocalypsi k *sub tuis pedibus Lunam* inconstantem bonorum temporalium; & *super caput* tuum quasi *coronam stellas* fixas bonorum æternorum. Ac propterea Sol iustitiæ induit te totum à pedibus ad caput seipso, & gloriosa eius imitatione in vita & moribus tuis: ne igitur ordinem hunc inuertas, sicut mundus qui Lunam ponit super caput suum; & stellas sub pedibus suis contemnens æterna bona, & pluris faciens temporalia. Nam, si ita feceris, amittes preciosam Solis vestem, & indueris tenebris æternis, ac dices cum damnatis: l *Sol intelligentiæ non est ortus nobis*. Iam procul à mundo recessisti, & quidem tanto feruore, vt nolueris hærere prope Sodomam, nec in finibus Ægypti, vt supra dicebamus; vt magis Christo Redemptori tuo approximares: cur ergo retrocedis, & vis sæculo appropinquare, à quo procul fugeras? Nam neque mundo, neque Christo quis appropiat gressibus corporis,

sed

c *Sophon.* 1. 8

f *Mat.* 22. 13

g *Luc.* 9. 26

h *Rom.* 12. 2

Homil: in eum locum.

i 1. *Cor.* 7. 31.

Serm. 18. *de Sanctis.*

k *Apoc.* 18. 1.

l *Sapien.* 5. 6

Tract. 4. *c.* 6 *& tra.* 5. *c.* 2.

sed amoris & imitationis; & ab eisdem se separat, odio & dissimilitudine vitæ. Quare si iterum induas insignia mundi: iam ei appropinquas. Quando arbor (ait Sanctus Chrysostomus) plantata est prope viam, eius fructus non perueniunt ad maturitatem: citiùs enim eos colligunt aut proiiciunt iter facientes: quando autem à via est remotior, fructus eius perueniunt ad maturitatem, & ad perfectum saporem. ita igitur, si mundo appropinques, non euades perfectus: sæculares enim homines te trahent post se, & fructus excurrent piorũ desideriorum, & operum: in quibus te priùs exercebas. Et aquila superbiæ, quæ (vt supra dicebamus) volat, vt medullam cedri ex monte Libano deuoret: multò faciliùs cor tuum comedet, quod tam prope mundũ versatur. Quare si vis perfectus esse, recede procul ab eo: & tunc maximè procul aberis, quando in omnibus contrario modo vixeris, quàm ipse: indoens insignia Saluatoris, vt ea tanquam propriam vestem retineas; mundi verò insignia abijcias, tanquam vestem alienam & peregrinam.

Homil in Mat apud S. Bon. lib. 4 Phare. c. 17.

Tract 5 c. 8.

§. 2.

VERVM, liceat mihi, dulcissime Redemptor, vnum hoc proponere: cur eos reiicias, qui induunt vestem peregrinam: cùm tu ipse videaris eam præ aliis induisse? Nam quid magis peregrinum, quàm quòd verus Deus nostram induat humanitatem, a *formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo*? Et animam habens gloriosam & beatam, induisti corpus patibile, miseriis nostræ mortalitatis subiectum? Et nunc existens ad dexteram patris cum tanta gloria, induis te in terra accidentibus panis & vini in sanctissimo Sacramento? Sed hæc vestis, Deus meus, quæ adeò peregrina & aliena videtur, etsi non propria sit amplitudinis & Maiestatis tuæ, non tamen ab immensa bonitate tua degenerat: sed potiùs infinitę tuæ charitari optimè conuenit: qua voluisti ignominias & miserias nostras honorare, vt exemplum nobis dans paupertatis, & humilitatis: ad similia insignia gestanda, mundana verò abiicienda, quæ tuis adeò sunt cõtraria, nõ alliceres. Quomodo igitur homo non duces tibi honori, quòd ita incedas vestitus sicut tuus Creator, & Rex æternus? Quomodo audebis induere superbiam vitæ, quam author ipse vitæ reprobauit? Propterea (ait Sanctus Gregorius) Deus induit debilitatem nostram, torque contemptus sustinuit, vt superbum nõ esse hominem, doceret humilis Deus. Aut Christus deceptus est; ait Sanctus Bernardus; induens paupertatem, & contemptus, aut mundus errat contraria sequens. Cùm igitur sit impossibile, Christum sapientiam infinitam decipi: certum est mundum ipsum valde aberrare. Gloriare itaque, quod sequaris eum qui rectè nouit quæ facit; eiusque insignibus te indue, etiamsi asperiora illa esse videantur. Desidera impensè particeps esse opprobriorum, ignominiarum, iniuriarum, testimoniorum falsorum, & cruciatuum,

a Phil. 2. 7

Li. 34. mor. c. 18. Serm. 3. de Natiuit.

quos innocens pertulit. Quod desiderium vult P N S. Ignatius esse intensum, vehemens, & iuxta omnes vires nostras possibiles diuina gratia adiutas: vt efficacitatem & fortitudinem habent in occasionibus quæ occurrent, similia patiendi. Nam (vt Sanctus Augustinus dixit) vis desideriorum facit tolerantiam laborum, ita vt animo exultes, quando talia tibi eueniunt propter bonum, quod simul accedit; ac dicas cum Apostolo: b *mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* In quam sententiã: ait Sanctus Gregorius: cùm duo sunt simul, si alter viuat, alter verò sit mortuus: viuens videt mortuũ; sed mortuus non videt viuum. Quod si vterque sit mortuus neuter alterum videt: & quamuis sint simul idem illis est, atque si essent remotissimi. Ita iustus & Religiosus duplicem solet habere sortem siue dispositionem: nam interdum solùm in se est mortuus mundo, quem nec videt, nec amat, nec eius, aut rerum & splendorum & vanitatum ipsius vllam ducit rationem: & quamuis corpore simul sit cum ijs, qui sunt mundi; idem ipsi est atque si mille miliaribus ab eis distaret. At mundus non est ipsi mortuus: videt enim eum, magnique facit: offert illi honores, ac dignitates suas, etiam nolenti, imò dolenti, suumque periculum timenti: ac propterea alteram quoque sortem desiderat, vt scilicet etiam mundus sit ipsi mortuus: hoc est, vt neque mundus ipsum videat, nec æstimet, nec magis sit ipsius memor, quàm si nullus talis homo esset in terra. Quemadmodum dixit Dauid: c *obliuioni datus sum, tanquam mortuus a corde*; eum in modum, quo in mundo non est memoria mortuorum. Cùm autem hæc sors aduenit, eam reputat iustus valde felicem, seq; iudicat magis tutum, & gloriatur in cruce Domini nostri Iesu Christi, quia videt se mortuum esse mundo, & mundum sibi.

SED vlteriùs progreditur Apostoli sensus, cùm dicit, *se mundo, & mundum sibi crucifixum*. Quemadmodum enim crucifixus reputabatur maledictus infamis, detestandus, & abominandus, iuxta id, quod in lege antiqua dicebatur: d *maledictus omnis qui pendet in ligno*. Ita ait, *mundus est mihi crucifixus*. nam quicquid ipse magni facit, omnes eius cupiditates, vanitates, & eius magnalia, ego reputo maledictum, horrendum, & abominandum mihi; & arbitror, vt stercus; & tanquam pernicioſum reijcio, vt Christum lucrifaciam, eiusque crucem amplectar. Sed præter hoc ego quoque sum mundo crucifixus: ipse enim mundus me reputat maledictum, infamem, ac detestandum; iniurijs & opprobrijs me persequitur, sicut persecutus est Christum Dominum meum: Et ego non solùm obliuioni datus sum, vt dixit Dauid, sed etiam in me experior, quod postea subiunxit: *factus sum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu* meo. Hæc erat crux Christi, in qua magnus hic Apostolus gloria-

b Gal. 6. 14.

Lib. 3. mor. c. 3.

c Psa. 30. 13

d Deu. 21. 23 Gal. 3. 13.

batur.

batur. Quæ (vt S. Chrysostomus perpendit) duas insignes mortificationes cõplectebatur: alteram, quòd mundus, eiusq; magnalia ipsum tanquam rem mortuam deserebant; nec ipsum, captiuum post se trahebant: nec tangebant spiritum; alteram, quòd ipse etiam esset illis tanquam mortuus, neque enim ea amabat, nec æstimabat, nec ie patiebatur vinciri ab eis. Et concludit idem S. Nihil hac mortificatione felicius: hoc enim est beatæ vitæ fundamentũ. O e *beati mortui, qui in Domino moriuntur* hoc genere mortificationis, *a modo enim dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Omnis enim labor & molestia spiritus cessat: cũ felix hæc mors obtinetur. Ad hãc igitur aspiremus ad eã cõtendamus; sic enim moriẽtes, vitã obtinebimus felicẽ ac lætã: cùm sic mori mundo, sit viuere Christo, qui est vita, gaudiũ, & gloria nostra.

In 6. c. ad Galat.
" "
" "
" "
" "
c *Apoc.* 14. 13

§. 3.

SED QVIS ad talem perfectionis gradum in spirituali vita tam precioſum poterit peruenire? Idem P. S. Ignatius respondet: ad eum obtinendum, maius, ac impensius studium cuiusque sit, quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit mortificationẽ: non solùm in materia votorum, sed & in reliquis rebus, quas Regulæ insinuant, nulla excepta: ita vt quisque dicere possit illud canticorum: a *manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Et quænam hæc est myrrha adeò selecta, & copiosa: vt vtramque manum & vtriusque digitos impleat, nisi gradus mortificationis, in quibus anima Religiosa se exercet? Quinque gradus ad vota pertinentes sunt sicut myrrha in quinque digitos dextræ manus distributa, quæ est prima ac præcipua in operando: custodia enim votorum est substantia Religionis, & in ea maxima eius fortitudo cõsistit. Myrrha autem sinistræ manus, quæ suis quinq; digitis dexteram iuuat, significat alios quinq; gradus mortificationis, ad quos reliqua reducuntur, quæ Regulæ commendãt, ad ipsa vota melius seruanda; & ascendendum ad perfectionis celsitudinem. *Primus* mortificationis gradus est circa personas sæculares, & nominatim circa parentes, cognatos, amicos, & notos, quos in mũdo habuerunt, mortificandi, inquã, sunt inordinati affectus, qui remãserint, aut recẽs virescent; & nimia desideria cũ eis agẽdi. *Secũdus* gradꝰ est circa personas eiusdẽ Religionis, & locũ habitationis; vt abscindãtur inordinationes, quæ possunt euenire, aut ex nimia amicitia & cõmunicatione; aut contra ex dissensione & discordia. *Tertius* est circa ordinarias occupationes, officia, & ministetia; siue spectẽt ad cultũ Diuinum & familiaritatẽ cũ Deo Domino nostro, qualis est vsus chori, & cãtus, & exercitia orationis; siue ad officia domestica & temporalia; siue ad studia aut ministeria in bonũ proximorũ: in omnibus. n. est copiosa materia mortificationis, siue qua nunquam recte fient. Et quoniam possibile non est, vt aliqui

a *Cant.* 5. 5.

defectus

defectus non sint in Religione. *quartus* gradus est circa id totum, quod spectat ad correctionem fraternam, tam ex parte correctoris, ne suo officio desit; quàm ex parte corrigendi; vt correctionem ferat, sicut oportet. Denique *quintus* gradus est circa res omnes, quæ in Religione sustinendæ occurrunt, & tolerandæ: quales sunt tribulationes, & persecutiones à sæcularibus; ingenia & mores difficiles domesticorum; morbi, dolores, & mortis pericula: in quæ siue status ipse, siue officium, siue Prælatorum obedientia, aliquando conijciunt: cùm aliquem mittunt ad infideles, vt eos conuertat.

Regula 8. ex Fusis.

Et hic supremus est gradus mortificationis, de quo S. Basilius dixit: Perfecta renuntiatio in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, vt ne de vita quidem sua quicquam affectus sit, etsi habeat *mortis responsum*. Quemadmodum habuit Apostolus. Et in hoc sensu ipse Christus dixit: c *Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.*

b 2. Cor. 1. 9

c Luc. 14. 26

HI SVNT quinque mortificationis gradus res innumeras complectentes, quibus seruantur omnes ferè Ordinationes & Regulæ Religiosæ, & remouentur omnino omnia impedimenta perfectionis, & ingressus Dei in animam, ad eam donis ac virtutibus suis cœlestibus ditandam. Ideoque cùm sponsa dixisset, quod eius manus ac digiti pleni essent myrrha probatissima, statim subiunxit: sed *pessulum ostii sui aperuisse dilecto suo*, vt ingrederetur. Quodnam autem hoc est pessulum nisi quæuis inordinata ad creaturam affectio, & quodlibet vitium siue passio animæ infixa? Si est in re graui, est ferreum repagulum; si autem in re leui, etiamsi tantùm sit aliqua imperfectio contra Regulam sponte admissa, aut etiam in voluntate radicata: est verè pessulus, quo clauditur porta cordis, ne cœlestis sponsus ad illud ingrediatur; vt possideat, & Diuinorum donorum plenitudine ditet. Huiusmodi autem pessuli, & obices non remouentur, nisi manibus ac digitis myrrha mortificationis inunctis: quæ rectà tendit contra illos, vt remoueat. Nec sufficit quæuis myrrha, sed opus est *probatissima*, & purissima: non enim remouentur huiusmodi impedimenta, sola externa mortificatione, aut propter vanitatem, aut impetum propriæ voluntatis; sed tali, quæ fiat pura intentione DEO, placendi; & à se euellendi quicquid illi displiceat. Sit itaque præcipuum nostrum studium, exercere nos in his mortificationis gradibus, vt paulatim explicabuntur: nobis persuadentes, hanc curam esse quasi summam omnium. Delitiæ enim, & fauores cœlestes sequuntur benè mortificatos, etiam cùm illos non quærunt; fugiunt verò immortificatos, etiamsi maximè illos quærant. Hi enim sunt quasi montes Gelboe, quos Dominus pertransit, nec visitat, nec rorem, nec pluuiam cœlestem eis dat: ac proindè nec sunt agri primitiarum, nec vllos proferunt fructus; sicut Religiosi primi, quos imitantur mortificari: ac

d Cant. 5. 6.

propte-

propterea Dominus eos visitat, cœlestesque benedictiones eis indulget, ac fœcundos reddit in operibus sanctis.

CAPVT VI.

Perfectio Ex Mortificatione Inordinati amoris ad parentes & cognatos.

Carnalis Amor Erga Cognatos & amicos, & nominatim erga parentes & fratres, vtpote nobis maximè coniunctos, fuit omnium hostium nostrorum infensissimus, qui nos retardabat ab ingressu Religionis, & audienda vocatione Diuina: quem tamen vicimus illa die, qua constituimus, ac decreuimus illos relinquere vtentes medijs superiùs positis. Sed quoniam amor hic est nostris visceribus ita infixus, nobisque connaturalis, solet post tempus aliquod reuirescere, adhibente illum Dæmone tanquam instrumentum & medium ad conturbandum Religiosum; eumque aut reducendum ad sæculum, aut inquietum & inutilem in Religione reddendum. Quod efficit (vt ait S. Basilius) progrediendo per hos gradus. *Tract 5. c. 3. De Const. Monast. c. 21 & Reg. 22 ex Fusis.*

Primvm memoriam eius turbat varijs imaginibus & cogitationibus rerum ad parentes & amicos spectantium, vitæ scilicet, sanitatis, bonorum temporalium, negotiorum, & litium; & rationum ac viarum, quibus iuuari possunt, aut in rebus suis retardari. Quibus cogitationibus dant aditum contra præceptum Domini dicentis: a *Audi filia, & inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum. & domum patris tui.* Et quoniam Dæmon est valde sagax, obseruat commodam opportunitatem ad tales cogitationes suggerendas; quale est tempus otij, pigritiæ, ac tepiditatis spiritualis: proprium enim est tepidorum, & otiosorum recreare se cogitationibus carni iucundis, vt solatium aliquod inde habeant. Ex hoc gradu deducit illos Dæmon ad *alterum*, excitans in eis desideria aliquid sciendi de eis & eorum rebus: ideoque excitat in eis voluntatem scribendi, & literas ab eis accipiendi: vt ex acceptis gaudeant; & non acceptis tristentur: eosque vrget, vt ex patria venientes, de eorum rebus interrogent; & alios, qui informationem aliquam, quam ipsi desiderant, dare possint. Postea inijcit illis desideria eundi ad eos visitandos, aut vt ab eis visitentur, & manendi in propria patria vbi frequenter possent eos videre & alloqui. Et in hunc finem omnia adhibet media, quæ carnalis amor facilè adinuenit, colorem obducendo & pallium pietatis, aut subueniendi temporalibus aut spiritualibus eorum

a Ps. 44. 11.

1.

2.

3.

necessitatibus: adferens ad hoc persuadendum illud Apostoli: b *si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet fidem negauit, & est infideli deterior.*

b 1. Thi. 5. 8

4. CVMQVE Dæmon talem Religiosum iam in suis digitis habet, efficit (ait S. Basilius) vt sensim det locum in se eisdem mundanis affectibus, quos illi habent: vt scil. ex eorum prosperitatibus gaudeat; ex aduersitatibus tristetur; amet amicos; qui illis benefaciunt; oderit verò inimicos, qui faciunt malè: cum tamen præceptum sit diligendi omnes. Fauet fauentibus eis, etiamsi indigni sint: & hoc nomine præscriptum iustitiæ ordinem transgreditur. gaudet de eorum commodis, officijs, & incrementis ac promotionibus, etiamsi minus rectè obtentis; quæritque modos eas approbandi, & stabiliendi; induit denique ac recipit affectus omnes mundanos, quibus priùs se exuerat. Et hinc fit, inquit, vt veluti statua sit Monachus: quæ solam figuram Monachi circumferat, quæ nusquam virtutibus sit animata: quia non habet nisi externum habitum, quo tegit carnale suum cor, & mundanum, simile ei, quod habent ipsi sæculares: ad quorum partes iam ipse affectu transijt, nec procul est, vt etiam effectu & reipsa transeat. Qui enim corde redijt in Ægyptum: propè est, vt pro meritis à Deo deseratur, & ita opere ipso redeat: & qui respexit retrò ad ea, quæ in Sodomis reliquit, non mirum erit, (vt supra est dictum) si vertatur in statuam salis; & vt in eo impleantur tremendæ illæ minæ Apocalypsis: c *Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* quasi nominatim tali Religioso dixisset: vtinam sicut sæculares non fuisses professus perfectionem: aut cum feruore in Religione eam profitereris. Sed quoniam instar aquæ tepidæ, vtriusque partem aliquam habes: nam professione es Religiosus, vita verò sæcularis: permittam, te abire ex domo mea: quia dignus non es, qui in ea permaneas. Similiter locum habet & in tali Religioso impletur, quod refert Cassianus euenisse Sancto Antonio, cum quodam Monacho valde tutum se existimante, cum ad suos cognatos rediret; qui cùm interrogaretur an de felicitate illorum gauderet, de aduersitate autem tristaretur: & fassus esset se his varietatibus affici. Sanctus Antonius replicauit, ac dixit: Noueris igitur: te in futuro sæculo in sorte eorum computandum, de quorum prosperitate, aut aduersitate lætaris; aut tristaris in hac vita. Et hic modus conuersationis, qui indies ex variorum euentuum mutatione te inquietum & vacillantem reddit, summergetque non aduertentem, in rebus terrenis: iuxta illud Prophetæ: d *comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit.*

Trac. 5. c. 7.
c Apo. 3. 15.

Col. 24. c. 12

Exemplum.

d Ose. 7. 4

§. I.

AD Hæc adeò ingentia damna auertenda, eorumque radicem euellendam adfert S. Basilius efficaces valde rationes & remedia, quæ tendunt ad mortificandum cum magna perfectione inordinatum hunc amorem: quorum summam collegit noster P. S. Ignatius in quadam Regula dicens; vnicuique eorum, qui Societatem ingrediuntur, curandum est, vt omnem carnis affectum erga sanguine iunctos exuat, ac illum in Spiritualem conuertat, eosque diligat eo solùm amore, quem ordinata charitas exigit, vt qui mundo, ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli viuit, eumque loco parentum, fratrum & rerum omnium habet. *Reg. 8. summarij ex c. 4. Examin.* " " " "

HINC deducemus omnes huius detrimenti radices, earumque remedia. Et *primum* sit, vt Religiosus persuadeat sibi: se per vota sua mortuum esse mundo; nec solùm mortuum, sed etiam crucifixum: ac proinde tanquam mortuus esse debet omnibus mundi hominibus. Et cùm parentes & cognati, quamdiu vitam non mutant, fiuntque Religiosi, sint mundi huius ciues: debet eos fugere sicut ipsummet mundum. Et ita Christus Dominus noster semel dixit quibusdam suis cognatis: (quos Euangelium fratres eius vocat, eique aduersabantur) a *non potest mundus odisse vos: me autem odit.* Et eam ob causam noluit cum eis ascendere in templum Ierusalam: (postea tamen ascendit cum suis discipulis) eis significans, quòd à partibus mundi starent: ac propterea mundus eos diligeret, sed ipse eiusq; discipuli non essent ex mundo: ac propterea mundus eos odisset. Cùm igitur ipsi ei aduersarétur, noluit eos habere socios in ascensu ad templum; sed suos discipulos, qui erant ipsi conformes. Hac S. Basilij ratione reijci debent cognatorum rationes: cùm absq; causa impellũt nos vt illorũ negotijs nos immisceamus. Quemadmodum fecit S. quidam Abbas nomine Apollo; de quo refert Cassianus, quòd cum esset in cella sua reclusus; accederetq; frater eius, ac peteret, vt inde exiret; ac iuuaret extrahere bouem ex quodam luto, in quo hæsitabat: ei S. Abbas respondit, vt vocaret ad id tertium fratrem; quê habuerant. Et cum is, qui aderat, respondisset: iam ante quindecim annos illum obijsse; ideoq; impossibile esse è sepulchro eum educere: tunc Sanctus replicauit: ego autem à viginti iam annis mortuus sum, & in hac cella sepultus propter amorem Christi, qui vult, vt non me immisceam, ne quidem b *sepeliendis meis parẽtibus*: quemadmodum enim mortuus non se inserit rebus viuentiũ, nec sciendis nec expediendis: ita Religiosus verè iam mortuus mundo, meritò se excusat, ne inaniter immisceat se rebus & negotijs eorum, qui sunt pars mundi, à quo Religiosi sunt disiuncti.

I.

a *Ioan. 7. 7. c. 15. 18.*

Coll. 14. c. 9

b *Mat. 8. 22*

HINC secunda deducenda est ratio valde efficax ad eundem finem: nam Religiosus, quòd sit mũdo mortuus, id est, vt vitam quandam nouã instituat,

omnibus, quę in mundo sunt superiorem: ideoque nouos Patres, nouos fratres, Ciuitatem nouã, habitum & conuersationem nouã accepit: in omnibus enim debet esse homo nouus, exutus iã operibus veteris hominis: cederetq; illi malè, quòd ad vetera rediret, quæ deseruit: ad conuersandũ scil. cum Patribus & amicis antiquis; & ad antiquã, quã cũ eis habere cõsueuerat, cõuersationẽ. Hinc respicit insigne illud Saluatoris respõsum ad quendã suũ discipulũ quẽ vocabat, vt ipsum sequeretur: qui cũ dixisset: c *Domine permitte mihi primũ ire & sepelire patrẽ meum. Ipse Iesus dixit ei: sine vt mortui sepeliãt mortuos suos: tu autẽ vade, & annuntia regnũ Dei.* Quasi ei dixisset: sæculares viuũt mũdo & carni, sed sunt spiritui mortui: tu cõtrà mortuus es mũdo & carni, sed spiritu viuis Deo: illi sunt ex Ciuitate mortuorũ: eorũ. n. vita potiùs mors dicenda est: tu es ex Ciuitate viuentium: quia mors tua potiùs meretur nomen vitæ. Quamobrem sine, morruos attẽdere, vt mortuos suos curent: hoc est, sæculares curent negotia sæcularia: nec tu te immiscеas eis: sed veni sequere me, impendens te operibus regni mei proprijs. Et (vt perpendit S. Basilius) neq; ad punctum quidem temporis ab ipso seiungi permisit, vt se immisceret in rem, quam sæculares poterãt expedire. vt hinc Religiosi, qui sunt eius discipuli, intelligant se iam non esse de hoc mundo inferiori; sed spiritu translatos esse ad mundum alium, hoc superiorem. Cuius contrarium si fiat, id verè est retrocedere. Vnde cuidam alteri discipulo volenti redire in domum suam, vt quasi illam lustraret, vt posset illi renunciare, audiuit tremendum illud verbum: d *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Iure optimo possemus dicere implicanti se huiusmodi occupationibus carnis & sanguinis, quod Sanctus Hieronymus in alia occasione dixit: Quid agis in mundo, qui maior es sæculo? Et quod dixit Sanctus Augustinus: cùm cœperimus esse sæculo maiores; nulla sæculi cupiditas progressum & cursum nostrum retardet.

c Luc. 9. 59.

d Luc. 9. 62

Epist. 1. cerm. 2. de Omnibus S.

3.

PRÆTEREA nunquam pax ineunda est cum hostibus quamdiu pugnandi durat occasio: esset enim pax ficta, & causa amittendi victoriam. Hanc pugnam instituit iam Religiosus cum suis parentibus & cognatis. vt impleret quod dixit Christus Dominus: e *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium & separationem. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam; nam inimici hominis domestici eius.* Cur ergo vult pacem inire cum illis, & sese immiscere & implicare cum ijs, quos habet hostes suæ perfectionis, & salutis? Si se ab eis separauit, vt Christo meliùs seruiret: cur ad eos redit qui ipsum separabunt à Christo. Si gladius verbi Dei ipsum diuisit: & separauit à suis parentibus; eiusque corde euulsit inordinatum quem ad eos habebat amorem: cur non sanctam hanc diuisionem & separationem conseruabit: ex

e Mat. 10. 34 Luc. 12. 51.

qua

qua pax hæc & vnio cum Christo Saluatore suo dependet? qui etiam dixit f *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Plus eos amat, quàm Christum, qui eum relinquit, vt eis placeat: qui tamen eos reliquerat, vt Christo placeret. Quod si minus eos amat quàm Christum, semper quod Christi est, præferre debet ei, quod ad illos spectat: Quod vt magis vrgeret, cùm dixisset. g *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem*, adiecit: *adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus.* Cum igitur iam Christi scholam sis ingressus: cur non odis patrem & matrem sancto hoc odio, quod carnalem omnem amorem & imperfectum expellit ex corde? Qui alterum odit: nec visitare illum vult, nec videre, nec audire, nec alloqui, nec literas eius accipere, aut aliqua noua siue nuntium de eo habere: nec gaudet de prosperitate eius, nec subsidium præbet in aduersis, nec vellet eius meminisse; sed obliuisci, & ex memoria sua omninò abolere, atque si mortuus iam esset ad omnia, quæ illum contingunt. Si itaq; tuos parentes odio hoc sancto prosequeris: omnia hæc quantum in te est, erga illos efficies in eo gradu, quo aliter faciens, impedireris, quò minus esses perfectus Christi discipulus: ad hoc enim ad Christi scholam peruenisti. Si eruisti tibi oculum, abscidisti pedem, & manum, qui te scandalizabant: cur vis iterum recipere, tibique coniungere: siquidem non minus te nunc scandalizabit, quàm antea? Maneant itaque illi in suo loco, & tu consiste in tuo: & sic sine scandalo poteris progredi in obsequio Christi.

f *Matt.* 10. 37

g *Luc.* 14. 26

Memor etiam esto, quid Moyses dixerit declarans perfectionem antiquorum Leuitarum: h *Qui dixit patri suo & matri suæ: nescio vos; & fratribus suis ignoro vos; & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, Domine, & pactum tuum seruauerunt.* Cùm igitur votis tuis sis obstrictus, implere verbum, quod promisisti Deo; & fidelis esse pacto, quod cum illo inisti, sequèdi ipsum cũ perfectione: necesse est non ampliùs cognoscere parentes tuos, nec maiorem amorem aut memoriam eorum seruare, quàm eorum, quos nunquam nouisti: in eo quod ad tua vota Regulasque seruandas est necessarium. Vocatus es? vt Christum verè agnoscas, & familiaritatem cum eo ineas: necesse igitur est renuntiare familiaritati cum eis, qui hanc Christi notitiam, & cum eo communicationem impediunt. Nam (vt ait S. Gregorius) ille desiderat familiariter agnoscere Dominum; qui ob eius amorem ignorat, quos carnaliter agnoscebat: non enim sine graui detrimento scientia Dei minuitur, si cum carnis notitia coniungatur: & qui optat intimè vnirí communi omnium patri: retrahere se debet à carnalibus parentibus: memor illius, quod Psalmista dixit: i *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Magna perfectio est non solùm deserere domum patris sui; sed etiã eius obliuisci,

4.

h *Deut.* 33. 9

Lib. 7. *mor*

i *Psal.* 44. 11.

& planè horrere: siquidem post hoc tanta accedit virtutum pulchritudo, quæ sufficit, vt Rex cœlestis illam concupiscat, seseque offerat eam habenti, vt eius sit Deus ac Dominus cum speciali cura & amore sicut parens curam gerit filiæ suæ, & sponsus sponsæ suæ. Huc accedit præclarum illud

5.

k *Mat.23.9* mandatum Christi Domini ad suos Apostolos dicentis:k *Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* In quibus verbis duas res valde notandas proponit. Prima est, vt ita exactè amorem & memoriam parentum carnalium deponant, vt nec eorum nomen ore suo proferant. Cuius rei adeò rarum nobis reliquit exemplum: vt in toto sacro Euangelio non inueniatur quod Virginem Sanctissimam Matrem suam nomine matris compellauerit: sed tantùm mulieris: vt ostenderet, quàm esset auulsus à nimio naturali amore filiorum erga matres. Et cum ipsa mater eum

l *Luc. 2.48.* in templo inueniens diceret: l *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te:* ipse quasi extraneum, & alienum reputans nomen Patris, respondit nomen illud reijciens: *Quid est, quòd me quærebatis: nesciebatis, quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* ita insinuans, se non habere Patrem in terra: sed in cœlo: in cuius seruitio sese occupabat. Et iterum, cùm ei diceretur: mater tua & fratres tui quærunt te, respondit extendens manum in discipulos suos: m *ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.* Qua sententia sensum suum confirmauit, quod non tanti faceret cognationem carnalem, atque Spiritualem. cuius fundamentum est, quòd quis sit eius discipulus, & faciat Dei voluntatem; quod potest esse omnibus commune. Ex quo infert sanctus Basilius: hoc verbum *meum & tuum* non debere vsurpari in Religione, etiam cùm nominantur Patres, aut fratres: nam in ea omnia debent esse communia. Et N P.S. Ignatius in examine siue Instructione, quam pro Nouitijs instituit, ita loquitur: vt loquendi modus, sentiendi modum iuuet: Sanctum est consilium, vt assuescant non dicere, quòd parentes vel fratres habeant, sed quòd habebant, &c. præ se ferendo, se id non habere, quod, vt Christum omnium rerum loco habeant, reliquerunt. Et Palladius de S. Monacho Euagrio refert, quòd cuidam dicenti, ipsius Patrem esse mortuum, respondit: noli blasphemare, nec ita loquaris: pater enim meus est immortalis. eo responso insinuans, se non alium Patrem in terra agnoscere, quàm Deum. Et hoc secundum est, quod Christus Dominus noster Apostolis suis dixit: n *Vnus est Pater vester, qui in cœlis est.* Quod magis propriè conuenit Religiosis Apostolicam sequentibus vitam; & carnales deserentibus Patres, vt Deum tanquam specialem Patrem recipiant. qui singulari protectione ac prouidentia officium hoc erga illos præstat, multò exactiùs quàm erga alios iustos: sic enim implet promissionem suam de reddendo centuplo o *rem-*

n *Mat. 12. 48.*

Reg. 33. ex Fusis.

In Examin. c. 4. §. 7. In Declar. litera C.

In hist. Lausiaca c. 41.

n *Mat. 23. 9*

o *Mat. 19. 29*

quem

uenti *Patrem suum, & matrem suam*: quia tunc succedit ipsemet Dominus in locum Patris & matris, excedens millies parentes terrenos, vt supra est dictum. Si enim Dauid dixit: p *Pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me*: Quantò amplius suscipiet & proteget eos, qui non expectarunt, vt parentes eos relinquerent; sed ipsimet eos dereliquerunt: vt reciperent se sub alas sui Saluatoris? Et si Isaias Deo dicit: q *tu Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israël ignorauit nos*: quantò magis eorum erit pater, qui ipsi nolunt patres suos agnoscere, vt solum ipsum patrem agnoscant? erga eosdem adimplet Deus eminenter, quod per eundem Prophetam dixerat, quòd r *portaret eos in vtero suo, & gestaret* in suis visceribus. *Et vsq; ad senectã, & vsq; ad canos eos ita portaret*, vt vicé obiret domus, cellæ, lecticæ, ac tentorij, retrò; omniũ: quia omnes in ipso habẽt. Ex quo fit, vt Religiosus quicquid amoris erga suos parentes habebat, cõnertere debeat in amorẽ Patris sui cælestis: ne solùm amore, quo omnes Christiani tenentur; sed alio affectu centies ac millies teneriori, affectuoso, & efficaci, quàm ille fuerit: quo carnales parentes diligebat, in quorum locum ipsum Christvm in Patrem accepit.

p Psal. 26. 10

q Isa 63. 16.

r C. 46. 4.

CAPVT VII.

Res Particvlares In Qvibvs Exerceri *debet mortificatio amoris erga cognatos; & quis modus eos amandi.*

Ex Dictis in proximo capite sumere debent Religiosi arma quibus sese à tentationibus defendant, quas caro & sanguis adfert, vt eos retrahat ad amorem eius, quod semel reliquerunt: apponentes securim ad radicem earum; vt memoriam & inutilem solicitudinem deponant rerum omnium, quæ ad parentes suos spectant. Nam (vt S. Basilius dixit) magnum est perfectionis impedimentum recordatio vitæ superioris, & personarum ac rerum quas in ea deseruerunt. Et donec Sancto quodam earum odio ex memoria deleantur; non est securitas, neque plena perfectio: vt Religiosus (ait S. Bernardus) sit similis Melchisedech de cuius Patre & matre nulla est memoria in mundo.

Reg. 32. ex Fusis.
" "
" "
" "
In specul Monachorũ

Hoc ostendendum est in primis, deponendo omnem curam, aliquid de illis cognoscendi, illis scribendi, aut literas ab eis accipiendi: dicentes cum Apostolo a *non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. Huius recordor, reliquorum omnium obliuiscor: nec volo memoriam

I.
a 1. Cor. 2. 2

moriam meam illis occupari. Quod si quæ literæ ex patria ad eum mittantur, imitetur saltem affectu & desiderio, quod fecit Monachus ille, de quo refert Cassianus: quòd, cùm per quindecim annos valde fuisset collectus, tandem accepit magnum cumulum literarum à parentibus & amicis suis, & antequam eas aperiret, sic intra se cœpit cogitare: quot cogitationes in me excitabuntur lectione harum literarum, quæ me vel ad inanem lætitiam, vel ad inutilem tristitiam prouocent? quamdiu memoria eorum, qui literas scripserunt, quietem turbabit orationis & contemplationis meæ? Et quando tandem cessabit turbatio spiritus mei, & quietem eius recuperabo, quam habebam, si aditum præbuero cogitationibus ac desiderijs, quæ incident videndi, alloquendi, quos iamdiu reliqueram? Certè parum mihi profuerit, qui illos corpore reliquerim, si corde & cogitatone apud illos maneo. His considerationibus decreuit fasciculum illum nõ aperire, sed in occlusum proijcere in ignem, dicens: istuc ibitis cogitationes de patria meæ omnes, istic comburemini: ne me cogatis rerum meminisse, quas dudum fugi. simile quid fecit N. P. S. Ignatius alia occasione: Et multæ esse possunt, in quibus esset actus valdè heroicus idem facere. Siquidem, S. Hieronymo teste purus amor nec literas admittit, nec dulces scedas, nec munera, aut donaria mollia.

Lib. 4. c. 32.

S. Bern. ser. 61. ad soror.

2. DEINDE ostendenda est hæc auulsio in eo, quod propensio ac desiderium eos visitandi & alloquendi planè deponatur, nec solùm facultas ad id petenda non est, sed quantum in se erit, potiùs repugnandum: solatium suum in eo solo ponens, quod ipsi incumbit, sicut S. Apostolus, qui de se ipso dixit, b *cùm placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, continuò non acquieui carni & sanguini*: Sed ad id ad quod eram vocatus attendi. Cogitet itaque Religiosus, se mortuum esse parentibus suis, & parentes ipsi; & se mundo crucifixum, & mundum ipsi: & cùm in vita sit mortuus; ne faciat, cum spiritus detrimento, quod post mortem facere non posset. Nam (vt S. Thomas ait) ciuilis mors suæ Professionis, illum ab omni cum parentum excusat.

b *Galat. 1. 15*

2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. & q. 189. a. 6.

3. ET HINC sequitur *tertium*, in quo hæc separatio est ostendenda, vt scilicet omnes curas, & temporalia parentum & cognatorum negotia à se abijciat, dicens cum Christo Domino nostro: c *in iis quæ Patris mei sunt, oportet me esse*: hoc est, nolo occupari alijs rebus, quàm Dei: qui est vnicus Pater meus. Quod si carnales parentes obiecerint, ipsum teneri illos diligere, respondeat: le magis teneri ad Christum amandum, qui est præstantior Pater, ipsique dicit: d *qui amat patrem aut matrem plus quàm me: non est me dignus*: & sanctus cum S. Ambrosio dicat: tempus amandi & tempus odio habendi: diligam vos in eo quod est Christo conforme; oderim verò quando me ab eius ob-

c *Luc. 2. 49.*

d *Ma. 10. 37. Serm. 15. in Psal. 118.*

sequio

sequio retrahere, volueritis, quod si obiecerint, teneri eum ipsis obedire; respondeat cum S Petro: e *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Et vt S. Bernardus dixit: solus ipse Deus in causa est; cur non obediamus parentibus, cum nos ad Religionem vocat, & idem est causa, ne ad eorum voluntatem descendamus, cum detrimento Religionis. Quod si conquerantur, dicantque: esse crudele, illos contristare: respondeas cum Sancto Hieronymo: Si tristatur parens: Christus lætatur; si, qui sunt cognati, plangunt: Angeli lætantur & cantant. Nolo Christum Dominum eiusq; Angelos contristare, vt parentes & amicos exhilarem. Quod si etiam pro se adferant, se indigere ipsorum operâ; esseque quoddam genus fidem abnegandi, eos deserere: respondeas cum sancto Basilio: Apostoli sententiam pertinere ad viuentes; non verò ad mortuos. Hi enim liberi iam sunt à cura domesticorum, cùm alij sint, qui eam curam gerant. Quod si replicent, vt saltem accedas ad mortem parentis, & eius funus: respondeas cum Sancto Chrysostomo, Christum id prohibuisse cuidam suo discipulo. Nam post funus aperietur testamentum, & agendum de mandandis executioni ijs, quæ in eo sunt præscripta de legatis, de bonorum temporalium distributione; & sic immisceretur in mille alias curas: & negotia huius mundi eius sunt conditionis, vt vnum alterum trahat; & hoc alia multa. Quare cum Religiosus vnum suscipit expediendum, sensim inserit se & intricat reliquis omnibus: nec minùs conqueruntur parentes, si vel vltimum negligat expedire; quàm si primum prætermisisset. Quare expedit potiùs omnia relinquere. Ne eueniat quod asserit Isidorus: quod multi Monachi propter amorem parentum sese implicant non solùm curis terrenis, sed etiam litibus apud tribunalia; & propter temporalem amicorum suorum salutem, iacturam faciunt animarum suarum, & propter commoditatem cognatorum recedunt ipsi ab amore Christi.

e *Act.* 5. 29. *Epist.* 111.

Epist. ad Eustam Matronam.

C. 21. *cit.*

Hom. 28 *in Matth.*

Apud S. Benauent. l. 1. *Pharet.* 3. 32. *& lib.* 3 *c.* 17

NON TAMEN existimandum est, propter ea quæ diximus, velle nos aliquid contra præceptum naturale amandi & honorandi parentes: vnum enim præceptum non potest alteri esse contrarium; nec vna virtus alteri aduersari; licèt maior exaltet minorem; & amor charitatis amorem naturæ perficiat. Et qui dixit, vt odio habeamus parentes, non voluit (vt S Gregorius explicat) hoc mandare: vt mali aliquid illis optemus; sed vt eos minus quàm Christum; & quàm nostram salutem ac perfectionem diligamus: idque non amore inordinato; sed carnali amore in spiritualem commutato: honorando illos (vt ait Sanctus Thomas) more Religioso, & iuxta nostrum Statum: orando pro eis reuerentiam exhibendo, & spiritualibus eorum necessitatibus, cùm operâ nostrâ in eis constituti indigent, assistendo; imò etiam in temporalibus, cùm illæ graues sunt; nec sunt alij, qui subuenire

S. Thom. 2. 2. *q.* 101. *a.* 4.

Homil 3 *in Euangelia.*

2. 2. *q* 189. *a.* 6.

illis possint. Id tamen fieri debet cum bona Prælatorum facultate, & purè ob Dei amorem & gloriam; & cum ea decentia, quæ sit Religioni conformis: nam cum eius detrimento nec pedem mouere debet Religiosus in gratiam parentum: siquidem nec pro vita propria tuenda licet detrimentum aliquod in anima pati. Quod confirmat S. Augustinus, dicens militia Christiana exhortatur nos, vt affectus carnales iugulemus: ita tamen, vt nolit nos esse parentibus nostris ingratos, cõtemnentes beneficia ab eis accepta. Custodiamus itaque vbique pietatem: hęc enim beneficia suum locum semper obtinent, vbi res maiores nos non obligant. Bonum huius rei exemplum dedit nobis Christus Dominus noster in cruce: vbi pietatem exercuit erga suam matrem & compatiens eius solitudini eam discipulo suo S. Ioanni commendauit: qui loco ipsius curam eius gereret. Non tamen eam vocauit f *matrem*, sed *mulierem*: vt sic perfectionem ostenderet amoris spiritualis, à quo illa cura procedebat. Nec voluit ex cruce descendere, vt illam solaretur: eò quòd pater eius iussisset, in ea mori: Docens Religiosos ita satisfacere obligationi suæ naturali erga parentes, vt non deserant vitam Crucis, in qua Deus illos posuit: nec feruorem spiritûs laxent, facientes per alios quod iuxta suum statum non possunt facere per seipsos: & ostendentes magnam suam constantiam & animi fortitudinem, neque hanc ob causam emolescant. Meminerint (vt supra cum S. Gregorio diximus) se debere esse sicut illæ g *vaccæ, quæ arcam testamenti* vehebant, quas amor filiorum *mugire* faciebat, non tamen retrocedere, nec ab inuicem separari; sed semper coniunctæ *ibant in directum per viam quæ ducebat Bethsames*, Religiosi enim ob naturalem amorem parentum & cognatorum non solùm non debent retrocedere, vt quæ reliquerunt recipiant, etiamsi illis hoc valde sit graue; sed neq, debent seiungi aut discordiam aliquam propter hanc causam inter se habere; nec flectere viam suæ Professionis; aut voluntatem Superioris, vt eam ad suam trahant; nec sistere in progressu & feruore suorum exercitiorum: sed semper cum magna mutua animorum coniunctione debent in eis progredi, dirigentes iter suum in Bethsames, quod significat domum solis, ad obtinendam perseuerantiam in excelsa & perfecta vita, quam profitentur. Nam de iusto dicitur h *homo Sanctus in sapientia manet sicut Sol*; & semper progreditur in die & cum luce: detestatur enim tenebras & tricas in suis negotijs.

Vide S Bon. lib 13 Pharet c.27.

f *Ioan.19.26*

g *1.Re.6 12. Lib.7. c.14.*

h *Ecc.27.12*

Ex Qvo apparet, quòd negotia cognatorum nullus Religiosorum aggredi debeat proprio suo iudicio: quia facilè potest existimare, amorem naturalem & passionem siue affectum, qui illum comitatur, obtenebrare iudicium rationis: ne rectè iudicet de necessitate ad ea attendendi: & sæpe necessariam iudicabit suam præsentiam, cum reuerâ non sit; sed possit ei negotio per tertiam personam subueniri. Ne igitur in hoc de-

cipiatur, præstat, id committere iudicio & consilio virorum sapientum, & qui non laborant aliqua passione: & præcipuè rem totam committere Prælatis, per quos Deus ipsum gubernet, suamque voluntatem absque deceptione per eos manifestet. Propterea enim competit Religioni, quod sit *domus Solis*: in qua agitur cum claritate, tam ex parte subditi, quàm Superioris. Alter enim libenter quærit clarè cognoscere Dei voluntatem; & alter eandem manifestare: quò omnia iuxta illam fiant. Et quoniam Sathanas transfigurans se in Angelum lucis, decipere solet Religiosos zelosos, vt cupiant ire in patriam, consanguineos & amicos visitatum, cum aliqua spe eorum profectum promouendi; & in rebus ad salutem pertinentibus eos iuuandi: neque in his tamen duci debet Religiosus, iudicio proprio: sed potiùs ex parte sua existimare debet, certius fore proprium detrimentum, quàm aliorum commodum: aut (vt Cassianus ait) si quem fructum in aliis fecerit, fore cum maiori iactura suæ: nam potentiores & efficaciores solere esse parentes ad filios post se trahendos, quàm sint filij ad trahendos parentes. Nam CHRISTVS Dominus noster, quamuis tantus esset prædicator, & Propheta; paruum tamen fructum inter suos effecit: qui ipsum contemnentes, etiam audire dedignabantur, & scandalizabantur in eo: quare ipse dixit: i *non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua*, k *& in cognatione sua*. Et cùm in alijs locis multa edidisset miracula: *ibi tamen non fecit virtutes multas propter incredulitatem eorum*. Si igitur hoc euenit CHRISTO Domino nostro, qui nihil nisi cœlestis sui patris honorem quærebat: quid non potest vereri carnalis homo, qui inter suos cognatos cupit aliquam authoritatem habere, & in honore apud eos esse? facilè credi potest, eum non egregia & magna prodigia facturum, non solùm ex parte ipsorum ciuium qui huiusmodi conterraneos minoris faciunt sed etiam ex parte sui: qui honorem aliquem ambiens, obicem apponit fructui, qui ex verbo suo poterat expectari. Committat igitur id totum prouidentiæ diuinæ, nec tale facinus proprio iudicio ac voluntate aggrediatur; sed Prælatorum. Et tunc poterit ire securus, & incumbet Deo, exitûs rationem habere.

Religiosus consulat prælatos.

Collat. 24. c. 3.

i *Mat. 13. 57* k *Mar. 6. 4*

DENIQVE Religiosus adeò viriliter carnalem amorem erga cognatos suos mortificare debet, vt neque ex eorum nobilitate, aut diuitijs enascat; neque, quòd illi sint ex communi plebe & pauperes erubescat neque iactet honorifica illorum gesta; nec confundatur nimium ex infelicibus eorundem euentis: sed in vtroque casu studeat se in pace, silentio, & cordis quiete conseruare. Et similiter nec humilia suæ Religionis exercitia negligat ex timore, quòd consanguinei ægrè ferent: neque hono-

Iob. 31.34 rifica munia appetat ob illorum honorem; sed in omnibus se gerat tanquam carni & sanguini mortuum: eum in modum, quo sanctus Iob dicebat: *Si despectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium*: quasi dixerit: nihili feci quod mei cognati me contemnerent, eò quòd id facerem, quod debebam; neque quòd illi contemnerentur, & nihili fierent: cuius cõtemptus particeps ego essem: sed in vtroque tacui, & sustinui, nec meam quietem amisi: nam hanc in eo solo collocaui, vt placerem Deo: qui verus est Pater meus. O beatum Religiosum, cuius vita (vt Sanctus Ioannes Climacus ait) est continua quædam peregrinatio ad veram suam patriam, hoc est cœlum: qui tanquam bonus peregrinus nihil aliud curat, quàm vt semper progrediatur; nunquã desiderans in patriam suam, & ad carnales parentes redire: hic enim est modus quidam subsistendi, & retrocedendi, sicut fecit vxor Loth: sed semper vlteriùs progreditur, cupiens ad finem peruenire suæ peregrinationis, terram scilicet viuentium: vbi videbit Patrem suum cœlestem & gaudebit cum suis fratribus, qui sunt ipsi beati: satians & implens sua desideria in æternum.

Grad. 3.

CAPVT VIII.

PERFECTIO RELIGIOSORVM EX MORTIFICATIONE *excessuum in agendo cum sæcularibus.*

MVLTA EX PRÆDICTIS DE AMORE & familiaritate cum cognatis possunt etiam ad alios sæculares extendi, filios huius sæculi. Sed quoniam multi Religiosi ratione officiorum, & spiritualium, aut temporalium, muniorum coguntur cum sæcularibus agere; &, qui non in eremo, sed in locis vbi est hominum frequentia habitant, sæpius coguntur cum eisdem agere, aut ab eis visitari: visum mihi est operæ pretium aliqua documenta proponere circa mortificationem, & cautelam in agendo seruandam, & de perfectione qua id fieri possit, solùm generalibus allatis; particularibus verò reiectis in eos tractatus, quos de huiusmodi ministerijs inferiùs instituemus. Et hinc discere possunt Religiosi ab huiusmodi obligatione expediti summam curam, qua vitare & horrere debent, agere cum sæcularibus. Sæculares dico non eos, qui æquè sunt Deum timentes & viri spirituales, sicut ipsimet Religiosi, sed eos, qui in vita & moribus sunt filij huius sæculi, seruantque exactis-

Tomo 4.

simè

simè eius leges, & mores. Quamuis Anachoretæ,& qui vitam eremiticam profitentur ab vtrisq; debeant abstinere,iuxta illud quod vox cœlestis magno illi Arsenio dixit: Fvge, Tace, Et Reqviesce. Fuge scilicet hominum consortium; tace non colloquendo cum eis; & requiesce in interiori cum Deo familiaritate,qui te tutabitur in abscondito faciei suæ, quò nulla peruenit hominum perturbatio.

Solitariæ igitur vitæ cultoribus prætermissis, hoc sit *primum* documentum,& fundamentum reliquorum:quòd Religiosi, propriæ perfectionis cupidi (quam non debent,propter officium,quo funguntur, cõcultare)nunquam debeant cum sæcularibus contrahere amicitiam, quæ nõ sit valde spiritualis,in Deo,& propter Deum, & in bonum animarum eorum; aut ob alios sanctos fines;nec vllum admittant excessum amoris;qui cor eorum occupet, & à rectitudine faciat deflectere. Si enim Christus Dominus noster dixit a *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me,nõ est me dignus*:etiàsi huiusmodi amor tantùm habeat in ipsa natura fundamentum :quantò ergo minus Religiosus amans aliquem sæculatem,plus quàm Christum, dignus erit ipso Christo?Et qui quamcunque creaturam plus amat, quàm Creatotem;non est dignus ipso Creatore; nec meretur ab eo amari, nec ad eius familiaritatem,& solatia,ac bona regni ipsius admitti.b *Nolite* (ait Sanctus Iacobus Apostolus) *amici esse sæculi huius,ne inimici Dei constituamini.* nam qui sæculi filijs adhæret amicitia tantùm exteriori & politica; sæculari & profanæ eorum vitæ sese accommodando,statim euadit eis similis;amans, magnique faciens,quod illi amant,& magni faciunt. Et reuocans in memoriam quæ deseruit:eò peruenit (vt S.Basilius ait) vt pæniteat ea deseruisse,paruique faciat,quæ nunc habet:lapsus in illud vitium quod S. Bernardus,cordis apostasiam appellat:in habitu Religionis cor sęculare gerens;& c *corde rediens in Ægyptum*,vnde exiuerat.

Ex Qvo fit,vt Religiosus agens cum sæcularibus, quantumuis cor suum habeat reformatum : debeat semper præuenire & præmunire sese sancto quodam periculi sui timore, diligenter seruans insigne illud Ecclesiastici consilium,dicentis:d *Sepi aures tuas spinis:& ori tuo facito ostia & seras.* Neque enim libenter audire debes res profanas,& sæculares, quas illi loquentur; nec permittere ita intrare per aures tuas, vt cordi tuo adhæreant. Sed cum non poteris euitare audire,quæ dicentur :ita age, vt quæ per vnam aurem intrant, per aliam exeant: procurando eorum omnino obliuiscì. Habeas quoque os tuum & linguam clausam non vno tantùm ostio, sed multis:ostio scilicet prudentiæ,humilitatis,mansuetudinis,& patientiæ; castitatis,& misericordiæ,& similium aliarum virtutum : vt cùm os ad loquendum aperueris, quicquid dixeris sit eis simile & conforme:ita vt nullum proferas

I.

a *Mat.*10.37

b *Iac* 4. 4.

Reg. 30.ex Fusis & de Const. Mon. c.21. Ser.3. in Ps. Quihabitat

c *Act.*7.43.

2.

d *Ecc.*28.28

verbũ degenerans à virtute; nec fœtorẽ vitij alicuius, aut mundi præferens. Et quantumuis te præmunieris, timendus tibi est lapsus: nam (vt S. Gregorius perpendit) non sine magna causa Propheta Isaias, cùm tantus esset, conqueritur, dicens: e *quia vir pollutus labiis ego sum*: reddítque rationem, quod *in medio populi polluta labia habentis habitarem*. Est enim difficillimum, quòd polluta sæcularium hominum labia & lingua non polluant animam, quam cõtingunt. Assuescimus enim loqui, sicut illi loquuntur. Et multum (inquit) deorsum ducimur, dum locutione continua sæcularibus admiscemur. Et qui Religionem ingressus est: f *vt se leuaret super se* per orationem & familiaritatem cum Deo: si nimium cum hominibus conuersetur, vilescit; & seipsum ponit sub se, rediens minus homo, minus Religiosus, & magis sæcularis. Et quemadmodum dixit S. Ioannes Climacus: sicut impossibile est altero oculo cœlum, altero terram aspicere: ita non potest quis simul familiariter cum Deo agere, & multum cum cognatis & sæcularibus versari: nam nõ aduertentibus nobis sensim extinguunt ignem deuotionis & compunctionis; & cor ipsum paulatim arescit: & tunc etiam paulatim remouetur sepis spinarum ab auribus, & ostia ab ore: delectantur enim audiendo & loquendo de profanis rebus cum profanis, incidentes in illam miseriam quam insinuauit Sapiens, cum dixit: g *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam*. Conseruet itaque vir Religiosus hanc saum sepem & cautelam in auribus & lingua; quod si de rebus profanis agentes, audiuerit studeat (vt ait Sanctus Bernardus) talia colloquia dextrè impedire; inferens sermones de Deo, & qui sanctitatem redoleant; reliquos verò perpetuo silentio sepeliat ita, vt nec cogitationem quidem admittat, (vt ait S. Bonauentura) eos domi alijs Religiosis referendi: nam id esset vices agere sæcularium, & turbare fugientes huiusmodi sermones.

Lib 2. Dial. log c 15.
c Isa. 6. 5.
f Thr. 3. 28.
Grad. 3.
g Eccs. 13. 1.
In Formula honest. vitæ De Inform. Nouit p. 1. c 14. & Spec p. 4. c. 1. 3.
De Const. Monast. c. 7
Oration. 16.

SED vlterius progredi debet perfectio Religiosorum, etiamsi demus, eos ita sese præparare, vt diximus. Nam quantum in se est, fugere debent nimiam frequentiam in visitandis sæcularibus, aut in familiaritate cum eis: ne authoritatem suam bonumque nomen sartum tectum seruare velint; & fructum aliquem illis adferre. Vt enim S. Basilius ait; etiãsi Religiosus valde sit disciplinæ obseruans: si tamen multum cum sæcularibus conuersetur, facilè eò peruenit, vt minoris ipse fiat: nam familiaritas nimia, vt vulgò dicitur adfert contemptum; eò quòd defectum aliquem proprium prodat cùm nullus in hac vita sit, qui aliquo non laboret; & hoc adfert facilè minorem de eis opinionem, & multò ampliùs de ijs, qui liberiùs, magisque sæculariter cum eis agunt: aduertunt enim: sub habitu Religioso viuere mundum, talemque Religiosum esse sicut vnum ex ipsis; qui tamen deberet esse supra ipsos. Ad hæc (vt S. Gregorius Nazianzenus dixit) quod frequenter &

ſtile cernitur, parui fit, etiamſi, ſit pulchrum. Ac propterea reliquiæ & piæ Sanctorum imagines teguntur, & rarò oſtenduntur: Ideoque Religioſi, qui ſæpè & abſque neceſſitate per plateas, & ſecularium domos diſcurrunt, parui fiunt: ſi autem rarò & iuſtis de cauſis id faciant, maiori ſunt venetationi, Propterea ait Sanctus Gregorius, ſcriptura ſacra inſinuat Prophetam Samuelem rarò iuiſſe in Ciuitatem; vt vix ſpiritualis diſceret, rarò prodire in publicum: diu verò eſſe in occulto, vt quò tardiùs aſpicitur, deuotiùs veneretur. Eſtque hoc conſilium valde conforme ei, quod Spiritus Sanctus ſuadet, dicens: h *ſubtrahe pedem tuum de domo proximi tui.* nec frequenter eam adeas: *ne quando ſatiatus oderit te.* Et i *aduocatus à potentiore*, ne ſtatim accedas & cum acceſſeris, expedias te, ac *diſcede: ex hoc enim magis*, ac libentiùs *te aduocabit.* Nemo tamen exiſtimet, nos propter ea, quæ attulimus, damnare frequentes excurſiones & viſitationes, quando officium id ab aliquo requirit: ac præcipuè cum ſpiritualis neceſſitas proximorum id exigit; nam tunc, ſi fiant ſicut oportet, potiùs ædificant, ac reſpectum & venerationem augent, ob charitatem & miſericordiam, quæ in eis elucet.

Lib. 4. in 1. Reg. c. 9. 12.

h *Pro. 25. 17*

i *Eccl 13. 12.*

4. Qvi autem tutior eſſe cupit in huiuſmodi occaſionibus, firmiter ſtatuere debet, ſeruare fideliter quæcunq; ſunt in Regulis conſtituta circa huiuſmodi cum ſæcularibus colloquia & conuerſationes. Quale eſſet non loqui cum eis domi abſq; facultate; nec ſolos cũ ſolis loqui, quãdo Regula iubet ſanctimoniales habere ſe ũ aliã, quæ colloquio aſſiſtat; nõ exire abſq; facultate ad eos viſitandos, non ſcribere eis literas, neq; ad ſe ſcriptas accipere; nec ingerere ſe negotijs aut votis ipſorum ſæcularibus. Sed quòd maximè refert eſt: huiuſmodi facultatem non petere ob propriam voluptatem; aut ſolatium, vbi nulla alia adeſt neceſſitas, aut cauſa legitima Etſi enim Prælati concedant facultatem, debilitati noſtræ annuentes: tunc tamen totum tribuitur propriæ noſtræ voluntati quæ ſeipſam quæſiuit, dum eam facultatem peteret. Qui autem huiuſmodi Regulas, etiamſi paruas, negligit aut conculcat: non ſentiet ſingularem fauorem à Deo in rebus magnis.

5. Deniqve qui cũm facultate & cauſa legitima ſæculares viſitat, vel alloquitur: nõ diuitiùs cũ eis hærere debet, quã ſit neceſſarium, & expedit ad negotium quod habet, expediendum: ita vt ſtatim atq; fecerit quod opus erat, redeat ad ſuũ angulum, & recollectionẽ. Nã aliàs eueniet ei (vt S. Antonius Abbas dixit) quod piſcibus diu extra aquã manentibus: & hæc mora, vbi nõ adeſt neceſſitas, in cauſa erit, vt boni ſui Propoſiti obliuiſcatur, aut in eo intepeſcat. Quibus addit S. Baſilius, poſtquam alia ad hoc propoſitum conſilia & monita poſuiſſet: quando ex neceſſitate iueris extra monaſterium, & Deus Dominus noſter ita feliciter adfuerit, vt negotiũ tuũ abſq; tuo detrimẽto perfeceris, ſtatim redeas, imitatus columbam: quæ cũ exiſſet ex arca,

S Athan. in eius vita & refertur 16. q. 1. c. Placuit Ser. de Abdic. rerum.

redijt

redijt ad eam k *portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo*: quare & tu gratiam & gloriam Deo reddes ob misericordias in te collatas; persuadens interim tibi, te in cella tua tutiorem esse: nisi ipsemet Deus per tuos Prælatos exire inde iubeat: tunc enim Dei protectio: cellæ officium obit. Nam securitatem non tam angulus dat, quàm Diuina protectio: quæ nunquam negatur ijs, qui siue tacent, siue loquantur; siue exeant, siue redeant: non seipsos quærunt, sed Dei gloriam, & illi placere.

k *Gen.* 8. 11.

Non potest tamen negari: quin ad prædicta omnia seruanda summè conferat continuus vsus linguam mortificandi: cuius necessitatem adeò exaggerat S. Iacobus Apostolus, vt dixerit: l *Si quis putat se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est Religio.* Ille autem cor suũ seducit, qui laxat linguæ habenas: vt loquatur quicquid cor volet. & hac ratione illud seducit siquidem per laxam & effrænam linguam euacuatur ac perditur totus spiritus Religionis ac deuotionis, quem antea retinebat; nec amplius quid remanet, quàm eius quædam species. Contra verò qui eam continet, ita vt m *verbo non offendat hic* (ait idem Apostolus) *perfectus est vir.* Signum enim est, quòd omnes habeat virtutes, quæ illam refrænant; ac terminos ei constituunt, vt vel loquatur vel taceat, quando & sicut expedit. Sed quoniam de hac mortificatione fusiùs egimus in Duce spirituali, complectentes quicquid pertinet ad Religiosos: ibi licebit eis media videre quibus eam consequantur.

l *Iac.* 1. 26.

m *Cap.* 3. 2.

CAPVT IX.

PERFECTIO AMORIS, VNIONIS, ET PACIS MVTVÆ *inter Religiosos, & excellentia qua quisque alios vt seipsum, & vt Christus eos dilexit amare debet.*

QVAMVIS CHRISTIANA ET RELIGIOSA PERFECtio, vt supra est dictum præcipuè consistat in primo ac nobilissimo actu charitatis, ex quo vota ipsa procedunt: dubium tamen non est, quin eadem valde splendeat inter homines per secundum actum huius supernæ virtutis, amorem scilicet proximorum. Quem Christus Dominus noster tanquam insigne & manifestum indicium suæ scholæ designauit, cum dixit: a *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis: si dilectionem habueritis ad inuicem.* Cum igitur Religio per excellentiam quandam sit schola Saluatoris, præcipuum eius insigne etiam erit amor & dilectio quam ad inuicem habent Religiosi. Cuius naturam ait S. Dionysius esse vnire

a *Ioan.* 13. 35.

C. 4. *de Diu. Nominib.*

cui-

corda, se inuicem amantium; & quasi bitumine quodam, eorum animas ita agglutinare: vt cùm sint multæ videantur tamen in voluntatibus esse vna. Hæc vnio inter Religiosos in omnibus illis titulis fundatur, quibus innititur illa, quam omnes iusti habere debent. de quibus fusè egimus in Duce spirituali: accedentibus tamen nostris titulis, ac rationibus, quæ vrgent, vt hæc arctior sit, multoq; gloriosior. Omnes enim Religiosi membra sunt b *vnius corporis* mystici, hoc est, propriæ suæ Religionis: omnes sunt *vnus Spiritus per gratiam eiusdem vocationis*, ad eundem finem, & per eadem media tendentis; omnes colligati sunt vinculis eorundem votorum: vt vnio ipsa & connexio sit perpetua; omnes eundem patrem agnoscunt, non solùm vniuersalem omnium, qui est Christus eiusque Vicarius; sed alium etiam specialem Sanctum scilicet sui Fundatorem; & eos, qui ei in gubernatione succedunt: ac proinde omnes sunt inter se fratres; & quidem fraternitate quadam magis speciali, quàm cæteri iusti; omnes etiam eandem custodiunt Regulam, eundem habent gubernationis modum, gaudent eadem doctrina & eadem frequentia Sacramentorum: eundem gestant habitum; eidem accumbunt mensæ: & in reliquis cæremonijs rebusq; externis maximam habent similitudinem, qua amor ipse & concordia crescunt; omnibus deniq; idem centuplum in hac vita est promissum: cuius præcipua pars consistit in vnione, pace, & concordia cum gaudio, & admirandis alijs bonis ab ea prouenientibus, vt supra est dictum. Omnes hi tituli & rationes obligant Religiosos: vt in hoc amore & mutua vnione studeant excellere. Nam etiam in eo propria illorum perfectio consistit, iuxta illud Sancti Ioannis: c *si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Nam illa est indicium, quòd multum diligamus Deum, cuius bonitatem, ait Sanctus Thomas, esse præcipuum motiuum proximos diligendi. Et propter eandem causam dixit Apostolus: d *Qui diligit proximum, legem implenit; & plenitudo legis est dilectio, nam dilectio proximi malum non operatur*: & e *charitas non cogitat malum nec agit perperam.* Et vt Sanctus Chrysostomus perpendit: si omnes diligerent ac diligerentur; nullus alteri irrogaret iniuriam; & omnia mala procul abessent, & ad nomen vsq; ignotum esset vitium. Præterea: qui alios diligit, sicut debet; ita, inquit, viuit in terra, quasi esset in cœlo: semper gaudens, summa tranquillitate. in hoc enim bono charitatis omnia bona habet; & per eam innumeras obtinet victorias, & coronas, & inæstimabiles thesauros pacis. Et Sanctus Augustinus nunquam finem imponit recensendis charitatis laudibus; & concludens tandem de ea ait: nihil auditur dulcius nihil optatur delectabilius, nec vtilius possidetur. Quamobrē dixit Dauid: f *O quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum* id autem est proprium Religionis. O pacem eremitarum matrem, cœnobitarum patrē, Monachorum

Tra. 4. c. 19

b *Eph. 4. 4.*

Trac. 3. c. 18. & 11. & tra. 4. c. 9. & 10. c 1. Ioa. 4. 12

2. 2. q. 24. 1. d *Ro. 15. 8. 10*

e 1. *Cor. 13. 4 Hom. 32. in Epist. 2. ad Corinth.*

Serm. 2. ad Frat. in Ere. & ser. 57 de Verb. Domi.

f *Psal 132. 1*

nachorum sororem, vinculum Patriarcharum, Prophetarũ curum, refugiũ
" Apostolorum, solatium Martyrum, Confessorum cingulum, & virginum
" gaudium. O Monache, vix in hac vita rem aliquam inuenies, quæ simul sit
" bona & læta: quam tamen si vis inuenire, quære pacem, eamq; amplectere.
" hoc totum S. Augustinus: vt nos ad pacẽ alliciat, proprium fructum charitatis: quæ excellẽter efficit in Religiosis duplicẽ vnionẽ, in qua, teste S Thoma, pacis essentia consistit: alterã vniuscuiusq; secũ; subijciendo appetitus rationi, vt sint concordes, eum in modum, quem supra explicuimus. Ex quo alter. 2. 2. q. 29. a. 3.
Tract. 1. c. 5. tera vnio sequitur, cum alijs: cũ quisq, suam voluntatẽ alijs accommodat in his, quæ sunt licita, ac Dei voluntati conformia. Vt autẽ vtraq; sit vnio perfecta, additur continua mortificatio passionũ, & internorũ affectuum: & renuntiatio rerum externarum: quã adeò profitentur Religiosi. Mortificatione enim deuastant & profligant hostes, qui pacẽ oppugnant, & internam vnionem; rennntiatione verò rerum externarum, prosternunt eos, qui exteriùs oppugnãt, sic enim reddũt campum planũ & expeditum, quò possit fraterna charitas exercere in Religione actus suos excellẽter; & sic multò perfectiùs, quàm sæculares conformantur duplici exemplari amoris proximi; quod indicat Euangeliũ; & quæ superiùs sunt fusiùs declarata vt quisq; scilTract. 1. c. 5. cet aliũ amet sicut seipsũ; & sicut ipse Christus Dominus noster nos amauit.

PRIMVM enim, quò exemplar est perfectiùs; cò res, quæ ei conformatur, & in omnibus coæquatur, erit etiam perfectior. Et quemadmodũ Sanctus suiipsorum amor, qui exemplar & idæa est amoris proximorum, est ex parte ipsius status mæiori cum excellentia in Religiosis, quàm in sæcularibus: ita amor suorum fratrum, qui per eum mensuratur, erit in eis multò perfectior. Et quemadmodum hic amor in eo consistit; vt illis cupiant & velint bonum, quod sibiipsis: cùm sibi optent bona multò excellentiora, quàm sæculares: efficitur, vt excellentiori amore fratres suos diligant, quos talium bonorum participes efficere cupiunt. Et quis dubitet, Religiosum diligere seipsum perfectiori amore; siquidem cupit sibi perfectionem Euangelicam, & virtutes in gradu excellentiori, quàm sæculares: non enim præceptis contenti sunt, sed ad ipsa etiam consilia seruanda sese obstringunt: ac proinde sibijpsis volunt innumerabilia & excellentia bona spiritualia, quæ in se includit promissio centupli, facta ei, qui propter ipsum Christum rebus omnibus renuntiat: temporalia commutans pro alijs incomparabiliter pretiosioribus, & cum singulari pignore vitæ æternæ, & possessione illius *gregni Dei, quod est iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* g Ro. 14. 17.
Cùm igitur omnia hæc bona velint Religiosi pro suis fratribus; & adeo procuranda valde illos iuuent: certum erit, quòd eos perfectè sicut seipsos diligant. Præterea sibiipsis cupiunt illud summum bonum, vt sint magis in-

gis intimi Christi D.N. discipuli, & audiãt in eius schola doctrinã suæ & maioris perfectionis, eamq; custodiant & magis prope sequantur, & cũ maiori excellentia illũ imitẽtur. Et quemadmodũ Christus D N. in doctrina & vita sua ostẽdit, se tõti facere amorẽ, & constituit se exẽplar eius dicens: h *vt diligeremus nos inuicem, sicut ipse dilexit nos*: ita ipsi contendunt excellere in amore mutuo, eodem modo, quo Christus Dominus noster eos dilexit, perfectiùs custodientes ipsius amoris proprietates, quas supra attulimus.

h *Ioa.* 13. 34. *Trac.* 10.

Ex Qvibvs concludo: vitam Religiosam esse perfectissimam quandam multorũ amicitiam, diligentium se inuicem sicut seipsos, & sicut Christus illos dilexit mortificantes sese & renũciantes internis & externis rebus, quæ possunt illam minuere: in qua eminenter cernitur veritas communiũ illorum prouerbiorũ: *amicus est alter ego*; & *amicorum omnia sunt communia*. Hæc enim amicitia non fundatur in voluptate, aut emolumento aliquo humano; sed in virtute tantùm; & non in qualibet, sed in præstantissima: quia nullum adest desiderium rerum mutabilium, & perituraru huius mundi. Ac propterea, vt Cassianus dixit, amicitia charitatis est perpetua: de qua dixit Apostolus: i *Charitas nunquam excidit*: innititur enim sanctitati, quæ permanet in æternum. Est quoque amicitia valde intima, vt quæ non sit contenta familiaritate externa; sed transit ad interiora, traijciens omnes suos fratres in viscera sua: quasi eos faciat vnum secum; & seipsum etiam mittens ad eorum interiora, quasi se faciat vnum quid cum illis. Ita vt in seipso omnes aspiciat, & seipsum in omnibus: omnia illorum bona & mala tanquam propria accipiens. Ex quo infert Sanctus Chrysostomus: quod quemadmodum multi Religiosi per charitatem sunt vnus: ita per eandem charitatis vnionem singuli sunt multi; vnio inquit decem Religiosorum efficit, vt vnus sit decem: nam vnus est in omnibus decẽ, & oẽs decẽ in vno, Quare vnusquisq; habet viginti manus, viginti oculos: & ita respirat per decem animas, tantã. n. curã quisq; gerit de altero; quantã de seipso. Ideoq; oculi, manus, & pedes omniũ decẽ seruiunt vnicuiq;. nullus enim contentus est cura suiipsius: sed etiã gerit curã reliquorũ. Et quemadmodum dixit Apostolus; k *omnibus omnia fit, vt omnes iuuet*. Ac propterea vnusquisque potest multum; quia potest sicut decẽ. Quod si vnio est centum Religiosorũ: vnusquisq; poterit quantũ centũ possunt Hæc S. Chrysostomus. Quod etiã possumus ampliùs explicare ex ijs, quæ refert Propheta Ezechiel de quatuor mysticis animalibus: de quib. nũc loquitur, quasi l *de multis* nũc quasi *de vno*, dicẽs *eleuata sunt Cherubin*; & statim addit *ipsum est animal*: ad significandũ illa tantam vnionẽ & similitudinẽ in rebus omnibus habuisse, vt etiãsi quatuor essẽt: tamen omnia essent vnum: & ita multa essent in vno, vt vnumquodq; esset in multis Quorum compositio miro artificio significabat duas vniones pa-

Hom. 77. in Ioann.

k 1. Cor. 9. 22.

l Ezec. 10 11 20.

cis & concordiæ prædictas. Nam vnumquodque habebat quatuor facies, bouis, leonis hominis, & aquilæ; ita in vno corpore vnitas: vt nulla esset inter ea contrarietas: omnia præterea quatuor in eo conueniebant, quod haberent eadem facies & eandē formam pedum, manuum, & alarū: & omnia simul mouebantur vnius & eiusdem spiritûs impetu: quia coniuncta & vnita erant vt portarent currū gloriæ Dei: In hunc igitur modum in Religione vnusquisque Religiosus, si est in suo statu perfectus, habere debet vnitas in seipso partes, quæ per quatuor facies significantur: quæ (vt S. Hieronymus interpretatur) sunt appetitus concupiscibilis & irascibilis; & voluntas rationalis ac intellectus: qui est altissima pars spiritûs: in qua residet synderesis, & rationis dictamen: & omnes quatuor conueniunt in ea subordinatione, & subiectione, quam eorum natura rectè ordinata requirit: quam subordinationem obtinent per quatuor virtutes cardinales, quas appellamus temperantiam, fortitudinem, iustitiam, & prudentiam; significatas etiam (vt S. Ambrosius ait) per eadem quatuor facies. Et hinc prouenit, vt omnes Religiosi summam inter seipsos seruent vnionem, propter conformitatem quam habent in ipsismet virtutibus, & exercitijs; & in tollendo super se iugo eiusdē Regulę: quia omnes eiusdem Superioris gubernationem sequuntur. Et quāuis aliqui (ait S. Gregorius) plus resplendeant in abstinentia, & alij in fortitudine, seu iustitia; & alij in subtilitate contemplationis: semper tamen sunt vniti, &, vt Propheta dixit: m *iunctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum*, propter vnionem quam habent in bonis suis affectibus, & conatibus: & ita impletur ad literam Isaiæ Prophetia, quam superiùs attulimus: n *quod vitulus & leo simul morabuntur: & leo quasi bos comedet paleas*: & quod *puer paruulus minabit eos*: quia erit eorum pastor. Nā qui repugnantia habent ingenia, & mores diuersos accipiunt cum magna vnione eundem vitæ modum: ita vt diuites & potentes assuescant ad ordinarios pauperum cibos; ad illos se dimittentes, vt sint cum illis æquales; & omnes sincerè obediant eidē pastori.

b Id.

Lib. 3 de Vir. Quamuis in aliquo dissideat.

m *Eze. c. 1. 9*

Tract. 4 c. 9. n *Isa. 11. 6.*

ET HÆC est insignis amplitudo charitatis & vnionis Religiosæ: vt tanquam res quædam superior ac Diuina, potens sit cum Dei gratia ad vincendam & accommodandam diuersitatem appetitionum ac voluntatum; cōtrarietatem morum, & complexionum naturalium; inæqualitatem personarum ætatum, & talentorum; & diuersitatem nationum valde inuicem repugnantium: quia hęc omnia reducit ad vnionem, pacem, & concordiam. Quemadmodum enim in die Pentecostes, o *ex omni natione, quæ sub cœlo est*, collegit Dominus noster primæuā suā Ecclesiā, dans gentibus adeò dissitis p *cor vnū & animam vnā*: ita nunc (ait S. Basilius) cum nō minori stupore renouat hīc vnionem in Religionibus recipientibus personas variarū nationum, linguarum, & morum naturalium. Et nostris tēporibus vt Religionem fundaret

o *Act. 1. 5. 44* p *ca. 4. 32.* *De Const. Monast. 6.*

nostræ

nostræ Societatis (quēadmodum perpēdit Summus Pontifex Paulus III. in Bulla Confirmationis eius) elegit decem viros, non eiusdem nationis, quales fuerunt quæ alias Religiones fundarunt; sed ex diuersis, quales erāt Hispanica, & Gallica; idq; tempore, quo abinuicem valde dissidebant, & bella gerebant: & qui erant eiusdem nationis Hispanicæ, aut Gallicæ erant ex diuersis Prouincijs, linguis, & moribus non minus inter se dissidētibus: quàm si fuissent nationum diuersarum: omnes tamen adeò erant inter se eodē spiritu vniti, atque si multa corpora vnicam habuissent animam. Vnde per Dei misericordiam secuta est similis vnio in reliquis eorū successoribus, etiam si valde diuersarum sint nationum, & morum naturalium valde repugnantiū. Ita vt quemadmodum de Ecclesia dicitur, quòd tanquam q *Regina assistat ad dexteram sponsi sui in vestitu deaurato & circundata varietate*: (& vt S. Augustinus interpretatur, varietas est in nationibus & linguis; vnitas verò in auro & vestitu, quæ est sapientia, & doctrina: quia omnes conueniunt in fide, Confessione, & prædicatione eiusdem veritatis Euangelicæ) ita dicere licet, sacram Religionem assistere ad dexteram Christi Domini nostri, hoc est, in optimis gratiæ suæ & perfectionis quam docuit, bonis: cum magna varietate nationum, & personarum, ex partibus valde diuersis: omnes tamen illæ eundem habent vestitum aureum, vnam scilicet eandemq; Charitatem & amorem: & eundem spiritum suæ vocationis proprium; sequentes in omnibus eundem vitæ modū, ita vt nationum diuersitas in solam vnā nationē, & eosdem mores coalescat. De quibus dixit Ecclesiasticus: r *Filii Sapientiæ; Ecclesia iustorum: & natio illorum Obedientia & dilectio.* Hic enim est eius vestitus aureus; lingua ipsius est cœlestis, hi mores & propensiones quasi connaturales, quales sunt singularum nationum. Ac propterea, etsi multæ sint, quoad naturalia: obedientia tamen sub vno superiore, & mutuus illorum amor eas facit vnam in esse gratiæ; & quidem multò magis, quàm essent in Esse naturæ. Cuius indicium est, quòd qui sunt huius nationis spiritualis; multò magis se inuicem diligant, quàm nationis, quæ est vna secundùm carnem. Nam, vt ait S. Ambrosius: non est natura vehementior & efficacior ad amandum, quàm sit gratia. Et par est plus eos diligere, quos speramus futuros perpetuò nobiscum: quàm qui tantùm in hac vita sunt nobiscum mansuri. Et vnitas nationis terrenæ cum morte finitur; spiritualis tamen nationis vnitas perdurare potest in omnia sæcula. Et qui moriuntur in hac obedientia & amore, erunt æternùm in cœlo vnius nationis, quæ est beatorū.

Vide Ribaden. lib. 1 de vita P. Laynez. c. 12.

q *Ps. 44. 10.* *Ibid.*

r *Eccl. 3. 1.*

Lib. 1 offic. c. 7.

C. 12 infra plura de hoc puncto decentur.

Studeitaque, ô vir Religiose, celsitudinem statûs tui, & vnionis, quam profiteris agnoscere: incumbe valde seriò in amorem tuorum fratrum: vt ita illos diligas, sicut te ipsum, & sicut Christus eos dilexit: ita vt amor tuus & vnio vere innitatur communicationi eorundem bonorum spiritualium

Attende, vt in primis bene tibi ipsi sis vnitus: vt possis cum cæteris vnionem & pacem habere; & esse superior ad omnem varietatem inter te & illos: quam diuersitas ingeniorum, & nationum attulit: eam solam reputans nationem tuam quæ Professioni imitationis Christi cum obedientia & amore innititur. Induas aureum hunc Castitatis vestitum, nec diuidas, nec laceres: si vis, vt anima tua tanquam sponsa cœlesti Regis assistat ad dexteram dilecti sui fruens optimis bonis gratiæ eius. Memor esto, te [f] *dedisse quæcunque habebas, vt pretiosam hanc margaritam* vnionis tibi cõparares: & nõ satis esse, quòd cõparaueris: nisi etiam seruare noueris; ne pereat, aut hostis tuus eam corrumpat. Nam de his margaritis, quæ propter excellentiam vocantur vniones, scribit Plinius, ex vsu; manibus eas cum incuria quadam tractandi, amittere splendorem & colorem, & ardore solis offuscari illarum candorẽ: &, quod amplius est, flaueſcunt, inquit, in senecta margaritæ, rugisque torpescunt; &, si ponantur in acetum, omninò dissoluuntur; & quæ priùs adeò erat pretiosa, euadit inutilis & nullius valoris. Huncin modum, margarita huius vnitionis & fraternæ Charitatis, si negligens sis in ordinaria cum tuis fratribus familiaritate (præcipuè si ardore cupiditatum & tentationum molestia oppugneris) imminuetur præstantia, & amittet candorem & splẽdorem; quem habuit in initio, quando Deus cœlesti rore eam in corde tuo produxit. Ne existimes te propterea iam esse tutum, quòd sis valdè antiquus Religiosus: sed id potiùs te magis solicitum reddet: quia pretiosa vnio sensim solet inueterascere, & rugas cõtrahere, ac fœditates culparum venialiũ, & imperfectionum; quæ splendorẽ illi auferunt, quem in primæua Religione habebat; & in teipso ita senescet, vt sensim vigorem illum remittat; quẽ, cùm Tyro esses, habebat. Quod si valdè negligenter in hoc te geras, desque locum aceto iræ, & impatientiæ, & corruptioni Adami terreni tandem corrumpetur omnino, & amittes margaritam tanto pretio comparatam.

[f] *Mat.* 13. 45

Lib. 9. c 33. Vide Ludou Alcazar in Apoc. 21. annotat. 37.

CONTENDE igitur eam quotidie renouare, ex consideratione titulorum, qui te ad eam comparandam & conseruandam obligant; & excellentiarum, quas in se cõtinet. Aspice illam profundâ valdè meditatione: ac deprehendes, quòd quemadmodum de margarita fertur, quod si aspiciatur ad lumen solis, appareat in medio eius nõnihil sanguinis, quasi anima quæ circumstanti illam candori elegantiam adfert: ita etiam, si consideres, quæ intra istam vnionem sunt: inuenies in ea ipsum Christum Dominum nostrum, qui dixit: [t] *vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: & ita in quocunque fratribus eius vnito, & coniuncto ipse est in medio cordis eius, pulchritudinem & vitam ei adferens pretiosissimo suo sanguine, & exemplo amoris sui erga nos: cùm eum pro nobis effudit. Sanguis hic, anima erit, vita, & pulchritudo vnionis tuæ: hic amor Christi tuum stimulabit, ac

[t] *Mat.* 18. 20

bit, ac viuificabit; & eius in amore imitatio faciet te omnino perfectum: præcipuè, si oculos conijcias in alia exemplaria, quæ idem Dominus tibi ob oculos ponit de quibus in proximo capite agetur.

CAPVT X.

Vnitio Religiosa Ad Similitvdinem Divinæ; *quos gradus, & quas res complectatur; & ad quid inclinet: vt in omnibus sit conformitas.*

Religiosorvm Inter Se Conivnctio & vnitio, quæ adeò perfecta prodit, dum sequitur & imitatur duo illa exemplaria in proximo capite posita: multò altiùs extollitur, si alia etiam imitetur, quæ Christus Dominus noster in Euangelio suo proposuit: amorem scilicet Dei erga nos; & æterni Patris ad Filium suum; & coniunctionem, quam Filius habet cum æterno suo Patre, tresque Diuinæ Personæ inter se: vnde ipsemet Christus Dominus noster, quà homo amoris sui hausit perfectionem: quemadmodum ipse insinuauit, cùm suis Apostolis dixit: a *sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*: Multò tamen ampliùs id significauit in oratione, quam ad Patrem suum fudit in ipsa nocte vltimæ cœnæ, petens ab eo admirandam hanc vnitionem pro ipsis discipulis, similem illi, quam ipse cum Patre suo habebat. Et vt manifestaret magnam opinionem & æstimationem suam de illa, magna consideratione & rationibus repetijt quinquies verbum illud: b *vt sint vnum*: quasi significare volens, hanc vnitionem quinque gradus præcellentes habere; & omnes illos, se optare, ac petere pro suis discipulis: sicut sensim iam declarabimus.

a *Ioan.* 15. 9.

b *Ioan.* 17. 11.

§. 1. *Quinque gradus vnitionis.*

Prima Vnio Sive Primvs Gradvs vnitionis, quam petijt ipse Christus fuit intellectus & iudicij, propter vnam & eandem fidem: desiderans omnes conuenire in credendis eisdem veritatibus, & admittendis eisdem præceptis: sentientes, iudicantes, & loquentes bene de eis. Quamuis enim verum sit, vt ait S. Thomas: absque læsione Charitatis posse esse diuersa iudicia in materia opinionum, & rerum agibilium: Perfectio tamen huius vnitionis in hoc primo gradu, refugit iudiciorum contrarietatem, quæ prodijt à proprio iudicio cum proteruia, & contentione. Hæc enim solet esse mater discordiarum, inimica vnionis voluntatum, & Christianæ pacis venenum. Ideoque Apostolus hanc vnitionem in suis epistolis valdè seriò cõmendat, & nominatim Corinthijs, qui aliquas habebant diuisiones. c *obsecro*, inquit, *vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis oes; & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*: hoc est: procurantes summam conformitatem; quæ vobis erit possibilis; atq; si omnes eandem scientiam haberetis; & secundam epistolam

I.

2. 2. q. 9. Ar. 3. ad 2.

c 1. Cor. 1. 10.

ad eos-

ad eosdem sic concludit: *de cætero fratres, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* d 2. Cor. 13. 11.

2. EX HOC *primo* gradu progreditur ad secundum, qui est magis substantialis, & consistit in vnitione cordium, & voluntatum, ratione eiusdem charitatis: quæ illos impellit ad se inuicem amandos, quasi multa corpora animam vnam haberent; & multæ animæ cor vnum: ita vt conueniant in diligendis, & odio habendis eisdem rebus, iuxta Dei voluntatem. Eum in modum quo S. Lucas refert: e *multitudinis credentium fuisse cor vnum, & animam vnam.* e Act. 4. 32. Hanc vnitionem coniungit Apostolus semper cum prima. Nam ad Romanos dixit: f *Deus patientiæ & solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundùm Iesum Christum: vt vnanimes, vno ore, honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.* f Rom. 15. 5. Sed maximè scribens ad Philippenses aperuit quàm hanc vnitionem faceret dicens. g *Si qua consolatio in Christo si quod solatium charitatis si qua societas spiritus si qua viscera miserationis: implete gaudium meum vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes; nihil per contentionem, nec per inanem gloriam facientes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.* g Phili. 2. 1. Non potuit Apostolus amplius exaggerare desideria quibus tenebatur, vt hæc vnitio inter fideles floreret: quam reponendo in ea omne suum solatium & gaudium; & tanquam certa indicia eam proponens, amoris & commiserationis, quam illi erga ipsum haberent. Et quid aliud est desiderare, vt omnes eandem habeant charitatem: quàm quod suprema hæc virtus eosdem in omnibus fructus & effectus profetat, atque si illa sola omnium voluntates dirigeret & gubernaret?

3. AD HANC secundam vnitionem perficiendam petijt Christus Dominus pro suis discipulis *tertium* gradum cui illa inniteretur. Est autem gradus hic, vnitionis omnium cum ipsomet Deo. Si enim omnes cum Deo sunt vniti, etiam erunt inter se; & si humanæ voluntates cum Diuina coniunguntur, erunt etiam coniunctæ & vnitæ inter seipsas. Vt autem celsitudinem huius vnitionis significaret, voluit tertiò ob oculos proponere supremum exemplar, quod habere potuit, dicens: h *sicut tu Pater in me, & ego in te: & ipsi in nobis vnum sint.* h Ioan. 17. 21. quod significabat, quemadmodum Pater & filius summam habent vnitionem in sensu, & voluntate, & in executione earum rerum, ita vt nulla sit in eis diuisio: & hæc vnitio oritur ex vnione siue vnitate, quam habent in vna eademque essentia: quia sunt vnus & idem Deus: ita proportionaliter iusti haberent summam aliam vnitionem in sentiendo, volendo & operando, siue exequendo quod Deus vult. Idque ex eo oriatur, quòd omnes sint cum Deo vniti; vt vnus spiritus cum eo per hunc amorem perfectum. Ita vt eorum vnio non sit humana, sed diuina neque innitatur titulis carnis & sanguinis, sed sanctitatis ac Diuinitatis: accipi-

entes

entes tanquam exemplar summam illam vnitionem, quam Diuinæ personæ inter seipsas habent.

Sed vlteriùs progressa est misericordia Saluatoris petentis pro suis *quartam* aliam vnitionem, magis specialem in ipsomet Christo vero Deo & homine, ratione eiusdem carnis cum Diuinitate vnitæ: quæ datur omnibus in cibum in Sanctissimo Altaris Sacramento, de qua vnitione intelligunt SS. Cyrillus & Hilarius, quod Christus Dominus quarto loco dixit: i *& ego claritatem, quã dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.* Quasi dixerit: dedi eis in cibum, corpus meum coniunctum cum Diuinitate, quam tu mihi dedisti: vt in virtute huius cibi sint vnum mecum, & inter se, imitantes vnionem, quam nos habemus: Idem significare voluit Apostolus, cùm dixit: i *vnum panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Quid est multos esse vnum panem, nisi esse vnum Christum per imitationem? Nam quemadmodum omnes iusti realiter ac verè vnum eundemq; Christum sumunt, latentem sub diuersis Sacramentalibus speciebus, quæ etsi sint multæ, quod tamen latet, non est nisi vnum: ita omnes sunt vnum in ipsomet Christo, participes eius spiritûs, eiusque cœlestium proprietatum,

4.

Lib 11. in Io ann. c. 26. Lib. 8 de Trin. Vide ibi Toletum.

i *vers. 22.*

i 1. Co. 10. 17

Vltima magisque specialis vnitio est propter vnum eundemque statum perfectionis, in quo discipuli Christi fiunt vnũ inter se vt eum cum ea excellentia ac perpetuitate imitentur, qua possunt illum in terra imitari; & de hac dixit *quinto*: k *Ego Pater, sum in eis sicut tu in me: vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Et quid est, esse consummatos & perfectos in vnitione, nisi, vt omnes hos quinque gradus in se coniungant cum magna constantia & perpetuitate, ad similitudinem perfectæ vnitionis, quam Diuinæ Personæ inter se habent? sicut ipsi Apostoli coniunxerunt, & perfecti Religiosi coniungunt: qui perpetuis votis sese dedicant ad procurandam & conseruandam vnitionem hanc in omnibus suis gradibus: donec in ea vitam hanc finiant. Hæc ipsa vnitio testimonium præbet præsentiæ Christi Domini nostri inter illos. l *Nam vbi sunt* (ait) *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: vt eorum vnitionem conseruem, eiusque feruorem perficiam. Eadem etiam vnio testimonio est, quòd filius Dei missus fuerit in mundum à Patre suo; talis enim vnitio non potuisset fieri in terra potestate tantùm humana: nisi ipsemet Deus eam inspiraret, & adiuuaret. Eadem quoque est indicium amoris Dei erga nos: quia vult nobis ea bona, in quibus magis sumus similes filio eius; & in vnione, quam cum suo Patre habet. Eadem etiam efficit homines consummatos: obsignans in eis virtutes Christianæ perfectionis. Vnio enim multorum, obligantium se ad

5.

k *vers. 23.*

l *Mat. 18. 20*

manendum perpetuò in diuino obsequio, remotis perseuerantiæ obstaculis, causa est, cur cum magna suauitate obtineatur vltima victoria, & corona. Id quod est in Religione valdè facile: Nam in ea profitentur Religiosi magis attentè ac solicitè quinque illa, quæ hi gradus vnitionis efficiunt: subiectionem scilicet proprij iudicij, abnegationem propriæ voluntatis; & familiaritatem cum Deo per orationem; & frequentiam magis quietam ac piam sacræ Communionis; & renunciationem rerum omnium, & inordinatorum ad eas affectuum: ex quibus dissensiones omnes oriuntur. Cum igitur vocatio religiosa eò dirigatur, vt hæc vnio procuretur in omni sua excellentia; non est parcendum labori quo ea obtineatur: sed semper ob oculos habendum, quod Apostolus dixit: m *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore.* Attendite, inquit, quod vestra vocatio sit, vt sitis vnum corpus mysticum, cuius partes sunt inter se summa cum pace & concordia vnitæ, sicut sunt partes ipsius corporis naturalis. Quamobrem super omnia contendite, vt in charitate excellatis: quæ vinculum est perfectissimum, quo virtutes omnes inter seipsas colligantur; & caro cum ipso spiritu, & spiritus cum Deo, & voluntates omnium inter se mutuò colligantur & sic partes corporis mystici Ecclesiæ & Religionis sunt sibi magna cum lætitia coniunctæ. Memento Religiose ait S. Bernardus: quod venteris ad Religionem, vt esses negotiator, & pretiosas margaritas, virtutes scilicet, & bona spiritualia quæreres nec contentus esto, si inferiora bona inueneris; sed summa quæque & excellentiora perquire. Nil autem pretiosius inuenies vnitate. non igitur parcas omnibus cæteris propter eam obtinendam: sed ieiunijs, vigilijs, & orationibus audacter præfer vnitatem. Volo autem vt in ea quoque sic maneas: non quasi vnus ex omnibus, sed quasi cum omnibus vnus. Latum expande sinum, & ex omni genere piarum affectionum claude intra viscera tua. vt omnibus omnia fias; & congaudere paratus & compati: gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus: vt amorem & vnionem cum omnibus habeas.

m Colo. 3. 15

Ser. 26 parv.

§. 2. *Alia etiam complectitur Vnitio Religiosa.*

EX DICTIS licet aliqua magis particularia deducere, quæ Religiosorum coniunctio siue vnitio complectitur; & conferunt vt illa conseruetur inter subditos & Prælatos antiquos & nouos, & vniuersim inter maiores, minores, & æquales, cum vera & solida Charitate. Cuius a *spiritus, vt ait Sapiens, vnicus est, & multiplex*: sed eius multiplicitas dirigitur ad vnitatem: ad quam in singulis Religionibus efficit tres admirandos spiritus. Spiritum scilicet filij humilis, obedientis, suisq; maioribus planè subiecti; spiritum Patris zelantis, ac soliciti de bono minorum; & spiritum veri

a Sap. 7. 22.

fratris

fratris affabilis,& iucúdi cũ suis æqualibus .Et hac ratione charitas coniunctos illos retinet,vnum quemq; cũ omnibus,& omnes cũ vnoquoq; tanquã patres,filios fratres in Christo:cuius gratia & cognatio spiritualis non est minus efficax ad vnienda corda,quam ipsa natura & cognatio carnalis.

Præterea Charitas omnibus Religiosis communicat spiritum quendam valde zelosum rerum communium,in quibus omnes meritò debent esse concordes.ligat enim eos funiculo triplici,qui valdè fortiter illos constringit.Nam ligat illos obseruantia vnius eiusdemque Professionis, & Regulæ:& illi colla sua demittunt,vt idem iugum sumant. Et quemadmodum iugum boues vnit qui illud portant:ita lex & Regula corda vnit,eam obseruantium, quia omnes opponunt humeros ad eadem onera portanda. iuxta illud cuiusdam Prophetæ dicentis:b *seruient ei humero vno*, ita vt nec discordent, nec alter ab altero se separet.Etiam illos facit conformes,vt accurrant ad omnia opera ipsius Communitatis Religiosæ, non quærentes priuilegia, aut exemptiones pro libitu suo: & ita conseruatur omnium coniunctio, & vnio.Nam vt alius Propheta dixit:c *nunquid ambulabunt duo pariter nisi conuenerit eis*?hoc est,non poterunt multi simul esse,qui non sint concordes. Ac denique illos inducit,& facit esse contentos loco, officio, & occupatione quæ cuiuis euenerunt in communem omnium vsum:magis attendendo ad commune bonum quàm ad propriam vtilitatem.Nam vt S. Augustinus dixit,charitas de qua dicitur, quod non quærat quæ sua sunt, præfert communia priuatis;& non contra propria communibus.Et quando omnes Religiosi in his tribus conueniunt,sunt perfectè inter seipsos vniti, ob integrã conformitatem in eodem modo vitæ.Quam vnitionem declarauit Spiritus sanctus tribus similitudinibus valdè iucundis in libro Canticorum, loquens de partibus sponsæ suæ Ecclesiæ,quæ sunt maximè vnitæ, quales sunt Religiosi. *Primum* eas confert cum d *crine colli*,siue lintheo quodam capillari, quod tanquam collare circumdat collum eius. In quo,si bene attendamus, duplex est vnio: altera naturalis omnium capillorum, qui in eodem capite sunt radicati: quam tamen seruant etiam cum sunt sparsi: ac propterea altera additur coniunctio artificialis:qua coniunguntur,& cólligantur aliqua vitta sericâ,aut alij cum alijs contexuntur,& insertis gemmis aliquibus,& pretiosis lapidibus,efficitur pulchrum quoddam collare, cuius olim erat vsus Propter primam vnionem iusti sæculares conferuntur cum crinibus,quatenus vniti sunt capiti suo,qui est Christvs:&,hac vnitione seruata,parguntur in varios status, & officia, voluntatemque obtinendi multa bona temporalia:& ita ait Ecclesiæ:e *capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*.greges caprarum sunt iusti, qui pascuntur in monte Galaad, doctrina scilicet Christi Domini nostri.quamuis

c *Soph.* 3. 9.

c *Amos* 3. 3.

In Re, c. 27.

I.

d *Cant.* 4. 9.

Vide Mart. Del. Rio.

b *Cant.* 4. 1

instar caprarum non semper sunt ita coniuncti, vt non se ab inuicem separent, & ad varia studia animum adijciant. At Religiosi comparantur cum lintheo capillari: nam supra coniunctionem & vnitionem, quam habent ci capite suo Christo Domino, aliam addunt specialem, magisq; arctam. cùm et gratia vocationis Religiosæ ligant sese vitta Professionis ac Regulæ: quod vinculum est perfectionis, sicut ipsa charitas; & sese alij cum alijs texunt per auxilium: quod in suis exercitijs mutuò sibi impendunt. Et ex omnibus cõficitur collare quoddam, quod Ecclesiæ collum admirabili Obedientiâ, & subiectione, gemmisque variarum virtutum exornat. Ita vt cœlestis eius sponsus dicat: f *vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; vulnerasti cor meum in vno crine colli tui*, siue lintheo capillari, quo circumdatur collum tuum. Summè enim placet mihi vnio, quam video in tuis Religiosis; & pulchritudo quæ ex ea tibi accedit. Etiam dicit eidẽ Ecclesiæ: *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*: quam enim æqualitatem & conformitatem natura dedit oculis; dedit etiam Diuina gratia Religiosis, qui sunt perfecti. Vterque enim eundem occupat situm, & locum in alto, habentque idem operculum & clausuram similem, magnaque conformitate munus suum exercẽt, easdem res aspiciunt, & idem de illis sentiunt ac iudicant: simul aperiuntur & claudduntur; vigilant, aut dormiunt; eleuantur aut demittuntur; & ad idem latus simul se vertunt. vt nulla inter eos sit dissensio. Quid igitur aliud est Religio: nisi vnitio multorum oculorum valde sibi conformium in habitu & professione; adeoque inter se concordium, vt statim atque signum datur, aut pulsatur campanula, omnes surgant aut incumbant; eant ad chorum, ad triclinium, ad sua officia? Quæ quamuis distincta sint & varia: ad vnum tamen omnes finem tendunt, accurrunt enim omnes simul, quisque cum eo, quod ad ipsum spectat, vt illud obtineat: ita vt inter eos non sit iudiciorum diuersitas, quæ turbet cordium vnitionem, & pacem conscientiarum. Et quemadmodum quæcunque festuca etiam minima in altero oculorum existens tantam adfert inquietudinem, vt donec extrahatur, nulla sit requies ita quæcunque adsit in vno Religioso turbatio, ita omnes torquet; vt non quiescant, donec illud offendiculum remoueant.

f Cant. 4. 9.

2.

3. Amplius hoc explicat tertia Spiritus sancti comparatio, qua dicit: *Dentes tui sicut greges tonsarum* ouium. Per dentes intelligens (vt ait S. Bernardus) ordinem Religiosorum, propter magnam similitudinem, quam in rebus Religionis suæ cum eis habẽt. Quemadmodum enim duo sunt ordines dentium, alter in parte inferiori, qui mouentur ad cibum masticandum & terendum; alter in superiori parte, qui quiescunt; & in vtroq; est magna dentium varietas: alij enim sunt maiores, alij minores, aut æquales; & quisque proprium locum occupat valde firmiter, & cum tanta inter se vnione, vt

Serm. 63. ex paruis.

nihil pati possint inter vnum & alterum, donec extrahatur: Ita in ipsa Religione ex Diuino Consilio sunt varij ordines personarum, quæ aut gubernant, aut exequuntur: & quisque suam stationem occupat, tenetque cum magna animi quiete & firmitate, ita vt non sit inter illos discordia. Et quælibet occasio alicuius offendiculi, aut dissensionis summam eis adfert inquietudinem ac dolorem; nec quiescunt donec illam remoueant. Ac propterea non comparauit dentes sponsæ gregibus caprarum redeuntibus ex pascuis, nonnihil sparsarum; sed *gregibus tonsarum* ouium *ascendentium de lauacro*: quæ valdè se coniungunt, & quasi aliæ alijs cohærent, vt mutuò se foueant, vt superiùs dicebamus. & *omnes*, inquit, *ascendunt gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas*. Vnusquisq; enim Religiosus, si sit qualis esse debet, contendit, vt in duobus actibus amoris, Dei & proximi, excellat: qui sunt quasi vterini fratres, & semper simul incedunt. Exercent se etiam in actibus aliarum virtutum, quæ animam & corpus perficiunt; & in operibus, quæ sunt de præcepto, & de consilio; ac denique in bene agendo semper coram Deo & hominibus. Et cum hac fœcunditate suam conseruant vnionem: sicut cùm adest sterilitas, facilè illa læditur, ac sensim perit. Charitas enim non vult esse otiosa, &, si perfecta sit, non patitur horum gemellorum & fructuum diuisionem, quando vterque pertinet ad perfectionem statûs, vt iam videbimus. *Trac. 3. c. 11. & 12.*

CAPVT XI.

Perfecta Charitas Opponit Se Dissensionibus, & inordinatis amicitiis, quas falsa & imperfecta fouet.

QVAMVIS VERVM SIT, OMNES IVSTOS obtinere posse & conseruare perfectam vnionem, quam Saluator noster pro illis petijt: negari tamen non potest, quin sint in sæculo multæ occasiones eam discindendi; & in Religione multò plures ad eam conseruandam. Cuius rei mirabilis præcessit figura in solenni illo sacrificio, quod Abraham obtulit Deo Domino nostro: ex eius mandato accipiens tria animalia a *vaccam* scilicet, *capram, & arietem, & duas aues, turturem & columbam. Et animalia ipsa diuisit per medium, & vtraque partes contra se altrinsecus posuit*, vnam scilicet ad vnum latus, alteram ad alterum: *aues autem non diuisit. Cumq; descenderent volucres* aliæ rapaces, vt corui & vultures *super cadauera, abigebat eas Abraham*. Est autem verisimile illas accurrisse: vt cadaue- a *Gen. 15. 10*

tibus animalium maiorum,& apertorum cibantur;aut certè maiori impetu ac celeritate ad ea descenderent, quàm ad auium corpuscula, quæ & parua erant, & integra. Quod totum S. Augustinus accommodat duobus hominum generibus,qui erant in antiqua lege, alij carnales significati per tria animalia diuisa;alij spirituales, significati per duas aues integras. Iidem autem sunt homines etiam in Ecclesia:coniugati enim diuites, & potentes sæculi,diuisi sunt in varios affectus, desideria, curas & negotia: quod status illius conditio,vt suprà est dictum,requirit. Qui quamuis Deo offerant seipsos in sacrificia:id faciunt tamen cum diuisione quadam ac distractione ad multitudinem rerum terrenarum.Cùm etiam de b *Martha* dicatur, quòd *esset solicita & turbaretur erga plurima.* Ex quo prouenit,vt magna cum difficultate conseruent vnionem,& pacem mutuam. nam c *concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum & superbia vitæ*:quæ etiam significantur per tria illa animalia,sunt radix magnarum diuisionum,ac dissensionum: quia vnusquisque vult pro se voluptates,aut diuitias,aut honores alterius: cupiditas enim non est propriis contenta:sed cupit habere aliena. Ac propterea S. Iacobus Apostolus dixit:d *bella & lites prouenire ex concupiscentiis* hominum:accurrunt enim aues rapaces,hoc est dæmones,vt cibentur ex eis. At viri spirituales(ait S. Augustinus)& præcipuè Religiosi,tam solitarij qui per turtures significantur;quâ viuentes in cõmunitate,significati per columbas: has diuisiones non admittunt;sed eis strenuè se opponunt: eligentes VNVM illud, quod Martha non est assecuta,Maria verò elegit:offerentes integrum sui ipsorum holocaustum Deo,vnico suo & summo bono,cui placere cupiunt in rebus omnibus,Qui cùm innitantur huic cum Deo vnioni, & amplectantur humilitatem,paruitatem,mansuetudinem ac sinceritatẽ turturum & columbarum:facilè vnionẽ cum omnibus seruant;& faciliùs resistunt oppugnantibus hostibus:eò quòd radices euulserint discordiarum. Et quamuis oporteat etiam in Religione aliquam esse diuisionem, ac distributionem in rebus externis,quibus Religiosi vtuntur; & in varijs officijs, quæ obeant: non tamen propterea quicquam detrahitur cordium coniunctioni & vnitioni.Et hoc modo explicat Sanctus Bernardus, quod dictum est de Abrahamo.quòd animalia quidã diuisisset,sed aues integras seruasset:nam *Spiritus*,inquit,*Sapientia est vnicus & multiplex*:quia res internas reducit ad vnitatem,externas verò diuidit prudenter: Eum in modum, quo primi Christiani e *habebant cor vnum*,ne aues diuiderent;*diuidebant* verò *vnicuique prout opus erat eis*: quasi diuiderent animalia. Et Christus Dominus noster, etsi permisit externas suas vestes inter milites diuidi: non tamen permisit interiorem f *tunicam inconsutilem* diuidi.Ex quo prouenit,quòd quemadmodum homo naturaliter desiderat omnes suas partes vnitas habere;&re-

Lib.16.de Ciuit. c.24.

b *Luc.10. 40.*

c *1.Ioa.2.16*

d *Iac.4.1.*

Serm.2.in Septuag.

e *Act.4.44.*

f *Ioa.19.24.*

sistit cuiuis earum diuisioni: nam si aliqua ei auferatur necessaria ad ipsius conseruationem, statim moritur; si verò ex alijs, manet mancus, & imperfectus: ita charitas, quæ est animæ vita: summè optat vnionem actuum suorum circa res omnes, quas vult diligere; resistit autē cuicunque earum diuisioni. Si n diuidatur: aut omnino perit, aut remanet manca, & imperfecta. Et ex his cognoscitur ac distinguitur charitas vera à falsa; & perfecta ab imperfecta; falsa enim & imperfecta admittit & adinuenit multas diuisiones, quibus veram & perfectam impugnat. Eum in modum, quo duæ illæ mulieres (vt Sanctus Augustinus ad hoc propositum perpendit) contendebant coram Rege Salomone circa infantem, cuius earum ille esset. cumque neutra sufficientem probationem haberet, iussit Salomon diuidi infantem: & quæ vera erat mater respondit: g *obsecro date illi infantem viuum, & nolite interficere eum*; sed, quæ verè non erat mater, dicebat: *nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur.* & Rex Salomon ex eius responso, quæ cupiebat infantem viuere, iudicauit eam esse veram matrem. Et ex eodem indicio cognoscitur vera charitas, quæ cupit filium suum, amorem scilicet Diuinum, non diuidi, ne moriatur: falsa verò charitas, quæ est propria voluntas, sub larua virtutis vult illum diuidi: dicitque neque amemus quicquid Deus iubet; neque tamen amorem eius prætermittamus in omnibus, sed diuidatur: & ego partem vnam mihi accipiam, tu alteram tibi accipe. Sed hac diuisione amor Diuinus iugulatur quia diuisus non potest viuere: & qui filium occidit, etiam matrem necat. Charitas enim est virtus supernaturalis & indiuisibilis: quam quodlibet mortale peccatum totam extinguit, & vnitionem aufert animæ cum Deo. Iuxta illud Isaiæ: h *iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum*, & Oleas dixit: i *diuisum est cor eorum: nunc interibunt.* Non enim potest vita gratiæ, & charitatis conseruari in corde contrarijs affectibus contra Dei iussa diuiso. Ex quo fit, vt quæcunque amicitia & vnio inter peccatores & iustos non sit ex parte peccatorum amicitia, nec supernaturalis vnio charitatis; sed coniunctio quædam humana: & ex hac parte est minus firma: licet genetali nomine vocari posset vnio fraterna, similis ei quam efficit charitas.

Ser 200 de tempore.

g 3. Reg. 3. 26

h Isai. 9. 2.

i Ose 10. 2.

§. I.

PRÆDICTA intelligentur melius, si referamus diuisiones, quas falsa charitas facere contendit. *Prima* diuisio est, qua diuidit amorem Dei ab amore proximi; iactans se, quòd amet quidē Deum, & cultu ei debito eū veneretur: sed non vult amare proximum, quem potius persequitur. Qua diuisione etiam Dei amorem extinguit. nam (vt S. Ioannes dixit) a *si quis dixerit: quoniam diligo Deum; & fratrem suum oderit: mendax est: Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc* I.

a 1. Ioan. 4. 20.

man-

mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Cum igitur amoris præceptum diuidat, non diligens proximum: nec Deum diligit vero amore, quem idem præceptum iubet. Quare citò diuidet, quod superest de amore Dei: amabit enim, & honorabit Deum, cum aliqua beneficia ab eo acceperit, sed amare desinet, quando ille mittet aduersa.

2. ALIAS falsa charitas diuidit amorem proximorum: amando quidem amicos, sed odio habendo inimicos. Quemadmodum faciebant Pharisæi, quorum diuisionem reprobauit Saluator in Euangelio, dicens, vt omnes diligamus sicut Pater noster cœlestis, qui non diuidit lucem & pluuiam, vt Sol oriatur super bonos, non autem super malos, & pluuia descendat super iustos, & non super peccatores: sed omnibus hæc beneficia præstat dans eis hæc sui amoris indicia: Ita & vos non debetis diuidere vestras orationes & salutationes & reliqua bona communia dando ea amicis, & excludendo inimicos, b *Si enim*, inquit, *diligitis eos, qui vos diligũt: quã mercedem habebitis* in cœlo: *nam & Publicani hoc faciunt*, diuidentes amorem proximorum, prout sibi commodum est. Sit itaque amor noster plenus, adeoque vniuersalis: vt omnes complectatur, etiam inimicos: in eum modum, quo id supra declarauimus.

b Mat. 5. 46

Trac. 1. c. 6.

3. TERTIA diuisio, quam falsa charitas efficit, est inter ipsosmet amicos & fratres: fingens in eis falsas rationes inimicitiæ, propter quas eos odio habet: & ita efficit inter illos discordiam. Quæ duplex est: quædam vniuersalior, qua lædit, imò destruit vnionem & pacem communitatis, altera est magis particularis, qua destruit vnionem cum vno vel altero eius communitatis. Prima proculdubio pernicioſior est, & vocatur schisma, aut seditio: quarum differentia, vt ait S. Thomas, consistit in eo: quod schisma lacerat spiritualem Ecclesiæ vnionem; tam illam, quam ipsa membra inter se habent, quàm cum capite suo: hoc est Christi Domini nostri vicario in terris. Et suo modo etiam in Religione inuenitur schisma, cum spiritualis vnio, quæ in ea est, dissoluitur: Seditio autem conturbet communitatem, & factiones in ea excitet, ita vt etiam ad manus veniatur, aut alia grauia damna oriantur. Et vtrumque hoc vitium oritur ex superbia & ambitione, cum pertinacia in proprio iudicio, & infernali quadam Furia ad vindictam sumendam; aut, quod intendit, obtinendum. Cùm enim id non possint per media pacifica obtinere, clamant libertatem, & ita conculcant bonum totius communitatis, vt ipsi proprium obtineant. Nec aduertunt miseri homines, se per talem diuisionem, quantum in ipsis est, propriam suam matrem hoc est, Religionem destruere. Nã, vt Christus Dominus noster dixit: *omne Regnum in seipsum diuisum desolabitur.* Quod si vnus Dæmon non oppugnat alterum Dæmonem ne suum regnum desoletur: Dæmone peior est, qui

2. 2. q. 39. a. 1. & q. 42. a. 1. ad 1.

Luc. 11. 17.

qui diuidit regnum Ecclesiæ, & Religionis: cuius ipse est membrum: eam enim diuidere, est, velle destruere, quamuis id non obtinebit: quia Deus prodibit in eius defensionem; & ipse potiùs destruetur: manebit enim diuisus à corpore mystico, à quo eius vita dependebat. Hoc significabat mos ille Hebræorum, cùm pactum aliquod, aut amicitiam mutuam inibant: diuidebant enim vitulum quendam in duas partes, & transibant per medium, quasi sibi imprecarentur: ita ego fecer, & moriar sicut hic vitulus: si pactum hoc fregero, & amicitiam hanc rupero. Ac propterea dixit Deus per Ieremiam c *viros, qui non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, dabo quasi vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius:* hoc est: ego eos diuidam inter suos hostes, vbi secabuntur & conturbabuntur. Et in sacrificio, quod paulò ante retulimus, Abrahami, ad confirmandum pactum, quod cum illo inibat Deus, facta diuisione animalium, d *apparuit Libanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* ad significandum (vt ait Sanctus Augustinus) horrendum supplicium, quod illaturus esset ijs, qui pactum illud violarent: diuidens eos in die iudicij à bonis; & proijciens ad furnum siue clibanum inferni. Hunc igitur in modum qui pactum inierunt cum Ecclesia Catholica, aut cum Religione: debent semper vniti cum illa esse, debitamque ei obedientiam & fidelitatem conseruare. Quam vnionem si diuiserint, & ipsi diuidentur & separabuntur à bonis diuisione quadam summè horrenda, quam nisi tempestiuè reficiant per veram pœnitentiam; non poterunt illam postea reparare. Meminerint Dathan & Abiron, eorumque complicum: qui ambitione sua excitantes schisma & seditionem in populo, se ab alijs separauerunt: & e *terra aperiens os suum deuorauit illos; sed & ignis egressus a Domino interfecit* reliquos schismaticos.

c *Ier.* 34. 18.

d *Gen.* 15. 17. *Lib.* 16. *de ciuit.* c. 24.

e *Nu.* 16. 32.

Nvllvs tamen mirari debet, quòd Deus Dominus noster hæc schismata in Ecclesia sua, & in Religionibus permittat: illis enim probat, exercet, suosque electos perficit iuxta illud Apostoli ad Corinthios: f *Conuentibus vobis Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo: nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Hæreses autem hic vocat in genere omnia iudicia erronea & pertinacia iudicij proprij eorum, qui separant se à communi sensu Ecclesiæ; & causa sunt diuisionum, quæ in ea excitantur; quibus oppugnantur cæteri iusti ac Religiosi, seruantes & sequentes vnionem communitatis. Qui conqueruntur de eis, dicentes illud canticorum: g *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* qui autem filij sunt matris eius, nisi Ecclesiæ & Religionis eiusdem, qui degenerarunt à filijs patris cœlestis, & oppugnant bonos qui gloriantur se tales esse, & velle matris suæ vnionem conseruare? In quæ verba S. Bernardus ad suos Monachos sic loquitur

f 1. *Cor.* 11. 18

g *Can.* 1. 6.

quitur. Longe quæso à vobis facite semper hoc tam abominabile & detestabile malum: vos qui experti estis & quotidie experimini, h *quàm bonum sit, & quam iucundum habitare fratres in vnum*: si tamen in vnum, & non in scandalum. Alioquin nec iucundum planè: nec bonum; sed pessimum ac molestissimum. Væ autem homini illi, per quem vnitatis vinculum, iucundũ turbatur. Iudicium profectò portabit, quicunque est ille. Ante mihi contingat mori, qnàm audire in vobis quempiam iustè clamitantem: Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Nonne præsentis congregationis tanquam vnius matris filij omnes vos estis; singuli alterutrum fratres? Quid ergo à foris vos conturbare, aut contristare possit: si intus bene estis, & fraterna pace gaudetis? Denique i *quis vobis nocere poterit* (inquit) *si boni æmulatores fueritis*? Quamobrem k *æmulamini charismata meliora*. vt bonos vos probetis æmulatores: charisma peroptimum charitas est. Hoc igitur est, quod dico, Pax vobis à vobis sit: & omne, quod extrinsecus minari videtur: non terret: quia non nocet. Nam è contrario, quicquid foris blandiri apparet, nulla est profectò consolatio: si intus (quod absit) seminarium discordiæ germinauerit. Proinde, dilectissimi, pacem habete ad vos, & nolite lædere inuicem. Non facto, non verbo, non signo qualicunque: & ne quis fortè exacerbatus & præoccupatus à pusillanimitate Spiritûs, & tempestate, Deum interpellare cogatur aduersùs eos, qui se læserint, aut contristauerint, & prorumpere in verbum graue contingat: *filij matris meæ pugnauerunt contra me*. Sic enim peccantes in fratrem, in Christum peccaretis, qui ait: l *Quod vni ex minimis meis fecistis: mihi fecistis*: contra quem nimirum Christus anxiè clamet de pectore fratris tui, quem contristasti: *filius* (inquiens) *matris meæ pugnat contra me*; & qui simul mecum dulces capiebat cibos repleuit me amaritudine. Hæc Sanctus Bernardus: qui adeò vnionem communitatis commendat, vt suadeat, ex ea omnino dimitti eius turbatorem: nisi, post admonitionem & correptionem, sese emendet. Nam meliùs inquit est vt pereat vnus, quàm vnitas, quæ est bonum omnibus commune. Et quoniam communitatis discordia inchoari solet à discordia particularium: quisque quantùm in se est, studere debet huius vnionis conseruationi; & peccata omnia fugere, quæ illam dissoluunt: de quibus paulò post agemus. Neque contentus esse debet Religiosus, quòd non det alijs culpabilem pacis amittendæ occasionem; sed etiam cum talis ipsi ab alijs data fuerit. Tu (inquit S. Bernardus) acceptam forte iniuriã (quod quidem interdum non accidere in his Conuentibus difficile est) non continuo more sæcularis alicuius obliqua referire fratrem reponsione festines: sed neque sub specie quasi corripiendi, verbo acuto transfigere audeas: sed patienter eum tolerare, vt ibi commotio tua moriatur, vbi oritur, vt dicere possis cum Propheta: *turbatus sum & non sum locutus*.

h *Isa.* 132. 1.
i 1. *Pet.* 3. 13.
k 1. *Co* 12 31
l *Mat.* 25. 40
Epist. 103.
Serm. supra.

§. 1. ALIAS

§. 2.

Alias Divisiones magis rectas efficit falsa vel imperfecta charitas, non odio aperto, sed minoris amoris indicijs: contrahit enim peculiarem cum aliquibus amicitiam in detrimentum aliorum, quos æquali amore tenebatur diligere. Qui, cũ aduertãt, se minus diligi, iudicant se odio haberi, ac reijci. Et qui hac ratione amant, excedunt limites cõmunis amoris, cũ non exiguis damnis, & inordinatione suæ Professionis ac perfectionis. Primùm enim certum est, eos non fundare amorem suum rectè in Deo, neque in virtute; sed in motiuis mundanis carnalibus, & quæ aliquod emolumentum amanti adferunt: & impingit in illud vitium, quod *acceptionem personarum* in amore appellamus. Amant enim hos; plus quàm illos propter aliquem titulum indignum maioris amoris. Cuius vitij damna retulimus supra: estque valde pernicioſum in Religione, vbi amor debet esse communis; eiusq; motiuum non nisi vnum absque diuisione in motiua particularia, quæ possent pacé turbare; sed omnes suos fratres amando in Deo & propter ipsum Deum. Quod si peculiarem aliquem amorem habeant: is debet esse talis, vt amentur magis, qui sunt meliores; aut eo fine, vt tales euadant: quia Deus ita vult. Quod si humanum aliquod motiuum admittant, id adeò cautè fieri debet vt reliquos non commoueat, aut contristet. Si enim Apostolus dixit, vt abstineamus à cibo alias non prohibito, cũ frater noster contristatur, aut scandalizatur videns nos eum comedentes: etiã volet proculdubio, vt particularem amicitiam omittamus, propter quam turbantur & scandalizãtur multi: a *Si enim* (ait) *propter cibum frater tuus cõtristatur: iam non secundũ charitatem ambulas. Noli cibo tuo* aut priuata etiã amicitia *illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Hoc confirmat S. Basilius præclaris his verbis: charitatem quidem habere inter se mutuam fratres debẽt non ita tamen, vt duo tresue seorsum à cæteris sodalitatem inter se coeant. Quãdoquidem hoc non charitas est, sed seditio, & diuisio: & eorum, qui sic coeunt, improbitatis indicium. Si enim Communis decus disciplinæ charũ haberent, qui tales sunt, sine dubio cõmunem æqualemq; aduersùs omnes charitatem tenerent. Si verò ipsi à reliquis sua sponte abscissi, disiunctique in cœtum cœtum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitiæ conciliatio est. Quocirca danda studiosè opera est, ne vllus omnino in Conuentibus sodalitatibus istiusmodi locus detur. Et Sanctus Dorotheus Monachis suis suadet, huiusmodi colloquia & amicitias fugere, vt amicitiam diaboli; quæ spiritum corrumpunt, suique profectûs zelum extinguunt. Si autem proficere cupias: vnicũ habeto socium, vnicum amicum; Deum; & qui Deum timet: & cum eo loquaris, & conuerseris: Et is in domo Dei inops sit & tenuis; in mysterijs autem diuinis, dines & plenus: Superioribus, Præfectis,

Tom. 2. trac. 3. c 14.

a Rom. 14. 15.

De Const. Monast. c. 30

» & Ducibus suis subditus esto; & nimiam illorum consuetudinem deuita:
» est enim laqueus quidam, qui desides & vecordes in perditionem & interitum adducit.

2. ET vniuersim verissimum est, quod dicit S. Gregorius: quòd quantum bona vnio & coniunctio bonis ac feruentibus prodest: quia se mutuò iuuãt in sanctis exercitijs: tantum improba nocet improbis, & ignauis: per eam enim euadunt valde pertinaces in suis consilijs, vt suorum votorum fiant compotes. Et quemadmodum graue crimen est, zizania inter bonos, qui rectè concordes sunt, seminare: ita est magna prudentia, diuisionem excitare inter bonos, qui malè sunt vniti, vt mali eorum conatus retardentur & impediantur; & ipsi redeant ad vnionem cum communitate in rebus Diuini obsequij; aut saltem ne feruentium profectum ipsi impediant. Nam quemadmodum, mari rubro in duas partes diuiso, poterant Israëlitæ absque impedimento ad terram promissionis transire: ita (ait hic Sanctus) si diuidatur praua vnitio improborum, manet transitus expeditus vt boni benè coniuncti & vniti obtineant finem perfectionis, ad quam tendunt. Nec sine mysterio Patriarcha Iacob, cùm in hora mortis vellet filijs suis benedicere: perueniens ad Simonem & Leui, qui coniuncti fuerant & vniti ad quandam crudelitatem perpetrandam: loco benedictionis dixit illis spiritu Prophetico aliquas maledictiones. Ne tamen sine aliqua benedictione, etsi tecta & quasi laruata, manerent adiecit: b *diuidam eos in Iacob, & diuidam eos in Israël.* Quæ etsi prima aspectu videbatur esse maledictio, in pœnam delicti eorum: erat tamen figura beneficij, quod malè vnitis præstat qui eos diuidit ac separat: vt ita non pergant in malo, quod praua sua vnione sensim adferunt, saltem sibiipsis, ex iactura charitatis & perfectionis, quam profitentur. Nam, vt Sanctus Laurentius Iustinianus ait: qui hoc modo diligunt se in Religionibus, libentissimè simul manent; & seorsim colloquuntur, quærentes angulos & loca abscondita, vt liberius id faciant. In qua re solent transgredi & concupicare duas Regulas magni momenti: alteram de silentio, in locis & temporibus præscriptis seruando; alteram de non ingrediendo aliorum cubicula, aut loca alia prohibita: ex qua transgressione damna illa incurrunt, quæ solent ex huiusmodi defectibus prouenire. Quod si dixerint se colloquì de rebus bonis: respondebit eis Psalmista: c *silui à bonis.* Silentium enim Religiosum etiam obligat ad abstinendum à bonis colloquijs, certis temporibus & locis, ad tacendum constitutis. Et, vt Sanctus Augustinus ait: propterea Dauid silebat à bonis: ne laberetur in mala transiens à verbis bonis, sed tempore prohibito dictis, ad otiosa & inania: & ex his etiam ad noxia. Quod si dixerint: etiam benefacere sibi mutuò, & bona præbere consilia: respondebitur eis, quod quemadmodum Deo *non placebat*

Lib. 3. mor. c. 24 & lib 34 c 4.

b *Gen. 49. 7*

Lib de disc. Mona. conuers. c. 22.

c *Psal. 33. 3.*

In eum Psa.

sacri-

sacrificium, quod alieno igni offerebatur: ita non placent Deo bona ista opera: quia non coniunguntur cum igne Diuini eius amoris, nec puri amoris proximi; sed amoris proprij, & affectûs inordinati: qui talibus operibus miscentur. Purificent igitur in primis amorem, & in rectum ordinem amicitiam reducant: & tunc placebit Deo bonum, quod ex ea prouenerit. *Leuit.* 10.1 *Num.* 3.4. *& c.* 26. 61.

CAPVT XII.

QVÆNAM SINT DISSENSIONIS *ac discordiæ inter Religiosos radices, & qua ratione mortificandæ.*

EX OMNIBVS QVÆ HACTENVS DIXIMVS clarè satis constat, quàm vera sit celebris illa S. Gregorij Nazianzeni sententia, quòd optimum & pulcherrimum in Ecclesia & Religionibus, sit ipsa vnio, pax, & concordia; pessimum verò & turpissimum, esse dissunctionem, pugnam, ac discordiam: Ac proinde omnibus viribus conandum est religiosis, vnicuique in seipso mortificare quicquid hanc vnionem impedit: remouendo & euellendo discordiarum radices. De quibus fusè actum est tractatu 3. secundi Tomi, eò quòd illæ omnibus Christianis sint communes. Hic autem adferemus sex quæ solent vnionem Religiosorum facilè perturbare. *Prima* & præcipua radix est *superbia*, & propriæ excellentiæ appetitio, & arrogantia suijpsius, proprijque iudicij: qui enim singularem se reputat inter multos: non potest pacem habere cum eis. Ac propterea dixit Sapiens: a *inter superbos semper esse iurgia*. Et superbia fuit causa primæ discordiæ, quæ fuit in cœlo Empyreo, turbans b *Religionem Angelorum*: sic enim eam Apostolus appellat, cum voluit Lucifer sedem suam iuper sidera collocare, & similis esse Altissimo. Hinc *secunda* oritur radix, ambitio scilicet ac desiderium honorum, dignitatum, ac Prælationum super alios. Hæc turbauit Religionem Apostolorum, c *cum facta esset contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior*. Nec tamen dicit quis eorum esset maior sed quis videretur. Huiusmodi enim contentiones sæpe innituntur apprehensionibus, & ijs quæ apud homines talia videntur; ideoque quisque cupit videri maior, quamuis reuerâ talis non sit. Eadem ambitio turbauit quoque Leuitas antiquos, vt etiam *Sacerdotium sibi*, suisque familijs *vendicarent*. Et vniuersim iactantia, & inanis gloria, & reliquæ filiæ superbiæ disiunctionem adferunt ac dissensionem. Et hinc prodit *tertia* radix, quæ est *inuidia*, cuius tanta est feritas, vt quamcunque vnionem etiam inter fratres, siue carnales, siue spirituales dilaceret: vt apparuit in Cain, & in fratribus Ioseph, & in ipsis Apostolis: cum viderent filios Zebedæi attentasse, vt omnibus ipsis præferrentur: & in his ipsis duobus, cum suspicati sunt, S. Petri maiorem

Orat. 24.

1.

a *Pro.* 13 10.
b *Colos.* 2.18

2.

c *Luc.* 22.24

Num. 16.10

3.

rationem haberi, quàm ipsorum. *Quarta* radix est, cupiditas ac desiderium propriarum commoditatum in habitatione, cella, vestibus, & reliquis ad corpus spectantibus. Cùm enim aditus datur vitio proprietatis: mox periculum imminet fraternæ charitati. Et, vt S. Basilius dixit, Societatis expilatio est, cuiuscunque rei in priuatum vsum scuocatio. Nam statim oriuntur querelæ, & murmurationes: eò quòd non habeant quicquid habere cupiũt, iuxta illud Dauidis: e *Si non fuerint saturati, murmurabunt.* Et quamuis primæui Christiani adeò stupendam haberent mutuam coniunctionem, vt dictum est; cœpit tamẽ turbatio, & f *murmur* inter aliquos *eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano suæ nationis viduæ.* Et fortè illa querela cœpit ab ipsis viduis: nam in huiusmodi casibus turbatio incipit à minoribus & imperfectioribus: nec desunt illis aliqui ex maioribus, qui eis patrocinentur, foueantq; discordiam: nisi remedium adhibeatur. *Quinta* radix esse solet, ingenium & constitutio naturalis, cholerica, impatiens, & nihil aduersi ferre volens; & quacunq; occasione irritata reliquos turbans. Ac propterea talis naturalis constitutio est noxia & incommoda, vt in aliqua habitet communitate: iuxta illud Salomonis: g *Vir iracundus prouocat rixas:* & h *spiritum ad indignandum & irascendum facilem, quis poterit sustinere?* Neq; enim ipse pacem in se habet, neque alios habere permittit. Omnes has radices fouet *vltima*, tepiditas scilicet ac negligentia in obseruatione Regularum, & parua cura profectûs proprij: vbi enim ignauia hæc & somnolentia prævalet, statim multiplicantur occasiones dissensionum, propterea siquidem dixit Saluator: h *Cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit zizania in medio tritici.* vt intelligatur, quòd quando Prælati Ecclesiæ & Religionum, aut ipsimet Religiosi dormiunt somnum scilicet pigritiæ & incuriæ accedit dæmon & zizania seminat dissensionis, quamuis id non statim aduertatur. Quemadmodum enim zizania, cùm primùm prodeunt, similia sunt tritico: ita dissensio non statim in principio talis esse apparet; eò quòd Religionis pallio, aut necessitatis alicuius, aut finis boni tegatur: cùm autem crescit, laruam deponit, & ingentem facit stragem.

QVARE in Religionibus summo studio vigilandum est, tam Prælatis, quàm cæteris Religiosis, in agnoscendis seminibus dissensionum, vt causas earum remoueant & portam occludant tentatori, ne accedat ad seminandum zizania: quod si quid tale seminatum aduerterent, tempestiuè illud euellant; antequam crescat & propagetur damnum. Eum, in modum, quo Christus Dominus noster statim atque contentionem aduertit inter suos Apostolos, quis eorum videretur esse maior: eam intercidere studuit, anthidotum applicans humilitatis, dicens: i *quicunq; voluerit inter vos* verè *maior fieri, fiat sicut minor, & qui voluerit primus esse, fiat sicut ministrator, & seruus.* Et Apo-

stolus

De Const. Monast. c. 15

e Psal. 58. 16. Num. 11. f Act. 9. 2.

5.

g Pro. 29. 22. h cap. 18. 14.

6.

h Mat. 13. 25

S. Chrysost. Hom. 47. in Matth.

Mat. 20. 25 Luc. 22. 25.

stolus exhortans Philippenses ad mutuam inter se vnionem, dixit: vt k *nihil facerent per inanem gloriam aut contentionem: sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrarentur: non considerantes singuli quæ sua sunt, sed quæ aliorum*, sic insinuans; per huiusmodi media conseruari vnionem, quam eis tantopere cõmendabat. Sed præter hæc media addit Cassianus sex alia valde vtilia

k Phil. 2.3

Collo. 16. c. 6

PRIMVM est, contemnere rem quamcunq; temporalem, quæ possit eam vnitionem imminuere. Qui enim rebus omnibus renunciauit, vt Christo Domino in Religione seruiret, non debet coniunctionem & vnitionem illam, in qua ipsa Religio consistit, dissoluere propter vllam rerum, quæ sibi ad solum vsum supersunt. ita vt l *si quis ei auferat vestimentum, aut pallium, non prohibeat, accipere etiam tunicam*: ne litibus & contentionibus aditum præbeat. eligens potiùs etiam corpori necessaria dimittere, quàm vnionem cum proximo lædere. Qui enim hac ratione rebus omnibus sese spoliauerit; non habebit alios turbandi occasionem. Ideo enim S Lucas commendans hanc primorum Christianorum vnionem, & coniunctionem, subiungit: m *nec quisquam eorum aliquid esse suum dicebat, sed erant illis omnia cõmunia*. vt intelligeretur, quàm essent in ea vnione firmi, & constantes. *Secundum* medium est strenuè mortificare propriæ voluntatis affectus, ita vt libentiùs aliorum, quàm propriam faciant voluntatem; & abnegent proprium iudicium; vt alienum in rebus licitis sequantur. Qui enim negat sibi quod alias valde placet, vt alijs se accommodet: non deseret coniunctionem cum illis. *Tertium* est, tantam huius vnitionis opinionem & æstimationem habere; vt statuat, eam omnibus mundi rebus præponere, etiam ijs quas maximè sibi expedire, aut necessarias esse existimat. Qui enim tanti eam initio fecit, vt vendiderit, aut abiecerit quæcunque habebat; vt vnicam hanc margaritam sibi compararet: non debet minoris eam facere, vt possit eam conseruare. *Quartum* est certò apud se constituere: nullum iræ aditum in se dare ob vllam causam, etiam quæ ex ipsius parte iustissima videatur; ex proximi verò iniustissima; sed ferre cum hilaritate quamcunque iniuriam & molestiam; vel eo nomine, ne propria charitas, aut aliena lædatur, aut imminuatur. Et hic locum habet, quod dixit Saluator: n *Si quis te percusserit in dextram maxillã tuam, præbe illi & alteram*: vt is intelligat, te nõ retinere iratum & auersum ab eo animum, ob illatam iniuriam. Sed vlteriùs progredi debet charitas adhibito *quinto* medio: curando scilicet mitigare iram & indignationem, quam frater tuus habuerit contra te: etiam si nullam tu ei, ad eam excitandam dederis occasionem. Hic enim sensus est illius, quod Saluator dixit: o *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: reliq; ibi munus tuũ ante altare, & vade, prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum*. Neque ab hoc præstando erit sufficiens

1. Luc. 6. 29. Matt. 5. 40.

m Act. 4. 32.

2.

3.

4.

n Mat. 5. 39.

5.

o Mat. 5. 23.

exculatio,

excusatio, quòd nullam tu contra eum iram habeas: si enim ille re ipsa iram contra te haber; facileq; possis mansuetudine & humiliatione tua eum placare; sed id facere nolis ex superbia, aut pertinacia: signum est, te parum illum amare; paruique æstimare ipsam vnitionem, & charitatem fraternam: cum in ea procuranda adeò sis ignauus & negligens.

6. VLTIMVM remedium, quod vniuersim omnia vitia destruit ac repellit, est, ita vitam tuam componere, atque si hoc ipso die esses moriturus. Morte enim temporali accedente omnes inimicitiæ, rancores, inuidiæ, & contentiones cessant quare si semper cum hac persuasione viuas, quod fieri possit, vt tali die moriaris: facilè omnes discordiarum radices euelles; nec patieris in corde tuo rem aliquam, quæ placeat Principi huius mundi. cùm ipsa mortis tuæ hora accedet, vt aliquid suum in te quærat. Quid autem magis ipsius esse potest, & magis illi placere; quàm ipsa discordię causa? Nam (vt S. Gregorius ait) quemadmodum nihil apud Deum est pretiosius virtute charitatis: ita nihil magis dæmonem delectat, quàm eius læsio ac destructio. Et qui ad id magis iuuat, discordiam seminans, est ipsi omnium amicorum charissimus: cuius operâ vtitur ad impediendum ascensum hominum in Paradisum, vnde ipse excidit. Cùm igitur profitearis, te inimicum esse dæmonis: æquum est, mortificare & repellere, quod eum adeò recreat; & summè amare vnionem & charitatem, quam ipse tantopere detestatur.

3. parte Pastor. Admonit. 24.

HISCE sex remedijs extrahuntur sex manifestæ radices dissensionis iam positæ. Sed præter illas possent adhuc aliæ esse occultiores, & dissimulantes, ne cognoscantur. Aliquando occasione specialis amoris, quo se prosequuntur Religiosi eiusdem nationis, aut Patriæ; aut qui sunt eiusdē Prouinciæ, aut domus siue Monasterij. hi enim vniunt se, vt priuato illius bono attendant: & ita mutuò se iuuent. Quod quidem in se malum non est, sed bonum. si tamen ex hoc occasionem acciperent auersionis alicuius, aut dissensionis ab ijs qui alterius sunt nationis, aut Prouinciæ: ita vt propterea aliqua inter illos esset discordia; id iam non esset ex spiritu charitatis. Nam (vt ait Apostolus) p *Deus noster non dissensionis Deus est, sed pacis*; eius verò hostis est q *scissuras ponere in ciuitate Dauid*, & introducere diuisiones, factiones, & dissensiones in Ecclesiam & sacram Religionem: in qua varietas nationum prouinciarum, ac domorum, quas complectitur, non debet esse quasi multæ partes eiusdem vestis dissutæ, & ab inuicem separatæ: sed sicut vestis quædam polymita variorum colorum, & auro charitatis contexta. In qua re omnes (vt supra est dictum) esse debent quasi eiusdem nationis, aut patriæ & tanquam filij eiusdem Prouinciæ, aut domûs, summa vnione coniuncti & absque vlla discordiæ radice, quæ eam laceret aut imminuat. Nec mirum quòd hoc à Christiannis, & Religiosis exigatur: siquidem Alexãder Magnus

p 1. Cor 14. 33.
q Isa. 22. 9

C. 9.

Lib de Fort. Alexandri.

(vt te-

(vt refert Plutarchus) dicere solebat: ad pacem & concordiam Reipublicæ conseruandam inter nationes adeò diuersas, & ex se adeò sibi repugnantes, atque illæ erant, quas ipse expugnauerat: maximi esse momenti: vt mundum pro Patria; castra pro arce; bonos pro cognatis; malos pro peregrinis agnoscerent. Hunc ergo in modum Christiani, multoque magis Religiosi, vt vnionem charitatis conseruare possint: habere debent totum mundum pro patria, & natione sua; & totam Religionem suam, etiamsi amplissimam valdeque extensam, pro vna Prouincia, ac domo vna: ita vt se gerant tanquam fratres, & eiusdem matris filios. Aut, si magis propriè loqui velimus, cum S. Gregorio Nazianzeno: adeò viriliter & strenuè mortificandi sunt particulares hi affectus: vt nobis omnis terra, & nulla terra patria sit. Ita vt hinc omnes diligamus, atque si eiusdem nobiscum essent nationis, & patriæ, inde verò viuamus in hoc mundo, quasi peregrini, aut quasi in exilio: neque est aliquid quod id non quærentes excusetsiquidem vocationis nostræ gratia, vt supra est dictum, ad id nos adiuuat. *Orat. 28. 35*

C 10.

POSSVNT aliàs exurgere dissensiones aliquæ, præferentes speciem cuiusdam zeli, consulendi bono communi, aut obligationi Officij, aut tuendi veritatem. Nam in Religione (vt ait Cassianus) hostis turbat vnionem aliquorum debilium, ex occasionibus rerum temporalium; & speciatim, vt eas custodiant, quæ ad ipsorum pertinent officium: id quod dissensionē adfert etiam inter grauiores ob diuersitatem iudiciorum, aut in doctrina, aut in negotijs quæ agunt: existimantes, se tueri veritatem, aut virtutem. Et hoc euenit inter eos, qui sunt eiusdem Religionis & multò ampliùs, si sint diuersarum. Quemadmodum enim cuiq; sua placet: ita solet displicere, quod videt in altera. Dicentes autem sicut Corinthij r *ego sum Pauli, ego verò Cephæ*; diuidunt Christum: quasi non idem esset in Cepha, & in Paulo: cuius spiritus, est vnionem ponere in omnibus suis membris, & in omnibus officijs, & occupationibus temporalibus. aut spiritualibus in bonum proximorum. Et quamuis difficilis sit vnio inter literarum peritos, qui attendunt disputationibus, ob diuersitatem sententiarum, quæ occurrūt in scientijs & doctrinis: Deo tamen Domino nostro id est valde facile: tribuitq; sibi honori, quod eam vnionem etiam inter eos pro gloria sua faciat. Quod insinuauit in illis verbis, quæ dixit S. Iob, spiritualiter acceptis: *s nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas*, siue Pluuiæ? loquitur enim de septem stellis, quæ sunt valde coniunctæ in cœlo: &, quando apparent magnam efficiunt pluuiam in terram, & referunt (vt S. Gregorius ait) viros Sanctos: qui tanquam stellæ splendent ob lucem vitæ ac doctrinæ. Qui etsi in diuersis sint locis & stationibus; sunt tamen sibi valdè propinqui & vniti in prædicanda ac docenda veritate fidei, & sanctitate legis Euangelicæ, quam vnionem non lædunt *Collat. 16. c. 8.*

1 1. Cor. 1, 12

s Iob. 38. 31.

Lib. 29. mo. c. 19.

propter diuersitatem, quam in rebus aliquibus habent. Gratia enim & charitas cum septem Spiritus sancti donis, potens est eos tenere coniunctos adhibitis medijs prædictis, & alijs magis particularibus, quæ proponentur in tractatu de Magistris & Doctoribus.

CAPVT XIII.

PERFECTIO RELIGIOSORVM IN SVIS OFFICIIS, *& nominatim circa res temporales; & alacritas in eis Obeundis.*

QVEMADMODVM CONSERVATIO ET PERFECTIO humani corporis multum ex eo dependet, vt diuersæ eius partes, quas inter se coniunctas habet suis officijs perfectè fungantur; efficiantque singulæ propriasactiones, ad quas in bonum totius corporis ordinantur: ita perfectio Religionis, & Religiosæ vnionis conseruatio potissimum dependet & consistit in eo, quod Religiosi exerceant, sicut oportet, ministeria, officia, & exercitia, quæ ad singulos spectant, in bonum totius Religionis, iuxta suum Institutum. Quæ ministeria siue officia ad tria genera reduci possunt: *Primum* est eorum, qui occupantur in operibus vitæ actiuæ corporalibus, quæ communitatem iuuant in rebus temporalibus, & ad conseruationem humanæ vitæ, corporisq; leuamen necessarijs; quales sunt Ianitores, Sacristani, Infirmarij, Hortulani; ac reliqui qui emūt & præparant cibos & vestes. *Secundum*, eorum est, qui occupantur præcipuè in operibus vitæ contemplatiuæ, & exercitijs vocalis aut mentalis orationis: quales sunt dedicati ad assistendum choro; aut ex speciali vocatione dū consumunt, agendo cum Deo Domino nostro, aut in exercitijs speculationis & studiorum. *Tertium* genus est eorum, qui vitam ex vtraque mixtam sectantur, cōiungentes orationi spiritualia actiuæ vitæ ministeria in bonum animarum. Quales sunt Concionatores, Cōfessarij, & omnium scientiarum Magistri. Et ad hoc genus reducuntur Prælati, qui reliquos gubernant, & conseruationi ac perfectioni attendunt communis boni totius Religionis & particularium eius Religiosorum. Quamobrem dicere possumus: Religionem esse domum illam, siue a *Castellum* Bethaniæ, *in quod* (vt ait S. Lucas) *Christus Dominus noster* cum suis Apostolis *intrabat, & Martha satagebat circa ministerium* ipsi Christo & Apostolis exhibendum; *cuius soror Maria sedens iuxta pedes Domini audiebat verbum illius.* Qui enim ministeria obeunt temporalia, sortem habent Marthæ: quia seruiunt Christo Domino nostro in eius discipulis; qui autē attendunt operibus contēplationis, sortē habent Mariæ, audientes doctrinā cælestē in oratione & lectione; & suorū Magistrorū cum de studijs agunt. Qui cum proximis occupantur, sortem sequuntur Apostolorum

Prælati.

al. Luc. 10, 38.

lorum: quorũ vocatio fuit ad eos iuuandos. Prælati aũt repræsentant personam Christi D. N. eos in ipsorum officijs gubernantis. Omnes tamẽ, vt in ea parte & occupatione, quæ eos contingit, perfecti sint, debent esse in Bethania, quæ significat domũ Obedientiæ: nos, n. propria voluntate ad hæc munia accedunt; sed ex obedientia & voluntate Dei, quæ innotescit per eum modum, qui seruatur in Religione: illos scilicet eligendi vt suo loco videbimus. Et omnia præterea quatuor hæc personarum genera officia sua obeunt in domo obedientiæ, ordinem sequentes ab ea præscriptum: ita vt etiã ipsimet Prælati in sua gubernatione obedientiam seruent: non enim gubernant aut iubent aliquid pro suo arbitratu, sed iuxta Religionis leges; & prout intelligunt Deum velle, & constituere. Ex quo fit vt Religionum perfectio potissimum consistat in prædictis duabus rebus exactè custodiendis: vt omnes scil. ad officia & ministeria sua accedant ex obedientia; ita vt non adsint desideria, nec ambitiosæ tractationes publicæ, vel occultæ: sed vt quisq; eo officio sit contentus, quod ex obedientia ei obtigit, etiamsi minus honorificũ; illudq; ex eiusdem præscripto exerceat, horrens (vt supra est dictum) in vtriusque his rebus, proprij iudicij ac voluntatis consilia; & in eo voluptatem & solatium suum ponens, vt ea sorte sit contẽtus, quæ ei obtigit; suamq; perfectionem quærens in reddenda bona ratione officij & ministerij sibi commissi. Et quoniam de spiritualibus erga proximos ministerijs speciales postea instituentur tractatus: nunc solùm de corporalibus agemus.

Ex obedientia officia facienda:

§. II.

II.

QVI SORTEM habent Marthæ, si suam perfectionem assequi volunt, debent in primis magni eam facere, sibi omnino persuadentes: in domo Dei nullum esse officium vile, aut contemnendum, si Deus illud imponit. Nam vel solum, quòd Deus id iubeat sufficit, ad illud nobilitandum: nulla. n. nobilitas, aut honor maior esse potest: quàm facere quod Deus præscribit. Et viri spirituales, qui claros & perspicuos habent oculos, ad rectè iudicandum de rebus: non tanti eas faciunt propter id, quod ex obiecto suo habent: quanti propter Dei voluntatem in eis splendentem.

2.

CVIVS rei apti testes sunt Angeli custodes: qui etsi adeò sint nobiles & insignes: non tamen dedignantur homines custodire, quia Deus id eis iussit; & æque libenter Angelus custodit aliquem seruum; atq; Principem. Non. n. tam sibi honori ducunt, quòd talis persona ipsis obtigerit: quàm quòd Deus velit, vt eam custodiant: Et S. Raphael, a *etsi vnus esset ex septem, qui astant ante Deum*: induit tamen formam peregrini, & comitatus est Tobiam; eique in itinere, quasi seruus eius esset, ministrauit.

a *Tob.* 12, 15.

3.

SED maiorem adfert stuporem, quòd ipsemet Angelorum Dominus, propter nos homo factus exercuit vsque ad trigesimum annum fabrilem

autem;& alia temporalia ministeria:& in quibus ita libenter sese occupabat, sicut postea in prædicatione,& miraculis edendis :eò quòd in his omnibus voluntatem æterni sui Patris agnosceret: nec sua maiestate indignum iudicauit,quòd tamdiu in officio ex se adeò humili occuparetur:vt sic nos doceret,contentos esse debere quocunque officio nobis à Deo commendato,etiamsi in oculis mundi non adeò honorifico.

4. HANC viam tenuerunt multi sancti valde insignes, virgo sacratissima, eiusque sponsus sanctus Ioseph; & post eos Apostoli, & quamuis S. Paulus adeò esset in prædicando occupatus, non tamen negligebat propterea certis temporibus mechanicum officium exercere,artis b *scenofactoriæ*,qua cibum cum sudore vultus sui compararet; & alios vilium aliorum officiorum guaros,animaret:ne ea exercere dedignarentur.

b *Act* 18. 3. S. Paulus.

5. HVC accedit,quòd mysticum Religionis corpus,varijs opus habeat personis, ad varia eius ministeria attendentibus: quæ tamen omnia in totius corporis commune bonum cedunt.Cui non minus pedes sunt vsui, quàm manus;nec manus,quàm oculi:quia cuiusque opera cedunt in vtilitatem omnium.Quare æquum est,vt qui officia obit temporalia, valde sit contentus sorte, quam Deus illi tradidit: vt cum ea vniuersæ Religioni seruiat. cùm enim quod est temporale iustis præbet ;ab eis accipit spirituale;& particeps est fructûs Concionatorum, docentium,ac gubernantium ; propter vnionem,quam cum illis habet.

6. AD hæc eius status in Religione multò est securior ad salutem obtinendam, eò quòd sit humilior: maior autem humilitas maiorem adfert securitatem:quia talis status est magis expeditus ab occasionibus & periculis cadendi: quàm eorum, qui versantur circa res literarias & gubernationes: & fortè si in illis occuparetur ministerijs, non bonam eorum redderet rationem.Et Sapientia Diuina præuidens omnia,quæ euenire possunt,voluit paterna sua prouidentia præcauere illud damnum, assignans ei officium magis tutum. Horum omnium plures rationes pro solatio eorum qui talia officia obeunt propositæ fuerunt in secundo tomo quò remittimus Lectorem.

Tract. 2. c. 7.

7. AD eadem officia,vt par est,æstimanda,&,vt qui illis fungitur,bene sit contentus, iuuat etiam sanctitas:quam per illa possunt obtinere,exercentes corporalia misericordiæ opera, quæ Christus Dominus noster tanti facit. qui non à Maria, sed à Martha fuit cum suis Apostolis in domum suam exceptus. nam illa valde solicitè omnibus ministrabat. cuius laboris pijque ministerij copiosam postea accepit mercedem. Nec parua censenda est felicitas, quòd possit quis Christo Domino eiusque discipulis seruire, cibos eis quærens,ac præparans;totamque domum bene componens.

ET quamuis Martha esset solicita, & nonnihil turbata, ac de sorore Maria conquereretur: cuius tamen sortem Saluator ipse prætulit in Religione tamen bene potest vtraque soror conuenire, & ita Marthæ occupationes obire, vt Mariæ non desit locus. Imò cùm Deo Domino nostro chari sint humiles, & *cum simplicibus* sit *sermocinatio eius*: solet donum orationis mentalis illis communicare, qui huiusmodi obeunt officia: quia non sunt adeò curiosi, atque sunt viri literarum periti; nec eorum occupationes ita intellectum abripiunt, atque scientiæ: Ideoque facilius possunt orationem cum occupatione coniungere; laborando quidem manibus, sed corde orando: & laboribus corporeis promerentur, vt suis temporibus Dominus det eis quietem, & spiritualem portionem. 8. Prou. 3. 32.

AC DENIQVE, vt loco proximè citato dictum est quamuis is gradus & officium minus sit perfectum: qui tamen illo occupantur possunt maiorem obtinere perfectionem, quàm alij perfectius officium obeuntes. Nam (vt Cassianus dixit) etsi qui ministeria obeunt spiritualia multum lucrentur: multum tamen etiam expendunt, & absumunt: varijs enim occupationum occasionibus quasi canalibus effluunt lucra, quæ acquirunt. Qui autem humilia obeunt ministeria, etsi non multa lucrentur: quia tamen intra suos limites se continent, pauca etiam absumunt, & ita lucra sua melius cõseruant: quia paucioribus ea imminuendi occasionibus distrahuntur: etiamsi enim lucrum sit exiguum, quotidie tamen continuatum, ac diligenter conseruatum, crescere ac proficere multum potest, 9. Rom. 2. Tract. 1. c. 7 Coll. 24. c. 13

§. 2:

PLVRIMVM AVTEM AD ID refert, quatuor illa, quæ superiùs insinuauimus, diligenter obseruare. *puritatem* scilicet *intentionis* in officijs suis, vt Deo soli placeant non hominibus ob humanos respectus; *Obedientiam* in eorundem executione iuxta Regulas, à quibus non discedant propter carnem & sanguinem, aut aliquod terrenum commodum; *charitatem* & *vnionem* cum omnibus: præferentes eam rebus omnibus temporalibus domesticis; & *Orationem* frequentem, quæ exteriora omnia opera comitetur; & simul præscriptum spiritualibus exercitijs tempus dantes, sicut reliqui Religiosi. Hæc quatuor sunt quasi alæ, quibus officium, quod terrenum videtur, ad cœlum extollitur: suntque instar rotarum trahentium currum externarum occupationum cum magno solatio & profectu; & eisdem distinguuntur Religiosi à sæcularibus. Nam (vt S. Gregorius ait) iusti non discernuntur aliquando à sæcularibus in operibus exterioribus, sed in modo ea faciendi. Vtrosque enim videmus concionari, eleemosinas facere, pauperibus ministrare, variaque negotia cum proximis agere: sæculares tamen & mundani homines ea faciunt ob fines mundanos & terrenos, ho- Lib. 22. Mor. c. 25.

noris,lucri,aut delectationis: quia ipſamet inquietudine, quàm hæc varietas ſecum adfert,ipſi oblectantur:Iuſti autem feruentes eadē extorna opera præſtant,eò quòd Deus id præcipiat;ſpiritu tamen ac deſiderio, aſpirant ad vnionem cum ipſo,conſeruantes internā quietem, etiamſi onus ferant multorum operum externorum. Ex quo,ait iſte Sanctus prouenire, vt interdū ciues Ieruſalem ſeruiant inuiti,& angarias ſoluant Babyloniæ; ſicut ciues Babyloniæ inſeruiunt Ieruſalem:quia ſecularis,qui bona hæc opera ob inanem gloriam præſtat, videtur ciuis Ieruſalem : cum tamen reuerā ſit Babyloniæ, ob ingentem interiorem confuſionem,qua laborat:contrà verò qui eiſdem externis operibus purè propter Dei gloriam occupatur,videtur quidem Babyloniæ ciuis,cum reuera ſit ciuis Ieruſalem, ob internā, qua fruitur,quietem:ſuſpirans æterna,acceptans verò cum reſignatione,& quia aliud facere non poteſt,multitudinem occupationum temporalium. HINC quoque prouenit Religioſos Sacerdotes,aut choro deſtinatos,& reliquos, etiamſi officijs & externis operibus diſtinguantur;nō tamen in virtutibus internis eiuſdem Profeſſionis,in quibus poſſunt eſſe æquales; imò minor poteſt magis proficere,quàm maior;poteſtque ſubditus,eſſe non minus perfectus,quàm ipſe Prælatus,& ipſe cocus , quàm Concionator. Quod ſi Deum & proximum plus dilexerit,erit ipſius vita glorioſior in ſpiritu:quamuis exteriùs vilior appareat;non enim officij; ſed charitatis celſitudo efficit Sanctitatem.

Nec ſine myſterio S Ioannes in viſione, qua vidit Chriſtum Dominum, ait: a *oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Significabat autem(vt alibi perpendimus) partes corporis eius myſtici,hoc eſt,Eccleſiæ & Religionis, tam qui in ſublimioribus officijs,quàm qui in inferioribus ſunt conſtituti:ardere in amore Dei; eumq; magis acceptum Deo futurum qui vehementiori arſerit igne. Ac proinde ſi pedes plus quàm oculi arſerint,pluris fient & magis diligentur. Et tùm ex hac vita vtrique receſſerint,commutabunt loca:nam,qui in hac vita inferiorem habuit locum ibi obtinebit altiorem,iuxta illud Saluatoris; b *erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.*

a *Apoc 1.14* *Tom.2.trac. 6.2.*

b *Mat.20.16*

NON, igitur eſt cur Religioſus anxius ſit propterea quod in hac vita ſit inter nouiſſimos,cum videt ſe officijs vilioribus occupari: ſed ſoletur potiùs ſeipſum,animumque ſumat ad ea cum perfectione, quam diximus obeunda: vt excellat in charitate & obedientia. quarum hæc vis eſt, vt extollant à terra ad cœlum quamcunque actionem,quam illę comitantur, quaſi aliqua eſſet virgā,quæ quicquid tangit conuertit in aurum.

EST nihilominus neceſſarium, vt Religio eiuſq; Prælati, qui meritò aliàs debent eſſe perfectiores:ſingulari curaattendant, vt eos, qui inferiora officia obeunt ,adiuuent,conſolentur, & foueant:nullo modo eos contem-

nentes

nentes,aut parui facientes,sed potiùs vt Apostolus dixit:c *eiusmodi cum honore habentes*:quibus verè opus habent. Quorum officium,quò abiectius est & molestius, eò ampliùs ei est fauendum:proprijs siquidem expensis, hoc est,solicitudine & labore, & absque magno apud mundum applausu, sunt pedes, qui totum corpus sustinent. Hoc confirmat S.Gregorius illa S. Iob sententia,d *quando lauabam pedes meos butyro*,applicans eam Ecclesiæ &Religioni,quarum pedes ait esse eos,qui temporalia negotia tractant. Qui,quòd in terra versentur,vix euadere possunt, quin aliquod vulnus accipiant, aut aliquo luto aut puluere inficiantur.Ideoq; necesse est Prælatos & seniores, qui meritò esse debent maiori deuotione & interiori igne repleti, ob frequentiorem cum Domino nostro familiaritatem:applicent se ad huiusmodi pedes butyro lauandos:communicantes eis aliquid deuotionis, quam habent,crebris admonitionibus,cõsilijs, & monitis spiritualibus : vt ad sua interiora ingressi, sua opera examinent, culpas defleant,ac diuina mysteria meditentur:vt sic nouum recipiant feruorem,ad progrediendum in suis laboribus.Cùm enim sint vnius corporis membra:æquum est, inquit, vt sicut eorum ministerijs nostra externa fulciuntur, ita nostris studijs illorum interiora repleantur. Ad idem iuuerit non parum:(quod noster P. S. Ignatius in suis Constitutionibus præscripsit) vt ipsimet Prælati, & seniores exerceant aliquando eadem ministeria, vt hoc exemplo alios stimulent, operei-pso ostendentes,se non contemnere aut dedignari quod illi faciunt.Quamuis enim verum sit (vt idem S.Gregorius ait)eos ordinariè occupari altioribus ministerijs:tamen etiam vult Christus D.N.vt ipsum imitentur, humiliantes seipsos,ad abiectiora exercenda,cùm opus fuerit:memores quod eisdem manibus & faciem lauemus,& pedes induamus :nec propterea spiritus celsitudine frustrabuntur:quòd se ad humilia officia exercenda demittant.

d *Iob*. 29.6.

Parte.3. c.1. §.19.

Lib.19.6.14.

CAPVT XIV.

RATIO ET MODVS TEMPORALIA MVNIA *cum Spiritu & perfectione obeundi.*

Documenta.

EX DICTIS IN PROXIMO CAPITE deducemus aliqua documenta ad reparandos defectus, qui maximè nocere solent huiusmodi Religiosis. quorum defectuum potissimus,& quasi fundamentalis,est inquietudo ac desolatio in sua vocatione & statu:quæ oritur ex Superbia & ambitione quæ tamen prædictis considerationibus reparatur,plurimi faciendo statum suum : siquidem maximè contemptus in domo Dei, multò honoratior est in eius oculis, quam sit maximus eorum , qui habitant in tabernaculis & aulis huius mundi. Qui tamen non propterea vel punctum humilitatis & reuerentiæ subtrahere debent ei qui

altiorem

altiorem locum in occupationibus tenet. Humiles enim, cùm extolluntur, non euanescunt, sed magis sese demittunt; nec se dignos reputant, qui Dei seruis, ministrent: sed potiùs gaudent, quod vltimum occupent locum, & ad pedes omnium se abijciant. sequentes Apostoli Regulam, dicentis: a1. Cor. 7. 21 *si a seruo vocatus es* ad Religionem, & vt alijs in ea seruias: *non sit tibi cura: sed etsi possis fieri liber*, & statum seruitutis relinquere: *magis eo vtere*: vt sic in maiori humilitate viuas. b *Humilitas* enim (vt ait Ecclesiasticus) *coram Deo inuenit gratiam, qui ab* humilibus *hominibus honoratur.* b Eccl 3. 20.

DEPOSITA igitur inquietudine per constantiam & firmitatem in sua vocatione: summa etiam diligentia conari debent, imperfectiones exuere, quæ solent externas occupationes comitari. vt apparet ex eo quod Marthæ euenit, cum Christo Domino nostro, cùm dixit: c *Domine est tibi cura, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet. Cui respondens dixit Dominus: Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium.* In quo colloquio quatuor insinuantur magni defectus, qui in huiusmodi Religiosis possunt inueniri. c Luc. 10. 40

I. PRIMVS defectus est, quòd quemadmodum Martha sororem suam Mariam iudicauit otiosam, ideoque conquesta de ea est, quòd ipsam non iuuaret; imò ipsum Christum quodammodo incuriæ notauit, quòd id non iuberet: ita hi Religiosi solent alios temerè iudicare, quasi otiosos; & neque charitatem, neque commiserationem erga ipsos habentes; neque in occupationibus & laboribus ipsos iuuantes. Ipsi enim, vtpotè imperfecti, nullam occupationem iudicant laboriosam nisi corporalem quæ affligit, ac defatigat corpus. Ex quo prouenit: vt semper sint pleni querelis, & murmurationibus contra alios; imò interdum contra ipsos Prælatos, quos notant negligentiæ, in attendendo ipsorum leuamini; & iubendo, vt alij eos iuuet. Quid autem hoc est aliud, si rem bene perpendamus: nisi temerè iudicare ac murmurare de ipsomet Christo: cuius nomine Prælati ipsos gubernant; & improbare, quod ipsemet Dominus approbauit, defendens, quietem illorum, qui rebus spiritualibus attendunt? Sic enim multò magis ipsos iuuant, quàm ipsi reliquos iuuent temporalibus suis occupationibus: eò quòd multò excellentiora bona illi ipsis communicent. Nam licet pedes seruiant, & multum iuuent cor, cerebrum, & oculos: multò tamen plus pedes accipiunt ab eis, ad conseruandum esse, quod habent, & bene, suo munere vtendum. Et quamuis maiores, qui de rebus spiritualibus agunt, desint nonnunquam officio suo; nec præstent minoribus, quòd alias deberent: debent tamen sibi persuadere, huiusmodi defectus esse quasi d *festucas in oculis alienis*; ipsorum verò temeraria iudicia, murmurationes esse quasi *trabes* in *ipsorum oculis*, quas præstaret flere, & à se eijcere, ad amouendum dolorem, quem adferùn; d Luc. 6. 41.

& impe-

& impedimentum, quod ponunt: siquidem cum eiusmodi querelis nunquam bene præstantur illa officia. *Impleant* igitur (vt dixit Apostolus) *legem Christi, portantes alter alterius onera*, cum patientia & lætitia. Nam ordinariè si ipsi aliquid ab alijs tolerant, etiam habent in se, quòd alij tolerent. Gal. 6. 2.

QVOD Si altiùs harum querelarum radices respiciant, inuenient, vt plurimùm eas prouenire ex eo, quòd non sint satis sua humili sorte contenti; aut quòd refrixerit pristinus vitæ feruor: & ideo horrorem laboris conceperint. Sicut Israëlitæ conquerebantur & f *murmurabant contra Moysen*, eò quòd illos per viam adeò asperam & laboriosam duceret. Est autē res certa displicentiam & tædium in officio; & ignauiam ac torporem in vita efficere, vt locustæ videantur gygantes; & labores ac difficultates paruæ, concipiantur vt intolerabiles. Quam tamen prauam radicem, si mortificent, & euellant; statim quies & tranquillitas in officio, & feruor vitæ tantum illis animi addet, vt vel ipsos Gygantes deuorent, sicut famelicus aliquis panem deuorat: esuriunt enim laborare, & pati pro Christo: cuius amor efficit, vt vel grauissimum onus, illis videatur leuissimum. studere etiam debent: vt mortificent modum quendam inuidiæ, quem illis adfert eminentia, honor, & quies, quam in alijs apprehendunt: quemadmodum filij Iacob magnum odium, & inuidiam conceperunt in fratrem suum Ioseph, cùm audiuerunt g *manipulos, quos ipsi in agro ligabant, adorare manipulum ipsius Ioseph.* Cumq; hi Religiosi vident, suas in Religione occupationes multò inferiores esse, quàm aliorum: quod est quodammodo illas adorare, & quasi prostratas ante eas iacere. Hinc inuidia oritur, turbationes, & querelæ. Humilitas tamen & charitas Religiosa animum eis addet, ad huiusmodi inuidiam mortificandam, dicentibus cum magno Baptista: h *illos* fratres scilicet meos, *oportet crescere, me autem minui*: illis locus excelsior competit, mihi inferior; gaudeo, me esse huius Religionis partem & fratrem horum Religiosorum, quorum occupationes adeò sunt præstantes: vt dignæ sint, quas homines venerentur & adorent. Eroque particeps earum, cum non paruo honore meo; si eis seruiero meis occupationibus etiam humilibus. Sint feliciter fratres mei sicut Maria ad pedes Christi, quandoquidem ipse Dominus ita vult; felixque sors hæc eis obtigit: nolo ego eorum quietem turbare: sed quo potero modo sicut Martha, illi seruiam. Cumq; non possim ad pugnam prodire, in qua licet animas lucrari libenter domi hæreo, vt laborem & sarcinas seruem eorum qui ad pugnam prodierunt: scit enim Dominus legem illam custodire, quam per os Dauidis constituit in Israël: quod i *æqua sit pars descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident spolia.* His igitur & similibus alijs considerationibus primus hic defectus reparatur.

f Num. 11. 1. & c 14 10, 27.

g Gen. 37. 8.

h Ioan. 3. 30 24.

i 1. Reg. 30.

AD ALIVD extremum declinant reliqui defectus: nam cum hi Religiosi

gioſi cum voluptate quadam applicent ſeſe ad officia temporalia, incidunt nonnunquam in ſecundum defectum obeũdi ſua miniſteria cum nimia ſolicitudine anxietate,& turbatione. Quæ non à bono Dei ſpiritu, quo officium acceptarunt;ſed ab alijs vitioſis & imperfectis radicibus prouenit. Interdum quidem à naturali conſtitutione nimis ſolicita, inquieta,& anxia;interdum etiam oritur à proprio amore, qui ſe his operibus facilè immiſcet: dum aliquod emolumentum,aut vanum finem reſpicit. Nimia enim deſideria hominibus placendi,aut honorem aliquem ex eis conſequendi, aut nimij timores eum amittendi,in cauſa ſunt nimiæ ſolicitudinis & anxietatis in ipſis actionibus:ita vt interiorem defectum potiùs admittant, quàm labantur in exteriorem. Quare dixit Apoſtolus: k *ſi hominibus* cum nimia hac ſolicitudine *placere* vellem *Chriſti ſeruus non eſſem*.

k Gal. 1.10.

3. HINC *tertius* oritur defectus,cùm ſe nimijs,& ſupra vires occupationibus onerãt:ita vt multitudo ſpiritum obruat,contra conſiliũ Sapientis, dicẽtis: i *fili,ne in multis ſint actus tui*. Et k *qui minoratur actu*,& ſuas occupationes moderatur,*percipiet Sapientiã*. Nimiæ enim occupationes ineptum hominẽ reddunt ad orationem & familiaritatẽ cum Deo : quia replẽt ſpiritũ curis pungentibus.& valde turbãtibus. Hæ nimiæ occupationes oriuntur interdũ ab aliqua vanitate : qua quis vult hominibus ſatisfacere; & obtinere apud eos opinionẽ diligẽtis,& ſoliciti. Interdũ nimia illa cura oritur ex indiſcreto zelo,quo iudicat,ſe Deo placere,ſi multum laboret, ſuisq; fratribus in multis rebus inſeruiat. Sed certũ eſt, nimietatẽ illi non placere:quã reprehendit in Martha,cũ ei dixit: l *turbaris erga plurima:cùm tamẽ vnum ſit neceſſarium*. vt ſc. omnes occupationes in eum finem dirigantur,vt ſoli Deo placeant;eiuſque ſolam voluntatem exequantur:ſic enim ſeſe mortificant, & radices euellãt vtriuſq; defectus. Cauendum tamẽ eſt:ne, vt hoc multarum occupationum extremum euitent,incidant in alterum otioſitatis:quod eſt multò deteriùs. Nã prætextu non ſe nimiũ onerandi:nec ſufficiens ſuſcipiẽt onus;& finito ſui officij pẽſo,etiãſi valdè limitato:hærebunt iunctis manibus otioſi, vt fugiãt laboré;nec ſint memores admonitionis Salomonis, dicẽtis:m *vade ad formicam ô piger,qua cũ non habeat ducẽ a quo vrgeatur congregat in meſſe quod comedat*. Et,vt Plinius ait,ferunt ſæpè pondus corpore ſuo grauius quamuis cum magna ſua quiete,& voluptate naturali,vt in alio loco expoſuimus.

i Eccl. 11.10.
k Cap. 38.25
l Luc. 10.41.
m Prou. 6.6.

4. VLTIMVS defectus eſt, cùm pax & concordia cum reliquis Religioſis turbatur ex occaſione rerum ad ipſorum officia ſpectantium, prætextu ſcilicet eas conſeruandi;oſtendunt ſe enim arctiores & parciores, quàm expediat in eis diſtribuendis;aut in modo eas concedendi. Qui defectus euenire ſolet,aut ex conditione,& moribus ſtrictioribus,aut cholericis;aut ex minus prudenti zelo,cooperto colore & ſpecie paupertatis, aut obedientiæ. Ea

Tom. 1. tra. 2, c. 9.

tamen

tamen (vt S. Dorotheus ad hoc propositum ait) est manifesta ignorantia, & contra Dei Domini nostri ac prudentum Prælatorum voluntatem: insignis enim est deceptio; iacturam facere eius, quod est maius: vt, quòd minus est, conseruetur: multoque maius bonum est pax propriæ conscientiæ, & vnio cum ipsis Religiosis: quàm conseruatio rerum temporalium, & executio suorum officiorum in rebus huiusmodi. Nam primum est bonum spirituale; secundum autem corporale temporale; primum Religionis ipsius substantiam conseruat; secundum verò est accessorium; primum est tanquam pars quarta eius ad quod tendimus: secundum autem quasi octaua aut trigesima. Non itaque erit prudentia iacturam facere rei adeò pretiosæ, vt vilior alia conseruetur. Et contrarium (ait idem Sanctus) indicium esse, eos facere officium suum ob inanem honorem, aut vt placeant hominibus; aut quod vitiosam aliquam proprietatem in res illas habeant. Cauendum tamẽ etiam illis est ab altero extremo, negligendi suum officium: vt aliquid prætermittant, quod ratione ipsius, aut ex præscripto Prælatorum seruare debent; sub eo titulo, vt vnionem cum omnibus seruent. Non enim est vnio veræ charitatis quæ conseruatur conculcando obedientiam, aut contemnendo bona communitatis. Et qui non posset pacem & concordiam cũ alijs seruare, nisi ipse debito suo deesset; det saltem operam, ne ex parte ipsius desit interna pax animæ, & charitas quam debet suis fratribus exhibere. Et sic satisfecerit omnibus, quæ statui suo Religioso debet: adhibitis etiam medijs alibi insinuatis.

Serm. 4.

Serm. 15.

Tom. 2. tra. 3 c. 14.

Hos quatuor defectus vitabunt facilè Religiosi, si persuaserint sibi, suscipere se hæc officia & occupationes externas, tanquã media proprię suę perfectionis iuxta naturæ suæ talenta & propensionem. Quamuis enim Religio quærat etiam aptam horum officiorum executionem, in totius Communitatis vtilitatem: præcipuè tamen intendit spirituale suorum filiorum bonum: neque cum animarum eorum detrimento vult aliquod augmentum rerum temporaliũ n *Quid enim prodest homini si mundum vniuersum lucretur: anima verò suæ detrimentum patiatur?* Et (vt S. Laurentius Iustinianus ait) in die obitus nihil proderit, monasterij reditus auxisse: si adfuit aliqua spiritùs iactura. Nam vt temporalia emolumenta quæruntur: debent etiam spiritualia quæri, iuxta illam Saluatoris nostri sententiam: o *hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Attendendum scilicet est temporalibus: non prætermissis spiritualibus: imò hæc primo loco tanquam magis necessaria & præstantiora collocari debent: cùm ipse DOMINVS dixerit: p *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.*

n *Mat. 16. 26. De disc. Monast. conu. c. 21.*

o *Mat. 23, 23*

p *Mat. 6. 38*

Ex Quo fit, vt huiusmodi Religiosi talia officia obeuntes, debeant quotidie tempus orationis & recollectionis accipere, quod erit necessarium ad

spirituale animarum suarum bonum conseruandum ;& præcipuè diebus festis:in quibus studiosius tradere se debent exercitijs deuotionis, occupationibus temporalibus omissis,quæ non sunt præcisè necessariæ.Omnia enim tempus proprium habent.Et bonus Religiosus aliquo tempore debet se ostendere laboris amicum;alio verò studiosum recollectionis. Quod suadet Hugo de Sancto Victore,dicens:quò magis decens videtur quies in diebus festis;eò magis laudanda est occupatio in cæteris per hebdomadam dieb.Ita vt qui in diebus festis non amat quietem,indiciũ det suæ leuitatis ;sicut qui alijs diebus non amplectitur occupationes,dat indicium ignauiæ suæ,actorporis. Leuitas enim in causa est, cur carnales nunquam quærant Sanctam quietem : & ignauia efficit , vt nunquam amplectantur bonam occupationem.Quamobrem studiosè distinguenda sunt tempora :vt enim opus paruum nunquam est laudabile;ita bonum opus extra tempus factum,est vituperandum..Decens itaque erit vt huiusmodi Religiosi diebus profestis maneant in suis officinis;festis verò,quando sunt ab occupationibus liberi,sint frequentes in templo,glorificantes Deum,ob accepta ab eo beneficia simul cum reliquis,qui ex officio sunt ad templum frequentandum dedicati.

De Instit. Monast c. 4 S. Bonau in spec. disc. c. 5

CAPVT XV.

PERFECTIO RELIGIOSORVM IN ORATIONE *mentali, & studium Recollectionis cordis in omnibus exercitiis spiritualibus.*

QVI SORTEM ET PARTEM MARIÆ IN RELIGIONE sequuntur:duplici via pergere solent iuxta duos modos Orationis, mentalis scilicet ac vocalis. Aliqui enim vel ex Regulæ Instituto, vel ex Dei speciali vocatione aliquot horas expendunt in oratione mentali:quæ complectitur meditationem & contemplationem Diuinorum mysteriorum, rerumque omnium affectus deuotionis excitantium.Quæ oratio adeò est propria Status Religiosi, eò quòd sit Diuino obsequio mancipatus:vt Sanctus Ioannes Climachus hunc statum definiens dixerit:Monachum esse,qui semper habet spiritum in Deum eleuatum : & orat in omni loco,tempore,& negotio.Oratio enim, teste Sancto Chrysostomo,est anima & spiritus vitæ Religiosæ,ac perfectæ:quæ conseruat, auget,ac perficit Castitatem,Paupertatem & Obedientiam ; & mutuam inter omnes coniunctionem,ac reliquas virtutes huius statûs proprias.Et S. Bo-

Cap. 1.

Lib. 1. de orando Deũ.

nauentura

nauentura ait: Religiosum uon frequentantem huiusmodi orationem, gestare animam mortuam in corpore viuente; aut esse tanquam corpus sine anima: habens quod externum est in Religione; absq; eo, quod est internum. Sed quoniam de præstantia orationis mentalis fusiùs egimus in tribus alijs nostris libris, id nunc solùm adferemus, quod Cardinalis Caietanus ad hoc propositum adfert. Is enim in cera Scholasticæ Theologiæ inueniens mel Theologiæ mysticæ, ex vtroque fecit fauum dulcissimum, quem proponit omnibus Religiosis; eosque ad gustandum & in opus deducendum inuitat, hisce verbis: Deuotio (vt S. Thomas ait) duas causas habet intrinsecas: alteram ex parte meditationis & beneficiorum eius; alteram ex parte meditationis propriorum defectuum. In prima sunt bonitas, misericordia, charitas, &c. Dei erga hominem, & me; beneficiaque Creationis ad imaginem suam. Redemptionis; baptismi, inspirationum, vocationum per se vel alios, expectationis ad pœnitentiam, Eucharistiæ, præseruationis à tot periculis animæ & corporis, Angelicæ custodiæ, & reliquorum beneficiorum singularium. In secunda sunt defectus culpæ & pœnæ, tam in præterito, quàm in præsenti, labilitas ad peccandum, dissipatio propriæ substantiæ, assuefaciendo cogitatus & voluntates & inclinationes aliarum suarum virium ad malum, habitatio in regione longinqua ab amicitia & conuersatione Diuina, peruersitas affectûs magis temporalia quàm Spiritualia commoda, vel incommoda sentientis; nuditas à virtutibus; vulnera ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, & cõcupiscentiæ, vincula manuum & pedum, operum scilicet & affectuum, in tenebris, in fœtoribus & amaritudinibus esse, nec horrere: vocem pastoris inferius non agnoscere: & quod omnibus peius est, Deum pro inimico & hoste toties elegisse, mortaliter peccando, & propterea tantam eidem iniuriam fecisse, vt pro Deo refutatus sit, factusque noster Deus sit venter, aut pecunia, aut delectatio, &c. Ex huiusmodi namque meditationibus quæ quotidianę esse debent Religiosis, & Spiritualibus personis, omisso vocaliũ orationũ multiloquio voluntario, deuotio aliæque cõsequenter gignuntur virtutes: nec Religiosi, aut Religiosæ, seu Spiritualis etiam nomine vocari potest, qui saltẽ semel in die ad huiusmodi se non transfert. Quemadmodũ nãque effectus absque causa, finis absque medio, insularis portus absque nauigatione haberi nequit: sic nec Religio in actu absque frequentatis actibus suarum causarum, mediorum, ac vehiculorum. Hæc vir ille doctissimus, in quibus non se minus pium ac deuotum ostendit; quàm in alijs locis subtilem & acutum. Docet enim hic Religiosos studijs valde deditos vt etiã quotidie scientiæ & exercitio orationis ac deuotionis diligenter studeant; nam sine oratione ac deuotione vana esset eorum Religio.

Opus de perfect vit c. 5.

S. Tho. 2. 2. q. 80. a. 3. Caiet ibi.

In eundem scopum tendit etiam illa pars orationis, quam dicimus vocalem

calem: in qua Religiosi sese exercent, dum Canonicas horas persoluunt, siue priuatim sicut alij sacris ordinibus insigniti: siue eas in choro cantãtes, sicut Ecclesiastici ad id constituti: a quibus laudabilem hanc consuetudinem acceperunt, tanquam medium suæ perfectionis. Eritque talis oratio eis vtilissima, si conentur tali spiritu eam exercere, vt etiam ignis deuotionis eos inflammet. Nam (vt S. Bonauentura ait) omnes externæ ceremoniæ chori, officij diuini, & aliorum sacrorum ministeriorum, nisi cum debita deuotione peragantur, sunt quasi murus ex lapidibus absque calce, aut bitumine illos coniungente, confectus; & tanquam lampades virginum stultarum, non habentes oleum, quo lumen foueatur. Arida est omnis Religio, quæ non oleo isto saginatur, instabilis est bonorum operum structura, quæ deuotæ orationis frequentiâ non compaginatur: nam, oratione deficiente, facilè ruet. Et quicunq; multum intepescit in huiusmodi exercitio, magno se periculo exponit deficiendi à sua vocatione. Nam, vt Propheta dixit, & a *paries erectus absq; temperatura*, qua lapides coniungantur, citò *casurus est*; & b *domus fundata super arenam cum descendit pluuia, & flant venti*, facilè *cadit*.

opuse de sex lis Seraph. 3.

a Ezec 13.1
b Mat. 7.26.

§. 2.

SED QVONIAM de horis Canonicis proprius instituetur tractatus in quarto tomo, eò quòd magis propriæ sint Ecclesiasticorum: nunc eam tantùm cordis recollectionem proponemus, quam adhibere debent Religiosi qui a *elegerunt optimam* illam *partem*, & VNVM illud, quod *Maria elegerat*: in quod omnes suas intentiones & conatus dirigere debent: renuntiantes, & strenuè mortificantes omnem solicitudinem, turbationem, & effusionem cordis, quæ huic VNI aduersantur. Nam (vt S. Dyonisius ait) eorum vocatio est: VNVM *ipsum ambire, & ad sacram monadem cogi*. renuntiantes non solùm vitæ diuisæ coniugum, sed etiam imaginibus & phantasijs cordis, quæ sunt domestici deuotionis hostes; & fures eam deprædantes & è domo sua expellẽtes. Ipsa enim experientia nos docet, quòd etiam dum sumus in occultissimo loco recollecti, soleat cor nostrum fieri Marthæ simile, solicitum, turbatum, & in res plurimas effusum. Quemadmodum ait sanctus Iob: b *cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meũ* excitantes me à spirituali meæ recollectionis somno. Nec tamen propterea animus tibi abijciendus est, sed magna vi & fortitudine eas omnes reducere debes ad VNVM, qui est Deus: totam tuam attentionem & intentionem collocans in eo.

a Luc. 10. 39.

Eccles. Hierarch. c. 6.

b Iob. 17. 11.

EST AVTEM summi momenti, vt semel tibi persuadeas: hanc attentionem valde tibi esse necessariam. Primum propter infinitam Dei Maiestatem, in cuius conspectu versamur, & cum quo loquimur. Est enim summa incinilitas, cogitare coram Deo, quod puderet coram hominibus loqui: aut

cum

cum Deo loquentem, eum, semiuerbo prolato, deserere: & conuertere te ad loquendum cum vili mancipio. Quid igitur dices, si aspicias extremâ tuâ vilitatem? Hæc enim cogit, coram immensa Dei magnitudine teipsum contrahere & prosternere; nec c *audere*, sicut ille Publicanus, *oculos ad cœlum leuare*. Quomodo igitur audebis effundere oculos spiritûs ad ea quæ geruntur in terra? Seraphin velant faciem, & oculos suos in conspectu Dei, ob summam reuerentiam, quam ei exhibent: & tu non velabis tuos, ne ad rem aliquam eos conuertas, quæ te separet à Deo? d *Elias operuit vultum suũ pallio, cum audiuit Dominũ venientem*. Et non operies tuum, ac te recolliges, videns ipsum Dominum esse, cũ quo loqueris? Huc accedit dignitas & excellentia ipsius operis: nihil enim est in terra præstantius, quàm familiariter cũ Deo agere, eum diligere, laudare, & cum illo se vnire. Quare per excellentiam vocari potest opus Dei, & oratio Dei: vt propterea deceat eam fieri attentione ac reuerentia, qua par est: ne noxia tibi reddatur. siquidem e *maledictus est, qui facit opus Domini negligenter*. Quod si operis excellentię adiungas necessitatem eius, qua tu laboras: hæc te multum impellet ad eam, vt oportet, faciendam. Mendicus enim, qui fame premitur, nec potest magnum labore cibum sibi acquirere, nisi mendicando: ipsa necessitate feruens efficitur in mendicando: & qui nouit suas necessitates & pericula spiritualia, exiguas etiam vires, & fortitudinem ad ea reparanda: is valde impellitur ad feruenter orandum: ne ipsa f *oratio*, quæ in remedium suæ miseriæ dirigitur, *ei fiat in peccatum*. Si vitæ breuitatem respicias, & agoniam, qua orât qui sunt in mortis periculo constituti: hoc etiam permouebit te ad orandum cum spiritu: cùm nescias, an hæc sit vltima tuæ orationis hora. Et quãuis non sit: satis est magna miseria, non te continere intra teipsum breui illo tempore, quod accipis ad orandum. Et iure optimo reprehendet te Dominus, & objiciet: g *sic non potuisti vna hora vigilare mecum*? Attende, quàm multas horas CHRISTVS Dominus noster expendebat in oratione, nec qualicunque, sed h *in oratione Dei*: digna scilicet eo, qui orabat, & cui offerebatur.

Et semel quidem cum tanto feruore i *orauit*, vt cum summo suo gaudio fuerit *transfiguratus*; & iterum k *factus in agonia, prolixius orans, sanguinem* sudauerit. Cùm igitur id totum factum fuerit in tuum exemplum: ne cum ignauia ac tepiditate facias, quod Saluator tuus cum tanto fecit feruore, non suæ, sed tuæ voluntatis causa. Attende item: quam multas horas expenderint sancti in hoc feruenti exercitio, ob ingentem eius æstimationem. Nec solùm præcedentes respicias sanctos, sed etiam multos præsentes qui, dum tu in choro, aut in cella es totus distractus: illi sunt quidem corpore in eo loco, sed corde sunt in cœlo. Excitent igitur te hæc exempla, vt tuas cogitationes recolligas, dum oras; saltem ob tuum propriũ emolumentũ; &

2.

c Luc. 18. 13.

d 3. Re. 19. 13.

3.

e Ierem. 48. 10.

4.

f Psa 108. 7

5.

g Matth. 26. 40.

6.

h Luc. 6. 12.

7.

i Matt. 17. 2

k Lu. 22. 43

8.

vt cœ-

vt cœlestibus delitijs fruaris: quibus præcedentes Sancti, & nunc etiam feruentes tui socij fruuntur. Posito enim tibi esse orandum, magnæ prudentiæ est conari talem orationem habere, vt obtinere possis centuplum, quod in illa communicat Deus. Labore etiam, quem initio orationis adhibueris ad te recolligendum, obtinebis ad eius finem magnam refectionem spiritus. l Eccle. 7.9. Propterea enim dixit Salomon: l *Melior est finis orationis, quàm principium.* Quod si miserum est, non euadere hominem peritum eius scientiæ, aut artis, cui dat operam: quantò erit maior miseria, quod quis à Deo ad hanc artem & scientiam scientiarum, ad orationem scilicet, & familiaritatem cum Deo vocatus: sit tamen semper quasi Tyro, eò quòd non bene recolligat cor suum? Quod si initio tuæ conuersionis Deus hoc te affecit beneficio, vt esses in oratione collectus ac deuotus: maior miseria est, quod tuâ culpâ tanto bono sis priuatus: quemadmodum illi, de quibus S. Augustinus, quod primis diebus orent feruenter; deinde, tepidè; postea, frigidè: ac denique negligenter. Denique ad hoc studium & solicitudinem impellere te debet, quòd videas maximam attentionem & conatum: quo Dæmones impedire te & retrahere ab oratione contendunt. Est autem iustum, & æquum, te esse prudentem sicut serpentes: vt quemadmodum ipsi inuigilant ad te effundendum ac distrahendum: ita tu omnem adhibeas diligentiam, vt mente tui collectam & stabilem serues. Decem his rationibus persuadere tibi debes, quanti sit momenti hæc mentis recollectio; & omninò credere, quòd teipsum effundere, sit te odisse; recolligere autem, sit te amare. Id enim significauit Salomon, dicens: m *Qui possessor est mentis, diligit animam suam*: plurima enim bona sibi comparat, qui potestatem ac dominium super suas potentias habet. Contrà verò *anima dissoluta* semper *esuriet*. Non enim vitalem cibum. Et n *cor fatui est quasi vas confractum, & omnem sapientiam non retinebit.*

In Psal. 65. 10.

m Pro. 19. 8. 15.

n Eccl. 21. 17

EX QVO fiet, vt si fueris prudens, ita exerceas reliqua tui statûs opera, vt cor tuum semper maneat integrum, non diuisum; & suarum cogitationum Dominium retineat, vt eas applicet ad familiaritatem cum Deo habendam, statim atque constituta hora imminet, dimissis alijs omnibus occupationibus: vt huic familiaritati te totum tradas. Eum in modum, quo Maria, etsi occupata esset cum multis, qui venerant ad ipsi condolendum ob mortẽ fratris; statim tamen atq; soror Martha ei dixit: o *Magister adest & vocat te: illa surrexit citò &*, hospitibus relictis, *venit ad Iesum, & cecidit ad pedes eius* Quare etsi valdè sis cum hominibus occupatus, debes eos dimittere (præcipuè cum tales occupationes tantùm sunt ob ciuiles mores) vt ad tuã orationem, ad chorum, & reliqua spiritualia exercitia, in eo momento te conferas, quo Deus te vocat: siue id fiat signo campanæ, siue à Religioso ad id constituo; aut interna inspiratione, quę te ad id faciendum mouet efficaci-

o Ioan. 11. 29.

citer.

citer. Nec vacat mysterio, quod Martha solicita & turbata erga plurima vocet Mariam, vt accedat ad pedes Christi. significat enim, quòd ipsæmet occupationes nos prouocent, vt ipsis ad tempus relictis, accedamus ad agẽdum cum Domino nostro: nam ipsimet occupationi valde expedit auxilium, quod ab ipsa oratione ei accedit. In eo quoque aliquid latet mysterij; quòd hospites, qui Mariam occupabant, videntes eam, ipsis relictis, abiread Christum, secuti sunt eam: quæ tamen, nulla illorum ratione habita, cum peruenit ad Christum, ad eius se pedes prostrauit. Naturale est enim, vt cùm deseris occupationes, orationis habendæ causa, illæ etiã te sequãtur, & occupent memoriam tuam; ita vt vix euadere possis earum importunitatem. Debes igitur viriliter eas fugere, & nihili eas faciens, proijcere te qua poteris quiete ad pedes Dei tui, cui tuas proponas necessitates. Quod si adhuc fuerint importunæ, vt non pergas in oratione: non debes feruorem relaxare; sed earum potiùs importunitate prouocari, ad clamandum maiori feruore ad Deum, vt tibi subueniat. Eum in modum, quo sacrum Euangelium ait de quodam cæco clamante ad Christum transeuntem: p *Fili Dauid miserere mei. Et quãuis qui præibant increparẽt eum, vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.* donec ipse *Iesus iussit, illum adduci ad se,* fecitque eum sui voti compotem. Quemadmodum autem cæcus ille non voluit disputare cum illis, nec audire eos, qui ei dicebant, vt taceret; sed nihil eis respondens, vocem magis extollebat: ita non debes cum tuis cogitationibus & importunis imaginationibus disputare; sed, illis prætermissis & contemptis, orationis tuæ filum continuare: ex earum importunitate occasionem accipiens ad orationis feruorem magis augendum. Nunquam enim cogitationum agmẽ tibi nocebit, etiamsi tanquam q *muscæ* accedant ad *perdendam suauitatem vnguenti* fragrantissimi, ac preciosissimi deuotionis: si eas semper abigas, nec pacem vllam ita cum eis ineas; vt aduertens eas patiaris in corde tuo hærere. Quòd si eis resistendo, perseueres: Deus laborem tuum remunerabit: r *abscondens te in abscondito faciei suæ.* quò non peruenit *conturbatio hominum. Et protteget te in tabernaculo suo à contradictione linguarum*: quia earum murmur non inuenit ibi aditum. Opus enim est eius omnipotentiæ ac misericordiæ, præsentiam suam & amicam iucundamque faciem orantibus ostendere; dans eis tantam quietem, vt nihil tunc eos perturbet. Et hũc feruorem exhibere solet Religiosis: qui, vt ipsi cum quiete seruirent, mundi strepitum reliquerunt: modò tamen ipsi, quantum in se est, abscondant se ad orandum eum in modum, quem Christus Dominus noster insinuauit, cũm dixit: s *cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* quod aiunt SS. Patres fieri posse, siue in cella, siue in choro, siue in campo: modò tuũ ingrediaris cor; tuorumq; sensuũ ostia claudas; ac solùm respicias

p Luc. 18. 38

q Eccl. 10. 1.

r Psal. 30. 21

s Matth. 6. 6 SS. Hilar. Cant. 5. in Matt. Aug. concio 2 in Ps. 83. Ambros. 6. de

respicias Deũ tecũ ibi præsentẽ. Cũ eo loquere, tuasq; propone necessitates: supplex orans, vt abscondat te intra se, ne quid accedat, quod te perturbet.

§. 2. Alia deuotionis exercitia.

EADEM QVIES & recollectio procuranda etiam est in reliquis vitæ contemplatiuæ exercitijs, quę comitantur & fouent ipsam orationem, suntq; valde propria Religiosorum sequentium partem Mariæ, de qua dicitur, quòd a *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Id quod teste S. Thoma varijs perficitur exercitijs. *Primum* est audire conciones aut exhortationes spirituales, quæ fiunt de more in Religionibus, accommodatæ ipsis Religiosis. Quemadmodum enim Christus D.N. duobus concionum generibus vtebatur; alijs toti plebi communibus, quibus & ipsi Apostoli fruebantur; alijs verò specialibus ad solos discipulos spectantibus, in quibus ea docebat, quæ ad ipsos spectabant: vt videre licet in prolixo illo sermone, quem habuit in cænaculo: quo eos est consolatus, animauit, ac docuit quæ pertinebant ad b *mutuam inter se dilectionẽ*, ad custodiam mandatorum suorum, ad fiduciam, & frequentiam orationis, aliaq; valde perfecta. Ita etiam prẽter publicas conciones, quæ ad populum Christianum habentur in Ecclesijs, refert plurimum, esse alias magis particulares pro solis Religiosis, siue viris siue fœminis: quibus stimulentur ad proprij status perfectionem; & nominatim ad eam, quam Christus Dominus noster in prædicto post cœnam sermone commendauit. Et huiusmodi exhortationes ita sunt audiendæ, quasi ipsemet Christus eas haberet. Ipse enim ad cor loqui solet verba, quæ aure percipiuntur; & seminat semen suum in terra bene culta, vt fructũ proferat centuplum; proficiendo quotidie in ea perfectione, quã profitetur.

2. AD idem exercitium spectat etiam familiaris cum Prælatis, aut Confessarijs, aut spiritualibus Patribus collatio & comunicatio: quæ vtilior esse solet; & quasi gradus quidam ad familiaritatẽ cum ipso Deo. Nam (vt S Greg. ait) generales sermones & exhortationes, quæ habẽtur ad multos simul, nõ semper sunt adeò acommodatæ necessitati cuiusque: sicut illa, quæ fit priuatim ab eo, cui talis necessitas est nota, suamq; exhortationem dirigit ad subueniendum ei. Quamobrem Christus Dominus noster non solùm prædicabat in Synagogis, in montibus alijsq; publicis locis; sed accedebat etiam interdum ad particulares domos, vbi documenta & consilia tradebat valde proportionata eorũ necessitati. Et ipse Apostolus fatetur, se c *docuisse publicè & per domos, nocte ac die, & monuisse vnumquemq;* prout cuiq; expediebat. Huiusmodi n. particularis instructio est quæ procul dubio maximè prodest ad vitia ex radice curanda, & virtutes eius statûs proprias inserendas. Ex quo apparet ingens Religiosorũ bonũ: vt qui intra domũ suã medicum habeãt, qui eis medeatur; Magistrum, qui doceat; Consiliarium, qui consulat, Confessarium,

vLu. 10. 39.

I.

2.2.q. 180. a 8 ad 4.

b Ioa. 13. 34

3. par. Past. c. 1

c Act. 20. 31.

fessarium, qui eorum peccata audiat, & ab eis absoluat; & spiritualem Patrē, à quo in ijs suis exercitijs dirigantur. Et quod sæculares ex domibus suis ad Religionē accedūt, in qua sunt viri eminentes ad hæc officia præstāda, vt cū eis de suis necessitatibus agant: id inquam Religiosi habēt intra suas portas, & ad manum. Semper enim & in singulis Conuentibus habet prouidentia Diuina aliquem, vel aliquos: qui Duces aliorum esse possint, cum illorum magno solatio. Esset autem valde dolendum: si domestici non vterentur bono, quod externi apud ipsos quærunt, & inueniunt. Quibus aptatur quod Saluator noster dixit suis ciuibus in Nazareth: d *multos leprosos fuisse in Israël sub Eliseo Propheta & neminem eorum mundatum esse*: quia nemo ad eū accessit: *nisi Naaman Syrus*, qui à remotis Syriæ partibus venit, vt sanitatē peteret, quam obtinuit. Ita vos non vultis fructū ex mea doctrina capere: quem homines reliquarū ciuitatū cum magno suo cōmodo accipiunt. Agnoscat igitur Religiosus bonū, quod intra suā domum habet; audiatq; cum spiritu doctrinā Patris, & Magistri, quē Deus illi assignauit; & confidat Sapientiæ diuinæ: quòd per eos docebit ipsū, quod magis ei expediet, vt perfectus euadat. d Luc. 4. 27

3.

Aliud spirituale exercitium, in quo etiam auditur verbum Dei, est lectio sacrorū ac piorum librorum: quæ etiam est valde propria Religiosorū æquumq; est, eos habere destinatum tempus ad eam, sicut ad orationē. Iuxta sententiam n. Sanctorū: quemadmodum in oratione nos cum Deo colloquimur: ita in lectione Deus loquitur nobiscum: & quod liber omnibus dicit, sensim applicat & accommodat internè ei; qui, vt oportet, ipsum legit. Et quemadmodum valde periti & eruditi viri quotidie aliquid legunt in libris suarum facultatum; vt vel aliquid discant, vel memoriam renouēt eorū, quæ didicerunt: ita & multò ampliùs perfectionis studiosi debent quotidie in libris spiritualibus legere. Et quamuis id non faciant, vt veritates aliquas nouas addiscant: cōferet tamē lectio illa ad nouas illustrationes, noua sensa, affectus virtutum, nouam famem ac sitim rerum æternarū à Deo obtinēda. Meminerit Religiosus, quod hoc ipsum nomen monet, quantam huius exercitij curā habere debeat. Nam (vt S. Isidorus ait) illud nomen deducitur à relegēdo: quia (vt explicat S. Thomas) frequenter debet legere, & in corde suo ea euoluere, quæ ad cultum Dei & propriam statūs sui perfectionē pertinent. Legat igitur primùm in libris; & postea, quæ legerit, ruminet ac meditatione digerat; & ipsa imitatione in cor & viscera sua immittat.

D. Aug. in Psal. 65.
D. Isid. lib. 3 de summo c. 1.
S. Bern ser. 50. ad sorores
Li. 10. Ethimol. c. 17.
2. 2 q. 81. a 1

4.

Veniamvs ad alia exercitia circa Sanctissimum altaris Sacramentum: quod est supremus deuotionis ac perfectionis fons; quā tribus vijs cōmunicat: per ipsam sc. sacrā cōmunionem, per Sacrosanctū Missæ Sacrificium, & per visitationes, quæ fiūt in ipsa Ecclesia: cùm nos in eius cōspectu collocamus. In omnibus aūt his modis præferūtur cæteris Religiosi; etiā nō Sacer-

dotes: eò quòd supremũ hunc Dominũ habeant hospitẽ, & cõtinuum habitatorẽ intra domos suas: vt nõ sit eis opus, sicut sæcularibus, ex proprijs domibus exire, vt ad templa se conferant. Ideoq; Religiosi possunt facillimè sacrũ Missæ quotidie audire; & sæpius in die visitare, & orationẽ suã coram Sanctissimo Sacramento habere, & diutiùs in Ecclesia hærere, ac frequentius, quàm sæculares, communicare: castitas enim & eius statûs perfectio ad id inuitat; vt expresse S. Dyonisius docuit, dicens: monachis dari consueuisse sacram Communionem in ipso suo ingressu: vt intelligerent: alio, qui sanctus Populus, modo, ad Cõmunionis Diuinæ participationem se admittendos hoc est, quòd debeant frequentiùs communicare, quàm iusti Sæculares. Si enim adeò fuit fortunata domus Zachæi, propter vnicum Christi Domini nostri in eam ingressum: & castellum Bethaniæ, domusq; Marthæ & Mariæ, ob frequentem ad eam accessum eiusdem Domini: quantò felicior erit domus Religiosorum, ad quam idem Dominus quotidie ingreditur; & continuè in ea habitat cum eadem charitate, & omnipotentia, qua ad illa loca accedebat? O quàm aptè Religioni accommodatur, quod sit domus Zachæi: quod significat iustificatum, iustum aut purum: est siquidẽ domus animarum iustarum, mundarum ac iustificatarum per diuini huius Sacramẽti præsentiam: cuius virtute e *salus huic domui facta est*, & habitantibus in ea, qui ipsum honorãt, & venerantur, eiusq; regia præsentia fruuntur. f *Beatus* inquit Scriptura diuina, *homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostii mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutẽ a Domino.* Quomodo igitur non erit beatus Religiosus, qui potest quotidie vigilare in ipsa domo, in qua Sapientia incarnata habitat: licèt velo Sacramenti tecta? Nam verè, qui viua fide eam visitat, & inuenit, eiusq; præsentia fruitur: inuenit vitam & salutem spiritualem, fitq; omniũ suorum votorum cõpos. Gaudeat igitur Religiosus, bonaq; sorte, quæ ei obtigit, fruatur tribus illis modis, quibus sanctissimũ Sacramẽtum dona sua communicat. De hoc. n. iustitiæ Sole intelligitur, quod dixit Ecclesiasticus: g *tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radijs suis, obcæcat oculos.* Montes sunt Religiosi ob Sanctitatis celsitudinẽ, quã profitentur: hos exurit Sol iustitiæ radijs accensi sui amoris tripliciter: nunc per ipsam cõmunionem; cũ eam suscipiunt; nunc per sacrũ Missæ: cũ eam audiunt; nunc per orationẽ: cum ipsum Sacramentũ visitãt, & in eius præsentia se cõstituunt; quod licèt tectum nube specierum Sacramentalium: tantum tamen ex se emittit splendorem cœlestibus suis illustrationibus, vt intellectus obumbret, & oculos curiosos obcæcet: vt sese dedãt & subijciant, credẽdis eius diuinis mysterijs.

§.

SVPEREST adhuc exercitiũ aliud spirituale valde vtile: *Examen* sc. conscientiæ quotidianum: est. n. hic modus quidã practicæ orationis: cuius finis est

cognitio

C. 6. de Eccl. Hierar. p. 3.

S Hieron. de nomi. Hebr. in Matth.

e Luc. 19. 9.

f Prou 8. 34

g Eccl. 43. 4

cognitio suiipsius, suarumq; culparum & imperfectionum; vt altiùs in humilitate fundetur, & cordis puritatẽ obtineat, vt se ad Confessionem præparet, & admissos defectus emendet, & in futurum abstineat, & in suo profectu spirituali vlteriùs progrediatur. Et sic executioni mandatur, quod faciebat Dauid: h *meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum*. Hæc enim meditatio non sistit in inueniendis peccatis; sed cor ipsum exstimulat, ad sentiendum dolorem ac detestationem eorum, & ad purgandum spiritum: eijciendo ex eo huiusmodi sordes, vt ita mundus remaneat. Quod si adsit ad culpam aliquam valde addictus affectus, vt solet ærugo ferro adhærere: alia lectio habet: *limabam spiritum meum*: ideoque talem affectum limare debet, & à suo spiritu euellere, adhibita lima mortificationis: ne nouas iterum culpas eructet. Hic orationis modus est accommodatus tempori vespertino, finitis scilicet totius diei actionibus. Quamuis maioris esset perfectionis, si adhiberetur ad finem actionum præcipuarum: quasi illas reuidendo, vt defectus in eis admissi faciliùs deprehendantur. Aut saltem bis, aut ter in die, ad maiorem puritatem consequendam. Sed quoniam pro his omnibus exercitijs alibi tradidimus documenta magis particularia: ibi licebit Religioso Lectori ea videre, si cupiat vtiliter ea peragere.

CAPVT XVI.

PERFECTIO RELIGIOSORVM IN CORRIGENDIS *aliorum defectibus, & acceptanda suorum correptione.*

MEDIORVM, QVÆ RELIGIO, AD SVI CONSERVATIONEM, & filiorum suorum perfectionem obtinendam, haber; illud est vsitatissimum, valdeque necessarium: correctionis scilicet, ad reparandas & præueniendas culpas ac defectus contra votorum ac Regularum obseruantiam, de quibus hactenus egimus. Quamuis autem de hoc medio fusiùs actum sit in Tomis præcedentibus, eò quòd omnibus Christianis cuiusuis status commune sit: nunc tamen id præponemus, quod est Religionum, magis proprium: in quibus ordinariè sunt constitutæ Leges ac Regulæ obseruandæ in ipsa correctione, & punitione defectuum: eò quòd, attenta humana imbecillitate, illa sit valde necessaria: cùm Sapiens dixerit; a *Septies* in die *cadit Iustus*; Et S. Iacobus Apostolus dixit: b *in multis offendimus omnes*, Sed quoniam huiusmodi Regulæ, & consuetudines pro varietate Religionum, variæ sunt ac diuersæ: operæ pretium erit vnam quandam hic ponere ex ipso Sacro Euangelio desumptam: in qua minimùm debent omnes conuenire; & ex eadem deduci poterunt particularia, quæ ad singulas Religiones pertinẽt. Ita igitur Christus Dominus: c *si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus*

Tom 1. tra. 3 c. 9. & To 2 tra. 3. c 5. ac sequ. & Tract. 4. c. 6

a *Pro. 24. 16*
b *Iac 3. 2.*

c *Mat. 18 15*

lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit adhibe tecum adhuc vnũ vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos: dic Ecclesiæ. si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus & Publicanus. In quibus verbis triplicis modi correctionis fit mentio: vnius secretæ; alterius publicæ coram alijs; tertiæ quæ fit Prælato & omnes hi modi sunt in vsu in Religionibus, speciali, magisq; perfecto modo, quã inter seculares.

§. 1. *Qui corripere debeant.*

PRIMA CORREPTIO est quam vulgò fraternam appellamus, eò quòd spirituali fraternitati innitatur, quam omnes Christiani habent eo nomine, quod sint filij eiusdem Patris scilicet Dei & eiusdem Matris, quæ est Ecclesia. in cuius initijs omnes Christiani se fratres appellabant; & nunc eodem nomine se appellant Religiosi, vtpotè fratres in Christo, & filij vnius Matris, hoc est, Religionis, cuius Regulam sectantur. Voluit autem Saluator noster, fratres appellare corripientem & correptum: vt intelligatur, correptionem non ex odio ira, aut fine alio minus recto; sed ex spiritu fraternitatis, hoc est charitatis & misericordiæ debere procedere: cuius actum
2.2.q.33.a.1 ait S. Thomas, esse ipsam correptionem. Si enim charitatis est infirmum curare, nudum vestire, & egeno eleemosynam facere: multò maioris erit, ægrotantem in anima curare, & virtute induere ab illa exutum; & spiritualem eleemosynam indigenti elargiri. Ac proinde ipsa quoque correptio competit omnibus, quibus nomen fratrum applicatur. Quare primus locus corripientis competit Prælatis, & senioribus tanquam fratribus natu maioribus: & hoc nomine præcipuè ad illos spectat officium & munus corripiendi minores. Nam licèt ratione officij aut senij censeantur esse Patres: id tamé potiùs auget titulum & ius reliquos corripiendi, quasi filios suos. Quamuis etiam è contra (vt ait idem Sanctus) minor possit maiorem corripere, cum debita tamen humilitate, & reuerentia conuenienti. Si enim Prælatus aliquid
a.3.4.& 5. fecit dignum correptione: charitas incitat subditum vt eum moneat, & ab illo animæ detrimento eripiat: sicut etiam eundem impellit, ad suum Superiorem iuuandum, & corporis detrimento eripiendum. Ex quo fit, vt etiam peccator, qui non propterea desinit esse frater, corripere possit in aliquo deficientem: modò id cũ debita humilitate faciat, & à charitate stimulatus: agnoscens (vt ait S. Augustinus) suam propriã miseriã; & quod ipsemet eius
a Nu.22.28 remedio opus habeat. Et cũ vnus a *Angelus* reprehẽderit *Balaam* per *os asinæ*: non mirum est, si etiam peccator instrumentũ fiat, ad corripiendũ peccantẽ.
b Mat.7.4. Luc.6.41. Quamuis si peccator sit publicus, eiusq; improbitas manifesta: non ei competat munus corripiendi; poterit enim redemptor ei dicere: b quomodo dicis fratri tuo: sine eijciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo: c *hypocrita eiice primo trabem de oculo tuo; & tunc videbis eiicere festucã de*
c C. ũ ex iniũcto de Hæreti.

oculo

oculo fratri tuo. quasi ad rem nostram diceret: qui in anima habet scandalosi peccati trabem, non habet aspectum sufficientem, nec iudicium tranquillum, quale opus est habere, ad aliorum peccata corrigenda: prius itaq; agat de suipsius curatione, & tunc licebit etiam reliquos curare. Aptè autem tali conuenit nomen hypocritæ: quia talium correctio non prouenit ex charitate; sed ex superbia: & quia cupiunt haberi iusti, cùm peccatores reprehendunt: aut certè verbis, quæ proferunt, ostendunt se iustos: cùm tamen sint cæteris peiores. In qua re (vt ait S. Augustin.) vsurpant sibi munus iustorum, quibus incumbit vitia reprehendere. Li. 2. *de ser. Domini in monte c. 29 tom.*

§. 2. *Quæ sint corrigenda.*

MATERIAM Correptionis proposuit Christus Dominus noster, cum dixit: *si peccauerit in te frater tuus* &c. in quibus verbis omne genus peccatorum continetur. quamuis, si literæ corticē inspiciamus, videatur solū loqui de illis peccatis, quibus infertur iniuria ipsi corripiēti: de quibus potest ipse delinquentē corripere: nō animo honorem suū præcipuè tuendi; sed desiderio lucrandi animā fratris sui: eum impellendo ad pœnitētiam & satisfaciendum pro sua culpa: vt eius veniā obtineat. Et hūc sensum videtur S. Lucas respexisse, cū dixit: a *si peccauerit in te frater tuus increpa illum & si pœnitentiā egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die cōuersus fuerit ad te, dicēs: pœnitet me, dimitte illi.* In quæ verba SS. Ambrosius & Chrysostomus aiunt: Christum D. N. voluisse nos permouere ad cōdonandas iniurias, quibus ab alijs sumus affecti: monentes cū charitate afficiētem nos iniuria: vt illū peccati sui pœniteat, & se emēdet. Et in eundē sensū ait S. Augustinus, quare illū corripis? quia tu doles quod peccauerit in te? absit. Si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optimè facis. Vt autē maiorem in eum charitatem ostendas, dixit Saluator: *vade corripe eū*: hoc est, ne expectes donec ille ad te veniat petere veniam; sed vade tu, & illum quære: sicut medicus ad infirmū accedit; & corripe eum, vt à vulnere, quo seipsum læsit, sanetur: nā iniuria, qua te affecit, seipsum læsit: tu autem, si patienter iniuriā tulisti, māsisti illæsus. Et ipse æquiori animo feret priuatā tuā admonitionem; attēdens, re seruādi eius honoris causa non manifestare eius culpā. Et cū dicit Dominus: *vade*: etiam insinuat, non semper expedire fratrē corripere statim, atq; ille peccauit: quando scil. adhuc furor passionis feruet: sed tūc expedit tacere, & iuiuriā tolerare; & parū expectare donec motus exacerbationis cōquiescat; tempusq; habeat, pacatè aduertēdi iniuriā nobis illatā: & tunc opportunè quærendus est, vt corripiatur. Eum in modum, quo Deus D. N. cum peccauit Adamus expectauit, donec ille aduerteret, se b *esse nudum*; & nuditatem suam erubesceret, & *cooperiret se foliis ficus*: vt postea eum pro meritis corriperet, vt se emendaret. Et quamuis non parua sit

a Luc. 17. 3.

In Luc. c. 17 Hom. 6. in Mat. tom. 2. S. Hieron. Mat. 8. to 9 Salm. tom. 4 par. 2. Tr. 11 Serm. 16. de Verb. Dom. tom. 10.

S. Aug. li. 1 de Ciuit. c. 9 S. Dorotheus serm. 17.

b Ge. 3. 2. 7

virtus

virtus, patienter tolerare iniurias; easque condonare petenti humiliter veniam: Religiosi tamen, maioris perfectionis sectatores, non debent hoc solo esse contenti: siquidem in eodem conuentu habitant, aguntque inter se mutuò tanquam fratres: sed qui iniuriam accepit, misereri debet animæ eam inferentis: & si intellexerit, beneuolam suam correptionem fore aptum medium ad eum lucrandum, debet illum quærere; & hoc antidotum applicare, ne pereat.

SED vlterius progreditur vis huius præcepti fraternæ correctionis: extendit se enim ad omnia peccata, quæ fiunt contra Dei Maiestatem: cuius iniuriam, si perfecta cum charitate diligimus, debemus propriam nostram reputare. Si enim eius erga nos amor in causa est, cur dicat: c *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*; & qui vos persequitur, persequitur me: & qui vos contemnit me contemnit. Æquum erit, nos ita esse cum Deo charitate coniunctos vt qui ipsius honorem tangit, aliqua eum iniuria afficiendo: iudicemus etiam eum, oculorum nostrorum pupillas tetigisse; & qui ipsum contemnit, reputemus, etiam nos contempsisse. Et eandem ob causam (vt ait S. Augustinus) quodcunque peccatum in proximos admissum, censendum est etiam commissum contra nos: siquidem amor facit nos vnum cum illis, & omnes sumus eiusdem corporis membra. Et vt ait Apostolus: d *si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Ex quo fit, vt cùm peccatū est contra bonum commune: multò ampliùs censendum sit, esse contra nolipsos. Nam (vt ait Sanctus Thomas) bonum communitatis est bonum meum; & nostrum dependet à bono communitatis, cuius nos partes sumus.

c *Zach.* 2. 8.

Serm. 16 *de verb. Dom. tom* 10.

d 1. *Cor.* 12. 26.

2. 2 *q.* 47. *a.* 10. *ad* 2.

OMNIA hæc peccata continentur illo verbo *si peccauerit in te frater tuus.* Nam quicunque peccat contra Deum, aut proximum, aut contra bonum commune Ecclesiæ vel Religionis *peccat contra te*; & omnia illa sunt materia correptionis. Sed voluit Dominus noster hac loquendi forma vti: *si peccauerit in te*: vt doceret (ait Sanctus Augustinus) certò sciendum esse, quòd peccatum corrigendum, sit admissum. Idem enim est dicere *in te*, quod in oculis tuis, aut in conspectu tuo, aut te sciente: sic enim culpa sua te afficit iniuria, quasi in despectum illam inferens in oculis tuis. Et quoniam Christus Dominus noster loquebatur de occulto peccato, dixit tantùm: *si peccauerit in te*: nam qui in præsentia multorum peccat; in multos peccat: & culpa sua multos offendit, sicut dictum est.

Ser. 16. *ait.*

DENIQVE licèt præcipua correptionis materia sint peccata lethalia contra Præcepta aut vota, ob graue damnum, quod adferunt: est tamen etiam correctione digna, præcipuè inter Religiosos, frequentia peccatorum venialium, defectuum, & imperfectionum contra Regulas; & multò ampliùs, quando ex eis feruor imminuitur; & obseruantia ac disciplina Religiosa nã

tunc

tunc iam damnum esset graue, contra communeReligionis bonum. Quamuis enim non multum noceat, quod vnus aut alter silentium frangat: si tamen is defectus in omnes irrepat: id verò valdè pernitiosum esset tot communitati: nam huius Regulæ contemptus sensim introduceret contemptum reliquarum, & Religiosam relaxaret disciplinam.

§. 3. *Quando occultè, & quando publicè correptio sit adhibenda.*

CORRIPIENDI modum præscripsit Saluator noster, cum dixit: *corripe eum inter te & ipsum solum*: non manifestando alijs peccatum, quod tu solus nosti: quia vel te tantùm præsente, vel sciente factum est. Ea enim est Christi Domini nostri voluntas: vt omnes studeant seruare in magno secreto aliorum delicta: & magnam habere rationem honoris proximorum; & quidem multò maiorem, quàm bonorum eius fortunæ. Cum etiam dixerit Salomon: a *melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, b *& quam vnguenta pretiosa*; Et Ecclesiasticus, c *curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni*. Nominatim autem in Religionibus plurimi fit bona fama & opinio tam ad frænanda vitia, quàm ad excitandum animos ad virtutes, & ædificandos ac promouendos alios in bono. Quare, qui occulta correptione mederi potest culpæ, quam solus ipse nouit: non debet eam cum infamia delinquentis, alijs manifestare: id enim non esset mederi, sed deteriorem, magisq; noxiam eam reddere. Qui enim culpam admisit, vt suum tueatur honorem, negabit culpam, cuius eum mones, & irritabitur contra te, quasi eum infames. Est quoq; lex naturalis: d *quod tibi non vis fieri, nec tu facias proximo*. Cùm igitur in hoc casu, iure tuo nolles, alterum manifestare tuos defectus: nec tu debes aliorum defectus manifestare.

a *Prou.* 22.1
b *Eccl.* 7. 2.
c *Eccl.* 41.15

S. Tho. 2. 2. *q.* 33. *a* 7.

d *Tob.* 4.16.

HINC excipiendi sunt particulares aliqui casus qui magis hoc declarant, & moderantur. In primis enim (vt S. Augustinus ait) obligatio hæc non habet locum, quando ipsum peccatum est publicum: nam qui coram multis peccauit, ideoque illos offendit: dignus est, qui corripiatur & reprehendatur in præsentia omnium: iuxta illud Apostoli: e *peccantes coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant*. Et in Leuitico dixit Dominus: f *non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum*. Quamuis verum sit: quòd etiam, cum peccatum est publicum, correptio sit vtilior, quę fit in occulto: vt peccantis emendatio sequatur: licèt, quando etiam quæritur aliorum timor, & profectus, aut peccator est obstinatus, meritò debeat publicè corripi.

I.
Ser. 16. *sup. c.* 1.

e 1. *Ti.* 5 20
f *Leu.* 19. 17

HINC etiam prouenit, vt quando priuata correptio non sufficit ad emendationem delinquentis: progrediendum sit ad publicam, vt *corripiatur coram*

vno vel duobus testibus: vt ipse Dominus dixit; aut manifestando ipsum peccatum alicui, maiorem authoritatem ac dexteritatem habenti, ad eum corripiendum: quamuis hinc aliqua sequatur honoris & opinionis eius iactura. salus enim spiritualis animæ, pluris facienda est, quàm honor & opinio hominum: quare si vtrumque non potest conseruari simul: primum est secundo præferendum iuxta illud Christi Domini dictum: g *quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Cùm igitur ipsemet in causa sit, non acquiescens priuatæ correptioni: æquum est pœnam subire infamiæ, quæ oritur ei ex eius culpæ manifestatione, cùm eius remedium hac ratione speretur.

g *Matth. 16 26.*

3. QVARE, qui sciens fratris sui delictum, non habet talentum & necessariam aptitudinem ad eum corripiendum & potiùs existimat, admonitionem suam nihil profuturam: is, inquam, potest ac debet id alteri significare, de cuius prudentia & animi robore speret, quod possit hoc officio cum fructu fungi. Quamobrem licet Religiosis, in hoc casu rem totã ad Prælatum deferre: non tanquam ad iudicem, sed tanquam ad patrem. Nullus enim aptius poterit reparare defectum, aut occasionem, & radicem eius remouere. Ita expresè S. Basilius docuit his verbis. Quicquid est, in quo peccetur, referri ad Antistitem debet, siue ab eo ipso, qui peccatum admisit; siue ab ijs, qui illius conscij sunt. si illud ipsi curare nõ possint, & mederi eo modo, quo præceptum est à Domino, &c: Nemo sit ergo, qui peccato alterius latebras quærat, ne pro amore quem fratri debet, exitium illi conciliet. Quibus S. Thomas & graues alij Doctores addunt: quòd si is qui alterius peccatum nouit certò existimet: Prælatum multò melius, tutius & efficacius quàm vllum aliũ, posse peccatum corrigere: poterit, nulla alia via quæsita, statim ipsi Prælato rem manifestare: ordo enim correctionis prædictus seruandus est, quatenus à charitate, quæ ipsius ordinis est Regula, depẽdet. Eius autẽ perfectio exigit, vt maius spirituale bonum fratris præferatur temporali eius damno. Eam in modum quo medicus adhibet medicamenta acerbiora: eò quòd ea sint efficaciora ac tutiora: licèt potuisset tentare, adhibendo alia molliora.

D. Doroth. serm. 4.

Reg 46. ex Fusis.

Quod l. 11. a 13. Syluest. Correct q. 7 S. Bonauen. in Luca 17. Gabri. Lect. 74. in Can. lib. 5. Gerson 2 p. q. de Correct. proximi Tract. 54. S. Ant. 2. p tit 9. c. 8. & alij.

4. EST autem adhuc magis certum, quando culpa aut defectus cedit in aliorum detrimentum; & multò adhuc magis, si in boni communis damnum, bonamq; Religionis opinionem. Vt enim ait idem S. Thomas: in tali casu culpa non est contra ipsum solùm, ideoq; præceptum non loquitur de illa, vt teorsim corrigatur. Bonum etiam commune præferri debet particulari; & vt multorum bonum securum sit ac tutum, eligendum est optimum, & efficacius medium: siquidem hoc ipsum cedit in maius spirituale bonum patientis damnum temporale, si sic rectum, vt peccans id ipsum velit; & Religionis honorem particulari suo anteponat. ita enim S. Augustinus turpis

2. 2. q. 33. a. 7. Li 3 Cõfes. c. 8. tom. 1.

est pars.

est pars, quæ suo toti non conuenit; & quæ non se exponit cuicunq; periculo pro totius conseruatione. Et idem amplius confirmatur, nam qui Religionem ingreditur, sicut est Dominus bonorum temporalium, ita est sui honoris ac famæ: ac proinde potest in ipsam Religionem, dominium suæ famæ transferre, sicut bonorum temporalium. Et, cùm ordo fraternæ correctionis sit constitutus ad eius famam conseruandam: potest ipse iuri suo cedere: & offerre Deo suo ac Religioni generosam hanc voluntatem: vt omnes sui defectus possint Prælatis manifestari, per quemcunq; qui illos extra Confessionem cognouerint, in eum finem, vt illi ipsos corrigant, ac dirigant, sicut ad obsequium Diuinum magis expedit. Quare in quacunq; Religione talis esset Regula, tenentur Religiosi eam seruare, eiq; acquiescere: gratias Deo agentes, quòd talem ipsis dederit voluntatem ad consequendam maiorem excellentia humilitatem, puritatem, & Euangelicam perfectionem. Omnia prædicta debent etiam intelligi, quando materia est grauis: nam de leuioribus defectibus dubium non est, vt ait S. Thomas, quin sit valde laudabilis consuetudo Religionũ: vt in suis Capitulis, & locis ad id deputatis, etiam nulla præcedente admonitione priuata, manifestentur huiusmodi defectus ad maiorem humilitatis exercitationem, & mortificationem propriã.

5.

2.2 q. 33. a. 7. ad 4.

CAPVT XVII.

OB QVAS RATIONES TENEATVR QVIS CVM *charitate corrigere aliorum defectus; & ipsam correctionem cum humilitate acceptare:*

EX DICTIS IN PROXIMO CAPITE deducere licet summam quandam rationum ac titulorum, quibus Religiosi tenentur in suis Religionibus adhibere cum charitate hanc fraternam correptionem; cuius eadem esse debet præcipuus finis, nec alius ei contrarius vllo modo quærendus.

PRIMA RATIO sine *primus titulus* est, bonum spirituale fratris peccantis. Si enim a *vn cuique Deus mandauit de proximo suo*, id est, commendauit, rationem boni eius habere: quantò magis idem censendus est, commendasse de eo, qui tot titulis est proximus & frater noster? Et cum correctio sit opus amicorum, dicente Ecclesiastico b *corripe amicum*: quò amicitia est maior: eò magis correptio est adhibenda. Cùm igitur Religiosi arctam adeò inter se profiteantur amicitiam: æquum est, vt eam ostendant, & exerceant in defectibus mutuis corrigendis; vt sic magis conseruetur amor, cum morum probitate. Et qui omittit corripere amicum prætextu pietatis: hæc ipsa pietas & mansuetudo, ait Sanctus Augstinus,

a Eccl. 17. 12.

b c. 19. 21. *Cap. 23. Re. habetur* 5. q. 5. c. 1. *Epist.* 50. *ad Bon. refer. ur* 2. q. 4. c. *ipsa pietas*

Re.46. Fus. ingens est crudelitas: sicut crudelis est, qui negligit ægrotum curare, ne illi contristet ac propterea ille moriatur. Ita ait S. Basilius: qui omittit corrigere fratrem suum, crudelis est: cum enim potuerit spiritualem eius mortem impedire, id non fecit.

2. SECVNDVS *titulus* est, propter honorem ipsius Dei, & vt eius patrimonium ex lucro animarum augeatur. Filij enim consulere tenentur honori parentum; & attendere ipsorum donis & facultatibus. Si videres c *ouem aut iumentum* amici tui *errare*: curares *reducere ad eum*, quod in lege veteri iubebatur, etiamsi iumentum esset *inimici tui*: si igitur vides Christi Domini ouem errantem: iustum & æquum est, vt studeas, eam ad suum gregem reducere: id enim est quasi eam lucrari, & reddere Domino suo. Ex quo fit: vt, qui negligit peccantem corrigere: ipsum Deum afficiat iniuria: quam obiecit ipse Deus Heli Sacerdoti: eò quòd filios suos, non vt oportebat corripuisset: d *magis* (inquit) *honorasti filios tuos, quàm me*: cùm non impediuisti dedecus, quod ipsorum causa in me redundabat.

c Exod. 23. 4

d 1. Re. 2. 29

3. TERTIVS *titulus* est ingens detrimentum, quod euenit aliis Religiosis: qui facilè vnius peccato inficiuntur; nisi correctio adsit, qua illud emendetur. Nam, vt ait S. Chrysostomus, modicum fermenti totam massam corrumpit, & improbus aliquis, qui permittitur impunitus, reliquis nocet; & scabiosa ouis, nisi separetur, totum inficit gregem: ita, inquit Origenes vnus quilibet aliquod impingit delictum, inficit tanquam pestis totam plebem: & multò magis improbus aliquis Religiosus nocet toti Conuentui, ob maiorem Communicationem, quam Religiosi inter seipsos habent, & quia imperfecti liberiores fiunt, vt audeant in multos defectus prolabi, cùm vident, neminem adesse, qui corrigat. Et vt S. Bernardus ait, vbi non timetur reprehensor, securus accedit tentator, & facilius perpetratur iniquitas. Et licèt ita esset, quòd vnius peccatum non inficeret reliquos, est tamen adhuc necessaria correctio, vt euitentur damna, quæ adfert contra honorem, aut pacem, aut quietem, aut commoditatem reliquorum.

Hom. 15 in 1. Cor. 5.

In Iesu. c. 7.

Ca. 8 de inst. domo.

4. HINC *quartus* titulus, & quidem præcipuus oritur, obligans ad corripiendum propter bonum scilicet totius Religionis, quod pendet ex bono particularium Religiosorum, & hoc etiam dependet ex communi omnium bono, absq; læsione conseruato. Et ita veri Religionis filij tenentur zelare bonum matris suæ; & hoc medio reijcere quicquid illi nocet. Nemo (ait S. Bernardus cum fratribus suis loquens) vitia palpet; peccata dissimulet nemo. Nemo quod in se est æquanimiter ferat cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere, cum arguere possis. Et cum Religiosi adeò sint coniuncti, & inter se vniti, peccatum vnius non solùm reliquis domesticis nocet; sed etiam, si innotescit, scandalizat seculares: nam

Serm. de S. Ioan. Baptist.

nam

nam malum, quod vnus facit, attribuunt omnibus vt S. Augustinus perpendit: & sic adfert Religioni ignominiam & bonum eius nomen læditur & obscuratur. Idque totum tribuitur potenti adhibere correctionem, nec facienti: & quod maximè terret, est, quod propter furtum solius Achan in exercitu Israël dixit Deus: *peccauit Israël, & preuaricatus est pactum meum.* Quod peccatum cùm esset occultum, grauissimè tamen illud in toto exercitu puniuit: vt tandem manifestaretur; &, qui reus erat, puniretur; si enim ille fuisset impunitus; lepra illius reliquos infecisset. Quantò igitur ampliùs id est timendum in Religione, cuius milites adeò sunt coniuncti: vt vnum quid esse censeantur? Quare si quis eorum est proprietarius; aut inhonestus; nec tamen corripitur: hæc culpa quodammodo inficit & maculat omnes.

Epist. 87 ad Hypolit. S Bonau. q. 16. super Reg c Iosue. 7. 11

5.

EX HIS omnibus deducitur *quintus* titulus, qui obligat ad vitia corripienda in bonum scilicet ipsius corripientis: vt pericula ac damna euadat, quæ suo silentio incurreret; vt impleat, quod Deus in suo Euangelio iussit; & Religio in suis Regulis constituit: & sic se ostendat etiam in hac Regula obedientem, etiamsi in ea seruanda aliquam sentiat difficultatem. Nam, vt S. Augustinus monet; sæpe iusti negligentes correptionem peccatorum, easdem pœnas subeunt, ac difficultates temporales; quas ipsi, qui peccauerunt. Ad incutiendum verò timorem: sufficiunt illa eiusdem Sancti verba: si neglexeris corrigere: peior factus es eo, qui peccauit. per illam enim negligentiam aut legis contemptum, oneras te peccato alieno: quod quasi proprium tuum fecisti, non impediens illud, cùm posses: & charitatis legem conculcas, quæ iubet, fratri tuo prospicere, ne periret.

Lib. 1. de ciuit c. 9.

Serm. 16. de verb. Domi S. Tho. 2. 2. q. 33. a 3.

§. 1. *Excessus in ipsa correctione.*

SED QVONIAM excedere potest corripiens terminos charitatis, dum suæ obligationi vult satisfacere: operæ pretium erit aliquos tales excessus insinuare. *Primus* est: si quis solicitus esset in quærendis peccatis, aut defectibus aliorum, zelo quodam indiscreto remedium eis adferédi. Quod est contra mentem Christi Domini nostri. Vt enim ait S Augustinus: voluit Christus Dominus, nos non obliuisci correctionis: non quærendo, quid reprehendas: sed videndo: quid corrigas: cùm id occurrerit. Vlteriùs enim progredi, esset aliorum vitam velle scrutari, contra præceptum Spiritûs sancti dicentis: a *ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neq; vastes requiem eius.* Quod tamen censendum est dictum de subditis, quibus ex officio non incumbit, alios regere, aut adiuuare. Prælati enim bene possunt, imò tenentur inuigilare, & attendere: an inter suos subditos aliqui sint defectus reparandi, siue id faciant monitis generalibus, quemadmodum fecit Patriarcha Iacob conuocata omni domo sua, cui dixit: b *abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt.* quam sententiam suo loco explicuimus: siue etiam in particulari,

Serm. 16 de verb. Domi S. Tho. supra a. 2. ad 4 Lib. 1. de Do Chr. Christ c. 28. 13. a Pro. 24. 15

b *Gen. 35. 2 Tom. 2. tra. 3. c. 5.*

inquirendo de vita & operibus aliquorum, cum sufficientia adsunt indicia, ad huiusmodi inquisitionem.

ALIVS etiam esset excessus: si quis vellet omnes defectus corrigere, cùm deprehenduntur; non attenta qualitate ac dispositione personarum, nec habita ratione loci, temporis, & opportunitatis, aliarumque circumstantiarum: quas prudentia obseruat, vt correptio fiat sicut oportet; & nominatim, an sit spes fructûs, & emendationis? quæ omnia simul obseruare adeò est vulgaribus hominibus difficile, vt S. Augustinus obserit; ratò, & in magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt. Ita tamen, vt in ijs ipsis, non nobis, sed Domino, vt seruiatur, instemus. Ac propterea, ordinariè loquendo, præstat recurrere ad eos, qui possunt rectè cum zelo ac prudentia peccantem corripere. Quales sunt Prælati, Confessarij, & Seniores, ac viri Spirituales. Quemadmodum Apostolus insinuauit Galatis dicens: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Spirituales vocat, viros perfectos & bene instructos in rebus Religionis, & habentes cœlestem Dei lucem, ad rectè de rebus omnibus iudicandum, vt idem Apostolus alibi insinuauit, dicens: *Spiritualis iudicat omnia:* rectè scilicet discrimè rerum ac personarum obseruantem; sicut, qui sanus est corpore, rectè de saporibus iudicat. Ne autem spiritus feruens aliquem præcipitet adiecit Apostolus: instruite in spiritu lenitatis, e *misericordiæ* & mansuetudinis: ita vt memor sit corripiens suæ imbecillitatis; ob quam & ipse eisdem tentationibus subiectus, labi potest.

DENIQVE omnes prædictæ rationes suadent: Prælatos seuerius obligari ad corrigenda vitia suorum subditorum: siue id faciant tanquam Patres, aut priuatæ personæ, sicut hactenus diximus; siue tanquam Prælati & Iudices, punientes vbi opus erit ipsos delinquentes, vt emendentur & alij cautiores fiant: sibi persuadentes, multum ex hac ipsorum cura, & vigilantia dependere bonum Religionis. Nam, vt S. Bonauentura ait, discrimen inter laxas & reformatas Religiones non tam in eo est, quòd in alijs sint defectus, & non in alijs: nam ordinariè defectus inueniuntur in omnibus: sed in eo, quod laxæ, defectus dissimulent; & peccantes non corrigant, nec puniant: ex quo defectus sumunt incrementa, donec ipsam Religionem destruant. At reformatæ statim atque defectum aduertunt: emedium adhibent, & puniunt delinquentem: quod est proprium munus Prælatorum: vt fusiùs dicemus in speciali tractatu de eis instituendo.

Li. 2. de ser. Dmin in mont. c. 19. ad finem cm. 4 c

Galat. 6.1

1. Cor. 2. 15

c Psal. 140. corripiet me iustus in misericordia.

S. Thomas supra a. 3.

Opus de sex alas Seraph. c. 4.

Tom. sequ. tract. vlt

§. 2 *Ob quas rationes correctio sit æquo animo toleranda.*

QVINQVE supra posita rationes, quæ obligant ad correptionem faciendam, etiam habent locum in ipsis corripiendis: vt correptionem admittant, & fructum ex ea capiant, propter eosdem fines & motiua. *Primum* igitur motiuum est, bonum spirituale animæ propriæ: quemadmodum (ait sanctus Basilius) ægrotus medicamentum etiam acerbum acceptat, vt sanitatem obtineat; neque irascitur in medicum aut chyrurgum: potiùs enim gratias illis agit, ob acceptum ab illis beneficium, quo est à periculo, in quo versabatur, liberatus. Ac propterea dixit Ecclesiasticus: a *quam bonum est, correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugiet voluntarium peccatum*, hoc est, sponte commissum.

HIS accedit, quòd correctio non solùm à culpa liberat, sed occasionem præbet magni emolumenti: incrementi scilicet humilitatis, patientiæ, & charitatis. Quare qui cupit esse perfectus, correptionem, vt ait S. Bernardus, reputare debet portionem de cœlo sibi aduenientem, quasi studium, & beneuolum Dei fauorem; ac propterea meritò deberet obsequium aliquod & operam suam corripienti offerre, in signum animi grati. Neque est paruum indicium, quod correptio sit magnum Dei beneficium: siquidem in magnam pœnam, eam prohibet fieri ijs, qui parum ex ea proficiunt. Et ita minatus est per Oseam Prophetam, dicens: b *vnusquisq; non iudicet, & nã arguatur vir; populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti. Et corrues hodie & corruet etiam Propheta tecum*, qui tibi blandiebatur. Et per Ezechielem ait: c *auferetur zelus meus à te, & quiescã, nec irascar amplius in te.* Sed hæc est summa Dei indignatio, quæ tendit in iram & supplicium æternum; & pro reprehensione, quam nunc non permittit; adhibebit seueriſſimam in die iudicij nouissima, coram mundo vniuerso ad confusionem & cruciatum intolerabilem. Ac propterea Ecclesiasticus eò vsque peruenit, vt diceret: d *qui odit correptionem, vestigium est peccatoris*, hoc est, Dæmonis: signum est enim, quòd ipsum Deus dereliquerit; & quod breui eò perueniet, vt æternum sit eius in inferno socius. Contrà verò, qui eam humiliter acceptat, Deum honorat: quia pœnitentia ei restituit honorem, quem peccando abstulerat; eiusque amore humiliat se corripienti. Aedificat etiam valde fratres suos, damnumque reparat, quod illis & toti communitati malo suo exemplo attulerat. Etsi enim imbecillitatem suam prodidit, impingendo: ostendit tamen humilitatem, & patientiam tolerando reprehensionem; & fortitudinem, vincendo seipsum: ne quid ad suam excusationem loquatur, sed per emendationem relargat. Quod si honorem aut opinionem peccando amisit: his virtutibus, quas exercet, dum corrigitur illam recuperat. Et in

hunc

Tom. 1. Tra 3. c. 9. actum fusiùs.

1.

Reg. 51. ex Fusis

a *Eccl. 20. 4*

2.

In doct. spir. habetur ad finem operũ

3.

b *Osee 4. 4*

c *Eze. 16. 42*

d *Eccl. 21. 7*

4.

5.

6.

hunc sensum dixit Ecclesiasticus: e *meliorem esse iniquitatem viri, quam mulierem benefacientem.* Vir enim feruēs, si peccat, ex suis culpis occasionem accipit magnorum meritorum, exercens varios valdeque heroicos actus, in correptione, & Confessione earum. Nec minus honoris f *Moyses* obtinuit, quòd se subiecerit correctioni Soceri sui *Iethro*: quàm in tot præclaris factis noribus, quæ ediderat in Ægypto. Et, si g *Dauid* magnam fecit iacturam propter *adulterium & homicidium*; non tamen paruum acquisiuit honorem, cum adeò demisse *Nathan Prophetæ* correptionem acceptauit. Et sæpe Deus permittit huiusmodi lapsus ac defectus in seruis suis: vt harum virtutum alijs præbeant exemplum; & eisdem exercendis ipsi proficiant. In hodiernum vsque diem (ait S. Chrysostomus) perdurat in Ecclesia Dei bonus sanctorum horum virorum odor: qui ex reprehensionibus adeò bene profecerunt: Et vt suprà dicebamus: antiqui Patres solebāt exercere Monachos, etiam seniores huiusmodi reprehensionibus, etiam obleues defectus; vt & ipsi proficerent, & alios humilitatis & patientiæ suæ exemplo ædificarent. Sicut enim h *Nardus* vsitatum *suum* emittit *odorem*: ita (ait S. Bernardus) Religiosus reprehensus emittit ex se suauem odorem, humilis cōfessionis, mitis responsionis, aut verecundi silentij: quibus valde confortat circumstantes. Sicut è contra, qui ægrè fert correctionem, ostendens impatientiam, & adferens excusationes, aut insipida responsa: suas culpas auget, & scandalum fouet; prauusque odor, quem ex se emittit, contristat feruentes, animum adfert corripientibus, & ipsos cruciat Prælatos: &, quantum in se est, bonum commune destruit. Nam (vt ait S. Chrysostomus) maximum Religionum & Ecclesiæ damnum prouenit ex non bene acceptatis correptionibus: & ex eo quod propterea non sit, qui audeat corripere: memores eius, quod dixit Sapiens: i *noli arguere derisorem, ne oderit te*; & medicina reddatur deterior. Nec tantum detrimentum accipit Religio à culpa, quantum ab hac repugnantia & incorrigibilitate: quæ suprema existimatur miseria. Ex quo fit, vt qui grauiter fert reprehensionem; quasi volens suum tueri honorem; maiorem eius iacturam faciat. contrahit enim magnam notam, non solùm ob suum peccatum; sed maximè propter obstinationem. Et quamuis hæc resistentia fiat occultè; & inter paucos: idem tamen sequitur detrimentum. Tunc enim locum habet obligatio Euangelici præcepti, dicentis: *si non audierit: dic Ecclesiæ.* hoc est, Prælato, tanquam Iudici, qui Ecclesiam & Religionem ipsam repræsentat. Cui si fratris peccatum hac ratione dicatur: idem est, atque si toti Religioni manifestetur. Nam, cùm agitur via iuridica, & per informationes, ac testes; necesse est culpam promulgari: & ipsa pœna eam facit magis manifestam: qua pœna illata, ille manet infamis adeò, vt habeatur *sicut Ethnicus & Publicanus*; & quasi ab ipsa Ecclesia ac Religione

c Eccl. 42. 14.

f Exod. 18. 18. 24.

g 2. Reg. 12. 13.

Hom. de ferendis reprehension. tom. 2. Tru. 5. c. 4.

h Cant. 1. 12. Ser. 40. & 41. in Cant. & Ser. 4. de Assumpt. c. 7.

Suprà.

i Prou. 9. 8.

8.

alienus

alienus, & infamis peccator; vt etiam ab ea dimittatur; & quasi incorrigibilis ejiciatur: aut permittat Deus ipsum tanquam Apostatam habitum Religionis abijcere.

AB his omnibus miserijs & alijs, (quas fusè proposuimus in Tomo primo Tract. de Confess.) liberatur, qui correctionem amplectitur; & sic se ostendit filium Ecclesiæ & Religionis, quam vt matrem agnoscit: consulens eius honori: vt locum in ipso habeat promissio Dei facta per os Zachariæ Prophetæ, dicentis: k *Dominus protegit habitatores Ierusalem, & erit qui offenderit ex eis quasi Dauid.* Qui, cùm corriperetur, sese humiliauit, culpam suam agnouit, & pœnitentiam egit: *& domus Dauid, quasi Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum omnium.* Familia enim huiusmodi Religiosorum, qui cadunt sed postea surgunt, erit quasi Domus Dei in terra, digna eius amplitudine & magnificentia: quia ostendet in eos magnam suam liberalitatem & misericordiam: & cauti facti ex lapsu, euadent tanquam Angeli Dei, puri, obedientes, fortes, & constantes, ac perseuerantes in custodia Votorum suorum: idque cum tanta perseuerantia, & firmitate, vt condant cœlestem Ierusalem; fiantque viua, æternaque Dei domus in societate Angelorum eius regnantes cum ipso in æternum.

FINIS TERTII TOMI.

INDEX RERVM PRÆCI-PVARVM HVIVS TOMI TERTII.

A.

ABbatis Pinusij ad quendam nouitium sermo memorabilis 315
Abiecta & difficilia religioso potius sectanda quam honorifica 473
Abraham typus perfectorum 433
Abstinentia duplex iudicium exercet 153. multos habet fines, quosdã bonos, quosdam malos 154. eius varia bona 152. varia genera 154. interna perfectio 153
Abstinentia exterior eiusque perfectio in quatuor consistit 156
Abstinentia â vino 121
Ambulare post Deum, cum Deo, & coram Deo quid sit 427
Amor sui ipsius duplex 24
Anachoretarum ordo prima columna domus Dei 179
Andreæ Episcopi cuiusdam tentatio 111
Angelus custos socius noster 120
Anima casta hortus conclusus 117
Anno probationis finito, nouitij aut admittendi, aut dimittendi 337
S. Anselmi visio 257
Appetitus non cibus in vitio est, idque exemplis probatur 153
Arca Noe Eccl. & status religiosi typus 265
Arietes, boues, & hirci cur olim à Iudæis sacrificati 191. à Christianis spiritualiter offeruntur, præcipuè à religiosis ibid.
Auari temperantes sunt, sed ne sumptus faciant 154
Author status religiosi Christus 169

B.

S. Basilius lumen Monachorum in Oriente 541
Basilius quidam magus, Monachus factus & cur 301
S. Benedictus & Franciscus spinis se iniecerunt ne perderent castitatem 119
Benedictus lumen Monachorum in Occidente 541
S. Bernardus quomodo nobilem quendam luxuriosum ad castitatẽ perduxerit 107 non solus venit ad Religionem, sed multos secum adduxit 148 fratrem suum Gerardum ex necessitate Monachum futurum prædixit 171
S. Bernard & Monachorum eius modestia 146

C.

CAlix salutaris varius 401
Calix tribulationis à quibus impletur 402
Carmelus qualis mons 431
Carlomãn Principis humilitas 472 & seq.
Castitas quantò melior matrimonio 9, varios complectitur status, & quorum 46 voto firmata quam præstans 77. & quam constans 80. finis abstinentiæ 57. est quasi holocaustum 192. eius encomium 51. pulchritudo 60. currus & totæ ibid.
Castitas perfecta est prodigiosi virtus 98
Castitas religiosa quàm firma 478
Castitatem non vouere præstat, quàm post Votum violare 84
Castus quando quid censebitur 125
Centuplum religiosis promissum quantum præmium complectatur 215. & seq. eius septem præcipua bona 215
Charitas fraterna abstinentiæ iungenda 157
Charitas finis omnium præceptorum 561
Clausura qualis esse debet in Monast. 437
Christus Voto firmauit suam obedientiam & paupertatem 170
Christus Samaritanus & cur 7 magni consilij Angelus quomodo 10. illustre exemplum mortificationis 434. eius cautela in agendo 120. verba ad S. Franciscum de Monachis 186
Christi domus exẽplar vitæ monasticæ 365
Christianus debet esse perfectus & cur 9
Circumcisio quomodo fiebat 43
Clericalis ordo septima columna in domo Dei 180
Concubinatus pœna eorum qui diu luxuriati sunt 29

Commu-

Communio in cibis vitanda præsertim religiosis 160
Communio frequens medium ad seruandã castitatem 90
Coniugati multi perpetuam castitatem seruauerunt 47. religionem intrarunt 245
Cõsanguinei magni hostes religiosorũ 324
Consanguineorum amor hostis religiosorum maximus 681 quibus gradibus crescat ibid. quomodo vincendus 683. aduersus eos quomodo pugnandum 324 & se.
Conscientiæ ratio quo spiritu reddẽda 346
Consilia Euangelica duplicia 1. cur ita dicta 2. cur amplectenda 3. & seq. quædam sunt præceptis annexa 14
Consilium & præceptum quomodo differant 3
Consilium petendum ab ijs qui non nostra sed nos diligunt 360
Continentes videtur steriles, sed nõ sunt 66
Cirrus luxuriæ D. 54
DElicias non esse quærendas in religione idque si fiat Deo non placere 173
Deus variis modis dirigit vocationem ad perpetuam castitatem 86. propriè vocat quosdam ad statum religiosum 234. variè tentat, & cur, & quomodo 341
Diaboli assiduitas & calliditas in tentandis hominibus præsertim castis 118 tria militum agmina contra statum religiosum 184
Diabolus Pharaonis astutiam vsurpat contra religiosos 314 item ipsius violentiam imitatur 322
Dilectio proximi quomodo interpretãda 24
Dilectionis quinque circumstantiæ 27
Discrimen picturæ & sculpturæ 430
Dissensionis inter Monachos radices 77 remedia 79
Dives an possit esse perfectus 449
Diuites sibi viuunt, religiosi Deo 175. quomodo saluari possint 263
Diuina exercitia deuotè obeunda 758
Doctrina Euangelica panis arctus 201
Documenta ad seruandam castitatem necessaria 110
Dulcedo spiritualis initio conuersionis nõ est tuta, neque perpetua 373
Duo lumina Monachorum, vnum in Oriente alterum in Occidente 540 & seq.
Duplex modus, vocationis ad statum perpetuæ continentiæ 85
Duplex ingressus in religionem 897
E.
EBur symbolum castitatis 49
Ebrietas quàm mala 161
Ecclesiæ primitiuæ Christiani veri religiosi & quomodo 321
Episcopus lingua priuatus loquitur, sed lapsus in luxuriam obmutescit 128
Episcopis non licet absque dispensatione intrare religionem 245. Quidam tamen intrarunt, sed præuia licentia ibidem
Escarum qualitas 159
Excessus in potu vini quæ mala adferat 161
Exemplum sacerdotis cuiusdam luxuriosi horrendè puniti 133
Extrema duo vitanda in abstinentia, quibus 159. duo circa sumptionem cibi 164
F.
FAlsæ charitatis effectus 711
Falsæ resignationis quatuor indicia 541
Fauores varij, quibus Christus paupertatẽ spiritus est prosecutus 440 & seq
Ficus bonæ & malæ imago obedientiæ & inobedientiæ 536
Filii & mancipia quomodo differant 4
Filij Prophetarum olim qui & quales 172
Fœminis cohabitare periculosum est 110
Fluuius rapidus & cœnosus sancto Anselmo ostensus quid designauerit 257
S. Francisci tentationes & fortitudo 317
Fuga fornicationis non est timidas sed fortitudo G 479
GAudium religiosorum, eiusque causæ 294. & seq.
Gedeon in exercitu suo habuit tria militum genera, & quos ij designent 334
Gerardus frater P. Bernardi quomodo & qualis ex milite Monachus factus 273
Gratia vocationis diuinæ ad perpetuam cõtinentiam adferi sufficientia auxilia 87
Gratitudo quæ virtus & eius munus 13
Gula quando perfectè vincatur 153
H.
HAeretici impugnant statum religionis tanquam diaboli milites 154

Homo si cogitet se esse miserum & ipsum nihilum ex seipso, humilitatem poterit conseruare 457
Humilitas seruandæ castitatis optimum medium 91. qualiter seruanda 94. eius supremum culmen quomodo obtinendum 474
Hypocritica abstinentia tribus modis prosterruit Religiosos I. 154
IAcob Patriarcha typus eorum, qui ad Religionem vocantur 284. ei quando regnum Dei ostensum ibid.
Iac. Laines pietas in cõfirmãdis votis 409
Idola sęcularium 217
B. Ignatius Loiola diuina prudentia scripsit suas constitutiones 197. eius rei quatuor causæ 198. cum Basilio & Benedicto in quo concordet 543
Immodestia prodit castitatem 149. inhabilem reddit ad orationẽ 150. eius dãna 148
Immodesti quasi Leprosi 149
Incarnationis beneficium quantum 5
Inimici quomodo diligendi 30
Iniuriam obliuisci optimum esse etiam Gentiles agnouerunt 21
Iniuriam vlcisci non licet, sed vindictam a superiore expetere licet, sed absq; odio 20
Ioannes Baptista typus & exemplar Religiosorum 173
Inobedientia quàm noxia, eiusque varia damna, incommoda & supplicia 501. & seq. varij gradus 512
Israelitarum egressus ex Aegypto typus vitæ Religiosæ 309
Iter trium dierum in Religiosis quid 309
Iudei Nabuchodonosori se subijcientes typus obedientium 533
Iudicium tria complectitur 39
Iudicij proprij proprietates 522. quomodo se palliare noverit ib. & seq.
Iuramentum aliquando licitum, aliquando non & quomodo 38
Iurare per creaturas Christus vetuit, non autem per Deum & cur 41
Iusti sæculares & boni Monachi quomodo differant 431
Iustitia & sanctitas Religiosorum in quibus consistat 290
Iustos & peccatores vocat ad Religionẽ 283
Iuuenis cuiusdam principis prudens responsum. 270
Iuuenis cuiusdam prompta & cæca obedientia I. 514

LApsorum in luxuriam magna & horrenda miseria 125
Leænæ capiendæ modus 92
Lilium Virgines designat 48. sex habet folia & quid ea designent ibid.
Lites sunt licitæ & aliquando necessariæ 81
Locus nõ facit aliquem securum & cur 637
Loth cur Sodomam ardentem non debuerit aspicere 351
Luxuria quid sit 52. habet sub se multos milites 54. quomodo & quibus medijs decipiat homines 169. eius decem fructus 54. septem species 50 duo genera 92
Luxuriosi facile casti effici possunt 105 quibus similes sint cum decipiuntur 126. eorum pœna A 13

MAli Monachi pessimi persecutores statũs Religiosi 185
Manifestare seipsos superioribus debent monachi, & qui, & quot eiusmodi fructus 539. & seq.
B. Maria Virgo singularis propugnatrix Religiosorum. 228
Martinianus quomodo tentatus 118
Melchisedech forma & typus Religiosorũ 310
Mendicantes cur à Deo excitati 180
Militares Ordines quinta columna domus Dei 179
Militum luxuriæ duæ classes 54
Misericordia quę virtus, eiusq; officium 13
Modestia fundamentum castitatis 142. custos & protectrix eius 144. magnam adfert homini authoritatem 145. multum ædificat Ecclesiam 146. reddit hominem aptum ad agendum cum Deo 147. eius species 142
Monachi, quidã Marthæ similes in quo 728
Monachi sæpe debent regulas suas legere 549. & exactè seruare 553
Monachorum ordo secunda columna domus Dei 179
Monachi cuiusdam factum quo luxuriam repelleret. 59

Monachus quomodo possit vti rebus necessarijs absque vitio proprietatis 457. tres debet facere renunciationes 472
Monachus amans suos consanguineos statuæ similis 682
Monachus in sua religione debet perseuerare 417. nec alios ordines temerè iudicare 420
Monachus professionem facturus quas debeat habere virtutes 343. debet tendere ad perfectionem 423
Monialium violatores quàm grauiter peccent 81
Mons myrrhæ quis, & quis ei similis 413
Mors efficacissimum medium vocationis diuinæ 264
Mortis tempore quæ agenda 277
Mortificatio seruandæ castitati necessaria 90. religioso necessaria 430
Motiua varia ob quæ religiosi debent perseuerare in suo statu 410
Munusculorum acceptio in monasterijs multa adfert incommoda 460

N.

Necessitatis vocatio quæ 271. qualiscunque sit, à Deo esse & non reijciendam 273
Nobiliores nouitij æquè strictè probandi atque alij & cur 367
Nocturnæ illusiones quã metuẽdæ 122. & s.
Noë Dei fauorem expertus cur arcam fabricare iussus est 265
Nosse seipsum valdè difficilè & cur 540
Nouitij etiamsi gestent habitum, non sunt tamen adhuc Monachi 307. omnia debẽt perfectè relinquere, & quomodo 321. cur quidam ad sæculum redeant 351 cũ magno feruore debent aggredi suum statum 369. eorum magna fortitudo requitur in quatuor rebus 308 & seq. sex eorum oppugnatores qui & quales 313. quorundã nequitia 361
Nuptiæ cum Christo quàm intimæ & iucundæ 73. in ijs varij sponsarũ gradus 74

O.

Obedientia quæ virtus 13, medium ad seruandam castitatem 89. abstinentiæ iungẽda 156. fouet castitatem, inobedientia fouet luxuriam 481. causa omnium nostrorum meritorum 490. facit magnanimum 495. est certa, secura, breuis, suauis & efficax, & quomodo 496. eius votũ est holocaustũ 192. varia bona 497. & seq. varij & optimi effectus 527. integritas & perseuerãtia 553.
Obedientia quam debeat esse pura, hilaris & prompta 538. eius excellentia 50
Occasiones nos scandalizantes duplices 19
Occupationum multitudo spiritum obruit 730. quatenus vitanda ibid
Optima Deo eligenda & offerenda 17
Oratio vtraque mentalis & vocalis quàm necessaria Religioso 733. quàm attentionem requirat 734 quibus modis feruens efficiatur 735. eius distractio quomodo euitari debeat 737
Oratio medium ad seruandam castitatẽ 85
Oratio & gratiarum actio ante & post cibum 166
Ordines religiosi septem virtutibus tanquã colũnis innituntur P. 18

Parentibus ingressum Religionis impedire volẽtibus quomodo resistendum & quid respondendum 329. & s.
Pauperes solo titulo qui & quales 455
Paupertas fundamentum Religionis 49. eiusque primum votum ibi tutior via ad cœlum quàm diuitiæ 441. à Christo valdè honorata 440. omnia superflua reijcit 462. quatuor habet filias 463 etiam à necessarijs sibi temperat 460. eius varij gradus 452. tres modi. 453
Paupertas spiritus quàm præclara 441. in quo consistat 457
Pauperes spiritu qui 440
Perfectio Christiana in quo consistat 9
Perfectio in sæculo an obtineri possit 316. scopus omnium monachorũ 560. in quo consistat 566. eius quatuor gradus 561
Perfectæ pacis duæ vniones 26
Pharao duabus diabolicis artibus vsus ad impediendum egressum filiorũ Israel ex Aegypto 314. typus diaboli in quo ibi.
Philosophi quidam pauperes se fecerunt, sed non sanctos 454
Phrasis hominis veteris, arrogantia & mur-

muratio 565
Pœna luxurioſorum 231
Pœnitentia quæ virtus 13
Portæ iuſtitiæ quæ 308
Præcepta negatiua ſemper & vbique obligant, affirmatiua non ſemper 10
Præcepta qua diligentia adimplenda 15
Prælati ſuos tentare debent 333. iuuare nouitios 385. tanquam Deus audiendi 521
Prælatorũ recta gubernatio tria exigit 519
Principes multi religionem mutarunt 243
Priuilegia ſtatûs religioſi 42
Probationis varia commoda 308
Proprietas in monacho ex tribus agnoſcitur 457
Proprietarij Monachi leproſi 131
Pugna prima eorum qui caſtitatem vouerunt eſt ſui ipſius confidentia 93
Pugna ſpiritualis ſi tepidè incipiatur ſignũ eſt perditionis Q 379
QVatuor perfectionis gradus 561. & ſeq.
Quinque gradus mortificationis in votis 432
Quinque circumſtantiæ veræ amicitiæ 255
dilectionis R 27
RAdices diſcordiarũ in monaſt. quę 717
Regulæ Monaſticæ non ſunt verbatim dictatæ à Deo 200. quales 203. quæ perfectæ 206 ſæpius legendę 549. exactè ſeruandæ 553. quo ſpiritu legendæ 558
Religio quamuis vna, tamen multas domos complectitur 447. pretioſa margarita 287. habet tres portas 308 etiam imperfecta perfectior vita ſæculari 305
Religio quæ virtus 13. quid ſit 177. per excellentiam tribuitur ſtatui monaſtico & cur 178 eius variæ excellentiæ 195
Religiones fundatæ ſuper viros quoſdam perfectos 94 & ſeq.
Religioſus ſtatus cæteris prælucet quaſi ſol inter ſydera 177. tria ad eius perfectionẽ neceſſaria ib. cur tã varius 179. eius firmitas 184. varia petſecutio ib. regulæ honeſtæ & ſanctæ 203. & iuſtæ ibid poſſibiles 204. conuenientes & neceſſariæ ib. varij eius fauores 226 in eũ nemo ingredi credendus eſt niſi vocatũ à Deo 217. cur etiã paruuli vocẽtur ad eum 39. in eum nemo ante annũ decimumquintũ ætatis admittendus, neq; poſt quinquageſimum 41
Religioſi in mundo antea obiecti, aliqui principibus honoratur 217. in publicum venire quomodo debeãt 35. cũ fœminis agentes cuas conditiones ſequi debent 48. quare & vt ſequi tã habãtur 486. horũ cibus qualis eſſe debet 160. fructus ex cõmunione ſanctorũ 227. illorũ felicitas in rebus ſpiritualib 739 & ſ. exercitia ib.
Religioſus ſolus non debet loqui ſolimodo ali 113
Ruſticus quidam caſtus & humilis diabolo terrori eſt S. 94 & ſeq.
SAnctitas perfecta in tribus præcipuè conſiſtit 172
Scala Iacob quid deſignet 284 eius gradus ib.
Schiſmata cur Deus in Eccleſia permittat 713
Sæcularium quorundã præſumptio 268. vexationibus & aduerſitatibus retũditur 269. eorũ amicitia monachis maximè fugiẽda, & quorũ 692 & ſe. cum iis religioſus quomodo agere debeat ib & ſeq.
Senis cuiuſdam Monachi error 114
Septẽ ordines Religioſi ſeptẽ virtutibus innituntur 181. ſunt quaſi ſeptem candelabra aurea 182. & ſicut ſeptem ſtellæ ib.
Septem fines particularium religionum 176
Serui inutiles qui 4
Sex actus charitatis quib, inimici diligẽdi 30
Sex Gradus caſtitatis 46
Sex actus mortificationis illis reſpõdẽtes 49
Silentium Religioſo amandũ & quale 381 magni momenti in monaſterijs 716
Singularitas in bonis operib. vitãda & cur 57
Societas Ieſu pars ſeptimi ordinis in domo Dei, & eius quãta vtilitas 180. nõ deficiet 186. quartũ votũ addit tribus cõmunib. 195
Solitudo cum fœminis periculoſa 112
Solitudo vitæ Religioſæ familiaris 381
Spiritus duplex El æquis 6. in Chriſto valde emicuit ibid.
Status continẽtiæ duo genera perſonarum complectitur 61
Status religioſus nunquã omnino deficiet. etiamſi aliqui in eo malè viuant, & cur 187. eſt quaſi holocauſtum 140
Status religioſus vnus & multi, & quomo

do 188. eius excellẽtia 10. & 170 tria impedimẽta 183 quomodo illa remoueãtur 189 eius author Christus 169. ab eo cœpit Ecclesia 171 fuit etiã ante Ecclesiã Christianã ib. finis vt religiosi nõ sibi sed Deo viuant 173. ad eũ ex omni statu vocantur 242 nõ est contemnendus propter quosdam malos 416
Stulta promissio quæ 43
Subditi vt rectò gubernẽtur quæ necess. 540
Superbia quàm noxium malũ 470 mutato statu non perit, sed & ipsa mutatur 471. mundanæ & spiritualis discrimen 474
Superbi Monachi quales 471
Superbus semper facit propriam voluntatem 478

T

TActus mulierum omnino fugiendus 111 Temperantia eiusq; bona 151. mortificat finem gulæ 154 moderatur cibi & potus quantitatem 158. præscribit tempus & modum cibum sumendi 163
Tẽporis in omni negotio habẽda ratio 732
Tentatio fit non solum à diabolo, sed etiam à Deo, & seipso, & quomodo 333
Tẽtatio suiipsius quomodo fieri debeat 347
Tẽtationes Dei quales sint iustis 341 & seq.
Tentationes variæ eorum qui Religionem ampl ecti cogitant 313 & seq.
Thronus Salomonis figura castitatis 49
Trãsire ad aliã religionẽ an liceat 417 & se.
Tres inuisibiles socij ad castitatem custodiendam 119
Tres radices non perseuerandi in religione 352 item aliæ
Tria tempora conuersionis ad Deũ quæ 373
Tria genera officiorũ apud Religiosos 722
Triplex excessus vitandus in escarum qualitate 160
Triplex probationis modus S. Benedicti 336
Tyranni persequũtur statũ Religiosum 184
Tyronis intentio quæ esse debeat 378
Tyronis duæ virtutes virginitas & humilitas 386

V

VErecundia fundamentum temperãtiæ & aliarum virtutum 135. maximè decet virgines & adolescẽtes 139. non debet esse nimia alioqui erit vitiosa 140. quando sit vitiosa ibid.
Vermis damnatorum quis
Vermis luxuriæ qualis 59
Virginitas martyrio par. 67 eius excellentia 58. similitudo cum Angelis, Deo & Christo 70. varij effectus 75. non debet esse nuda, sed vestita virtutibus 76. voto firmata est præstantior 77. sine humilitate nulla est 93. habet duos gradus 100
Virginum corpora citharæ multarũ chordarum 72
Virtutes quæ consilia Euangelica magis illustrant 13
Visitatio fœminarum periculosa 112
Vita Religiosa continuum holocaustũ 194
Vitia quædam virtutibus contigua 115
Vino multi abstinuerunt 161
Vini abstinentia valde commendabilis ib.
Vngula quid designet 322
Vnitionis Religiosæ quinque gradus 703. aliæ proprietates 706 & seq.
Vocatio ad fugam luxuriæ 57
Vocatio ad statũ Religiosum necessaria 237
Vocatio ad Religionem in genere 301
Vocatio per affectus 302. per rationes 303
Vocatio ad particulares Religiones 304
Voluntas propria quomodo perfectè mortificetur 530. & seq. et mortificatio quas virtutes pariat 531. vitiosa eius extrema quæ 532. & seq.
Voluntas malorum hominum quàm horrenda desideret 529
Voluntatem propriam sequentes Caino redduntur similes 529
Votum paupertatis perfectum holocaustũ 456 vide paupertas.
Votum auget operis bonitatem 170
Votum virginitatis Maria emisit, & Christus confuluit faciendum 78
Votorum edendorum sex motiua 407
Voti duplex excellentia 42
Vouere virginitatem an expediat ob metum lapsus & magni peccati si labatur 83
Voluntatis propriæ abnegatio mater humilitatis 477
Vrsini solicitudo ne à fœmina tangeretur 144

Z

ZElus Regularum elucere debet in Monachis, & quid sit 556

FINIS.

PRAEPO-

PRÆPOSITI PROVINCIALIS FACVLTAS.

GASPAR DE VEGAS *Prouinciæ Castellanæ Societ.* IESV *Præpositus Prouincialis, ex particulari admodum R. P.* CLAVDII AQVAVIVA *Præpositi nostri Generalis commissione mihi concessa, facultatem concedo: vt, Præmissa Catholici Regis Domini nostri licentia, typis euulgetur Tomus tertius de Perfectione hominis Christiani in Statibus Continentiæ & Religionis, & obseruatione consiliorum Euangelicorum, à F. Ludouico de Ponte compositus & grauium Theologorum eiusdem Societatis iudicio examinatus, & approbatus. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloq; Officij nostri munitas dedimus. Vallis-Oleti primo die Febr. anni 1613.*

GASPAR DE VEGAS Prouincialis.

APPROBATIO R. P. PRIORIS S. AVGVSTINI.

EX mandato vestræ Maiestatis perlegi Tertium Tomum à P, Ludouico de Ponte Societ. IESV compositum, cui titulus: De *Perfectione hominis Christiani in Statibus Continentiæ & Religionis, & obseruatione consiliorum Euangelicorum.* Qui meo iudicio, fungitur officio Ducis adeò tuti ac periti, vt qui eum iuxta sui Statûs qualitatem sequantur per varias semitas quas ostendit; per compendia periculorum, & minori labore ad culmen possent Perfectionis peruenire. Quam liber hic admirabili adeò dispositione & ordine tradit, cum doctrina adeò solida, subtilitate spiritûs, pietate adeò graui & prudenti, aptaque Sanctorum & Scripturæ sacræ Authoritate vt res digna sit suo Authore, qui magnam suam eruditionem, ingenium, & Sanctitatem satis ostendit. Quare iudico dandam sibi, quam petit, facultatem, vt libro in lucem edito, crescat ingens illa boni spiritûs lux, quam in omnibus materijs, & nationibus hactenus pertulit, in alijs etiã libris, quos edidit; & iam in varias linguas sunt versi. Datum in nostro S. Augustini Conuentu Pompeiopoli 18. Septembr. Anni 1616.

Fr. Didacus Martinez.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2651